telligibile in Deo contentum; sed hoc ipso stat cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad Paternitatem: ergo stabit etiã, quod Verbũ procedat ex cognitione cõprehensiua Essentiæ, quin procedat ex cognitione Paternitatis. Probatur minor. Primo: non minùs est cõtra cognitionẽ infinitã Dei, illã non extendere ad omne intelligibile in Deo contentũ; ac illã non extendere ad Paternitatẽ; sed stat iuxta Ill. God. cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad omne intelligibile in Deo contentũ: ergo stat cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad Paternitatẽ. Minor, & cõsequẽtia tenent. Maior probatur: æquè petit cognitio infinita Dei, se extendere ad omne intelligibile, ac se extendere ad Paternitatẽ; alioquim infinita non esset: ergo non minùs est contra cognitionem infinitam Dei, illam non extendere ad omne intelligibile in Deo contentum; ac illam non extendere ad Paternitatem.

Minor prob. 1.

Probatur 2. eadẽ minor ad hominẽ contra Ill. God: ideò iuxta ipsum in argumento non stat cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad Paternitatẽ, quia Essentia Diuina cõprehendi non potest, non cognito in illa, & ex illa quid quid ex vi illius cognoscibile est; sed Essentia Diuina comprehendi potest, non cognito in illa, & ex illa quid quid ex vi illius cognoscibile est: ergo stat cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad Paternitatẽ. Probatur minor: creaturæ futuræ, supposito decreto, sunt cognoscibiles in Essentia Diuina, & ex illa; sed his non cognitis, potest comprehendi Essentia Diuina, vt habet Ill. God: ergo Essentia Diuina cõprehendi potest, non cognito in illa, & ex illa quid quid ex vi illius cognoscibile est.

69. *Secundo ad hominem contra ipsũ.*

Et ne dicas cum Ill. God. *disp.* 91. *n.* 9: esse maximã differentiã inter prædicata essentialia, & notionalia, ac inter prædicata essentialia, & decreta libera; nam notionalia sunt necessariò connexa cum essentialibus; decreta verò libera nõ sunt ita connexa; & hanc esse rationẽ, cur Verbũ procedere debet ex cognitione Paternitatis; nõ verò ex cognitione futurorũ. Ne (inquã) hoc dicas Contra primo: nã necessaria connexio prædicatorũ notionalium cum essentialibus non infert præexigentiã, vel coexigentiã notionalium in esse cognito ad productionẽ Verbi, vt habet Scotus *in* 1. *dist.* 39. *& quodlib.* 8; sed tantũ infert necessariã consecutionem illorum, vt latiùs dicemus *disput. seq.* hanc paritatem roborando.

70. *Si dicas cum Ill. Godoy.*

Contra 1.

Contra 2: quod libera decreta non sint necessariò cõnexa cum prædicatis essentialibus, nõ tollit, quod suppositâ rerum futuritione cognitio cõprehensiua Essentiæ non stet, quin extendatur ad futura: ergo nec tollet, quod Verbũ procedat ex cognitione futurorũ. Probatur consequentia: ideò Verbũ procedit ex cognitione Paternitatis, quia nõ stat cognitio cõprehensiua Essentiæ, quin extendatur ad Paternitatem; sed quod libera decreta non sint necessariò connexa cum prædicatis essentialibus, non tollit, quod supposita rerum futuritione cognitio comprehensiua Essentiæ non stet, quin extendatur ad futura: ergo nec tollet, quod Verbum procedat ex cognitione futurorũ. Contra 3: quod libera decreta non sint necessariò connexa cũ prædicatis essentialibus, non obest, vt Verbum per se procedere petat ex cognitione futurorũ, supposito decreto de futuris: ergo solutio Ill. God. vim non habet. Antecedens probatur retorsione à nobis facta *n.* 58. ex hocque apparet, disparitatem ab Ill. God. traditam efficatiam retorsionis in sua vi relinquere.

71. *Contra* 2.

Contra 3.

Responsio autem Ill. God. ad confirmationem impugnatoris id, ex cuius variatione infertur [illegible] nulla facta suppositi[illegible] to modo requiri[illegible] perfeitate absoluta[illegible] negatione sequatur [illegible] facta aliqua supp[illegible] gitur ad eius pro[illegible] non absoluta, sed

72. *Responsio Ill. God. ad confirmationẽ impugnatur.*

64-1-3
64
1.112

cognitione sui, Verbum erit existens ante sui productionẽ, quod est inconveniens ab Scoto deductũ. Sussumpta quoad primã partẽ conceditur ab Ill. God. *n.* 26. *& seqq.* Quoad secundam verò, scilicèt, quod non sit sui productiua, est Scoti opinio, in cuius suppositione arguo, in qua suppositione vtraque consequentia est legitimè illata. Et hæc est tertia impugnatio solutionis Ill. Godoy.

104. *Impugnatur 4. præcedens responsio*

In opinione verò D. Thomæ, quam amplectitur Ill. God. declaratur. Tenet namquè Ill. God. cum Angelico Præceptore: Verbum procedere per cognitionẽ, seu cognitionẽ esse principium *quo* Verbi, vt habet *disp.* 72. & hic repetit multotiès præsertim *n.* 26. Stante igitur hac Ill. God. opinione, sic formo rationẽ ad inferendum inconveniens ab Scoto deductum: si Verbũ procederet ex cognitione ipsius, Verbum haberet esse cognitum ante sui productionẽ: ergo si Verbum procederet ex cognitione sui, Verbum haberet esse existens ante productionẽ, quod est inconveniens ab Scoto deductum. Antecedens est certũ, nequit namquè Verbum procedere ex cognitione ipsius, quia præsupponatur Verbum cognitũ. Consequentia probatur: esse existens Verbi est per cognitionẽ iuxta opinionẽ Ill. God. in cuius suppositione arguo; sed si Verbum procederet ex cognitione ipsius, Verbum haberet esse cognitum ante sui productionem iuxta concessa: ergo si Verbũ procederet ex cognitione sui, Verbum haberet esse existens ante sui productionem. Hæc quarta solutionis Ill. God. impugnatio est.

105. *Impugnatur 5.*

Et quia ad hanc veritatẽ firmandã, & declarandã deseruient paritates ab Ill. God. deductæ, eas omittere non licèt, vt ex his, quæ in suum faborẽ adducit, videatur inconveniens Scoti nõ salvare. Quare impugnatur 5. prædicta solutio Ill. God: Verbum iuxta opinionem Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo nequit procedere ex cognitione ipsius. Probatur consequentia: quia creaturæ habent esse per visionẽ, nequeunt creaturæ procedere ex visione ipsarum; sed Verbum iuxta opinionem Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo nequit procedere ex cognitione ipsius. Probatur maior: si creaturæ habentes esse per visionẽ procederent ex visione ipsarũ, creaturæ haberent esse ante sui productionem; sed hoc implicat; quia creaturæ habent esse per visionẽ: ergo quia habent esse per visionem, nequeunt procedere ex ipsarũ visione. Probatur maior: si creaturæ habentes esse per visionem procederent ex visione ipsarum, creaturæ ante sui productionem essent visæ; sed creaturæ habent esse per hoc, vt sint visæ: ergo si creaturæ habentes esse per visionem procederent ex visione ipsarum, creaturæ haberent esse ante sui productionem.

105. *Impugnatur 6.*

Impugnatur 6. solutio Ill. God paritate entis rationis ab ipso adducta: Verbum iuxta ipsius opinionẽ habet esse per cognitionẽ: ergo nequit procedere ex cognitione ipsius. Probatur consequentia: ens rationis, quod habet esse per notitiã intuitivam ipsius, nequit procedere ex tali notitia intuitiva fabricativa ipsius; sed Verbum iuxta opinionẽ Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo nequit procedere ex cognitione ipsius. Maior patet ex dictis *n.* 97. Minor est doctrina Ill. God. Probatur consequentia: ideò ens rationis, quod habet esse per notitiã intuitivã ipsius, nequit procedere ex tali notitia intuitiva fabricativa ipsius, quia habet esse per talẽ notitiã intuitivã; sed Verbum iuxta Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo nequit procedere ex ipsius cognitione. Probatur maior: si ens rationis, quod habet esse per notitiã intuitivã fabricativã ipsius procederet ex tali notitia, tale ens rationis ante sui productionem haberet esse; sed hoc implicat: ergo ideò ens rationis, quod habet esse per notitiã intuitivã ipsius, nequit procedere ex tali notitia intuitiva fabricativa ipsius, quia habet esse per talẽ notitiã intui-

ti-

tiam. Probatur maior: ens rationis, quod habet esse per notitiã intuitivã fabricativã ipsius, procederet ex tali notitia, tale ens rationis ante sui productionẽ esset intuitivè notũ; sed tale ens rationis habet esse per hoc, quod sit intuitivè notum: ergo &c.

107. *Impugnatur 7.*

Impugnatur 7. prædicta solutio Ill. God. paritate à nobis adducta: Verbũ iuxta opinionẽ Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo in opinione Ill. God. nequit Verbum procedere ex cognitione ipsius. Probatur consequentia: possibilia, quæ in Scoti sententia habent esse per cognitionẽ Diuinã, nequeunt procedere ex tali cognitione; sed Verbum iuxta opinionẽ Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo in illius opinione nequit Verbum procedere ex cognitione ipsius. Maior est vera in Scoti sententia, cuius ratio tradita est *n.* 97. Minor est opinio Ill. Godoy. Cõsequentia probatur: ideò possibilia, quæ habent esse per Diuinam cognitionẽ, nequeunt procedere ex tali cognitione, quia habent esse per talem cognitionẽ; sed Verbum iuxta Ill. God. habet esse per cognitionẽ: ergo Verbum in opinione Ill. God. nequit procedere ex cognitione ipsius. Probatur maior: si possibilia, quæ habent esse per Diuinã cognitionẽ, procederent ex tali cognitione, possibilia ante sui productionẽ haberent esse: atqui hoc est implicatoriũ: ergo ideò possibilia, quæ habent esse per Diuinã cognitionem, nequeunt procedere ex tali cognitione, quia per talẽ cognitionẽ habent esse. Probatur maior: si possibilia, quæ habent esse per cognitionẽ, haberent esse ex tali cognitione, possibilia ante sui productionem essent à Deo cognita; sed possibilia habent esse per hoc, quod sint à Deo cognita: ergo si possibilia, quæ habent esse per Diuinam cognitionem, procederent ex tali cognitione, possibilia ante sui productionem haberent esse.

108.

Solutio deniquè, quã ad confirmationẽ positã *n.* 93. adducit Ill. Godoy, nempè, negando maiorem de notitia practica, qualis (inquit *n.* 26.) est notitia intuitiva, ex qua Verbum procedit, dissonare videtur ab eo, quod ipse dixit *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 26. §. 3. *n.* 4.; hic enim tenet expræssè, quod notitia, ex qua Verbum procedit, practica non est: nam ad argumentum, quod contra Scotum aliqui faciunt ad probandum possibilia non habere esse diminutũ ab intellectu Diuino, quod sic formant: *Scientia speculativa non facit, sed supponit obiectum; sed scientia Dei possibilium, prout ad illa terminata, non est practica, sed speculativa: ergo non dat rebus possibilitatem, nec sub aliquo esse etiã diminuto producit.* Hæc habet Ill. God. *Hoc tamen argumentũ non vrget: instatur; namque in notitia, ex qua Diuinũ Verbum procedit, quæ quidem practica cognitio non est, & tamen Verbũ producit, & hoc ideò, quia licèt ex illa Diuinũ Verbum procedat, non tamen talis est, quod tradat regulas operandi, quod ad cognitionẽ practicã est necessariũ: ergo quamvis cognitio Dei creaturarũ possibiliũ non practica, sed speculativa sit, poterit illa sub aliquo esse producere, vel saltim ex hoc principio talis productio non tollitur.*

Ex quo videtur Ill. God. consequenter non procedere: nam *in tom.* 1. *cit.* expræssè asserit, quod notitia, ex qua Verbum procedit, non est practica, & vt in præsenti confirmationẽ solvat, expræssè tenet, quod est practica talis notitia, ex qua Verbum procedit. Quod non videtur esse vniformitèr lo qui. Ex quo sic potest in ipsũ ad hominẽ argui, impugnando solutionem, quã ad confirmationẽ adducit: notitia intuitiva speculativa supponit suum obiectum existens; at cognitio, ex qua procedit Verbum, est cognitio intuitiva speculativa: ergo supponit Verbũ existens: ergo Verbum est existens ante sui processionẽ, quod est inconveniens ab Scoto deductũ. Maior est solutio Ill. God. in præsenti. Minor est doctrina illius *in tom.* 1. *cit.* Prima cõsequentia est evidens, ex ipsaque secunda manifestè apparet.

109. *Impugnatur solutio confirmationis.*

Ali-

NIHIL TAM OCCVLTVM, ET OBSTRVSVM, QVOD
PERSPICAX SCOTTI INGENIVM NON PENETRAVERIT, ET E TENEBRIS
ERVERIT, NIHIL DENIQVE TAM NODOSVM,
QVOD ILLE NON DISSOLVERIT. IOANNES PITSEVS DE REBVS ANGLICIS. Pag. 392
Calumo
Sabello
Hugo
Arrio
Pelagio



R. A. P. AC FRATRIS

EMMANUELIS PEREZ DE QUIROGA,

ORDINIS MINORUM,

REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINCIÆ

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS,

LECTORIS BIS IUBILATI, EX-DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINCIÆ,

PATRIA VALLIS-OLETANI.

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ,

IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM,

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS,

IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS PRIMUS,

ET ULTIMUS IN ILL. GODOY.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISV SVPERIORVM.

VALLIS-OLETI: Ex Typographia Regia, apud viduam IOSEPHI A RVEDA, in via de Samano. Anno Domini 1715.

R. A. P. AC FRATRIS

EMMANUELIS

PEREZ

DE

QUIROGA,

ORDINIS MINORUM,

REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINCIÆ

IMMACULATÆ

CONCEPTIONIS,

LECTORIS BIS IUBILATI, EX DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINCIÆ,

PATRIA VALLISOLETANI.

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ,

IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM,

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS,

IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS PRIMUS,

ET ULTIMUS IN ILL. CODOX.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISV SVPERIORVM.

VALLISOLETI. Ex Typographia Regia, apud viduam IOSEPHI A RVEDA,
in via de Semanas. Anno Domini 1715.

APPROBATIO ORDINIS.

DE mandato Rmi.P.N.Fr.Ildephonsi de Biezma,Concionatoris Regij,Regię Congregationis pro Immaculata Conceptione Sacratissimæ Virginis Theologi,& Ministri Generalis totius Ordinis S.P.N.Francisci,atentè inspeximus,& iucundè perlegimus Librum varios continentem tractatus *in Secundum Librum Sententiarum Scoti*,compositum à R.A.P.Fr.Emmanuele Perez de Quiroga,Lectore bis Iubilato,& Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Patre. Et ingenuè fatemur,lectionem ita fuisse nobis proficuam, vt lucrum magnum ex labore reportaverimus. Non eget commendatione Auctor,cuius sapientiam mirabilem vbique gentium notam,tot testantur præclara volumina,quæ iam viderunt lucem in septem distributa tomis. Opera eius ipsum laudant vbiquèque vocem emittunt, vt difundant famam,quia vt aiebat Philo de Sacrificio Abel:*Vera bona ex se ipsis naturalitèr vocem emittunt, etiam si sileant,nam nec Sol,nec Luna opus habent interprete.* Mirum ingenium ostendit Auctor, mira dexteritate pollens. Quidquid rarum dicit, communibus principijs nixum,rationibus validissimis probat.Facilè quidquid vult,suadet.Nihil tam difficilè, quod illicò non pateat ipsis; omnibus dificilibus resistit, cum nihil resistat ipsi; nam instar vehementissimè fulguris,vbi maior resistentia adest,facilius victoriam captat.

Egre parvis sistitur ingenium audax
nec serpore sapit
Semper culmina tenet dum tendit ad imma.

Nihil in toto opere invenimus contrarium Orthodoxæ doctrinæ, nihil à Sanctorum Patrum sententijs debium.Omnia valdè elaborata,& menti Subtilis Magistri valdè consona, immo & plura sapientissimè dicta reperimus, quæ si lucem videant,proficient valdè discipulis,& Magistris,quia ita claritas, & sublimitas doctrinæ in hoc opere vnitæ inspiciuntur, quod ob illam discipuli percipiunt lucem, & ob istam Sapientiores evadent ipsi Magistri Suspensi hæremus, dum quæ amplius de tanto Magistro dicamus, ignoramus. Silentium dicat,quod non valet lingua. Claudat Mirandulanus: *Scio,quæ de te concepi,infinitum subsidere infrà vestigia doctrinæ tuæ,scias,& tu quæcumque loquimur,longè esse minora ijs,quæ concepimus;tàm deesse scias animo verba,quàm rebus animus deest.* Qua propter dignum iudicamus, quod hoc opus Typis mandetur, quod maximè cedet in legentium vtilitatem,& Religionis honorem. In hoc Regali Conventu Sancti Patris Nostri Francisci Vallis-Oletano die quartadecima Septembris anni millesimi sentingentesimi duodecimi.

Fr.Ignatius Barreyro.
Lector Iubilatus.

Fr.Ioannes à Soto.
Lector Theologiæ.

LICENTIA ORDINIS.

Frater Ildephonsus de Biezma, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Francisci, Minister Generalis, & Servus, &c.

PRæsentium litterarum virtute,ac vigore,& quatenùs ad Officij nostri ius attinet;nostra cum benedictione,licentiam,elargimur,& facultatem facimus R.P.Fr.Emmanueli Perez de Quiroga,Lectori bis Iubilato,Almæque nostræ Provincię Immaculatę Conceptionis Patri,& alumno,vt opus à se compositum cui titulus est:*Tomus primus in Secundum Sententiarum,&c.* Typis mandetur, & in lucem edi possit; quando quidem à gravibus, & doctis paritèr Ordinis nostri Theologis prædictum Opus nostra ex commissione revisum,& approbatum existit. Servatis in reliquo omnibus de iure, & consuetudine servandis.Datis in hoc nostro Regali Conventu S.Francisci Matriti,die 9.Octobris,anni 1712.

Fr.Ildephonsus de Biezma.
Minister Generalis.

D. M. S. Rmæ.
Fr.Ioannes Ximenez.
Secret.Gener.Ordin.

Censura R.A.P.Fr.Bernardi à Sancto Ildephonso,Ex-Lectoris Artium,& Primarij Theologiæ,olim in suis Cœnobijs Salmanticensi,& Vallis-Oletani,Excalceatorum B.Mariæ Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum Commendatoris, Ex-Diffinitoris Generalis, Sanctæque Inquisitionis Qualificatoris, &c.

DE mandato Perillustris D.D.Andreæ de Orbe Larcatigui Maioris Sanctæ Crucis Collegij Vallis-Oletani Hospitis Collegæ,necnon Provisoris,& Vicarij Generalis Vallis-Oletanę Diœcesis per Rmum.& Illmum.D.D.Andream de Orueta & Barasorda,quandam Supremę Inquisitionis Tribunalis Inquisitorem,nunc autem dignissimum Præsulem, & Episcopum prædictæ Vallis-Oletanæ Diœcesis.Volumen (cuius titulus est:*Tomus primus in Secundum Sententiarum,&c.* Auctore R.A.P.Fr.Emmanuele Perez de Quiroga,Lectore bis

Iubilato, Almæque Provinciæ Immaculatæ Conceprionis Ordinis Minorum dignissimo Patre) vidi attentè, acuratè legi, summaque animi voluptate pervolvi. Opus equidem mirabili eruditione elaboratum, tam copiosè atque ornatè expensum, vt eius ingenium in proponendo, profunditatibus cluceſcat, in arguendo peritiam elucidet, & in probando admirationibus inclareat. De illo magis, quam de alio, illud Divi Ambrosij videatur dictum: *Plus in eo est, quod probetur asse tu, quam quod sermonibus laudari possit; suo enim vtitur testimonio, non suffragio alieno.* Hic enim liber non alio indiget, nisi vt videatur. Sed vtinam ò cuncti viderent, ac de illius nectare dulci Orbis totus potiretur, vt de retroactis veluti invidum præsens hoc sæculum, quisque sibi persuaderet satis vlcisci, dum vnum pro cunctis plus cæteris sapientiorem hunc parturit Heroem. Parcat, quæso, qui me panegyritam cernit in elogium, dum revisorem expectabat ad Censuram. Nec enim vt cum Cassiodoro loquar: *Fieri poterat, vt quem tantus Auctor, familia tanta produxerat sententia nostra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Quinimò nonnè possem cohibere, ne loco censuræ in Panegyrim prorumperet cumulus amoris: igitur solum laude, & Panegyri; non vero aliqua eget censura illud, quod in admirationem ponet Orbem, si Typis mandetur. Qua propter de Auctore isto, de eiusque opere prædico quidquid in simili actione Cassiodorus prædicavit: *Magna est eius gloria, quæ nullis laudibus crescit, & nullius vituperatione minuitur.* In lucem ergo emergat hoc opus, vt in omnes Christianas Regiones vulgetur ad Dei gloriam, ad publicam vtilitatem, atque ad Minorum Seraphici Francisci ornamentum. Hoc est meum iudicium (salvo meliori) &c. In hoc Conventu S. Iosephi Excalceatorum B. Mariæ Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum, prædictæ Pincianæ Civitatis veteris Castellæ. Die 8. Novembris, anno Domini 1712.

Fr. Bernardus à Sancto Ildephonso.

Ambr. lib. 1. Hexam.

Cassiodor. lib. 4. epist. 22.

Cassiodor.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Lic. D. Andrès de Orbe y Larrategui, Colegial Hueſcad en el Mayor de Santa Cruz, Proviſor, Oficial, y Vicario General en eſta Ciudad de Valladolid, y todo ſu Opiſpado, por el Illmo. Señor D. Andrès de Orueta y Baraſorda, Obiſpo de èl, Prior, y Señor de Junquera de Ambia, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente damos licencia, para que por lo que à Nos toca, ſe pueda Imprimir, y dar à la Eſtampa vn Tomo, que es *el primero ſobre el ſegundo de las Sentencias*, compueſto por el R. P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, del Orden del Señor San Franciſco, Lector dos vezes Jubilado, y Padre de la Provincia de la Concepcion, mediante aver ſido viſto, y examinado de nueſtra orden, y mandado, y no tener coſa alguna contra nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas, y loables coſtumbres. Dada en la Ciudad de Valladolid à 10. dias de Noviembre de 1711. años.

Lic. D. Andrès de Orbe
y Larrategui.

Por ſu mandando,
Antonio Lopez Remirez.

Cenſura R. P. Fr. Ioſephi Salgado, in B. V. Mariæ de Monte Carmelo, Antiquæ Obſervantiæ Vall. ſ. Oletan. Conventu Sacræ Theologiæ Lectoris, necnon Studiorum Regentis, & emeritiſſimi Prioris.

S. C. M.

EX præſcriptu Senatus Regij (præceptum, quod certè mihi obedientiæ meæ remuneratio eſt) vidi *Tomum primum in Secundum Sententiarum iuxtà mentem Subtilis Doctoris Scoti*, eformatum, elaboratumque, totque vigilijs excultum à R. A. P. Fr. Emmanuele Perez de Quiroga, Sacri Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Immaculatæ Conceptionis, Lectoris bis Iubilati, & Ex-Diffinitoris, necnon & eiuſdem Provinciæ Patris meritiſsimi. *Vidi ergo, immò cum doctiſsimo meo* Mantuano, *de ſimili alio affirmare queo, quod: Legi tanta animi voluptate, quanta loculentia ſplendent, quanto amore eius Authorem proſecutus ſum, ſed eum legendo, dum cupio ſedare ſitim, ſitis altera creſcit, deſiderium, ſcilicèt, videndi reliquum.* Eius percepta fama accuſabam ſanè fortunam meam, cui talem virum videre, & colere non licebat: quod ergo votis deſiderabam meis, fors mihi humana paravit, & præ meis oculis habito, & in omni ſui converſatione facundia tali attenta, miratus cum Sabà proclamavi: *Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſapientia tua : : : vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiri.* Quam ob cauſam omnibus notam, & à nullo comprehenſam, te Patrem Patriæ (vt Demoſthenem ferunt Athenienſes populi) huius Valliſ-Oletanæ Civitatis incolæ, & ex corde amant, & voce magna prædicant: *Legi ergo* (vt de ſe ait Salbianus ad Epiſcopum Eucherium) *libros, quos tranſmiſiſti, ſtylo breves, doctrina vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, opus quidem vndequaque clarum, nam quia magnum bonum, & quia bonum magnum.*

Mantuan.

Reg. 3. cap. 10. ℣. 7.

S. Salb. ad Epiſc. Eucher. Iuſto lipſ.

Quæ

Quæ hic conscripsit omnia percensere, & ad calculum revocare, non vnius tantum hominis esse contenderim, sed Dei potiùs, vt qui vnus omnia novit.

Floret ita in omni hoc sui labore, vt omnes eius commentationes in Subtilissimi sui Magistri doctrinam simili commentandi genere illustrarit, vt alius nemo, & ex tempore, quo tali vacavit negotio, nullo prorsus negotio retentus erudivit omnes, quin esset in aliquo, aut in cautus, aut nimis, sed in omni moderatus; atque in cunctis ferè doctrinæ partibus, tùm præcipuè in Theologia Scholastica adscribenda, atque in omnibus Ecclesiasticæ regulis disciplinæ ita Doctorum concinit per vniversa sententijs, vt eos penè, quos numquam vidit, omninò ad subtilis subtilitatem percipiendam informasse credatur: Quanto enim edocendi, illustrandi, & protegendi sibi proprios amore teneatur omni sui opere declarat, quod verò istud non ad ostentationem quandam faciat, & fœtentem illam gloriæ vanitatem, & morum probitas, & vitæ integritas, & in colloquio benignitas testantur. in quo, si immorari vellimus, commendationi campus adeo est patens, vt etiam infanti linguæ vberrimam dicendi materiam præstare possit. Se ipsum in omni excedit, vndè cum Plinio decantare valeo: *Omnes excellis, vt honor, ac potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen.* Immo & quod de Thoma Cantuarensi quidam pœeta cecinit: *Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* O! quisnam poterit tantarum Laudum enuntiare præconia? Sanè nullus: fama sua buccina cantet: ferre potens nomen celsa per astra suum: & quod mirabile est dictu, vt non sine inimico triumpharet, selegit maximum, Ill. nempè Godoy, abs dubio in omni clarum; & ne inutilitèr in re, tan nota, moremur, dicere valeo cum Mantuano: *Omnia dixi, cum virum dixi.* Cuius vestigijs in disputationum serie fideliter insistens, & insequitur, & persequitur, quibus ex corde affectus, si fas est, piè applicare queo, quod de vita hac, & superna describit Augustinus: *Iste cum hoste pugnat, alter sine hoste regnat; iste in fide, alter in specie; iste in tempore peregrinationis, alter in æternitate mansionis; iste in labore, alter in requie; iste in via, alter in patria; iste in opere actionis, alter in mercede contemplationis; iste declinat à malo, & facit bonum, alter nullum habet, à quo declinet, malum, & magnum habet, quo perfruatur, bonum; iste enim* (vt de Chrisostomo ait Anianus) *ex quo suscepit commentatoris officium, certam vniuscuiusque partem expositione complens, reliqua amica sibi, & quam perfectissima potest exhortatione producit: In ipsis quoque expositionum locis, quæ quidem plena sunt acuminis, ponderis, consequentiæ, eruditionis, medullæ, nihil magis intendit, quam ne vel exigua moralitatis puncta prætereat, quasi qui omninò penè solus consilium divinæ legis impenderit.* Quæ cum innumeris sit in texta causis, ad vnum tantum finem omnia reducit, vt, scilicèt, homines, quibus data est ad amorem Dei, studiumque virtutis accendat. Vndè & censeo Typis mandari, & quantotiès in lucem omnium prodire deberi. Salvo, &c. In Carmelitarum de Observantia Vallis-Oletano Conventu, die 30. Mensis Iunij, anni Domini 1713.

Fr. Joseph Salgado.

Plin. in Panegyr.

Aug. tractat 124. in Ioann. sub medio.

Anian. in exposit. D. Ioan. Chrisost. in prologo.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Licencia, y Privilegio de los Señores del Consejo Real de Castilla, para poder Imprimir este Libro, cuyo titulo es: *In 2. Sentent. tom. 1.* el R. P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, Lector dos vezes Jubilado, y Padre de Provincia, del Orden de N. P. S. Francisco, como mas largamente consta de su orignal, a que me refiero, despachado en el Oficio de Don Miguel Rubin de Noriega, Escrivano de Camara mas antiguo, de los que en el Consejo residen, y firmado de Don Miguel Fernandez Munilla, su Oficial Mayor.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 5. num. 5. *Scotue*, lee *Scotus*. Pag. 70. num. 40. *aliquin*, lee *alioquin*. Pag. 92. num. 64. *delectione*, lee *delectatione*. Ibid. *que*, lee *quæ*. Pag. 101. num. 105. *scaundum*, lee *secundum*. Pag. 128. num. 34. *visinem*, lee *visionem*. Pag. 224. in titulo, *decentibus*, lee *decedentibus*. Pag. 280 num. 44. *ser*, lee *sed*. Pag. 342. num. 42. *aliu*, lee *aliud*. Pag. 383. num. 9. *assertim*, lee *assertum*.

Hic liber inscriptus: *Quiroga in Secundum Sententiarum, tomus primus*, demptis his mendis, suo exemplari fideliter respondet. Dat. Matrit. die 13. Martij. anno 1715.

Lic. D. Juan Antonio de Alcalà Iñigo.

SVMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Consejo este Libro intitulado: *In 2. Sentent. tom. 1.* compuesto por el R. P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, &c. à seis maravedis cada pliego, como mas largamente consta de su original, despachado por Don Santiago Agustin Riol, Oficial Mayor de la Secretaria mas Antigua del Consejo.

INDEX

INDEX DISPUTATIONUM, ET PARAGRAPHORUM.

Quæ in hoc Primo Tomo in Secundum Librum Sententiarum continentur. *Littera* P. *designat Paginam.*

TRACTATUS PRIMUS.

De Beatitudine supernaturali.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrùm in solo Deo consistat nostra Beatitudo obiectiva?

§. PRIMVS.

Quæ in hoc tractatu sunt scitu digna, declarantur. *Pag.*1.

§. II.

Veritas Catholica statuitur. *Pag.*3.

§. III.

Solvuntur aliqua argumenta. *Ibid.*

DISPVTATIO II.

An Deus, vt vnus, sit sufficiens ad nos beatificandum, ita, vt si per impossibile non videretur vt Trinus, hominis beatitudo subsisteret?

§. PRIMVS.

Necessaria supponuntur, & sententiæ declarantur. *Pag.*5.

§. II.

De Essentia respectivè ad personas contra Ill. Godoy resolvitur difficultas. *Pag.*7.

§. III.

Assignatur prima Ill. Godoy solutio, quæ simul cum primo illius fundamento reijcitur. *Ibid.*

§. IV.

Assignatur secunda Ill. Godoy solutio, quæ simul cum quartò, & quintò illius fundamento impugnatur. *Pag.*8.

§. V.

Assignatur tertia Ill. Godoy solutio, quæ simul cum alio Thomistarum fundamento refellitur. *Pag.*10.

§. VI.

Alia Scoti ratione probatur conclusio. *Pag.*11.

§. VII.

Speciallbus rationibus probatur conclusio. *P.*14.

§. VIII.

Primum argumentum Ill. Godoy solvitur. *P.*15.

§. IX.

Solvitur secundum argumentum Ill. God. *Pag.*17.

§. X.

Duplex aliud argumentum Ill. Godoy diluitur. *Pag.*19.

§. XI.

Argumenta ex defectu facietatis solvuntur. *P.*21.

§. XII.

Argumenta ex defectu intuitionis solvuntur. *Pag.*24.

§. XIII.

Solvuntur argumenta contra secundam Scoti rationem. *Pag.*29.

§. XIV.

Varia solvuntur argumenta. *Pag.*31.

§. XV.

Resolvitur disputatio de Essentia respectivè ad attributa. *Pag.*35.

§. XVI.

Resolvitur difficultas de Essentia respectivè ad modos intrinsecos. *Pag.*40.

DISPVTATIO III.

Vtrùm Beatitudo nostra formalis in aliquo increato consistat, vel consistere possit?

§. PRIMVS.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio, & argumenta solvuntur. *Pag.*41.

§. II.

Quædam inconsequentia Ill. Godoy ostenditur. *Pag.*45.

§. III.

Quid de possibili dicendum sit? *Pag.*50.

§. IV.

Prædicta ratio Ill. Godoy impugnatur. *Pag.*53.

§. V.

Alia inconsequentia Ill. Godoy ostenditur. *P.*56.

§. VI.

Conclusionem supra positam in opinione Ill. Godoy sustineri non posse, probatur. *Pag.*59.

§. VII.

Vera conclusionis probatio ostenditur, & duplici argu-

argumento ſpeciali occurritur. *Pag.* 60.

DISPVTATIO IV.

Vtrùm Beatitudo formalis conſiſtat in operatione elicita à Beato?

§. PRIMVS.

Reijcitur ſententia Henrici. *Pag.* 63.

§. II.

Reijcitur aliorum ſententia. *Pag.* 65.

§. III.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. *P.* 68

§. IV.

Quid de poſsibili ſit dicendum? *Pag.* 70.

§. V.

Tertia concluſio contra Ill. God. ſtatuitur. *P.* 74.

§. VI.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 75.

§. VII.

Propria mens declaratur. *Pag.* 80.

DISPVTATIO V.

VtrùmBeatitudo formalis conſiſtat in actu intellectus, vel in actu voluntatis?

§. PRIMVS.

Præmittuntur, quæ apud omnes ſunt certa, & referuntur ſententiæ. *Pag.* 80.

§. II.

Concluſio veræ ſententiæ ſtatuitur. *Pag.* 82.

§. III.

Fundamenta pro vtraque operatione aſsignantur. *Ibid.*

§. IV.

Quædam ſolutiones Ill. Godoy proponuntur, & reijciuntur. *Pag.* 85.

§. V.

Neceſsaria ad ſolutionem ſupponuntur. *Pag.* 89.

§. VI.

Solvuntur fundamenta pro vtraque operatione. *Pag.* 90.

§. VII.

Fundamenta pro vna operatione aſsignantur. *Pag.* 95.

§. VIII.

Fundamenta pro vna operatione ſolvuntur. *Pag.* 96.

§. IX.

Argumenta Ill. Godoy pro ſola viſione ſolvuntur. *Pag.* 98.

§. X.

Argumenta Gonet pro ſola viſione diluuntur. *Pag.* 102.

§. XI.

Aliorum argumentis pro ſola viſione occurritur. *Pag.* 104.

§. XII.

Argumenta pro ſola fruitione ſolvuntur. *P.* 106.

§. XIII.

Reſolvuntur brevitèr quædam difficultates. *Pag.* 107.

PRIMA DIFFICVLTAS.

In qua operatione eſſentialitèr conſiſtat Beatitudo formalis, ſuppoſito, quod in vna conſiſtat? Pag. 107.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

In qua operatione perfectiori modo conſiſtat Beatitudo formalis, ſuppoſito, quod conſiſtat in pluribus? Pag. 110.

TERTIA DIFFICVLTAS.

An viſio ſit notitia ſimplex, vel compoſita, aprehenſiva, vel iudicativa? Pag. 115.

QVARTA DIFFICVLTAS.

An viſio beatifica ſit practica, an ſpeculativa notitia? Pag. 116.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Quiſnam ſit actus voluntatis, in quo, vel eſſentialitèr adæquatè, vel ſi inadæquatè, principalius conſiſtit formalis beatitudo? Pag. 117.

VLTIMA DIFFICVLTAS.

An amor amicitiæ, in quo ſita eſt eſſentialitèr beatitudo formalis, ſit propriè fruitio? Pag. 120.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm voluntas diligentis Deum neceſsariò illum diligat, & in eo delectetur?

§. PRIMVS.

Quibuſdam præſuppoſitis, referuntur ſententiæ. *Pag.* 121.

§. II.

Statuitur concluſio, & authoritate D. Auguſtini probatur primo. *Pag.* 122.

§. III.

Secundò probatur concluſio authoritate Div. Thomæ. *Pag.* 123.

§. IV.

Rationibus probatur concluſio. *Pag.* 127.

§. V.

Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 130.

§. VI.

Solvuntur quædam ſpecialia argumenta. *P.* 136.

DISPVTATIO VII.

Quæ ſit cauſa impeccabilitatis beatorum?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. *Pag.* 141.

§. II.

Obiectionibus Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 149.

§. III.

Viſionem beatificam ſe ſola impeccabilitatem ab intrinſeco non præſtare, probatur authoritate Patrum, & rationibus fundamentalibus. *Pag.* 151.

§. IV.

Specialibus rationibus probatur concluſio. *Pag.* 156.

§. V.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 159.

§. VI.

Amorem beatificum impeccabilitatem ab intrinſeco non præſtare, probatur. *Pag.* 163.

§. VII.

Oppoſitio peccati actualis cum viſione, & fruitione beata, explicatur. *Pag.* 164.

§. VIII.

Pro viſione beata ſtatuitur quarta concluſio, & argu-

argumenta Ill. Godoy ſolvuntur. *Pag.* 166.

§. IX.

Pro amore beatifico ſtatuitur quinta concluſio, & argumentis occurritur. *Pag.* 170.

DISPVTATIO VIII.

Quæ dotes conferantur animæ beati, & qualitèr inter ſe diſtinguantur?

§. PRIMVS.

Reſolvitur difficultas. *Pag.* 176.

§. II.

Aliqua ſcitu digna declarantur, nempè de Aureolis Animæ beatæ, de Dotibus Corporis glorioſi, de Impaſsibilitate, de Agilitate, de Subtilitate, de Claritate, de Potentijs eiuſdem corporis, & vſibus potentiarum. *Pag.* 180. 181. & 182.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm beatitudo formalis ſit inamiſsibilis ab intrinſeco?

§. PRIMVS.

Aliquibus ſuppoſitis referuntur ſententiæ. *P.* 183

§. II.

Reſolvitur difficultas reſpectivè ad cauſam ſecundam. *Pag.* 184.

§. III.

Reſpectivè ad cauſam primam reſolvitur difficultas. *Pag.* 188.

§. IV.

Quibuſdam paritatibus, & rationibus ſpecialibus, probatur concluſio. *Pag.* 194.

§. V.

Diluuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 196.

§. VI.

Alia argumenta, & quædam ſpecialia ſolvuntur. *Pag.* 201.

§. VII.

Statuitur tertia concluſio. *Pag.* 204.

DISPVTATIO X.

Vtrùm poſsibilitas Beatitudinis ſit demonſtrabilis ſolo lumine naturæ?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, vera eligitur, & probatur triplici ſpeciali ratione. *Pag.* 207.

§. II.

Rationibus fundamentalibus probatur concluſio. *Pag.* 209.

§. III.

Alia ratio pro eadem ſententia expenditur. *P.* 215

§. IV.

Occurritur argumentis Ill. Godoy. *Pag.* 217.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm Beatitudo ſupernaturalis ſit multiplicabilis ſpecie? Pag. 220.

TRACTATUS II.

De Beatitudine naturali.

DISPVTATIO XII.

An poſsibilis ſit aliqua naturalis felicitas, quæ vera ſit beatitudo?

§. VNICVS.

Reſolvitur difficultas. *Pag.* 221.

DISPVTATIO XIII.

In quo actu partis intellectivæ conſiſtat eſſentialitèr Beatitudo naturalis? Pag. 223.

DISPVTATIO XIV.

An parvulis cum originali decedentibus, naturalis Beatitudo conveniat?

§. VNICVS.

Quibuſdam certis ſuppoſitis, reſolvitur diſputatio. *Pag.* 224.

TRACTATUS III.

De Peccatis.

DISPVTATIO XV.

Vtrùm vitium contrariè opponatur virtutibus per ſe infuſis?

§. PRIMVS.

Aliquibus declaratis, & relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. *Pag.* 232.

§. II.

Occurritur argumentis Ill. Godoy. *Pag.* 234.

§. III.

Quid de virtutibus infuſis dicendum? *Pag.* 235.

§. Vltimus.

Diluuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 240.

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm bonitas ex conſequenti ſe habeat ad eſſentiam virtutis? Pag. 244.

DISPVTATIO XVII.

Vtrùm omnia vitia, & peccata ſint contra naturam hominis, vt rationalis eſt? Ibid.

DISPVTATIO XVIII.

An peccata, & vitia ſint contra naturam hominis ſenſitivam, vel illi conformia?

§. VNICVS.

Quibuſdam præſuppoſitis, reſolvitur difficultas. *Pag.* 245.

DISPVTATIO XIX.

An Deus ſe ſolo poſsit habitum vitioſum producere?

§. PRIMVS.

Statuitur vera ſententia, & probatur à priori. *Pag.* 248.

§. II.

Ampliùs probatur verior concluſio. *Pag.* 252.

§. III.

Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 255.

DISPVTATIO XX.

Vtrùm actus in bonitate, & malitia morali excedat ſimpliciter habitum? Pag. 257.

DISPVTATIO XXI.

An poſsit dari ommiſsio culpabilis in individuo abſquè omni actu phiſico voluntatis, qui ſit cauſa, vel occaſio illius? Pag. 258.

DISPVTATIO XXII.

Vtrùm omne opus de ſe incompatibile cum obſervantia præcepti affirmativi vitietur ex malitia ommiſsionis? Ibid.

DISPVTATIO XXIII.

Quale peccatum ſit opus, quod in ommiſsionem influit, & ex illa vitiatur?

§. PRIMVS.

Triplex difficultas proponitur, & reſolvitur prima. *Pag.* 262.

§. II.
Secunda difficultas resolvitur. *Pag.*263.
§. III.
Resolvitur tertia difficultas. *Pag.*268.
DISPVTATIO XXIV.
Quo tempore ad culpam imputetur ommissio actus debiti?
§. PRIMVS.
Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.*273.
§. II.
De tempore, in quo ommisio imputetur. *P.*274.
§. III.
Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.*278.
DISPVTATIO XXV.
In quo consistat formaliter commissionis peccatum, in positivo, an in privativo?
§. PRIMVS.
Sententiæ referuntur. *Pag.*284.
§. II.
Statuitur conclusio, & authoritate probatur. *Pag.*285.
§. III.
Rationibus probatur conclusio. *Pag.*287.
§. IV.
Occurritur triplici argumento Ill. God. *Pag.*291.
§. V.
Solvitur quartum argumentum Ill. God. *P.*295.
§. VI.
Vltimum argumentum Ill. God. diluitur. *P.*299.
§. Vltimus.
Quoddam dubium resolvitur, & alijs tribus argumentis occurritur. *Pag.*303.
DISPVTATIO XXVI.
An peccata sumant distinctionem specificam ex ordine ad obiecta diversa?
§. PRIMVS.
Proponuntur sententiæ, verior eligitur, & defenditur. *Pag.*309.
§. II.
Proponuntur corollaria. *Pag.*312.
DISPVTATIO XXVII.
An ex diversitate specifica præceptorum specificè multiplicetur peccati malitia?
§. VNICVS.
Resolvitur difficultas, & aliqua colliguntur. *Pag.*315.
DISPVTATIO XXVIII.
An peccatum ommissionis, & commissionis essentialiter distinguantur? Pag.319.
DISPVTATIO XXIX.
Vtrùm omnia peccata sint æqualis gravitatis?
§. PRIMVS.
Ratio dubitandi proponitur, & Catholica sententia probatur. *Pag.*319.
§. II.
Solutio Ill. Godoy examinatur, & vera defenditur. *Pag.*320.
DISPATATIO XXX.
An peccatum ex obiecto, & specie gravius possit à peccato inferioris speciei simpliciter superari in gravitate malitiæ? Pag.324.
DISPVTATIO XXXI.
An peccatum eo sit essentialiter gravius, quo opponitur digniori virtuti?
§. VNICVS.
Explicatur difficultas. *Pag.*325.

TRACTATUS IV.

De Peccato Originali.

DISPVTATIO XXXII.
An peccatum originale sit peccatum verè, & propriè?
§. VNICVS.
Statuitur Catholica veritas, & resolvitur difficultas. *Pag.*327.
DISPVTATIO XXXIII.
An, vt Adami peccatum nobis voluntarium esset, pactum aliquod intervenire, fuerit necessarium?
§. VNICVS.
Resolvitur difficultas. *Pag.*331.
DISPVTATIO XXXIV.
An potuerit Adamus constitui caput morale illorum, quorum non esset caput naturale, etiam si extra causas existerent? Pag.333.
DISPVTATIO XXXV.
Quæ sit causa efficiens peccati originalis?
§. PRIMVS.
Status difficultatis aperitur. *Pag.*334.
§. II.
Resolvitur prima pars disputationis. *Pag.*335.
§. III.
Resolvitur secunda pars disputationis, & argumento Ill. Godoy occurritur. *Ibid.*
§. IV.
Resolvitur tertia pars disputationis. *Pag.*339.
§. V.
Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.*342.
§. Vltimus.
Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.*345.
DISPVTATIO XXXVI.
In quo essentia peccati originalis consistat?
§. PRIMVS.
Reijciuntur Hæretici. *Pag.*348.
§. II.
Aliqua Catholicorum placita impugnantur. *Pag.*350.
§. III.
Tertia aliorum opinio refutatur. *Pag.*352.
§. IV.
Quarta, & communis opinio refellitur. *Pag.*355.
§. V.
Impugnatur præfata opinio. *Pag.*356.
§. VI.
Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.*360.
§. VII.
Reijcitur quinta sententia. *Pag.*363.
§. VIII.
Placitum Ill. Godoy impugnatur. *Pag.*365.
§. IX.
Explicatur vera sententia. *Pag.*367.
DISPVTATIO XXXVII.
Cui subiecto insit culpa originalis?

§. PRI-

§. PRIMVS.
Notantur aliqua,& referuntur ſententiæ. P.371.
§. II.
Statuitur prima concluſio.Pag.372.
§. III.
Argumentis Ill.Godoy occurritur.Pag.376.
§. IV.
De ſubiecto malitiæ originalis.Pag.378.
§. V.
De ſubiecto culpæ originalis quo ad eſſentiam. Pag.380.
DISPVTATIO XXXVIII.
Quæ, & qualis pœna peccato originali reſpondeat?
§. PRIMVS.
Pœnæ peccati originalis in hac,& alia vita declarantur.Pag.381.
§. II.
Referuntur ſententiæ, & noſtra concluſio ſtatuitur.Pag.383.
§. III.
Argumentis Ill.Godoy occurritur.Pag.389.
§. IV.
Quid ſit de Beatitudine naturali ſentiendum? Pag.391.

TRACTATVS V.
De Neceſsitate gratiæ ad operandum benè moraliter.
DISPVTATIO XXXIX.
Qua ratione D.Thomas appellat Gratiam principium extrinſecum humanorum actuum? Pag.392.
DISPVTATIO XXXX.
Vtrùm homo lapſus poſsit cognoſcere omne verum ſpeculativum naturalis ordinis abſquè ſpeciali gratiæ auxilio?
§. PRIMVS.
Quæ extra controverſiam ſunt, præmittuntur. Pag.393.
§. II.
Statuitur prima concluſio.Pag.394.
§. III.
Solvuntur argumenta Ill.Godoy.Pag.397.
§. IV.
Statuitur ſecunda concluſio,& aliqua inferuntur ex dictis. Pag.399.
DISPVTATIO XXXXI.
An homo lapſus poſsit abſquè ſpeciali gratia aliquod bonum opus morale ordinis naturæ efficere?
§. VNICVS.
Reſolvitur ſine litte difficultas. Pag.401.
DISPVTATIO XXXXII.
Vtrùm ad diligendum Deum, Authorem naturæ, ſuper omnia, dilectione efficaci indigeat homo ſpeciali gratia, & quali?
§. PRIMVS.
Quibuſdam præſuppoſitis, referuntur ſententiæ. Pag.403.
§. II.
De homine condito in ſtatu puræ naturæ.P.404.
§. III.
Ex doctrina Ill. Godoy, & ad hominem contra ipſum probatur concluſio.Pag.406.
§. IV.
Duo argumenta Ill.Godoy diluuntur. Pag.409.
§. V.
Cœteris argumentis Ill.God.occurritur. P.411.
§. VI.
De homine in ſtatu naturæ corruptæ.Pag.414.
§. VII.
Occurritur argumentis Ill.Godoy.Pag.415.
DISPVTATIO XXXXIII.
Vtrùm ad victoriam gravis tentationis indigeat homo lapſus ſpeciali gratia, & quali?
§. PRIMVS.
Reſolvitur prima pars diſputationis.Pag.418.
§. II.
Ratio dubitandi ſolvitur, & reſolvitur ſecunda pars diſputationis. Pag.420.
DISPVTATIO XXXXIV.
Vtrùm homo lapſus indigeat ſpeciali gratia,& quali, ad obſervanda omnia præcepta naturalia collectivè quoad ſubſtantiam?
§. PRIMVS.
Certis declaratis, referuntur ſententiæ, & prima concluſio ſtatuitur.Pag 422.
§. II.
Argumenta Ill.Godoy contra ſecundam partem concluſionis ſolvuntur.Pag.426.
§. III.
De neceſsitate Gratiæ iuſtificantis.Pag.427.
§. IV.
De Gratia auxiliante ſpeciali.Pag.428.
DISPVTATIO XXXXV.
Vtrùm ad nunquam peccandum venialiter, neceſſarium ſit privilegium, & cui de facto conceſſum? Pag.429.
DISPVTATIO XXXXVI.
An auxilium ad aliquando ſupernaturaliter operandum ſit gratia ſpecialis reſpectu hominis Iuſtificati per gratiam? Pag.430.
DISPVTATIO XXXXVII.
An homo Iuſtus ad omnem perſeverantiam ſpeciali gratia indigeat?
§. VNICVS.
Reſolvitur ſine litigio difficultas.Pag.431.
DISPVTATIO XXXXVIII.
An homo in ſtatu Innocentiæ ſpeciali gratia indiguiſſet ad perſeverandum in bono vſquè in finem? Pag.433.

TRAC-

TRACTATUS PRIMUS.

DE BEATITUDINE SUPERNATURALI.

DE Quo Scotus *in* 4. *dist.* 49. D. Thomas ibidem. Ad Anibaldum *dicta dist.* 49. *Opusc.* 3. *cap.* 108. 261. & 264. *Opusc.* 20. *lib.* 1. *cap.* 8. 3. *contra Gentes à cap.* 25. & *in* 1. 2. *à quæst.* 2. *vsque ad* 5. Cum quo Illust. Godoy, gravissimas exagitans disputationes; nosque pro adæquata promissi in illum adimpletione, disputationes, quas ipse proponit, ordine ab ipso servato proponemus.

DISPVTATIO PRIMA.

Utrùm in solo Deo consistat nostra beatitudo obiectiva?

§. I.

Quæ in hoc tractatu sunt scitu digna, declarantur.

Num. 1 *Quid nomine beatitudinis intelligatur.*

NOmine Beatitudinis intelligunt Authores bonum sufficiens, perfectum, & vltimò quietativum, seu vt alij locuntur: bonum omnia mala excludens, & omnia desideria replens. Hæc itaque beatitudo sic à Boecio describitur *lib.* 3. *de Consolatione*: *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Coincidit-que cum diffinitione tradita ab Aristotele 1. *Ethic. cap.* 4. dicente: *Beatitudo est summum bonum hominis.* Quam Beatitudinem dari, non dubitarunt Gentiles; apud nos autem est de fide, credimus namque, dari vitam æternam, vt constat ex illo Ioann. 17: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.*

Quid sit beatitudo.

2 *Quotuplex beatitudo.*

Dividitur beatitudo in naturalem, & supernaturalem. Prima est, quæ viribus naturæ adquiri potest. Secunda, quæ solo Dei supernaturali auxilio obtineri valet. Vtraque in obiectivam dividitur, & formalem. Obiectiva, quę materialis, & externa dicitur,

est ipsum obiectum beans, seu res illa, cuius possessio beatum facit possidentem. Dicitur *obiectiva*, quia est obiectum. *Materialis*, quia est materia, circa quam versatur beandus. Et *extrinseca*, quia non inhæret beato. Beatitudo formalis quæ intrinseca dicitur, est possessio obiecti beatifici. Dicitur *formalis*, quia tanquam forma denominat, & constituit beatum. Dicitur *intrinseca*, quia inhæret in illo. Hæ duæ beatitudines vnam integram beatitudinem constituunt, sicut finis *qui*, & *quo* vnum integrum finē; nam neutra sine alia potest nos beare, etsi quelibet habeat veram rationem beatitudinis.

3 Ex his autem ratio beatitudinis principaliùs convenit beatitudini obiectivæ, cuius ratio est: nam obiectiva beatitudo nos beat, vt res; formalis verò vt consecutio; sed magis beat, quod beatificat vt res, quam quod beat vt consecutio; nam magis satiat: ergo ratio beatitudinis principaliùs convenit beatitudini obiectivæ. Confirmatur: Obiectiva beatitudo est magis bonum: ergo ratio beatitudinis principaliùs convenit beatitudini obiectivæ. Probatur antecedens: Beatitudo formalis appetitur ob obiectivam: ergo obiectiva beatitudo est magis bonum. Declaratur exemplo pecuniæ: pecunia est maius bonum, quam possessio eius: ergo similitèr. Probatur antecedens: Pecunia magis satiat, quam eius possessio: ergo pecunia est maius bonum, quam possessio eius. Probatur antecedens: Magis satiat, quod ex natura sua est satiativum, quam quod solum est consecutio rei satiantis; sed primum habet pecunia, & secundum possessio eius: ergo pecunia magis satiat, quam eius possessio.

4 Nec obest, quod obiectiva beatitudo nequeat sine formali beare; quia cum hoc compatitur, quod sit obiectiva principalior, vt claret in partibus constituentibus quodcumque tertiū; nam licèt vna sine altera constituere nequeat, vna tamen perfectiori modo constituit. Exempla sunt in materia, & forma respectu compositi phisici; in genere, & differentia respectu metaphisici; in beatitudine formali supposito, quod in actibus intellectus, & voluntatis consistat; idem est de prædestinatione, & ex his in alijs.

Nec iterum obest, quod beatitudo obiectiva sit extrinseca; quia non dicitur extrinseca, denominatione proveniente à beatitudine formali, vt vrina dicitur extrinsicè sana à sanitate animalis; sed est solum extrinseca, quia non inhæret beato, sicut formalis, quod non impedit, vt sit principalior. 5

Vtraque hæc beatitudo formalis, & obiectiva dividitur primò: in perfectam, & imperfectam. Prima est, quæ satiat omnes omninò appetitus beati, seu quæ replet absolutè omne eius desiderium, vel quæ omnem prorsus ab eo miseriam excludit. Secunda est, quæ aliqua hominis desideria replet, seu aliquomodo eum contentum reddit. Dividitur secundò in essentialem, & accidentalem. Prima est, quæ essentialitèr, vel constitutivè beatum facit. Secunda, quæ tantum accidentalitèr, tanquam passio, vel accidens, subsequens beatitudinem essentialem. Tertiò: In intensivam, & extensivam. Intensiva est, qua posita, essentialis ponitur beatitudo, ad quam cætera omnia beatificantia, vel antecedunt, vel subsecuntur. Extensiva est aggregatio omniū pertinentium ad beatitudinem. 6 *Divisiones beatitudinis formalis, & obiectivæ.*

Ex his formalis beatitudo partitur ex Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 3. §. ad quæst.* in beatitudinem naturæ, & potentiæ. Prima dicitur beatitudo simplicitèr. Secunda beatitudo secundumquid. Ratio est: Quia cum natura sit tantum beatificabilis medijs potentijs, quarum operationibus attingit obiectum beatificum, optimè stare potest, quod vna potentia sit in sua linea beata, quin natura intellectualis sit simplicitèr beata, quia per operationem alterius potentiæ exigit etiam beatificari. 7 *Alia divisio ex Scoto.*

Dividitur vltimò beatitudo in beatitudinem animæ, & corporis, quę divisio ex terminis est apparens. His itaquè, quæ valdè sunt in hoc tractatu necessaria, declaratis; à beatitudine obiectiva incæpit Ill. God. & meritò certè, obiectiva namque præsupponitur ad formalem, tanquam specificativum ad suum specificabile. Vndè hac ratione ductus, & quia ad illius vestigia sequendum, sum coactus, ab obiectiva beatitudine hunc tomum incipio, quærendo, vt quærit Ill. Godoy, an in solo Deo consistat nostra 8 *Vltima divisio.*

bea-

beatitudo obiectiva ? Pro cuius resolutione sit.

§. II.

Veritas Catholica statuitur.

9 *Placita Philosophorum referuntur.*

IN hac difficultate cum Catholicis nihil est controversiæ ; omnes namquè vno ore in veritate statim explicanda conveniunt. Plura tamen, & varia fuerunt in hac controversia Philosophorum placita, texte D. Augustino, qui *lib. 19. de Civit. Dei, cap. 1.* refert 288. de summo bono opiniones. Omnes istæ assignabant obiectivam beatitudinem in aliquo bono creato; tum fortunæ, vt divitiæ, dignitas, potestas, &c. Tum corporis, vt sanitas, robur, fortitudo, &c. Tum animæ, vt scientiæ, virtutes morales, &c.

10 Ex his opinionibus aliquas refert Ill. Godoy, *num. 1. & 2.* Omnes tamen sygillatim refert, & refutat Gonet *in præsenti*, quarum impugnationes in ipso videndas ommitto. Ill. Merinerus etiam ipsas refert, & in particulari impugnat *in præsenti à num. 6.* Ego verò prædictas opiniones non impugno, quia ex probationibus nostræ conclusionis impugnatæ manebunt.

11 *Conclusio. Est de fide.* Conclusio : *In solo Deo nostra obiectiva beatitudo consistit.* Hæc conclusio est de fide, vt claret ex Psalmo 16: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et Psalm. 102: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Aliç sunt Scripturæ loca, & plures Patrum authoritates, quæ in Recentioribus videri possunt. Nobis autem sufficiat Div. Augustinus *lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 8.* illis verbis : *Bonorum summa Deus nobis est, Deus est summum bonum, nec infrà remanendum nobis est, nec vltrà quærendum, alterum enim periculosum, alterum nullum est.* Et *lib. 4. Confessionum, cap. 5.* illis verbis: *Infelix ille homo, qui scit illa, scilicèt, entia creata, te autem nescit : Beatus autem, qui te scit, etiam si illa nesciat, qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.*

12 *Probat. 1. ratione Scoti.* Probatur primò ratione Scoti: beatitudo obiectiva est bonum satians, & quietans appetitum hominis; sed solus Deus est tale bonum : ergo in solo Deo consistit nostra obiectiva beatitudo. Maior patet ex dictis *numer. 6.* Minor est D. Augustini 2. *Confessionum, cap. 1.* dicentis : *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Vltrà quod ratione etiam probatur dicta minor: illud tantum bonum quietat, & satiat humanum appetitum, quod claudit in se omne bonum ; sed solus Deus est tale bonum : ergo solus Deus est bonum satians, & quietans appetitum hominis. Probatur maior : Illud tantum bonum quietat, & satiat humanum appetitum, quod non relinquit appetitum vlteriùs satiabile per aliud bonum; sed hoc tantum facit bonum, quod claudit in se omne bonum: ergo illud tantum bonum quietat, & satiat humanum appetitum, quod claudit in se omne bonum.

13 *Confirmat.* Confirmatur exemplo: Quia materia prima appetit omnem formam, per nullam perfectè satiatur, nisi esset forma in se continens eminentèr omnes formas; sed appetitus humanus est ad omne bonum : ergo per nullum perfectè satiabitur, nisi sit bonum in se continens eminentèr omne bonum. Aqui solus Deus est tale bonum: ergo solus Deus est bonum perfectè satians hominis appetitum. Atqui bonum perfectè satians hominis appetitum, est illius obiectiva beatitudo: ergo solus Deus est talis hominis beatitudo.

14 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundo conclusio: Ratio vltimi finis, & primi principij sibi invicem correspondent ; sed solus Deus est primum principium : ergo solus Deus est vltimus finis. Atqui vltimus finis est nostra obiectiva beatitudo: ergo solus Deus est talis nostra beatitudo. Maior patet ex illo axiomate: *Ordo finium correspondet ordini agentium.* Minor est apud omnes clara. Consequentia infertur, & à nemine dubitatur sussumpta.

§. III.

Solvuntur aliqua argumenta.

15 *Arguit. 1.* ARgumenta, quæ Gentiles, & Hæretici contra istam veritatem opponunt nullius ponderis sunt, ideòque illa ommittit Ill. Godoy, & nos cum illo ommittimus etiam. Sunt tamen argumenta aliqua doctrinalia, quæ, quia talia, obijcere decet. Arguitur primò: Appetitus humanus est finitus : ergo satiari potest bono finito. Probatur consequentia : Finitum non exigit ad satietatem sui bonum

infinitum; sed per te appetitus humanus est finitus: ergo satiari potest bono finito. Confirmatur: Appetitus humanus eo, quia finitus est, satiatur formaliter per actum finitum: ergo eadem de causa poterit satiari obiectivè per aliquod bonum finitum.

16 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguendo antecedens: Appetitus humanus est finitus subiectivè, concedo antecedens; obiectivè, nego antecedens, & consequentiam; ad cuius probationem, distinguo maiorem: finitum subiectivè, & obiectivè, non exigit ad satietatem sui bonum infinitum, concedo maiorem: subiectivè finitum, obiectivè tamen infinitum, nego maiorem, distinguo minorem vt distinxi, & nego consequentiam. *Ad cõfirm.* Ad confirmationem nego paritatẽ. cuius ratio est: nam repugnat finitum actuari per formam infinitam; non tamen repugnat ad infinitum obiectivè terminari.

17 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: Bonum increatum non satiat nostrum appetitum: ergo in bono increato, nempè, Deo, non consistit nostra obiectiva beatitudo. Probatur antecedens: Bonum increatum possidetur à nobis actu, & modo finito: ergo non satiat nostrum appetitum. Probatur consequentia: hoc ipso, quod bonũ increatum possideatur à nobis actu, & modo finito, manet noster appetitus inquietus, & in potentia, vt perfectiori modo possideat bonum increatum; sed non satiatur, dum manet inquietus, & in potentia: ergo bonum increatum non satiat nostrum appetitum.

18 *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, & ad illius probationem, nego suppositum maioris; supponit namquè, quod homo possit Deum possidere actu infinito, quod est falsum, vtpotè, repugnans, vt omnes Theologi fatentur. Et licèt hac solutione omninò ruat argumentum, ruet etiam adhuc dato, quod possibile sit, hominem actu infinito Deum possidere, pro cuius declaratione, & argumenti inefficatia demonstranda.

19 *NOTA.* Adverto ante secundam solutionem, quod homo determinatione appetitus solum appetit beatitudinem obiectivam essentialem; determinatione verò graduali appetit eandem beatitudinem obiectivam intensiori, vel perfectiori modo possessam. Vndè satiatur essentialiter appetitus hominis, quando habet id, quod appetit determinatione appetitus, & gradualiter, quãdo habet id, quod appetit determinatione graduali. Quare satiato essentialiter appetitu, manet quietus, & completus essentialiter, & simpliciter, licèt gradualiter, & secundumquid sit inquietus, & incompletus. 20

Neque hinc sequitur: hominem manere violentum, & inquietum, quia appetitus innatus temperatur per appetitum elicitum conformen regulæ, & voluntati Divinæ, qui appetitus elicitus totaliter, & simpliciter satiatur per possessionem summi boni, seu boni increati. Vndè, etsi appetitus naturalis hominis maneat secundumquid violentus quia in potentia ad possidendum, perfectiori modo obiectum increatum; tamen homo non est violentus, quia, cum sit liber, cohibet sum appetitum elicitũ, ne plus appetat, quam id, quod dictat recta ratio conformis ordinationi Divinæ. Hoc animadverso.

21 *Respond. 1. ad argum.* Respondeo primò ad argumentum distinguendo antecedens: Bonum increatum non saciat nostrum appetitũ quoad determinationem gradualem, concedo antecedens; quoad determinationem appetitus, nego antecedens, & consequentiam. Respondeo *Secundò.* secundò aliter distinguendo antecedens: Non satiat gradualiter, & secundumquid, concedo antecedens; essentialiter, & simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. Ad vltimam probationem distinguo similiter maiorem: Hoc ipso, quod bonum increatum possideatur à nobis actu, & modo finito, manet noster appetitus inquietus gradualiter, & secundumquid, concedo maiorem; essentialiter, & simpliciter, nego maiorem, distingo minorem: non satiatur, dum manet inquietus essentialiter, & simpliciter, concedo minorem; dum manet inquietus gradualiter, & secundumquid tantum, subdistinguo: non satiatur gradualiter, concedo minorem; essentialiter, nego minorem, & consequentiam Solutio claret ex proximè dictis, nec alia indiget explicatione.

22 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: Si homo vltrà bonum increatum, seu Deum, posideret aliud bonum, esset magis beatus, quam si solum Deum posideret: ergo solus Deus non est nostra beatitudo obiectiva. Probatur antecedens: Si homo vltrà Deum, posideret aliud bonum, hoc bonum non posidebat, posidendo solum Deum: ergo esset magis beatus, quam si solum Deum posideret. Duplex est ad argumentum solutio. *Respond.* 1. Respondeo primo negando suppositum antecedentis; quia non est bonum in rerum natura, quod in Deo saltim eminentèr non contineatur. Cæterum, quia sunt plura bona, quæ in Deo formalitèr non continentur, de quibus (meo videri) argumentum loquitur, vel saltim sic debet intelligi, ideò. Respondeo secundò distinguendo antecedens: Esset magis beatus accidentalitèr, concedo antecedens; essentialitèr, nego antecedens, & consequentiam; nam solum bonum increatum est obiectiva essentialis beatitudo; cætera verò bona creata spectant ad beatitudinem accidentalem. *Secundo.*

Et hæc de ista disputatione.

DISPVTATIO SECUNDA.

An Deus, vt vnus, sit sufficiens ad nos beatificandum, ita, vt si per impossibile non videretur vt Trinus, hominis beatitudo subsisteret?

§. I.

Nessaria supponuntur, & sententiæ declarantur.

Num. 1 *Disputatio, & illius extensio declaratur.* HAnc disputationem movet Ill. Godoy de Essentia Divina comparativè tantum ad personas, vt ex titulo liquet disputationis: Sed licèt hæc sit duntaxat difficultas inter Thomistas, & Scotistas exagitata, sunt adhuc inter Scotistas aliæ duæ difficultates in disputatione præsenti. Vna est de Essentia Divina comparativè ad attributa; & alia de Essentia Divina respectivè ad modos intrinsecos. Hæc duplex difficultas, prima primo contra Ill. Godoy resoluta, resolvenda est contra Scotistas, & pro omnium resolutione.

2 *Obiectum nostræ, & Dei beatitudinis est vnum, & idem.* Supono primò: Quod obiectum nostræ beatitudinis, & Dei beatitudinis, est vnum, & idem secundum rationem formalem beandi; nam beare convenit obiecto, quatenus perfectissimè terminat actum intellectus, & voluntatis, vel vtrunque simul iuxtà opiniones diversas: ergo cum videre, & frui nobis competat, & Deo, id erit obiectum vtriusque, quod perfectissimè terminet, satiet, & quietet prædictas potentias.

Suppono secundò: Quod non est idem in obiecto esse visibile, ac esse visibile beatificè, sicut nec esse amabile, ac esse amabile beatificè; nam attributa, & relationes, sunt visibiles, & amabiles; non tamen beatificè, quia nec attributa, nec relationes sunt se solis obiectum beatificum, vt apud omnes liquet. 3 *Esse visibile, ac esse visibile beatificè, non est idem in obiecto.*

Suppono tertiò ex Scoto *quodlib.* 1. *artic.* 1. quod Essentia Divina, præcissa ab attributis, & relationibus, est entitas realis ex natura rei, suaptè natura actu existens formalitèr, simplicitèr prima, & absoluta, habens esse completum, & consumatum per modum vltimi actus purissimi, omnem perfectionem simplicitèr fundamentalitèr tanquam in radice continens. 4 *Essentia Divina præcissa ab attributis, & relationib. est entitas realis.*

Ex hoc se se apperit primò: Quod Essentia Divina sic præcissa, imbibit, non tantum identicè, sed etiam radicalitèr, & virtualitèr omnia, quia omnia ex ipsa, tanquam ex fonte, & radice dimanant. Sic Scotus *quodlib.* 5. *litt. X.* Secundò se se apperit: Essentiam Divinam comparari ad attri- 5

buta, tanquam ad perfectiones ſecundarias, & ad perſonalitates, tanquam ad hypoſtaſes, quibus communicatur. Ex quo.

6 Se ſe apperit tertiò: Eſſentiam Divinam ab attributis, & perſonalitatibus præciſſam, habere completum eſſe eſſentiæ, exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ, vt ait Scotus *in 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. litt. B.* Vndè nullum eſſe accipit ab attributis, & perſonis, cum pro priori habeat prędictum eſſe completum.

Quartò ſe ſe apperit: Eſſentiam Divinam per ſe primò exiſtere in ſe ipſa, & quaſi ſecundario in perſonis; vndè iuxta ordinem naturalis intelligentiæ Eſſentia Divina eſt ſingulariſſima, & per ſe primò ſupponens pro natura ipſa; ſecundario verò pro perſonis, vt docet Scotus *in 1. diſtinct. 4. quæſt. 1. & 2. ſub litt. B. & E.* Quare priùs intelligitur hic Deus, quam intelligantur perſonæ.

7 *Quæſtio nō eſt de beatitudine naturali.* Suppono quartò: Quæſtionem non eſſe de beatitudine naturali, quia adhuc Ill. God. *num. 1.* fatetur, Deum ſine perſonis eſſe tale obiectum; cuius ratio eſt: nam obiectum naturalis beatitudinis eſt Deus, prout viribus naturæ aſſequibilis, & cognoſcibilis per effectus creatos naturales; ſed Deus vt Trinus, nequit ſic cognoſci; benè verò Deus ſine perſonis: ergo Deus vt Trinus eſt omninò extrà rationem obiecti beatifici naturalis beatitudinis.

8 *Obiectum beatitudinis de facto amplectit Eſſentiam Divinam, attributa, & perſonas.* Suppono quintò: Quod obiectum beatitudinis ſupernaturalis de facto amplectitur non ſolū Eſſentiam Divinam, vèrum attributa, & perſonas, quod ſupponit Ill. Godoy *num. 2.* cuius ratio (inquit) eſt manifeſta: nam de facto eſt obiectum noſtræ beatitudinis, ea ratione, qua de facto obijcitur intuitivæ notitiæ; at de facto non videtur ſolum, vt vnus, ſed etiam vt Trinus; cum cognoſcatur ſicuti eſt: ergo eſt obiectum noſtræ beatitudinis, vt vnus, & Trinus, & ſecundum omne prædicatum formaliter neceſſariò illi competens. Quod igitur in diſſidium vertimus eſt, an liceat de facto ita ſit, quod Deus, vt Trinus, & Vnus, nos beatificet obiectivè, ſit tamen ratione ſuæ eſſentię ad nos beatificandū adeò ſufficiens, vt ſi per impoſsibile videretur eſſentia, non viſis perſonis, talis viſio nos beatificaret.

9 Suppono ſextò: Dubium hoc vnū ſupponere, & aliud inquirere. Supponit, quod Eſſentia Divina videri poſſit ſine perſonis, & attributis, & hoc ſuppoſito inquirit: An Eſſentia Divina ſic viſa, ſit obiectum eſſentialis beatitudinis. Nec procedit dubium de beatitudine obiectiva, extenſiva, & accidentali, quia hæc in omni, quod in Deo formaliter reperitur, conſiſtit ex dictis *diſput. 1. num. 6.* ſed de intenſiva, & eſſentiali, quæ ibidem explicata manet. Nec procedit de obiecto primario beatitudinis, quia Eſſentiam Divinam eſſe tale obiectum, concedit cum alijs Thomiſtis Ill. Godoy dicens: Relationes pertinere tantum ad obiectum primarium, vt modi eſſentiales illius, quod fatetur *numer. 28.* 1. Suppono.

10 Suppono deniquè: Quæſtionem triplicem includere dubium. Primū eſt de eſſentia reſpectivè ad perſonas, quod verſatur inter Thomiſtas; & Scotiſtas, & de hoc quæritur: An perſonæ ſic ſocientur obiectum eſſentiale beatitudinis, quod, ipſis non poſſeſsis, non ſtaret eſſentialis beatitudo obiectiva? Secundum eſt de eſſentia reſpectivè ad attributa, & hoc verſatur etiam inter Scotiſtas. Tertium de eſſentia reſpectivè ad modos intrinſecos, & hoc eſt ſingulare. Circa quod.

11 Tres ſunt in hac diſputatione ſententiæ. Prima abſolutè negat, Eſſentiam Divinam à perſonis præciſſam, eſſe obiectum eſſentiale beatitudinis. Sic Authores citati ab Ill. Godoy *numer. 4.* cum quibus, & ipſe, & hoc ſivè perſonæ dicant, ſivè non dicant relativas perfectiones, vt habet *numer. 5. & 18.* Et conſequentèr negat, eſſentiam ab attributis, & modis intrinſecis præciſſam, eſſe tale obiectum. 1. *Sentētia. Ill. Godoy.*

12 Secunda ſententia abſolutè affirmat: Eſſentiam Divinam à perſonis præciſſam, eſſe obiectum eſſentiale beatitudinis, ſivè perſonæ dicant, ſivè non dicant perfectiones relativas. Sic Scotus *in 1. diſt. 2. quæſt. 2.* quem omnes ſui diſcipuli, vno excepto, ſecuntur. Ex alienis autem plures ex Societate, pro quibus ſufficiat Molina *1. 2. quæſt. 12. artic. 8. diſput. 4. concluſion. 1.* contra Caietanum. Suarez *lib. 2. de Attributis negat. cap. 23. num. 2.* Et *1. 2. diſput. 5. ſect. 3. punct. 2. num. 14. ad 4. Caietani.* Ex familia Dominicana Ma- 2. *Sentētia.* *Scotus.* *Scotiſtæ.* *Molina.* *Suarez.*

giſ-

Medina.

giſter Medina *infrà quæſt.* 11. *artic.* 4. *poſt* 5. *concluſionem ad* 1.

13 *3. Sentẽtia.*

Tertia ſententia eſt media; affirmat namquè, eſſentiam Divinam, à perſonis præciſſam, eſſe obiectum eſſentiale beatitudinis; negat tamen eſſe tale obiectum, ab attributis præciſſam. Ita Ill. Merinerus *tom.* 2. *diſput.* 2. *de Beatitudine, quæſt.* 2. *ſect.* 2. An autem Eſſentia Divina à modis intrinſecis præciſſa, ſit eſſentiale obiectum beatitudinis? Non diſputant Authores; dicemus tamen concluſione 3. §. 16.

Merinerus

§. II.

De eſſentia reſpectivè ad perſonas contra Ill. Godoy reſolvitur difficultas.

14 *1. Concluſ.*

PRima concluſio: *Sivè perſonæ dicant, ſivè non dicant relativas perfectiones, Eſſentia Divina à perſonis præciſſa, eſt obiectum eſſentiale beatitudinis.* Sic Scotus *citat.* & cum ipſo Authores pro ſecunda ſententia relati. Probatur primò: Obiectum eſſentiale beatitudinis eſt ſummum bonum; ſed Eſſentia Divina à perſonis præciſſa eſt ſummum bonum: ergo Eſſentia Divina à perſonis præciſſa eſt obiectũ eſſentiale beatitudinis. Maior eſt apud omnes nota. Minor probatur: Eſſentia Divina à perſonis præciſſa, continet omnem perfectionem ex dictis *num.* 4; ſed quod continet omnem perfectionem, ſummum bonum eſt: ergo Eſſentia Divina à perſonis præciſſa eſt ſummum bonum. Confirmatur: Relationes Divinæ, vel nullam dicunt perfectionem, vt nobiſcum tenet Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 1. *part. diſput.* 78. vel ſi illam dicunt, illam eminentèr continet Eſſentia Divina à relationibus præciſſa, ex dictis *numer.* 4: ergo ſivè perſonæ dicant, ſivè non dicant relativas perfectiones, Eſſentia Divina, à perſonis præciſſa, eſt obiectum eſſentiale beatitudinis.

Probat. 1.

Confirmat.

§. III.

Aſſignatur prima Ill. God. ſolutio, quæ ſimul cum primo illius fundamento reijcitur.

15 *Reſpond.* 1. *Ill. Godoy.*

AD hanc Scoti probationem, etſi alitèr efformatam, triplicem ſolutionem adducit Ill. Godoy. Primò reſpondet *numer.* 31. diſtinguendo maiorem: Obiectum eſſentiale beatitudinis eſt ſummum bonum, prout eſt in ſe, concedit maiorem; eſt ſummum bonum quomodocumq; negat maiorem; diſtinguit ſimilitèr minorem, & negat conſequentiam. Itaquè ſicut in noſtra ſententia notitia abſtractiva quidditativa Dei non foret beatifica, quia etſi eſſet cognitio omnis boni infiniti; non tamen eſſet cognitio illius in ſe ipſo; ita in opinione Ill. Godoy viſio, quæ ad Deum, vt vnum, præciſè terminaretur, non foret beatifica, quia licèt terminaretur ad Deum in ſe; non tamen prout in ſe, quod neceſſarium erat, vt in primo arguit fundamento; relationes autem etſi perfectiones non addant, ſunt tamen modi perfectionis Divinæ, illi competentes, prout eſt in ſe, & idcirco, non viſis relationibus, non videtur Deus, qui eſt omne bonũ, quatenus eſt in ſe.

16 *Reijcitur* 1

Hæc ſolutio Ill. Godoy, quæ eſt primum illius fundamentum, reijcitur primò: Ex eo, quod Deus, prout eſt in ſe, ſit obiectum beatitudinis, nõ ſequitur, quod relationes ſint de eſſentia obiecti primarij beatitudinis, ſed quod ſint modi prædicti obiecti, vt ait Ill. Godoy in ſolutione: ergo poteſt conſiderari obiectum eſſentiale beatitudinis, quin conſiderentur relationes. Conſequentia mihi eſt certa, quia optimè poſſunt concipi prædicata eſſentialia cuiuſcumque rei abſque modo modificante rem.

17 *Reijcitur* 2

Reijcitur ſecundò: Quia relationes non ſunt de eſſentia primi principij, ſed modi pertinentes ad primũ principium, optimè poteſt concipi, Deum eſſe eſſentialitèr primum principium, quin concipiatur vt Trinus, licèt nunc prout eſt in ſe, vt Vnus, & vt Trinus, ſit primum principium: ergo ſimilitèr: quia relationes non ſunt de eſſentia obiecti primarij beatitudinis, ſed modi prædicti obiecti, poteſt concipi, Deum eſſe eſſentialitèr obiectum beatitudinis, quin vt Trinus concipiatur.

18 *Reijcitur* 3

Reijcitur tertiò: Etſi obiectum eſſentiale beatitudinis ſit Deus, prout eſt in ſe, non tamen eſt tale obiectum ſecundum omne, quod reperitur in Deo, prout eſt in ſe: ergo ſtare poteſt, quod Deus, prout eſt in ſe, ſit obiectum eſſentiale beatitudinis, & quod non ſit tale obiectum redupli-

cativè vt Trinus. Consequentia est legitima. Antecedens verò ad hominem contra Ill. Godoy, & fortè efficacitèr ostendemus *num.* 216. & vltrà probatur paritate quadruplici.

19 *Antecedens probatur 4 paritate. Prima.*

Prima: Verbum Divinum quoad suam intrinsecam entitatem, procedit ex perfectissima cognitione Dei, vt est in se; sed non procedit ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo, vt est in se; aliquin procederet ex cognitione futurorum, quod Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disput. 91. num. 2.* & omnes adversarij negant: ergo paritèr.

Secunda.

Secunda: Deus, prout est in se, continet comprehensibilem esse ab intellectu infinito; sed non est obiectum essentiale beatitudinis, vt sic cõprehensibilis; alioquin quilibet beatus comprehenderet Deum: ergo similitèr.

20 *Tertia.*

Tertia: In Deo, prout est in se, reperitur continentia omnium possibilium, sic, quod in opinione Thomistarum destructis possibilibus destrueretur Deus; atqui non est obiectum essentiale beatitudinis, vt continens possibilia; alioquin non videns possibilia, licèt Deum, vt Vnum, & vt Trinum videret, non esset beatus, quod est contra omnes: ergo paritèr.

Formatur alitèr.

Formatur alitèr hæc paritas: Licèt Deus, prout est in se, habeat tot activas continentias possibilium, quot sunt possibilia; non tamen est obiectum essentiale beatitudinis, vt habens has continentias: ergo similitèr. Probatur antecedens: Si Deus esset tale obiectum, vt includens has continentias, qui non videret omnia possibilia, non esset beatus; quia nõ videret prædictas continentias; sed hoc est falsum: ergo licèt Deus, prout est in se, habeat tot activas continentias possibilium, quot sunt possibilia; non tamen est obiectum essentiale beatitudinis, vt habens has continentias.

21 *Quarta.*

Quarta: Etsi Deus prout est in se, sit primum principium, non tamen vt Trinus, est tale principium: ergo similitèr: Etsi obiectum essentiale beatitudinis sit Deus prout est in se, non tamen est tale obiectum secundum omne, quod reperitur in Deo, prout est in se. Antecedens est Div. Thomæ 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. vbi ait: Quod solus Deus est creator omnium, & quod beati in patria videbunt Deum per essentiam, ex quo sic efformatur ratio: Deum per essentiam, & non per relationes, est creator, & primum efficiens omnium: ergo Deus per essentiam, & non per relationes, est vltimus finis omnium. Probatur consequentia: Eo Deus est vltimus finis omnium, quo est omnium efficiens; sed Deus per essentiam, & non per relationes, est omniũ efficiens iuxta Div. Thomam: ergo Deus per essentiam, & non per relationes, est vltimus finis omnium. Instantia autem, quam in nostra sententia facit Ill. Godoy de notitia abstractiva quidditativa Dei, nullam vim habet, vt dicemus §. 8. *n.* 73. 74. & 75.

§. IV.

Assignatur secunda Ill. Godoy solutio, quæ simul cum quarto, & quinto illius fundamento impugnatur.

22 *Respond. 2. Ill. Godoy.*

REspondet secundò Ill. God. *numer.* 32. alitèr distinguendo maiorem: Obiectum essentiale beatitudinis est summum bonum, tàm in esse entis, quàm in esse obiecti concedit maiorem; præcisè in esse entis, negat maiorem; & in priori sensu, negat minorem; nam licèt relationes non addant ad Divinam naturam bonitatem in genere entis; addunt tamen bonitatem in genere obiecti, quæ largè dicitur bonitas, cum superaddant nobam, & distinctam veritatem, quæ est bonum obiectivum intellectus.

23 *Impugnat.*

Hæc solutio, quæ est vltimum Ill. Godoy fundamentum, impugnatur: Veritas, quam superaddunt relationes ad naturam Divinam, continetur radicalitèr, & eminentialitèr in essentia: ergo visa essentia, & non visis personis, perfectè satiatur innatus appetitus intellectus, per hoc, quod in sui radice videantur. Patet consequentia: Nam quia Essentia Divina continet eminentèr veritates creatas, etsi non videantur istæ in se ipsis, quietatur perfectè inclinatio intellectus per visionem Essentiæ Divinæ, in qua eminentialitèr continentur: ergo paritèr: Visa essentia, in qua radicalitèr continetur veritas relativa, etiamsi in se non videatur, satiatus manebit perfectè appetitus intellectus.

Hanc replicam sibi obiecit Ill. Go- 24

doy,

Respondet Ill. Godoy.

doy, ad eamque respondet infra *numer.* 34. concesso antecedenti, negando consequentiam; ad illius probationem negat causalem, ratio enim illius est: quia veritates creatas continet eminentèr, tanquam aliquid extra obiectum primarium appetitus innati gratiæ, hæc namquè primario solum inclinat ad Divinas perfectiones videndas, relationes autem, etsi in essentia radicalitèr contineantur quantum ad veritatem, quam superaddunt, quia tamen sunt veritates increatæ, & actualitatis infinitæ, pertinentque ad obiectum primariũ visionis, & inclinationis innatæ gratiæ; hinc fit, quod illis prout sic non visis, etiamsi in essentia radicalitèr videantur, non quietetur primarius appetitus intellectus; ac proindè non manet perfectè beatus.

25

Recursus Ill. Godoy ad hanc solutionem ostendit manifestè: secundam illius responsionem ad probationem nostræ conclusionis nullius esse momenti, consequentèrque quin tam illius probationem nullatenus vim habere; indiget namquè recursu ad responsionem proximè allatam, quæ est quartum Ill. God. fundamentum, à nobis nunc refellendum.

26

Solutio hæc refellitur.

Refellitur itaquè relata Ill. God. solutio, quæ est quartum illius fundamentum: Relationes non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis: ergo illis præcisis, stat obiectum illius essentiale. Antecedens patet per dicta *num.* 5. & probatur primò ad hominem contra Ill. Godoy: Ideò iuxta ipsum *num.* 39. relationes pertinent ad obiectum primarium beatitudinis, quia pertinent ad phisicam Dei constitutionem; sed hæc ratio est nulla: ergo relationes non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis. Probatur minor: Comprehensibilitas passiva Dei, & activæ cotinentiæ possibilium pertinent ad phisicam Dei constitutionem; sed non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis: ergo quod relationes pertineant ad phisicam Dei constitutionem, non est ratio, vt ad obiectum primarium beatitudinis pertineant. Minor constat ex dictis *num.* 19. & 20. Maior probatur: Quidquid est Deus, pertinet ad phisicam Dei constitutionem; sed comprehensibilitas passiva, & activæ continentiæ possibilium sunt ipse Deus, vt claret: ergo comprehensibilitas passiva Dei, & activæ continentiæ possibilium pertinent ad phisicam Dei constitutionem.

Probat. anteced. 1. ad hom. contra Ill. Godoy.

27

Probat. 2. antecedens.

Probatur secundò antecedens supra positum: Si per impossibile perirent relationes, & maneret Deus, vt Vnus, esset obiectum sufficiens essentiale beatitudinis: ergo relationes non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis. Probatur antecedens: Si per impossibile perirent relationes, Deus, vt Vnus, esset primum principium: ergo, & obiectum sufficiens essentiale beatitudinis. Antecedens est certum. Consequentia infertur: Nam sub ea ratione Deus est obiectum essentiale beatitudis, quo est primum principium, vt dictum est ex Div. Thom. *num.* 21.

28

Respondet Ill. Godoy.

Ad hanc secundam probationem respondet Ill. Godoy *num.* 41. distinguendo antecedens: Beatitudine eiusdem rationis, negat antecedens; diversæ rationis transeat antecedens, & negat consequentiam; nam beatitudo, quæ de facto est, petit ad Deum terminari, prout in se ipso est de facto: Vndè si aliquid quod de facto Deo competit essentialitèr, suppositione impossibili supponatur non cõpetens, tollitur consequentèr beatitudo, quæ de facto est, & ponitur alia diversæ rationis, specificata à Deo prout esset in se ipso in illa suppositione impossibili: ex quo non infertur, Deum præcisse, vt Vnum, esse de facto sufficientem ad beatificandum.

29

Contra 1.

Contra primò: Obiectum beatitudinis tunc esset in modo tantum diversum ab obiecto beatitudis nũc, quia secundum Ill. Godoy *num.* 28. *& alibi*, relationes sunt tantum modi obiecti: ergo esset obiectum eiusdem rationis essentialis. Probatur consequentia: Modus non variat rationem formalem rei, cuius est modus; alioquin non esset modus, sed ratio essentialis: ergo esset obiectum eiusdem rationis essentialis.

Contra 2.

Contra secundò: In data hypothesi maneret in Deo eadem essentialitèr ratio primi principij, etsi modalitèr diversa: ergo similitèr.

30

Contra 3.

Contra tertiò: Data hypothesi solum deficerent relationes, quæ sunt obiecta secundaria beatitudinis: ergo solum deficeret beatitudo accidenta-

talis,& extenſiva; ſed hac ablata,non tollitur eadem eſſentialis beatitudo: ergo data hypotheſi eſſet idem eſſentiale obiectum beatitudinis. Antecedens, & conſequentia clarent. Minor probatur paritatibus continentię, comprehenſibilitatis, & primi principij,aſsignatis *num.*19.20.& 21.

31 *Contra* 4. Contra quartò: Beatitudo, quæ de facto eſt, non ſolum eſt eſſentialis, verum,& accidentalis: ergo,& habet obiectum eſſentiale, & accidentale; ſed relationes non ſunt obiectum eſſentiale, vt concedit Ill.Godoy: ergo præciſsis relationibus, manet obiectum eſſentiale; atqui non eſſentialitèr diverſum:ergo eſſentialitèr idem: ergo eiuſdem rationis eſſentialis, etſi accidentalitèr,& modalitèr diſtinctũ.

Contra 5. Contra quintò: Si perirent relationes,maneret idem eſſentialitèr Deus, qui nunc eſt: ergo maneret etiam idẽ

Contra 6. eſſentiale obiectũ beatitudinis. Contra ſextò: Si Deus non eſſet Trinus, anima rationalis (idem de Angelo) eſſet eſſentialitèr eadem, ac nunc eſt, etſi tunc non eſſet imago formalitèr Trinitatis: ergo paritèr. Pro efficatia huius replicæ videantur quæ *numer.*184. dicemus.

32 *Contra* 7. Contra ſeptimò: Ergo ſi perirent relationes, maneret obiectum eſſentiale beatitudinis, etſi diſtinctæ rationis, ac nunc eſt. Infero nunc contra Ill. Godoy: ergo appetitus voluntatis, & intellectus eſſet eſſentialitèr quietatus, quod ipſe negat *num.* 33. Infero amplius: ergo relationes non pertinent eſſentialitèr ad obiectum eſſentiale beatitudinis, contra ipſum. Probatur conſequentia: Quia ſi ita pertinerent, his ablatis,non maneret obiectum eſſentiale nec eiuſdem, nec diſtinctæ rationis; ſed manet obiectũ ſaltim diſtinctæ rationis:ergo relationes non pertinent eſſentialitèr ad obiectum eſſentiale beatitudinis.

§. V.

Aſsignatur tertia Ill.Godoy ſolutio, quæ ſimul cum alio Thomiſtarum fundamento refellitur.

33 *Reſpond.*3. *Ill. Godoy.* REſpondet tertiò Ill. Godoy *numer.* 35. noſtræ probationi, ſimul,& confirmationi,dicendo:Aliud eſſe, relationes non addere bonitatem, & perfectionem ad eſſentiam; aliud verò, quod quatenus ab eſſentia diſtinctæ, perfectiones non ſint; primum eſt verum,ſecundum autem falſum: Nam relationes, etiam vt diſtinctæ ab eſſentia, includunt eſſentiã, & conſequentèr eſſentiæ perfectionem. Vndè licèt viſa eſſentia ſine perſonis, videatur omnis bonitas,& omnis perfectio Divina, non tamen videtur omne bonum Divinum, nec omne perfectum perfectione Divina; quia cum de relationibus, adhuc prout ab eſſentia diſtinctis, verificetur, eſſe bonas bonitate Divina, & prout ſic non videantur, non videtur omne bonum Divinum, & idcircò viſio ſic terminata,beatitudo non eſſet; quia viſio beatificans petit terminari, non ſolum ad bonitatem omnem Divinam in abſtracto ſumptam, ſed etiam ad omne concretum Divinæ bonitatis. Et quidem viſa eſſentia, vt abſtracta à ſuppoſito Deitatis, videretur omnis Divina bonitas in abſtracto; & tamen talis viſio beatitudo non eſſet, quia non attingeret concretum bonitatis; paritèr in noſtro caſu, non eſſet beatitudo, quia non terminaretur ad omne concretum Divinę bonitatis.

34 *Impugn.* 1. Hæc autem ſolutio, quæ eſt alterum Thomiſtarum fundamentum, impugnatur primò: Etſi creaturę nõ addant bonitatem ad Eſſentiam Divinam; ſunt tamen perfectiones, vt ab illa diſtinctæ; atqui his non viſis, ſtat eſſentiale obiectum beatitudinis: ergo etſi relationes ſint perfectiones, vt ab Eſſentia Divina diſtinctæ,ſtabit ſine illis obiectum eſſentiale beatitudinis. Impugnatur ſecundò: Hoc ipſo,quod relationes non addant bonitatem ad eſſentiam, ſunt bona contenta in eſſentia: ergo eſſentia ſe ſola eſt ſummum bonum: ergo, & obiectum eſſentiale beatitudinis. *Secundò.*

35 *Tertiò.* Impugnatur tertiò:Quandocumque duæ notitiæ ſic ſe habent, quod ſecunda perfectionem non addit ad primam, ſi ſecunda eſt beatifica, etiã prima; atqui notitia Dei, vt Trini, non addit perfectionem ad notitiam Dei vt vnius, iuxta ſolutionem Ill. Godoy: ergo ſi notitia Dei vt Trini, quæ eſt ſecunda, eſt eſſentialitèr beatifica, etiam notitia Dei, vt vnius, quæ eſt prima. Probatur maior: Notitia beatifica ſupra non beatificam addit perfectionem: ergo quando

notitia secunda perfectionem non addit ad primam, si secunda est beatifica, etiam prima.

Impugnatur quartò: Deus, vt vnus, non solum est obiectum beans *vt quo*, sed etiam vt *quod*: ergo vt vnus tantum est obiectum essentiale. Antecedens negat Ill. Godoy ex Caietano, asserens: Quod Essentia Divina se habet vt *quo*, & persona vt *quod*; quare ex essentia, & persona quasi integratur vnum obiectum, ideòque persona spectat ad obiectum primarium tanquam pars. Contra hoc autem probatur antecedens: Deus, vt Vnus, est obiectum formaliter, & radicaliter infinitum, existens, & subsistens subsistentia absoluta ex dictis *num.* 6; sed tale obiectum non solum est beans vt *quo*, sed etiam vt *quod*: ergo Deus, vt Vnus, non solum est obiectum beans vt *quo*, sed etiam vt *quod*. Probatur minor: Vt bonum infinitum est beans vt *quo*, vt existens, & subsistens, vt *quod*: ergo non solum est beans vt *quo*, sed etiam vt *quod*.

36 *Quartò.*

Impugnatur quintò: Ideò secundum Ill. Godoy in solutione, Deus, vt Vnus, non esset bonũ beans vt *quod*, quia videns Deum, vt Vnum, videret tantum bonum in abstracto, & non in concreto; sed hoc est falsum: ergo & illius solutio. Probatur minor: Deus, vt Vnus, est bonũ existens, singulare, & subsistens; sed hoc est bonum in concreto: ergo videns Deum, vt Vnum, videt bonum in concreto.

37 *Quintò.*

Impugnatur sextò: Non minùs requiritur ratio *quo*, & *quod* ad esse primum principium, ac ad esse vltimum finem, seu obiectum essentiale beatitudinis; sed Deus, vt Vnus, est primum principium *quo*, & *quod*, dato, quod perirent relationes, quia esset infinitus, existens, singularis, & subsistens: ergo similiter: Deus, vt Vnus est vltimus finis *quo*, & *quod*.

Sextò.

§. VI.

Alia Scoti ratione probatur conclusio.

38 *Probat. 2. conclusio ex Scoto.*

PRobatur secundò conclusio ex Scoto *in* 1. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *Quantum ad istum artic.* Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est perfectè beatus: ergo propriori originis ad relationem filiationis intelligitur essentiale obiectum beatitudinis Patris. Probatur antecedens primò: Pater nullam perfectionem absolutam essentialem habet à filio; sed beatitudo est perfectio absoluta essentialis: ergo Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est perfectè beatus. Probatur secundò idem antecedens: Pater æternus communicat filio esse essentialitèr beatũ: ergo Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est perfectè beatus. Antecedens patet: Nam Pater æternus communicat filio omnem perfectionem essentialem absolutam; sed talis est beatitudo essentialis: ergo Pater æternus communicat filio esse essentialitèr beatum. Consequentia probatur: Hoc ipso, quod Pater æternus communicet filio esse essentialitèr beatum, Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est essentialiter beatus: ergo Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est perfectè beatus. Probatur antecedens: Hoc ipso, quod Pater æternus communicet filio esse Deum, Omnipotentem, Omniscientem, &c. Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est Deus, Omnipotens, & Omniscius, &c: ergo hoc ipso, quod Pater æternus communicet filio esse essentialitèr beatum, Pater æternus priùs origine, quam generet filium, est essentialitèr beatus

Antecedens prob. 1.

Secundò.

39

Hæc Scoti ratio, quamvis cancellata fuit in originali textu, vt notatur in quibusdam impræssionibus; tamẽ quia in antiquis exemplaribus habetur tanquam pars textus, & vt talem omnes Scoti interprætes exposuerũt, ac ferè omnes Scotistæ ea, ad probandam Scoti opinionem, vsi sunt, ideò à nobis vt talis admittitur, & eius efficatiam declaravimus, responsiones contrariorum impugnando.

40. *Respond. 1. Ill. Godoy.*

Ad han Scoti probationem, quam alitèr formatam tradit Ill. Godoy *numer.* 44. & 45. duplicem solutionem ex ab ipso infrà dictis applicare valet. Primò enim ex dictis *num.* 46. respondere potest negando antecedens, & distinguendo maiorem primæ probationis: Nullam perfectionem habet à filio obiectivè adæquatè negat maiorem; principiativè, ideſt, per exclusionem primi principij effectivi, seu quasi effectivi suæ beatitudinis, concedit maiorem; & concessa minori, quam concedit *num.* 50. negat consequentiam; quia vt beatitudo Patris

tris non ſalvetur in viſione ſolius eſſentiæ, ſufficit, quod ex parte obiecti ingrediantur relationes, etſi non ingrediantur ex parte principij. Quam ſolutionem applicare valet ſecundæ antecedentis probationi.

41 *Contra 1.*

Hæc tamen ſolutio mihi non placet, ob abſurda, quæ in bona Theologia videntur ex ipſa ſequi. Vndè ſic primò adverſus ipſam inſurgo: Pater æternus habet à filio eſſe beatum obiectivè adæquatè iuxta ſolutionem Ill. Godoy; ſed beatitudo eſt perfectio Dei eſſentialis, vt eſt apud omnes certum, & ipſe concedit *num.* 50: *Ergo Pater æternus habet perfectionem eſſentialem à filio: ergo filius communicat Patri eſſentialem perfectionem: ergo Pater pro priori ad filium non habet à ſe omnem perfectionem eſſentialem: ergo filius non accipit à Patre omnem eſſentialem perfectionem*, quæ omnia ſunt apud omnes abſurda, ex quibus hæc neceſſario ſecuntur: *Ergo notionalia in Divinis ſunt priora eſſentialibus: Ergo Pater eſt poſterior origine filio*, quia eſſe poſterius origine alio, nihil aliud eſt, quam accipere eſſe ab illo. Nulla igitur aliata ſolutio.

42 *Contra 2.*

Inſurgo ſecundò: Sicut eſſe Deum, Omnipotentem, Omniſcientem, &c. ſunt in Deo prædicata eſſentialia, ita in Deo eſt prædicatum eſſentiale, eſſe beatum; atqui Pater æternus priùs origine, quam generet filium, eſt adæquatè Deus, Omnipotens, Omniſciens, &c: Ergo Pater æternus priùs origine, quam generet filium, eſt adæquatè beatus: ergo nulla eſt Ill. God. ſolutio. Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima autem ex præmiſſis. Iſtæ verò manifeſtè apparent.

43 *Contra 3.*

Inſurgo tertiò: Licèt de facto prima perſona Deitatis ſit Pater, & Spirator, eiuſque eſſentia ſit in Filio, & Spiritu Sancto, non habet pro obiecto beatifico eſſentiam, prout in Filio, & Spiritu Sancto: ergo prima perſona Deitatis eſt adæquatè beata pro priori ad Filium, & Spiritum Sanctum: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: Si per impoſſibile prima perſona Deitatis non eſſet Pater, aut Spirator, ſed perſona abſoluta, vt exiſtimant Iudæi, & Mahumetani, adhuc conciperetur adæquatè beata; atqui non viſione eſſentiæ, prout in Filio, & Spiritu Sancto: ergo licèt de facto prima perſona Deitatis ſit Pater, & Spirator, eiuſque eſſentia ſit in Filio, & Spiritu Sancto, non habet pro obiecto beatifico eſſentiam, prout in Filio, & Spiritu Sancto.

44 *Reſpond. 2. Ill. Godoy.*

Reſpondet ſecundò Ill. Godoy *numer.* 50. diſtinguendo antecedens: Prioritate *in quo* pro inſtanti reali, vel rationis, negat antecedens; prioritate *à quo* virtuali, & prioritate ſubſiſtendi conſequentia, concedit antecedens, & negat conſequentiam. Prioritas ſubſiſtendi conſequentia in eo conſiſtit, quod non valeat ab vno ad aliud, ſicut non valet: *eſt animal: ergo eſt homo*, qua prioritate gaudent eſſentialia reſpectu notionalium; non enim valet: *Eſt Deus, Sapiens, Omnipotens, &c: ergo eſt Pater: ergo eſt Filius, &c.* Nam de Patre verificatur antecedens, & negatur ſecundum conſequens, & de Filio verum eſt antecedens, & negatur conſequens primũ, & ſic de alijs. Prioritas *in quo* in eo conſiſtit, quod vnum intelligatur eſſe in aliquo inſtanti, in quo aliud eſſe, non intelligatur, & hoc modo non ſunt priora eſſentialia notionalibus, quia in nullo inſtanti poſſunt intelligi prædicata eſſentialia, in quo etiam notionalia non intelligantur. Vndè conſequenter aſſerit, quod Pater priùs origine, quam generet filium, eſt perfectè beatus, prioritate *à quo*; non verò prioritate *in quo*.

45 *Refutat. 1. ſolutio Ill. Godoy.*

Refutatur primò hæc ſolutio: Diſtinctio prioritatis *à quo*, & *in quo*, non tollit efficatiam noſtræ rationis: ergo eſt nulla. Probatur antecedens: noſtra ratio probat: Patrem eſſe beatum pro priori ad Filium, ſivè prioritate *in quo*, ſivè *à quo*; ſed hoc concedit ſua ſolutione Ill. God. cum prædicta diſtinctione: ergo diſtinctio prioritatis *à quo*, & *in quo*, non tollit efficatiam noſtræ rationis.

46 *Secundò.*

Refutatur ſecundò: Prioritas *à quo*, ſivè ſubſiſtendi conſequentia ſufficit, vt concipiamus, Deum eſſe eſſentialitèr beatum, quin concipiatur, eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: ergo relationes non pertinent neceſſariò ad obiectum eſſentiale beatitudinis. Probatur antecedens: Sufficit prioritas prædicta, vt non valeat conſequentia hæc affirmativa: *Eſt Deus eſſentialitèr beatus: ergo eſt Pater: ergo eſt Filius*: ergo prioritas *à quo*, ſivè ſubſiſtendi conſequentia ſufficit, vt concipiamus, Deum

eſſe

esse essentialitèr beatum, quin concipiatur, esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Antecedens est Ill. Godoy: Nam de Patre verificatur antecedens, & negatur secundum consequens, & de filio verificatur antecedens, & negatur primum. Consequentia iuxta solutionem ipsius optimè infertur.

47 *Confirmat.* Declaratur hoc: Beatitudo essentialis Dei est prior prioritate subsistendi consequentia relatione Paternitatis, & Filiationis: ergo, & obiectum essentiale beatitudinis erit sic prius prædictis relationibus: ergo non valet hæc consequentia affirmativa: *Est obiectum essentiale beatitudinis: ergo est Pater*, sicut non valet: *est Deus: ergo est Pater, vel Filius*: ergo prioritas prædicta sufficit, vt concipiamus, Deū esse essentialitèr beatum, quin concipiatur, esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Antecedens est certū. Secunda, & tertia consequentia legitimè deducuntur ex prima. Prima verò probatur: ea prioritate, qua prior est beatitudo essentialis terminata ad obiectum, priùs etiam est essentiale obiectum; sed per te beatitudo essentialis Dei est prior prioritate subsistendi consequentia relatione Paternitatis, & Filiationis: ergo, & obiectum essentiale beatitudinis erit sic prius prædictis relationibus. Probatur maior: Repugnat, aliqua prioritate concipi beatitudo essentialis, quin concipiatur essentiale obiectum beatitudinis, vt de se claret: ergo ea prioritate, qua prior est beatitudo essentialis terminata ad obiectum, prius etiam est essentiale obiectum.

48 *Refutat. 3.* Refutatur tertiò: Prioritas *à quo*, seu subsistendi consequentia, sufficit, vt concipiamus, animal esse essentialitèr vivens sensibile, quin concipiatur, esse rationale, vel irrationale, etsi in aliquo istorum, vel in vtroque necessariò existat: ergo similitèr: Prioritas *à quo*, sivè subsistendi consequentia, sufficit, vt concipiamus, Deum esse essentialitèr beatum, quin concipiatur, esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Idem argumentum est de homine respectu personalitatis, & de quocumque superiori respectu inferioris.

49 Impugnatis iam Ill. Godoy solutionibus, alias aliorum reijcere oportet, vt Scotica ratio, & sua appareat, & efficax. Respondent aliqui cum Caietano: Stare optimè, Patrem esse priùs origine beatum, quam generet filium, & tamen habere pro obiecto beatifico essentiam, vt communicatā tribus, quia prioritas originis consistit in eo, quod Pater habeat essentiā à se; Filius verò communicatam à Patre, licèt obijciatur essentia, vt est in tribus. Hanc solutionem dedit Scotus pro Henrico, contra quem arguebat. Nunc verò contra ipsam. *Respondent aliqui cum Caietato.*

50 *Contra 1.* Contra primò: Pater est beatus à se iuxta solutionem datam: ergo erit beatus, etsi per impossibile non esset Filius: ergo Pater non habet pro obiecto beatifico essentiam, vt communicatam tribus: ergo ruit solutio. Probatur prima consequentia: Quandocumque aliquid est tale à se, semper erit tale, etsi per impossibile aliud posterius non sequatur; sed per te Pater est beatus à se: ergo erit beatus, etsi per impossibile non esse Filius.

51 *Contra 2.* Contra secundò: Beatitudo est perfectio essentialis: ergo vel illam habet Pater à se, vel à Filio communicatam? Si primum: ergo Pater priùs origine, quam generet Filium est beatus, quod est intentum nostrum. Si secundum: ergo secundum illam rationem, qua pater habet beatitudinem communicatam à Filio, Pater est posterior origine Filio, quod est absurdum. Consequentia claret: Quia esse posterius origine alio, nihil aliud est, quam accipere esse ab illo iuxta datam responsionem.

52 *Contra 3.* Contra tertiò: Si pater intelligeret beatificè essentiam, vt est in Filio: ergo Pater reciperet beatitudinem à Filio: ergo Pater non esset prior origine Filio: ergo Pater non haberet omnem perfectionem à se; atqui consequentiæ istæ à nullo possunt admitti: ergo Pater non habet pro obiecto beatifico essentiam, vt communicatam tribus: ergo ruit solutio. Denique impugnatur allata Caietani solutio per à nobis dicta *num.* 43.

53 *Respondet Herrera.* Respondeo noster Herrera, *in* 1. *disput.* 7. *quæst.* 10. *concluf.* 3. prædictam rationem non concludere, quia ex illa sequitur, quod intellectus Divinus videre possit intuitivè essentiam sine personis; nam si Pater priùs est beatus, quàm generet: ergo intellectus Paternus priùs videt essentiam, quam personam genitam, quod est

falsum. Hæc solutio est Scoti menti aliena, & nullatenus ad rem. Ideòq;

54 *Contra.* Contra: Nam aliud est quærere: An Pater æternus possit videre essentiam sine personis? Et aliud, an Pater sit beatus ab essentia pro priori ad personas? Primum hic non quærit Scotus, neque id aliquando asseruit, quin potiùs oppositum, cuius prima ratio est: quia essentia necessario, & naturalitèr movet intellectum Paternum ad videndum omnia, quæ necessariò, & naturalitèr in Deo reperiuntur, ad distinctionem intellectus creati, respectu cuius essentia est speculum voluntarium.

55 Secunda ratio est: Nam ex Scoti ratione non sequitur, Patrem æternum esse priorem Filio prioritate *in quo*, quod erat necessarium, vt priùs videret essentiam, quam filium, quod est argumentum Hærreræ. Vnde facit transitum de prioritate *à quo*, ad prioritatem *in quo*, quod Scotus sua ratione non facit, quidquid dicat Ill. Merinerus, hoc prædictæ rationi imponens.

56 Secundum, scilicèt, An Pater sit beatus ab essentia pro priori ad personas? Est, quod Scotus in præsenti affirmat, & ad hoc probandum, quærit rationem essentialem obiecti beatifici, ipsamque stare in essentia, à personis præcisa, probat prædicta ratione, quæ efficacissima est, licèt repugnet, Patrem videre essentiam sine personis. Et hoc esse evidens.

57 Claret primò: Nam licèt repugnet, beatum videre essentiam sine personis, vt adversarij tenent, multi tamen asserunt: Essentiam sine personis esse essentiale obiectum beatitudinis; sed ex eo necessariò sequitur, Patrem esse beatum pro priori ad personas, etsi repugnet, Patrem videre essentiam sine personis: ergo Scotica ratio non probat, Patrem videre posse essentiam sine personis. Minor, & consequentia tenent. Maior autem evidentèr constat ex dictis *num.* 12.

58 Claret secundò: Nam constituendo obiectum essentiale beatitudinis in essentia, à personis præcisa, Deus est essentialitèr beatus pro priori ad personas; sed ex hoc non licet inferre: Deum posse videre essentiam sine personis: ergo ex eo, quod Pater sit beatus pro priori ad personas, non licet inferre: Patrem posse videre essentiam sine personis. Optima ergo est Scoti ratio, nec ex illa sequitur incòveniens ab Herrera, & Merinero deductum.

59 *Respondent aliqui Thomistæ.* Respondent deniquè aliqui Thomistæ, quod pro illo priori, quo Pater est beatus, intelligitur Filius in ratione obiecti cogniti intuitivè, etsi non intelligatur in ratione producti. Hanc solutionem impugnat, & optimè Ill. Godoy infrà *num.* 48. *pro finem* hac certè efficaci ratione: Obiectum enim notitiæ intuitivæ non solum debet esse intentionalitèr, seu obiectivè præsens, verum, & phisicè, seu realitèr existens; sed per vos pro illo priori non intelligitur filius præsens, seu in ratione producti: ergo nec in ratione obiecti cogniti intuitivè.

Contra.

§. VII.

Specialibus rationibus probatur conclusio.

60 *Probat. 3. conclusio.* PRobatur tertiò conclusio specialitèr: Idem est obiectum essentiale nostræ, & Dei beatitudinis ex *numer.* 2; sed Deus intelligitur essentialitèr beatus pro priori ad relationes: ergo, & nos erimus essentialitèr beati, præcisis relationibus. Probatur minor: Deus est essentialitèr Deus intentionalitèr pro priori ad relationes; sed esse Deum beatum est, esse Deum intentionalitèr, nempè, per visionem, & fruitionem: ergo Deus intelligitur essentialitèr beatus pro priori ad relationes. Probatur maior: Deus perfectè est Deus phisicè pro priori ad relationes: ergo Deus est essentialitèr Deus intentionalitèr pro priori ad relationes. Antecedens conceditur à contrarijs. Consequentia probatur: Non plus requiritur ad esse Deum intentionalitèr, quam ad esse Deum phisicè; sed per te Deus perfectè est Deus phisicè pro priori ad relationes: ergo Deus est essentialitèr Deus intentionalitèr pro priori ad relationes.

61 *Probat. 4. conclusio.* Probatur quartò: Essentialia in Divinis sunt priora notionalibus, & absoluta respectivis; sed beatitudo est prædicatum essentiale, & absolutum in Deo: ergo est prior relationibus, quæ sunt notionalia, & respectiva: ergo pro priori ad relationes intelligitur obiectum essentiale beatitudinis. Claret hæc consequentia: Quia repugnat, quod beatitudo sit prior,

quin

quin obiectum eſſentiale illius eadem gaudeat prioritate.

62 *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy concedendo de prioritate *à quo*, & negando de prioritate *in quo*, quæ ſolutio eſt, quã tradit *num.* 50. & à nobis pro ipſo adducta *num.* 44. Sed vltrà dicta à *numer.* 45. *vſquè ad* 48. reijcitur allata ſolutio: eſſentialia, & abſoluta in Divinis ſunt notionalibus, & reſpectivis priora, prioritate *in quo*, quæ eſt prioritas naturæ intelligendi, & vocatur ordo naturalis præſuppoſitionis: ergo ruit ſolutio Ill. God. Conſequentia eſt legitima. Antecedens autem conſtabit ex dicendis *Tom. ſequenti de quæſtionibus ſelectis, quæſt.* 21. *§.* 1. *per totum, præſertim num.* 29.

Reijcitur.

63 *Probat. 5. concluſio.* Probatur quintò ex Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 12. *artic.* 8. *in reſponſione ad* 4. dicente: *Si ſolus Deus videretur, qui eſt fons totius eſſe, & veritatis, ita repleretur naturale deſiderium ſciendi, quod nihil aliud quæreretur, & videns Deum eſſet beatus*; atqui Deus à relationibus præciſſus, eſt ſolus Deus, qui eſt fons totius eſſe, & veritatis: ergo ſolus Deus à relationibus præciſus eſt obiectum eſſentiale beatitudinis. Si explicant Thomiſtæ, vt ſolent, ſcilicèt, Deus, vt eſt in ſe, concedo; non vt eſt in ſe, nego. Vltrà dicta §. 3.

Dices. Contra: Etſi Deus, vt eſt in ſe, ſit obiectum beatificum; non tamen Deus, vt Trinus: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: Trinitas non eſt fons totius eſſe, & veritatis, nam hęc eſt ſola Eſſentia Divina; ſed ex D. Thom. ſolus Deus, qui eſt fons totius eſſe, & veritatis, eſt obiectũ beatificum: ergo etſi Deus, vt eſt in ſe, ſit obiectũ beatificum, non tamen Deus, vt Trinus.

Contra.

64 *Probat. 6.* Probatur ſexto: ideò Deus, vt Vnus, non eſſet obiectum eſſentiale beatitudinis, quia non ſatiaret adæquatè hominis appetitum; ſed hoc non obeſt, vt ſit tale obiectum: ergo Deus, vt vnus, eſt eſſentiale obiectum beatitudinis. Probatur minor: Etiam ſi viſio beatifica non ſatiet adæquatè appetitum hominis, ſtat iuxta Ill. Godoy *diſput.* 5. §. 4. formalis beatitudo in viſione: ergo ſimilitèr: etiam ſi Deus, vt vnus, non ſatiet adæquatè hominis appetitum, Deus, vt Vnus, eſt eſſentiale obiectũ beatitudinis. Quod viſio non ſatiet adæquatè appetitum hominis, patet: nam homo etiam appetit amare Deum, qui appetitus ſatiari nequit per viſionem.

Ad hanc rationem, quam aliquando cuidam Thomiſtæ in publicis Theſibus propoſui, reſponſum fuit mihi, quod per viſionem ſatiatur adæquatè appetitus hominis virtualitèr, & radicalitèr, licèt non formalitèr. Contra quam ſolutionem ſic replicavi: etiam per Deum, vt vnum, ſatiatur hominis appetitus adæquatè, virtualitèr, & radicalitèr, licèt non formalitèr: ergo etiã Deus, vt Vnus, eſt eſſentiale obiectum beatitudinis. Conſequentia eſt iuxta ſolutionem legitima. Antecedens autem innegabile videtur, & patet primò: quia relationes radicantur in eſſentia. Secundò: Quia conformiùs videtur, relationes in eſſentia radicari, quam amorem in viſione. Vide aliam probationem *in num.* 95.

65 *Reſpondet.*

Contra.

§. VIII.

Primum argumentum Ill. Godoy ſolvitur.

OMmiſſa quadam aliquorum ratione, arguit primò Ill. Godoy *num.* 20: Deus ſolum, prout eſt in ſe viſus, eſt obiectum ſufficiens ad nos beatificandum; at viſa eſſentia ſine perſonis, non videtur prout in ſe: ergo vt ſic viſa non ſufficit, nos beatificare; & conſequentèr dato, quod ſic videatur, talis viſio non erit beatifica. Diſcurſus tenet. Maior eſt certa. Minorem ſuadet: Nam Deus, prout in ſe, non ſolum eſt vnus, ſed etiam eſt Trinus in vera ſententia abſquè vlla reali diſtinctione inter eſſentiam, & relationes; in ſententiam autem Scoti cum diſtinctione ex natura rei, ſeu reali formali: ergo ſi videatur, vt vnus præciſè, nõ videtur prout in ſe.

66 *Arguit 1.*

Hoc eſt commune Thomiſtarum fundamentum, quod ex Caietano ſumpſit Ill. Godoy, vt ipſe fatetur *numer.* 21. pro cuius reſponſione noto, quod hæc propoſitio: *Videre Deum prout in ſe, vel vt eſt in ſe*, poteſt dupliciter intelligi, vt ait Faber. Primò: Sic, quod viſio terminetur ad Deum immediatè, ſine ſpecie, vel velamine, ſeu quod videatur Deus facie ad faciem, vel quod viſio terminetur ad Deum præſentem, & exiſtentem, & ſic eſt vera. Secundò: Sic, quod viſio terminetur ad Deum ſecundum omnem rationem, & modum, quo eſt viſibilis, & ſic eſt falſa. Ex quo.

67 *Nota pro ſolutione.*

68 *Respond. 1.*

Respondo primo distinguendo maiorem: Deus solum prout in se, hoc est immediatè, sine specie, vel velamine, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, concedo maiorē; Deus prout in se, hoc est, secundum omnem rationem, & modum, quo est visibilis, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem; & nego consequentiam ob rationes nostræ conclusionis.

69 *Secundò.*

Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: Deus prout est in se, secundum suam rationem formalem Deitatis, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, concedo maiorem; secundum alias rationes formales non essentiales Deitatis, nego maiorem; & distincta similitèr minori, nego consequentiam. *Tertiò.* Tertiò alitèr: Deus, prout est in se, vt Deus supponit pro ratione formali Deitatis, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, concedo maiorem; vt supponit pro persona, nego maiorē; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. *Quartò.* Quartò alitèr: Deus, prout est in se, quidditativè, vel qualitativè, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, concedo maiorē; quidditativè, & qualitativè, subdistinguo: Est obiectum de facto, concedo maiorem; facta suppositione, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

70 *Quintò.*

Respondeo quintò alitèr distinguendo maiorem: Deus, prout est in se, essentialitèr, vel personalitèr, intensivè, vel extensivè, est obiectum sufficiens ad nos beatificandum, concedo maiorem; essentialitèr, & personalitèr, intensivè, & extensivè, sub distinguo: Est obiectum beatitudinis essentialis, & accidentalis, intensivæ, & extensivæ, concedo maiorē; essentialis, & intensivæ præcisè, nego maiorem; distinguo similitèr minorē, & cosequens. Claret solutio ex *n.* 8. & 9.

71 *Sextò.*

Respondeo sextò retorquendo argumentū quadruplici paritate posita *numer.* 19. 20. & 21. quarum quælibet est manifesta instantia contra Ill. Godoy. Et vltrà confirmantur nostræ responsiones ex dictis *num.* 63. vbi ex D. Thoma nostram probavi conclusionem authoritate omninò oppositā prædicto Ill. God. argumento. Vide aliam retorsionem *in num.* 95.

Contra quamcumque ex his solutionibus replicat Ill. Godoy *num.* 23. duplicitèr probando maiorem argumenti. Et prima relicta ad §. 11. *numer.* 100. sic se habet secunda: Visio terminata ad Deum in se, non tamen prout in se, nec secundum omnia prædicata illi intrinseca, estò intuitiva sit, & quidditativa, non tamen est intuitiva, & quidditativa adæquatè, vt omnes tenentur fateri: ergo non sufficit, nos beatificare formalitèr. Probat consequentiam: Nam quidditativa notitia Dei abstractiva, quam esse possibilē, tenet Scotus *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. §. *Hac dist. præmissa*, non sufficit, ad nos beatificandum formalitèr, vt communitèr defendunt Theologi, & tenet idem Scotus *quolib.* 6. §. *Ex hac distinct.* non alia de causa, nisi quia licèt sit quidditativa, & clara, non tamen est adæquata quidditativa: ergo paritèr: notitia intuitiva, quæ adæquata non est, nos est sufficiens ad beatificandum.

72 *Replicat Ill. Godoy.*

Respondeo ad replicam distinguendo antecedens: non est intuitiva, nec quidditativa adæquatè adæquatione sufficienti ad beatitudinem essentialem, & intensivam, nego antecedens; adæquatione requisita ad accidentalem, & extensivam, concedo antecedens, & distinguo similitèr consequens. Item retorqueo contra Ill. Godoy ex dictis *num.* 71. est enim contra illum efficax semper instantia. Ad probationem autem, nego maiorem: nam ratio, cur præcisa notitia non est beatifica, non est, quia inadæquata sit, sed quia in Scoti, & nostra sententia, supernaturalis non est; sed ex viribus naturæ assequibilis, & quæ de facto datur in Angelis; vndè, etsi sufficiat ad beatificandum beatitudine naturali, non tamen sufficiet ad beatificandum beatitudine supernaturali.

73 *Respondeo.*

74 *Instat Ill. Godoy.*

Instat Ill. Godoy *num.* 24: nam si de facto datur, vel saltim est possibilis notitia abstractiva quidditativa Dei intra ordinem naturæ, etiam erit possibilis supernaturalis notitia, quæ abstractiva, & quidditativa sit, nec huius, prima admissa, poterit vlla repugnantia assignari: & tamen ista beatificativa esse nequit in ordine supernaturali, vt docent communitèr Theologi: ergo argumentum non solvitur. Respondeo ommissa

Respondeo.

ma-

maiori, & concessa minori, nego cõsequentiam; quia adhuc dato, quod esset possibilis talis notitia supernaturalis, adhuc non esset beatifica, non quia esset inadæquata; sed quia non esset intuitiva, quod ex omnium consensu requiritur ad beatificam notitiam.

75 *Vrget 1. Ill. Godoy.* Duplicitèr adhuc *num.* 25. vrget Ill. Godoy. Primò: nam si non obstat actui beatificanti, quod non attingat Deum, prout est in se ipso adæquatè, cur obstare potest, quod non terminetur ad Deum in se ipso, vel si hoc secundum est necessarium, cur etiam primum necessarium non debet censeri? *Secundò.* Secundò illa notitia ideò ad beatificandum non sufficit, quia non attingit Divinam existentiam, vt in exercitio existentiæ: ergo ideò non sufficit, quia inadæquata est. *Respondeo ad 1.* Respondeo ad primum, rationem esse: quod ad visionem essentialitèr beatificam nullatenus requiritur videre omnia, quæ sunt in Deo, vt ex hucusque dictis apparet; quod verò visio sit intuitiva, necessariò requiritur. *Ad 2.* Ad secundum, quidquid sit de antecedenti cum reduplicatione facta, distinguo consequens: ergo ideò non sufficit, quia inadæquata est, inadæquatione proveniente ex defectu intuitionis, concedo consequentiam; ex alio capite proveniente, nego cõsequentiam. Vndè ratio præcisa, cur notitia abstractiva quidditativa Dei, adhuc si esset supernaturalis, non esset beatifica, est dumtaxat, quia intuitiva non est.

§. IX.

Solvitur secundum argumentum Ill. Godoy.

76 *Arguit. 2.* ARguit secundò Ill. Godoy *numer.* 26: Deus, præcisè vt vnus, non est obiectum sufficiens propriæ beatitudinis: ergo nec nostræ. Consequentia claret: nam nostra, & Dei beatitudo idem habent obiectum ex *num.* 2. Antecedens probatur: Deus præcisè vt vnus, non est obiectum comprehensionis sui; sed beatitudo Dei est formalitèr Dei comprehensio: ergo Deus, præcisè vt vnus, non est obiectum sufficiens propriæ beatitudinis. Probatur maior: Obiectum comprehensionis est obiectum cognitum, quantum cognoscibile est; sed Deus cognitus præcisè vt vnus, non est cognitus, quantum cognoscibilis est; cum sit etiam cognoscibilis vt Trinus: ergo Deus præcisè vt vnus, non est obiectum comprehensionis sui.

77 *Confirm. 1.* Confirmat primò *numerat*: si per impossibile Deus se cognosceret precisè vt Vnum, cognitio illa non esset eius beatitudo: ergo si à nobis sic cognosceretur, talis cognitio, nostra beatitudo non esset. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens probatur: talis cognitio non esset comprehensio Dei, vt ex dictis constat: ergo non esset eius beatitudo.

78 *Confirm. 2.* Confirmat secundò *num.* 28. & hanc appellat tertiam suæ conclusionis probationem: si ob aliquam rationem Deus visus vt Vnus, esset ad beatificandum sufficiens, maximè, quia essentia ratione sui est formale obiectum nostræ beatitudinis; at hæc ratio est nulla: ergo Deus, visus solum vt Vnus, non est ad nos beatificandum sufficiens. Probat minorem: essentia ratione sui est formale obiectum Divinæ cognitionis, vt comprehensio est, & tamen Deus præcisè vt Vnus, non est sufficiens obiectum talis cognitionis, vt comprehensio: ergo ex eo, quod sit ratione sui formale obiectum nostræ beatitudinis, non rectè colligitur, visam sine personis ad beatificandum sufficere.

79 *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, & distinguendo maiorem probationis: Deus, vt Vnus, non est obiectum comprehensionis extensivæ sui, concedo maiorem; intensivè, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Ex quo distinguo vltimam probationem: Obiectum comprehensionis intensivæ, & extensivæ, est obiectum cognitum, quantum cognoscibile est, concedo maiorem; intensivæ solum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, vel ipsam concedo, & distinguo consequens, vt dixi.

80 *Ratio solutionis.* Itaquè comprehensio, sicut, & cognitio, duplex est. Vna intensiva, extensiva alia. Prima est cognitio rei secundum prædicata essentialia, omni modo, quo res est sic cognoscibilis, seu actu commensurato cum tali re. Secunda est cognitio rei secundum omnia prædicata essentialia, & non essentialia. Beatitudo igi-

tur Dei est comprehensio intensiva, pro qua Deus, vt Vnus, est sufficiens obiectum, vt claret. Hæc solutio constat ex dictis, tum, *tom.3. in 1. disput.89. §.2. per totum*, vbi ad quodam Ill.Godoy argumentum ex comprehensione procedens, sex solutiones, cum data coincidentes, declaravimus, easque confirmavimus. Tum, ex dictis *tom. 2. in 3. disput. 33. §. 1.* vbi quid sit comprehensio, & quid ad comprehensionem requiratur, statuimus. Tum deniquè, ex assignandis *Tom. de quæstionibus selectis, quæst.21. §.9.*

81 *Dices cum Ill. Godoy.*

Dices cum Ill. Godoy *num.27*: in cognitione comprehensiva non stat, ad vnum terminari, & non ad aliud, ex his, quæ competunt obiecto comprehenso, cum debeat illud cognoscere, quantum est cognoscibile, & nihil obiecti ei possit latere: ergo non stat, Deum comprehensivè attingi quoad vnam formalitatem, & non quantum ad aliam, maximè quando comprehensio est infinitè perfecta. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: in cognitione comprehensiva extensiva, concedo antecedens; intensiva, nego antecedens, & consequentiã. Vndè ex hac doctrina.

82 *Retorqueo argum.1.*

Retorqueo primò argumentum: Deus, vt vnus, non est sufficiens obiectum beatitudinis Dei, quia non est obiectum comprehensionis illius; sed nec Deus, vt Trinus, est obiectum comprehensionis Dei: ergo nec Deus, vt Trinus, est sufficiens obiectũ beatitudinis Dei. Probatur minor: Deus cognitus vt Trinus, possibilibus non cognitis, non comprehenditur, vt tenet Ill.God. ergo nec Deus, vt Trinus, est obiectum comprehensionis Dei.

83 *Dices cum Ill. Godoy.*

Dices cum eodem *citat.* possibilia pertinere ad obiectum comprehensionis, non primario, sed secundario; relationes verò ad obiectum primarium. *Contra 1.* Contra primò: quia nos etiam dicimus, relationes pertinere ad obiectum secundarium comprehensionis, seu ad comprehensionem extensivam, ex dictis *numer.* 80. nec oppositum probabit vnquam Ill.Godoy. *Contra 2.* Contra secundò vrgentiùs: possibilia, etsi secundario, ita pertinent ad obiectum comprehensionis, quod ipsis non cognitis, Deus non comprehenditur: ergo ita pertinent ad obiectum beatitudinis, quod ipsis non visis, non staret Dei beatitudo. Probatur consequentia: non stat Dei beatitudo, quin sit comprehensio; sed non stat Dei comprehensio sine cognitione possibilium: ergo nec Dei beatitudo, possibilibus non visis.

84 *Retorq. 2.*

Retorqueo secundò argumentũ: non minus requiritur cognitio comprehensiva ad Verbi productionem, quam ad Dei beatitudinem; sed ex illo non sequitur, quod procedat ex cognitione futurorum, vt tenet Ill. Godoy, nec ex cognitione possibilium, vt Scotistæ, nec deniquè ex cognitione personarum, in sententia probabili: ergo similitèr: ex eo, quod cognitio cõprehensiva requiratur ad beatitudinẽ, non sequitur, quod cognitio Trium personarum requiratur.

85 *Respondeo 2. ad arg.*

Respondeo secundò ad argumentum prædictum, negando antecedens, ad probationem ommitto maiorem, & distinguo minorem: beatitudo Dei, vt infinita est, est formalitèr Dei comprehensio, concedo minorem; vt beatitudo est, nego minorem, & consequentiam. Itaquè in visione Dei duo reperiuntur. Esse beatam, & esse comprehensivam. Esse beatam, habet præcisè, quia est visio solius essentiæ. Esse comprehensivã habet, quia est infinita. Vndè, etsi quia comprehensiva est debeat terminari ad personas; non verò vt beata est. Ex hoc.

86 *Retorq. 1.*

Retorqueo primò contra Ill. Godoy: nostra beatitudo non est comprehensiva: ergo non debet habere pro obiecto essentiali id, quod habet beatitudo Dei, vt comprehensiva. Atqui iuxta Ill. God. beatitudo Dei, vt comprehensiva, habet pro obiecto relationes: ergo has non debet habere pro obiecto nostra beatitudo: ergo nostra beatitudo non habet pro obiecto Deum, vt Trinum.

87 *Secundò.*

Retorqueo secundò: beatitudo Dei, vt comprehensiva, habet idem obiectum, ac ipsa beatitudo Dei, vt beatitudo, secundum Ill. Godoy in argumento: ergo nostra, & Dei beatitudo non habent idem obiectum contra ipsum *citat.* Probatur consequentia: nostra beatitudo non habet pro obiecto obiectum comprehensionis; alioquin esset comprehensiva, contra omnes; sed beatitudo Dei, vt comprehensiva, habet idem obiectũ, ac ipsa beatitudo Dei, vt beatitudo:

cr-

ergo nostra, & Dei beatitudo non habent idem obiectum.

88 *Tertiò.* Retorqueo tertiò: datur cognitio Dei comprehensiva alicuius obiecti, quæ, vt terminata ad illud obiectum, non sit beatitudo: ergo comprehensio non spectat essentialitèr ad beatitudinem Dei. Probatur antecedens: Deus comprehensivè cognoscit alia à se; sed talis cognitio, vt terminata ad alia à se, non est beatifica: ergo datur cognitio Dei comprehensiva alicuius obiecti, quæ, vt terminata ad illud obiectum, non sit beatitudo.

89 *Quartò.* Retorqueo quartò: etsi beatitudo Dei sit comprehensiva; non tamen est beatitudo, vt comprehensiva est: ergo per accidens se habet ad beatitudinem Dei, quod sit comprehensiva. Probatur antecedens: si esset beatitudo, vt comprehensiva est, nostra beatitudo esset Dei comprehensiva; nam nostra, & Dei beatitudo conveniunt in ratione beatitudinis, & habent idem obiectum, iuxta Ill. Godoy; sed hoc est falsum: ergo etsi beatitudo Dei sit comprehensiva; non tamen est beatitudo, vt comprehensiva est.

90 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: ergo si per impossibile Deus videret essentiam sine personis, esset beatus, & se non comprehenderet; atqui hoc est impossibile: ergo ruit responsio. Respondeo primò distinguendo consequens: & se non comprehenderet extensivè, concedo consequentiam; intensivè, nego consequentiam; & distinguo sumptam: hoc est impossibile de facto, concedo minorem; impossibili dato, nego minorem, & consequentiam. Solutio constat ex *numer.* 79. & ratio traditur *num.* 80.

Respond. 1.

91 *Respond.* 2. Respondeo secundò ommitto consequens, & distinguo sumptam: hoc est impossibile, impossibilitate orta ex eo, quod talis visio est infinita, concedo minorem; ex eo, quod non esset beatifica, nego minorem, & consequentiam. Vndè prædictum inconveniens non est contra hanc quæstionem; quia hic solum affirmamus: Deum per visionem suæ essentiæ esse essentialitèr beatum, etsi hac visione se non comprehenderet, & si hoc repugnat, non nascitur repugnantia ex eo, quod illa visio non esse beata; sed ex eo, quod illa visio esset infinita, cum qua stare nequit non comprehensio.

Et ex his ad primam Ill. God. confirmationem positam *num.* 77. patet duplex ad illam solutio. Respondeo enim primò negando antecedens, cuius probationem, distinguo: talis cognitio non esset comprehensio Dei extensiva, concedo antecedens; intensiva, nego antecedens, & consequentiam. Respondeo secundò distinguendo antecedens: si per impossibile Deus se cognosceret præcisè, vt Vnum, cognitio illa non esset eius beatitudo, vt infinita, vel comprehensiva est, ommitto antecedens; vt beatitudo est, nego antecedens, & consequentiam; ex quo ad probationem, omnisso antecedenti, distinguitur consequens distinctione data. Hæ sunt solutiones ad argumentum assignatæ; retorsiones contra ipsum factæ, adversus hanc etiam confitmationem militant.

92 *Ad 1. confirmationē respond.* 1. *Secundò.* *Retorquē.*

Ad secundam confirmationem positam *num.* 78. nego minorem, ad cuius probationem distinguo primo maiorem: essentia ratione sui est formale obiectum Divinæ cognitionis, vt comprehensio est intensiva, concedo maiorem; intensiva, & extensiva, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiã. Distinguo secundo: est obiectum Divinæ cognitionis, vt comprehensio est, & vt est beatitudo, ommitto maiorem; vt comprehensio est præcisè, nego maiorem; distinguo minorem: Deus, præcisè vt Vnus, non est sufficiens obiectum talis cognitionis, vt comprehensio est præcisè, ommitto minorem, vt beatitudo est, nego minorem, & consequentiam. Vtraque solutio patet ex dictis *in hoc §.* & easdem, quas argumentum, instantias patitur.

93 *Ad 2. respond.* 1. *Secundò.*

§. X.

Duplex aliud argumentum Ill. Godoy diluitur.

94 *Arguit.* 3. ARguit tertiò Ill. God. *infrà numer.* 28: relationes Divinæ pertinent essentialitèr ad obiectum beatificum, vt modi essentiales illius: ergo illis non visis, implicat, stare beatitudinem. Consequentia tenet: nam destructio actus rectè colligitur ex defectu cuiuslibet pertinentis essentialitèr ad illius quidditatem, etiamsi

vt modus ingrediatur in illo, vt multis exemplis posſit oſtendi. Antecedens autem admittunt Molina *vbi ſuprà concluſ.* 2. Suarez *loco allegato.* Et præterea ſuadetur: nam obiectum beatificum eſt Divina Eſſentia, quatenus eſt in ſe; at relationes ſunt modi eſſentiales illius, quatenus eſt in ſe: ergo eodem modo ſunt de illius eſſentia, vt eſt obiectum primarium beatificum.

Reſpond. Hoc argumentum, quod potiùs contra Molinam, & Suarez, quam contra nos, procedit, ſi aliquam vim habet, erit contra ipſos, antecedens admittentes; nullam verò contra nos, qui antecedens negamus, ob dicta *num.* 5. *&* 6. Nec probatio illius eſt alicuius roboris; manet itaquè ſoluta tot ſolutionibus, & retorſionibus, quibus §. 8. primum Ill. Godoy argumentum ſolvimus, & inſtavimus.

95 *Retorq. ad hom.* Et vltrà ibi dicta retorqueo ad hominem contra Ill. Godoy: quod Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, ſit obiectum motivum Divini intellectus, non infert, Eſſentiam Divinam ſimul cum relationibus movere: ergo quod Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, ſit obiectum beatificum, non infert, Eſſentiam Divinam ſimul cũ relationibus beare. Antecedens eſt Ill. Godoy *tom.* 1. *diſput.* 25. *numer.* 108. Conſequentia legitima videtur. *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *tom.* 1. *citat.* negando conſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt: nam in terminando conveniunt omnes Divinæ formalitates; ſecus autem in movendo, & ideò non poteſt vna terminare cognitionem intuitivam, altera non terminante, poteſt autem vna movere, altera non movente, etiamſi prout in ſe moveat.

Contra. Hæc tamen ſolutio non eſt ad rem; vndè ommiſſa illius veritate, vel falſitate, pro diſtinctione obiecti motivi, & terminativi, impugnatur: quod relationes ſint modi eſſentiales Eſſentiæ Divinæ, prout eſt in ſe, non tollit, quod à relationibus præciſſa, ſit obiectum motivum Divini intellectus: ergo nec tollet; quod à relationibus præciſſa, ſit obiectum beatificans: Antecedens eſt Ill. Godoy. Conſequentia eſt notoria, & vt evidenter appareat efficatia paritatis ad hominem contra Ill. Godoy, ab oppoſito argumentum formo contra ipſum. Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, eſt obiectum motivum; ſed Eſſentia ſine perſonis non eſt, prout eſt in ſe: ergo Eſſentia ſine perſonis non eſt tale obiectum. Maior eſt Ill. Godoy, vt patet ex eius ſolutione. Minor probatur: Deus, prout in ſe, non ſolum eſt Vnus, ſed etiam Trinus: ergo Eſſentia ſine perſonis non eſt, prout eſt in ſe.

Incõſequentia Illuſt. Godoy. Argumentum eſt ad litteram Ill. God. formatum; vt claret ex primo illius fundamento, à nobis adducto *num.* 66. Vndè eſt clara illius inconſequentia, aſſerere: Eſſentiam Divinam ſine relationibus non eſſe obiectum beatificum, quia Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, eſt tale obiectum, & aſſerere: Eſſentiam Divinam, prout eſt in ſe, eſſe obiectum motivum Divini intellectus, & eſſe tale obiectũ ſine relationibus. Ratio eſt: quia Deus, prout eſt in ſe, non ſolum eſt vnus, ſed etiam Trinus, iuxta Ill. Godoy: ergo ſi Deus, prout eſt in ſe, & eſt obiectum motivum, & eſt obiectum beatificum, vel vtroque modo erit obiectum, præciſsis relationibus, vel neutro; & maximè, quando vtrumque debet eſſe infinitum, & fons totius eſſe, & veritatis, vt apud omnes eſt certum.

96 *Arguit vltimo.* Arguit vltimò Ill. Godoy *num.* 29: Divinæ relationes, eſtò non addant perfectionem, & bonitatem ſupra naturam, addunt tamen ad illam novam, & diſtinctam veritatem: ergo illis non viſis, ſtare nequit eſſentia beatitudinis, non minùs, quam ſi ſuperadderent bonitatem, & perfectionem. Antecedens manifeſtum videtur: nam veritas ſequitur entitatem abſolutè conſideratam, & non prout exiſtentem: ergo etiamſi non addat bonitatem, ex eo, quod illa ſequitur entitatem ſub ſecunda conſideratione, ſuperaddunt tamen diſtinctam veritatem ſibi propriam, & relativã. Conſequentiam autem ſic probat: quia non minus eſt de ratione beatitudinis, imò magis, intellectum perfectè quietare, quam voluntatem; at ſi ſuperadderent relationes bonitatem relativam, illis non viſis, non ſtaret beatitudo, eo, quod non perfectè quietaretur voluntas: ergo ſi ſuperaddunt novã veritatem, illaque non videatur, non ſtabit vera beati-

tu-

tudo, eo, quod non quietabitur perfectè intellectus.

97 *Respond.* 1. Respondeo primò ad argumentum distinguendo antecedens: addunt distinctam veritatem secundariam, extensivam, qualitativam, & quasi accidentalem, ommitto antecedens; primariam, intensivam, quidditativam, & essentialem, nego antecedens, & consequentiam; ad cuius probationem, omnissa maiori (de qua *disp* 5.) distinguo minorem: si superadderent relationes bonitatē primariam, vel intensivam, illis non visis, non staret beatitudo, concedo minorē; secundariam, seu extensivā, nego minorem, & distinguo consequens, distinctione data. Respondeo secundò aliter distinguendo antecedens: addunt distinctam veritatem, contentam in essentia, ommitto antecedens; non contentam in essentia, nego antecedens, & consequentiam, cuius probationem similiter, distinguo. Cum enim Essentia Divina, præcisis relationibus, sit summum verum, & bonum, pelagus, & radix omnis veritatis, & bonitatis, ipsa sola est obiectum essentiale beatitudinis. Solutio patet ex dictis *num.* 5. & est ab omnibus Theologis (ni fallor) innegabilis.

Secundò.

98 *Retorq. argument.* 1. Retorqueo deniquè argumentū. Primò: estò possibilia non addant bonitatem supra Essentiam Divinam, addunt tamen ad illam novam, & distinctam veritatem, vt tenet Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part. disput.* 51. *per totam*, præsertim, *num.* 41. & 42: ergo illis non visis, stare nequit essentia beatitudinis, non minus, quam si superadderent bonitatem. Hæc consequentia probatur ea ratione, qua illam de relationibus probat contra nos in argumento facto Ill. Godoy.

Secundò. Retorqueo secundò: futura addunt supra Essentiam Divinam bonitatem distinctam: ergo illis non visis, stare nequit essentia beatitudinis. Retorsiones factæ sunt ad hominem contra Ill. God. disparitas autem, quam adducere valet, abundanter ex dictis manet reiecta, & præsertim *num.* 83.

§. XI.

Argumenta ex defectu satietatis solvuntur.

99 ALiqui, ex quorum numero est etiam Ill. Godoy *numer.* 23. & Gonet *tom.* 3. *disput.* 2. *de Beatitudine, artic.* 2. *num.* 45. *in fine* sentiunt: Visionem Essentiæ Divinæ, à personis præcisiæ, non esse beatam, quia non satiat appetitum beati; ideòque eorum argumenta solvere, necessarium apparet. Tum, vt adducta ab Ill. Godoy integrè maneant soluta, & impugnata. Tum etiam, vt Scoti opinio plenè, & planè probabilior appareat.

100 *Arguit.* 1. *Ill. Godoy. & cum illo Gonet.* Arguit primò Ill. Godoy *numer. citat.* & cum ipso Gonet relatus: sola illa visio est sufficiens ad nos beatificandum formaliter, quæ perfectè quietat innatum appetitum gratiæ; at innatus appetitus gratiæ est ad Deum, prout in se ipso; nam gratia, vtpotè, semen gloriæ, inclinat ad Deum videndum, quatenus à nobis de facto videtur: ergo sola visio Dei, prout in se ipso est, sufficit ad nos beatificandum.

101 *NOTA.* Noto ante solutionem: quod eo modo, quo essentia dicit participabilitatem, eo modo res, quæ est participatio, dicit rem participatam, & consequenter cum gratia sit participatio Divinæ Essentiæ, eo modo debet inclinare, quo ipsa essentia participatur per gratiam. Vndè cum essentia, vt à personis præcisa, sit obiectum essentiale, & primarium beatitudinis; personæ verò secundariū; hoc modo debet inclinare gratia ad Deum videndum, quia hoc modo participat esse Dei. Hoc notato.

102 *Respond.* 1. Ad argumentum respondeo primò distinguendo maiorem: illa visio est sufficiens ad nos beatificandum formaliter, quæ perfectè satiat appetitum primarium gratiæ, concedo maiorem; secundarium, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Distinguo etiā probationem minoris: gratia, vtpotè semen gloriæ, inclinat, inclinatione primaria, & secundaria ad videndum Deum, quatenus à nobis de facto videtur, concedo; primaria præcisè, nego; & distinguo consequens, vt distinxi Claret solutio ex dictis *numer. anteced.*

103 *Respond.* 2. *retorquendo.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: Visio beata est, quę satiat appetitum innatum gratiæ; sed appetitus innatus gratiæ est ad videndum creaturas possibiles, & futuras: ergo his non visis, non stat beatitudo, contra Ill. Godoy. Probatur

mi-

minor: Gratia, vtpotè semen gloriæ, inclinat ad videndum Deum eo modo, quo de facto videtur à beatis; sed ab his videtur, vt continens plures creaturas possibiles, & futuras: ergo appetitus innatus gratiæ est ad videndum creaturas possibiles, & futuras.

104 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: Visio beata satiat appetitum beati; sed visio essentiæ sine personis non satiaret appetitum beati: ergo visio essentiæ sine personis non esse beata. Probatur minor primò: posita visione essentiæ sine personis, appeteret beatus videre personas: ergo visio essentiæ sine personis non satiaret appetitum beati. *Minor probat. 1.* Probatur secundò eadem minor: posita visione essentiæ sine personis, laboraret beatus naturali inquietudine sciendi, quomodo illa natura sit in supposito: ergo idem, quod prius. *Secundò.*

105 *NOTA.* Ante solutionem adverto: quod beatus determinatione appetitus, solum appetit beatitudinem essentialē. Determinatione graduali appetit beatitudinem intensiori modo possessam. Determinatione denique extensiva, & accidentali appetit beatitudinem extensivam, & accidentalem. Vndè satiatur appetitus essentialitèr, quando habet id, quod appetit determinatione appetitus. Gradualitèr, quando possidet id, quod determinatione graduali appetit. Extensivè, & accidentalitèr, quando obtinet id, quod appetit determinatione extensiva, & accidentali. Quarè satiato essentialitèr appetitu, manet completus essentialitèr, & simplicitèr, etsi permaneat secundumquid, & accidentalitèr inexpletus.

106 *Cuiusdam obiectionis solutio.* Neque hinc sequitur: beatum manere violentum, & inquietum; quia appetitus innatus temperatur per appetitum elicitum conformem regulæ, & voluntati Divinæ, qui appetitus totalitèr satiatur per possessionem summi boni. Vndè, etsi appetitus naturalis beati maneat secundumquid violentus, quia est in potentia ad vlteriorem gradum beatitudinis, vel ad obiectum secundariū; beatus tamen non est violentus, quia cum sit liber, cohibet suum appetitum elicitum, ne plus appetat, quam dictat recta ratio conformis ordinationi Divinæ. Hoc animadverso.

107 Respondeo primò negando minorem, cum vtraque probatione; quia cum beatus habeat appetitum rectum, non appeteret videre personas, & esset totalitèr, & simplicitèr quietus, & satiatus; quia possideret infinitum bonum, quantum recta ratio dictaret conformis ordinationi Divinæ. Solutio constat ex *num. antec.* *Respondeo ad argum. & probat. minor.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: satiat appetitum beati quo ad determinationem appetitus, concedo maiorem; quoad determinationem gradualem, extensivam, vel accidentalem, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & eius primam probationem, negoque secundam simul cum consequentia. Solutio hæc claret ex *num.* 105. *Secundò.* Tertiò respondeo alitèr distinguendo maiorem: satiat essentialitèr appetitum beati, concedo maiorem; gradualitèr, & extensivè, sivè accidentalitèr, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & eius primam probationem, negoque secundam cum consequentia. *Tertiò.*

108 *4. & est retorsio.* Respondeo quartò retorquendo argumentum: visio beata satiat appetitum beati; sed visio essentiæ sine aliquo gradu intensionis, & sine possibilibus, & futuris, non satiaret appetitum beati: ergo visio essentiæ sine aliquo gradu intensionis, & sine possibilibus, & futuris, non esset beata, quod est contra omnes. Probatur minor. Primò: posita visione essentiæ sine aliquo gradu intensionis, & sine possibilibus, & futuris, appeteret beatus videre essentiam intensiori modo, possibiliaque, & futura videre: ergo visio essentiæ sine aliquo gradu intensionis, & sine possibilibus, & futuris, non satiaret appetitum beati. Probatur secundò eadē minor eo modo, quo probata manet in argumento.

109 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: Essentia sine personis non quietat perfectè beatū: ergo visio essentiæ sine personis non est beata. Probatur antecedens: Si essentia quietaret perfectè beatum, non posset vlteriùs quietari in personis; sed quietatur etiam in personis: ergo essentia sine personis non quietat perfectè beatum. Probatur maior: Vltimatè quietus non est vlteriùs quietabilis: ergo si essentia quietaret perfectè beatum, non posset vlteriùs in personis quietari.

110 Respondeo distinguendo ante-

dens:

Respondeo. dens: non quietat, quietatione essentiali, & accidentali, concedo antecedens; quietatione essentiali, nego antecedens, ex quo distinguo maiorem probationis: Si essentia quietaret essentialitèr tantum, non posset vlteriùs quietari in personis essentialitèr, ommitto maiorem; accidentalitèr, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequens. Distinguo etiam vltimam probationem: vltimatè quietus essentialitèr, & accidentalitèr non est vlteriùs quietabilis, ommitto antecedens; vltimatè quietus essentialitèr tantum, subdistinguo distinctione maioris.

111 *Dices.* Dices: vltimatè quietus essentialitèr est vlteriùs essentialitèr quietabilis: ergo ruit distinctio. Probatur antecedens: Beatus visione solius essentiæ est per nos vltimatè quietus essentialitèr; sed etiam quietatur essentialitèr in personis: ergo vltimatè quietus essentialitèr est vlteriùs essentialitèr quietabilis. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: vltimatè quietus essentialitèr est vlteriùs essentialitèr quietabilis, quietatione proveniente ab aliquo principio, à quo procedit quies essentialis, nego antecedens; proveniente ab eodem principio, ommitto antecedens, ex quo distinguo minorem probationis: etiam quietatur essentialitèr in personis, quietatione proveniente ab ipsis personis, nego minorem; proveniente ab essentia, concedo minorem, & distinguo consequens, vt distinxi.

112 *Secundò.* Respondeo secundò alitèr distinguendo antecedens: Vltimatè quietus essentialitèr est vlteriùs essentialitèr quietabilis eadem quietatione, qua prius quietabatur, concedo antecedens; distincta quietatione, nego antecedens, & distinguo similitèr minorem probationis. Itaquè beatus vltimatè essentialitèr quiescit in essentia sola, & etiam essentialitèr quiescit in essentia vissa in personis, sed hoc, non quietatione proveniente à personis, sed ab essentia; nec quietatione distincta, qua quiescit in essentia, sed eadem essentiali quietatione, per quod vtraque claret distinctio.

113 *Ratio primi.* Ratio primi est: nam cum in sola essentia stet essentiale obiectum beatificum, in quocumque quiescat essentialitèr beatus, quiescit quietatione proveniente ab essentia; alioquin in sola ipsa non staret essentiale obiectum. *Ratio secundi.* Ratio secundi est: quia quod quietatur primo in aliquo obiecto, quietatur in illo in quocumque est secundum illum modum, & rationem, qua prius quietabatur, & solum est differentia in eo, quod obiectum prius terminabat in se ipso, & postea terminat, vt in aliquo, quod non obest, vt eadem quiescat quietatione. Sic Scotus *in 1. dist. 1. quæst. 2. §. Quantum ad istum artic. V. Ad illud de quietatione.*

114 *Retorqueo.* Deniquè retorqueo argumentum: Essentia cum personis non quietat perfectè beatum: ergo adhuc Deus, vt Trinus, non est essentiale obiectū beatitudinis, quod est contra omnes adversarios. Probatur antecedens: Si essentia cum personis quietaret perfectè beatum, non posset vlteriùs quietari in possibilibus, & futuris; sed in his etiam quietatur: ergo essentia cum personis non quietat perfectè beatum. Probatur maior: Vltimatè quietus non est vlteriùs quietabilis: ergo si essentia cum personis quietaret perfectè beatum, non posset vlteriùs quietari in possibilibus, & futuris.

115 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: Relationes Divinæ essentialitèr quietant intellectū beati: ergo pertinent ad obiectum essentiale beatitudinis. Probatur antecedens: In sola visione essentiæ non quiescit essentialitèr intellectus beati: ergo relationes Divinæ essentialitèr quietant intellectum beati. Probatur antecedens: Quando intellectus manet in potentia ad vlteriorem veritatem cognoscendam, non quiescit in veritate cognita; sed posita visione solius essentiæ, manet intellectus in potentia ad veritates relationum cognoscendas: ergo in sola visione essentiæ non quiescit essentialitèr intellectus beati.

116 *Duplex responsio.* Respondeo primo negando antecedens, ad cuius probationem nego etiam antecedens, & ad probationem illius distinguo maiorem duplici distinctione posita *num. 96. & 97.* & retorquendo vt in *num. 98.* Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: quando intellectus manet in potentia ad vlteriorem veritatem cognoscendam, non quiescit, quiete essentiali, & accidentali, primaria, &

se-

secundaria, intensiva, & extensiva, quidditativa, & qualitativa, in veritate cognita, concedo maiorem; quiete præcisè primaria, intensiva, & extensiva, quidditativa, & qualitativa, nego maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam.

117 *Dices.* Dices: quando intellectus manet in potentia ad vlteriorem veritatem cognoscendam, non quiescit in veritate cognita, quiete primaria, intensiva, &c: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: licèt quando intellectus manet in potentia ad vlteriorem veritatem cognoscendam, quiescat in veritate cognita, quiete primaria, non ita quiescit, si vlterior veritas cognoscenda sit quidditativa essentialitèr; sed posita visione solius essentiæ, manet intellectus beati in potentia ad vlteriorem veritatem essentialitèr quidditativam cognoscendam: ergo quando intellectus manet in potentia ad vlteriorem veritatem cognoscendam, non quiescit in veritate cognita quiete primaria, intensiva, &c. Probatur minor: posita visione essentiæ in tribus, quietatur quiete primaria intellectus beati; sed non sic quietaretur, si posita visione solius essentiæ, non maneret intellectus beati in potentia ad vlteriorem veritatem essentialitèr quidditativam cognoscendam: ergo posita visione solius essentiæ, manet intellectus beati in potentia ad vlteriorem veritatem essentialitèr quidditativam cognoscendam.

118 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo vltimam maiorem: posita visione essentiæ in tribus, quietatur quietatione proveniente ab essentia, concedo maiorem; proveniente à personis, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

Secundò. Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: quietatur quiete primaria, distincta à quiete, qua quietabatur in essentia, nego maiorem; non distincta, sed eadem, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Solutio claret *ex numer.* 112. cuius ratio traditur *numer.* 113.

119 *Replicabis.* Replicabis: posita visione essentiæ in tribus, quietatur intellectus beati quiete primaria, distincta à quiete, qua quietabatur in essentia: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Ideò posita visione essentiæ in tribus, non quietaretur intellectus beati quiete primaria, distincta à quiete, qua quietabatur in essentia, quia posita visione essentiæ sine tribus, absolutè quietaretur intellectus beati quiete primaria; sed posita visione essentiæ sine tribus, absolutè non quietatur intellectus beati quiete primaria: ergo posita visione essentiæ in tribus, quietatur intellectus beati quiete primaria, distincta à quiete qua quietabatur in essentia. Probatur minor: absolutè non quietatur intellectus beati quiete primaria, nisi visa essentia cum omni prædicato essentiali; sed non videtur essentia cum omni prædicato essentiali, nisi in tribus videatur: ergo posita visione essentiæ sine tribus, absolutè non quietatur intellectus beati quiete primaria. Probatur minor: non videtur essentia cum omni prædicato essentiali, nisi videatur vt fæcunda; sed ita non videtur essentia, nisi in tribus videatur: ergo non videtur essentia cum omni prædicato essentiali, nisi in tribus videatur.

120 *Respondeo.* Respondeo distinguendo vltimam maiorem: non videtur essentia cum omni prædicato essentiali, nisi videatur vt fæcunda, sumpta fæcunditate materialitèr, concedo maiorē; sumpta formalitèr, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Itaquè fæcunditas duplicitèr accipi potest, scilicèt, materialitèr, & formalitèr. Materialitèr est ipsa Essentia Divina, & sic fæcunditas est prædicatum quidditativum Dei. Formalitèr est respectus ad relationes, & sic non est prædicatum quidditativū Dei; ex quo claret distinctio.

§. XII.

Argumenta ex defectu intuitionis solvuntur.

121 *Arguit. 1. Gonet.* ALij, de quorum numero est Gonet *citat.* iudicant: visionem essentiæ sine personis non esse beatā, quia intuitiva non esset, ex qua ratione arguit primo Gonet: vt cognitio Dei sit perfectè beata, debet esse intuitiva, & non pure abstractiva; sed cognitio Dei intuitiva debet ad illū, vt est in se, terminari, quia per hoc distinguitur cognitio intuitiva ab abstractiva, quod hæc apprehendit

ob-

obiectum, proportionaliter ad captum intellectus, & distinguit illud, non vt est in se, sed tantum in habitudine ad ipsum intellectum; illa verò videt, & intuetur obiectum, vt est in se à parte rei: ergo cognitio Dei, vt sit beatifica, debet ad illum, vt est in se, terminari. Sic Gonet, pro quo sufummo: atqui Deus, vt est in se, est Vnus, & Trinus: ergo vt visio sit beata, debet terminari ad Deum, vt Vnum, & Trinum.

122 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo minorem: cognitio Dei intuitiva debet ad illum, vt est in se, absolutè, & substantialiter existentem, terminari, concedo minorem; personaliter existentem, nego minorem, & eius imbibitam probationē, quia cognitio intuitiva distinguitur ab abstractiva per hoc, quod hæc terminatur ad obiectum absens; illa verò ad obiectum præsens, & hoc, etsi cognitio sit vnius duntaxat formalitatis. Distinguo consequens distinctione data, & distinguo sussumptam: Deus, vt est in se, substantialiter, & personaliter, est Vnus, & Trinus, concedo minorem; substantialiter precisè, nego minorem, & consequentiam.

123 *Ratio solutionis.* Itaquè de ratione visionis intuivæ solum est, quod terminetur ad rem existentem; non verò ad rem existentem personaliter, vt patet, primò: In hostia consecrata, in qua videtur album, secundum quod existens est; non verò vt suppositaliter existens. Secundò: In visione animæ separatæ, videtur enim intuitivè, quin videatur, vt existens personaliter. Tertiò: In humanitate Christi, quæ à Dæmone intuitivè videbatur, quin videretur persona. Ex his patet in mille exemplis. Ex quo.

124 *Retorqueo argum.* Retorqueo argumentum: visio intuitiva est visio rei existentis, vt existens est; sed Essentia Divina, præcisis relationibus, est existens: ergo illis præcisis terminare potest visionem intuitivam. Maior est certa. Minor claret primò: quia Essentia Divina pro priori ad relationes est singularis, existens, & absolutè subsistens ex dictis *num.6.* Secundò: quia Essentia Divina non est deterioris conditionis, quam quælibet alia natura; sed hæc existit independenter à persona: ergo vera est minor prædicta.

125 Dices primò cum Caietano: visio intuitiva non solum est visio rei existentis, vt existens est, sed etiam vt subsistens est; atqui Essentia Divina non subsistit, nisi in personis: ergo visio Essentiæ sine personis intuitiva non est. *Dices 1.*

Respondeo. Respondeo primò negando maiorem, vt constat ex *num. anteced.* Secundò distinguendo maiorem: visio intuitiva non solum est visio rei existentis, vt existens est, sed etiam vt subsistens est, qualibet subsistentia, concedo maiorem; subsistentia relativa tantum, nego maiorem; distinguo minorem: atqui Essentia Divina non subsistit, nisi in personis, relativè, concedo minorem; absolutè, nego minorem, & consequentiam.

126 *Dices 2.* Dices secundò: visio intuitiva, non solum est rei existentis specificativè, sed reduplicativè, vt existentis; atqui Essentia Divina reduplicativè, vt existens, non existit, nisi in personis: ergo his non visis, non videtur intuitivè.

127 *NOTA.* Nota pro solutione: Visionem intuitivam esse rei existentis reduplicativè, nihil aliud esse, quam terminari ad rem præsentem, quia hæc est prima differentia visionis intuitivæ ab abstractiva. Hoc notato. *Respondeo.* Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, quia essentia Divina sine personis, vtpotè, singularis, existens, & absolutè subsistens, habet sufficientem præsentiam, vt terminare valeat visionem intuitivam. Vel respondeo negando minorem, vt in *numer.* 122.

128 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: Visio essentiæ sine personis est abstractiva: ergo non est beata. Probatur primò antecedens: Videns naturam Petri, & non suppositum eius, videt Petrum abstractivè: ergo visio essentiæ sine personis est abstractiva. Probatur secundò antecedens: Obiectum abstractum cadit sub notitia abstractiva; sed Essentia sine personis est obiectum abstractum, sicut humanitas sine persona: ergo visio Essentiæ sine personis est abstractiva.

129 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad primam probationem, ommitto antecedens, & nego consequentiam, quia ex ipso solum sequitur, quod visio Essentiæ sine personis esset visio abstractiva personarum, de quo non curo; non verò quod esset visio abstractiva essentiæ, vt clarebit ex solu-

tione ſecundæ probationis, ad quam diſtinguo maiorem: obiectum abſtractum ab exiſtentia cadit ſub notitia abſtractiva, concedo maiorem; abſtractum à perſonalitate, nego maiorem, diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Ratio ſolutionis ſimul, & retorſio ſumitur ex dictis *num.* 122.

130 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: Eſſentia Divina, tàm eadem eſt Divinis perſonis, quã ego ſum idem mihi ipſi; ſed impoſsibile eſt, videre me intuitivè, non videndo me: ergo impoſsibile eſt, videre intuitivè Eſſentiam Divinam, non videndo perſonas. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando maiorem: nam loquendo de reali identitate, Eſſentia Divina maiori identitate eſt idem cum perſonis, quia eſt ſumma; at loquendo de formali, ſupponit falſum, nam eſſentia formaliter diſtinguitur à perſonis; non verò ego à me ipſo.

131 *Arguit.* 4. Arguitur quartò: Viſio intuitiva eſt adæquata, ideſt, exprimens totum obiectum; ſed viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt adæquata, vtpotè, non exprimens totum obiectum: ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt intuitiva. *Reſpond.* 1. Reſpondeo diſtinguendo maiorem primò: Viſio intuitiva eſt adæquata, adæquatione ſufficienti ad intuitionem, concedo maiorem; adæquatione excedente intuitionẽ, & pertinente ad comprehenſionem, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. *Secundò.* Diſtinguo ſecundo maiorem: Viſio intuitiva comprehenſiva, vel pertinens ad comprehenſionem eſt adæquata, omitto maiorem; vt intuitiva eſt, ſubdiſtinguo: eſt adæquata ita, vt debeat exprimere obiectum ſecundum omnes eius formalitates, nego maiorem; ſecundum formalitates requiſitas ad intuitionem, concedo maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Vtraque diſtinctio claret ex *n.* 122.

132 *Arguit.* 5. Arguitur quintò: Viſio intuitiva eſt viſio perfecta; ſed non datur viſio perfecta eſſentiæ, niſi videantur perſonæ: ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt intuitiva. Probatur minor: Non datur viſio perfecta, niſi videns ſciat, quiſnam eſt ille, quem videt; ſed ſi non videt perſonas, non ſcit, quiſnam eſt ille, quem videt: ergo non datur viſio perfecta eſſentiæ, niſi videantur perſonæ. Probatur maior: Nemo poteſt perfectè cognoſcere amicum, niſi ſciat, quiſnam eſt ille amicus: ergo non datur viſio perfecta, niſi videns ſciat, quiſnam eſt ille, quem videt. *Reſpond.* 1. Reſpondeo primò negando minorem, ad probationem nego maiorem cum eius probatione; quia ad viſionem perfectam ſufficit, quod res viſa ſit ſingularis, ſicut, vt vtens vtatur vtibili, ſufficit, quòd vtibile ſit ſingulare ex dicentis *numer.* 182. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò negando minorem, & ad probationem nego etiam minorem; quia in data hypotheſi Eſſentia Divina eſſet ſuppoſitum abſquè perſonis, vt conceditur à contrarijs, & dictum manet *numer.* 36. & 37.

133 *Arguit.* 6. Arguitur ſextò: Viſio intuitiva eſt viſio diſtincta; ſed viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt diſtincta: ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt intuitiva. Probatur minor: Quando in aliquo ſunt plura ex natura rei, nequit diſtinctè cognoſci, quin diſtinctè cognoſcantur illa plura; ſed perſonæ Divinæ ſunt in eſſentia ex natura rei: ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis non eſt diſtincta. Probatur maior: Albedo exiſtens in paritate nequit diſtinctè videri, quin diſtinctè videantur omnes partes, quas in ſe habet: ergo quando in aliquo ſunt plura ex natura rei, nequit diſtinctè cognoſci, quin diſtinctè cognoſcantur illa plura.

134 *Reſpond.* 1. Reſpondeo primò negando minorem, ad probationem diſtinguo maiorẽ: quando in aliquo ſunt plura ex natura rei, vt partes conſtituentes, nequit diſtinctè cognoſci, quin diſtinctè cognoſcantur illa plura, concedo maiorem; vt perſonæ ſubſiſtentes in ipſo, vel paſsiones ortæ, ſeu accidentia ſubſecuta, nego maiorem, diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Solutio patet in homine, qui diſtinctè poteſt concipi, quin concipiatur riſibilitas, color, &c. & ex hoc in mille, totque ſunt contra argumentum retorſiones. Neq; exemplum de albedine petit aliam ſolutionem. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò aliter diſtinguendo maiorem: quando in aliquo ſunt plura pertinentia ad obiectum primarium, nequit diſtinctè cognoſci, quin diſtinctè cognoſcantur illa plura, concedo maiorem; ad obiectum ſecundarium, nego maiorem;

rem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Distinguo similitèr exemplum de albedine, & retorqueo cum exemplo hominis.

135 *Arguit. 7.* Arguitur septimò: Visio intuitiva est distincta; sed visio essentiæ sine personis non est distincta: ergo visio essentiæ sine personis non est intuitiva. Probatur minor: Visio essentiæ sine personis est confusa: ergo non est distincta. Probatur antecedens: Visio naturæ communis ad aliqua suppositа est confusa, suppositis non visis; sed visio essentiæ sine personis est visio essentiæ communis ad aliqua suppositа: ergo visio essentiæ sine personis est confusa. Respondeo distinguendo vltimam maiorem: Visio naturæ communis ad aliqua suppositа, quibus communicatur cum sui divisione, est confusa, suppositis non visis, concedo maiorem; quibus communicatur sine sui divisione, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiã.

136 *Ratio solutionis.* Itaquè natura Divina, etsi sit tribus communis, non tamen communicatur illis cum sui divisione, sed potiùs communicatur tota, existens, singularis, & de se hæc, quod sufficit ex totiès dictis ad terminandam visionem distinctam. Quod claret vlteriùs: nam etsi animal, quod est commune, & vniversale, in inferioribusque divisum, non potest dictinctè concipi, vt totum potentiale, non cognitis inferioribus; potest tamen, his non cognitis, distinctè cognosci, vt est totum actuale, v.g. Vivens sensibile: ergo similitèr Essentia Divina, quæ est tota, existens, singularis, & de se hæc.

137 *Arguit. 8.* Arguitur octavò: Essentia Divina nequit distinctè videri, quin videatur, vt radix relationum, fœcunda ad intra, seu communicabilis tribus; sed nequit vt sic videri, quin videantur relationes: ergo visio essentiæ sine personis non est intuitiva. Maior est certa: quia esse radicem, & fœcundam ad intra, seu communicabilem tribus, est prædicatum quidditativum Dei. Minor claret: nam Essentia Divina, vt radix, dicit ordinem ad radicatum, & vt communicabilis ad relationes.

138 *Respond. 1.* Respondeo primò negando minorem, & ad probationem distinguo antecedens: Essentia Divina, vt radix dicit ordinem secundum dici ad radicatum, concedo antecedens; secundum esse, nego antecedens, & consequentiam. Cum igitur relatio secundum dici aliquid absolutum importet primario, & secundario habitudinem, vel connotationem ad aliud, hinc Essentia Divina aliquid absolutum importat primario, & secundario connotationem ad personas, non ob relationem realem fundatam in Essentia Divina, sed ob quasi dependentiam personarum ab Essentia Divina, tamquam à radice.

139 *Corollariũ, & eius probatio.* Ex hoc clarè deducitur: Essentiam Divinam posse distinctè videri, vt radix personarum, quin personæ videantur, quod probo sic: absolutum potest distinctè cognosci, quin distinctè cognoscantur eius termini; sed Essentia Divina, vt radix personarum, est quid absolutum, cuius termini sunt personæ: ergo Essentia Divina potest distinctè videri, vt radix personarum, quin personæ videantur. Probatur maior primò: ad cognoscendum distinctè absolutum, dicens habitudinem ad terminos, sufficit cognoscere terminos quoad an est, seu non repugnare: ergo absolutum potest distinctè cognosci, quin distinctè cognoscantur eius termini.

Probat. maior 1.

140 *Secundò.* Probatur secundò eadem maior: Omnipotentia potest distinctè cognosci, quin distinctè cognoscantur possibilia, quæ sunt termini, ad quos dicit habitudinem; alioquin non cognoscens distinctè omnia possibilia, non cognosceret distinctè Omnipotentiam, quod est contra adversarios; sed hoc non alia ratione, nisi quia Omnipotentia est quid absolutum: ergo absolutum potest distinctè cognosci, quin distinctè cognoscantur eius termini. Idem est de Scientia Divina respectu cognoscibilium; De Immensitate respectu spatiorum; De Æternitate respectu durationum; & sic de alijs.

141 *Retorqueo* Ex his omnibus formetur contra argumentum retorsio, vltrà quæ sic retorqueo: Angelus cognoscit distinctè naturalitèr potentiam obedientialem quoad absolutum; sed non cognoscit distinctè naturalitèr terminos talis potentiæ; alioquin naturalitèr distinctè cognosceret beatitudinem, quæ est vnus terminus talis potentiæ: ergo absolutum potest

distinctè cognosci, quin distinctè cognoscantur eius termini.

142 *Respond.2.* Respondeo secundò ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem, omitto antecedens, & nego consequentiam; nam etsi Divina Essentia dicat relationem radicis, & fœcunditatis, consequentèrque nequeat distinctè cognosci, quin distinctè cognoscatur prædicta relatio; tamen potest distinctè cognosci, quin cognoscantur distinctè termini talis relationis, scilicèt, personæ, quia ad distinctam notitiam relationis non requiritur distincta cognitio termini; alioquin Omnipotentia dicens secundum aliquos prædictam relationem ad possibilia, vt terminos eius, non posset distinctè cognosci, quin distinctè viderentur singula possibilia, quod esse falsum, ostendit factum. Ex hoc retorque argumentum.

Retorque.

143 *Respond.3.* Respondeo tertiò negando minorem, & distinguendo probationē: Essentia Divina, vt radix, dicit ordinem sibi convenientem in secundo modo dicendi per se, concedo antecedens; in primo modo, nego antecedens, & consequentiam. Vndè licèt radix, fœcunditas, vel communicabilitas dicant talem respectum, possunt distinctè cognosci, quin distinctè cognoscatur talis respectus, quia secundum suam entitatem adhuc formaliter distingueretur à tali respectu. Fundatur hæc doctrina in opinione aliquorum dicentium: posse Angelum distinctè naturaliter cognoscere suam essentiam, quin distinctè naturaliter cognoscat potentiam obedientialem ad supernaturalia, & hoc non alia ratione, nisi, quia potentia obedientialis est formaliter distincta ab essentia Angeli. Ex quo nostra conclusio manifestè apparet: nam si Essentia Divina potest, vt radix, distinctè cognosci, quin distinctè cognoscatur relatio, quam dicit, vt radix: ergo potiori iure sine terminis talis relationis; sed isti sunt personæ: ergo Essentia Divina, vt radix, potest distinctè cognosci sine personis. Deserviat pro retorsione.

Retorque.

144 *Respond.4.* Respondeo denique ad argumentum distinguendo maiorem: Essentia Divina nequit distinctè videri, quin videatur, vt radix relationum, fœcunda ad intrà, seu communicabilis tribus, sumpta radice, fœcunditate, & communicabilitate materialiter, concedo maiorem; sumpta formaliter, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Solutioni huic magis acquiesco, quæ cum sui explicatione declarata manet *num.* 120. Videatur ibi, ne eadem sine necessitate multotiès repetamus.

145 *Arguit.9.* Arguitur nono: Essentia visa sine personis, vel videtur vt distincta, & communicata, vel vt non distincta, & non communicata? Si primum: ergo videntur personæ; quia qui videt aliquid, vt distinctum ab alio, & ipsi communicatum, videt illud. Si secundum: ergo falsò videt; quia videt aliter, ac est in se: ergo essentia nequit videri, non visis personis. *Respond.1.* Respondeo primò: Argumentum hoc non esse ad rem, probat namq; Essentiam Divinam non posse videri sine personis, cuius oppositum hic debet supponi, vt nobiscum faretur Ill. Godoy *numer.* 2. & esse possibile, contra ipsum statuimus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disput.* 19.

146 *Secundò.* Respondeo secundò negando antecedens, quia tunc Essentia Divina solum videretur secundum prædicata essentialia, & quidditativa; quare positivè non videretur vt distincta, nec vt indistincta, vt communicata, nec vt non communicata, quia Essentia Divina secundum prædicata essentialia formaliter præscindit à distinctione, & non distinctione, communicatione, & non communicatione; nam instans essentiæ non est instans alterius affirmationis, quam ipsius essentiæ. Nec hoc obest, vt talis visio sit intuitiva, quia tunc essentia haberet omnia requisita ad intuitionem ex dictis *num.* 122.

147 *Dices.* Dices: pro nullo signo Essentia Divina est non communicata tribus: ergo pro nullo signo potest distinctè cognosci sine tribus. *Respond.1.* Respondeo primò negando consequentiam; quia etsi pro omni signo sit communicata, potest tamē præcisivè cognosci à communicatione, vel non communicatione ob rationem datam *numer. anteced.* *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo consequens: ergo pro nullo signo potest distinctè cognosci, cognitione divisiva, concedo conse-

quen-

quentiam ; præcisiva nego consequentiam. Tertiò respondeo omittendo totum, quia non est ad rem hæc replica, ob rationem, quam *numer.* 145. diximus, non esse ad rem argumentum.

Tertiò.

148 *Dices iterum.* Dices iterum: essentia per nos non intelligitur, vt cõmunicata : ergo intelligitur vt non communicata. Respondeo negando consequentiam, quia, vt dixi, essentia in primo signo essendi ab vtroque præscindit. Item retorqueo his exemplis : homo in primo signo essendi non intelligitur vt risibilis: ergo vt non risibilis. Natura creata non intelligitur vt singularis: ergo vt vniversalis. Divina Essentia non intelligitur vt formaliter sapiens, & bona : ergo vt ignara, & mala. Omnes consequentiæ sunt falsæ, quia in antecedenti est simplex abstractio, & in consequenti divisiva. Sic, & consequentia contra nos illata.

Respondeo.

Retorqueo.

§. XIII.

Solvuntur argumenta contra secundam Scoti rationem.

149 *Arguit. 1.* ARguitur primò : Pater æternus in eodem instanti originis, quo est beatus, generat Filium : ergo ruit Scoti ratio. Probatur antecedens: Pater in eodem instanti originis, quo est beatus, habet esse per generationem activam : ergo Pater æternus in eodem instanti originis, quo est beatus, generat Filium. Respondeo primò distinguendo antecedens: Pater æternus in eodem instanti originis, quo est beatus, generat Filium, idest, habet Filium genitum nego antecedens; idest, non habet Filium genitum concedo antecedens, & nego consequentiam.

Respond. 1.

150 *Explicatur mens Scoti.* Itaquè hæc Scoti propositio: *Pater æternus prius origine, quam generet Filium, est perfectè beatus*, sic debet intelligi : Pater prius origine, quam habeat Filium genitum, est beatus, ita, quod pro aliquo priori originis Pater est perfectè beatus, & pro illo priori Filius non habet esse genitum, sed pro alio posteriori signo originis. Et quod in hoc sensu sit vera propositio Scoti, probatur.

151 *Veritas propositionis* Pater in esse Patris constituitur per generationem activam ; sed generatio activa Patris est prior origine Filio : ergo Pater in esse Patris est prior origine Filio. Atqui Pater in esse Patris est perfectè beatus : ergo Pater prius origine, quam generet Filium, idest, quam habeat Filium genitum, est perfectè beatus. Maior, consequentia, & sumpta sunt vera. Minor probatur : producens non tantum est prius producto secundum virtutem absolutam, qua producit, sed etiam in quantum actu producit ex Scoto *in 2. distinct. 2. & 25.* sed in quantum actu producit, est generatio activa : ergo generatio activa Patris est prior origine Filio.

Scoti ostenditur.

152 *Respond. 2.* Respondeo secundò ommitendo antecedens, & distinguendo consequens: ergo ruit Scoti ratio, sumpta prioritate originis, vt sonat, ommitto consequens ; sumpta pro prioritate naturæ, nego consequentiam. Hoc enim modo intellexit Scotus ly *prius origine*, vt sentiunt Smising, & Rada. Et quod hæc sit mens Scoti, probatur: Ordo originis, vt sonat, solum datur inter notionalia, non tamen inter essentialia, & notionalia, quia inter hæc datur ordo naturæ, ex dictis *num.* 62. sed beatitudo est prædicatum essentiale, seu absolutum, & filiatio notionale : ergo beatitudo prioritate naturæ est prior filiatione: ergo cum Pater sit beatus, prioritate naturæ, erit prius Filio beatus.

Alia Scot explicatio.

153 *Prob. consequent.* Probatur hæc vltima consequentia: beatitudo est prior natura quam generet, & quam Filius sit genitus: ergo etiam in Patre est sic prior : ergo cum Pater sit beatus prioritate naturæ, erit prius Filio beatus. Probatur prima consequentia: quandocumque aliqua prædicata servant secundum se aliquem ordinem, in quocumque reperiantur, illum servant; sed per te beatitudo est prior natura, quam generet, & quam Filius sit genitus: ergo cum Pater sit beatus prioritate naturæ, erit prius Filio beatus. Maior patet primò: nam alioquin non servarent secundum se talem ordinem. Secundò : nam quia intellectus est prior voluntate, in quocumque est sic prior. Ommitto alia, non ommittendo, quod propter hanc rationem ait Rada. 1. *part. controvers.* 12. *art.* 3. In homine esse prius animal, quam rationale, & in composito materiam forma.

154 *Dices.* Dices contra vtramque responsionem : Pater æternus non est prius

natura, nec origine beatus, quam generet, seu quam habeat Filium genitum: ergo vtraque ruit. Probatur antecedens: priùs ineſt Patri generare Filium, quam eſſe beatum: ergo Pater æternus non eſt priùs natura, nec origine beatus, quam generet, ſeu quam habeat Filium genitum. Probatur antecedens: Pater conſtituitur in eſſe Patris per generationem activam; ſed priùs ineſt Patri generatio activa, quam eſſe beatum: ergo priùs ineſt Patri generare Filiũ, quam eſſe beatum. Probatur minor: priùs ineſt Patri id, per quod conſtituitur in eſſe Patris, quam eſſe beatum; ſed per te Pater conſtituitur in eſſe Patris per generationem activam: ergo priùs ineſt Patri generatio activa, quam eſſe beatum.

155 Reſpondeo negando vltimam maiorem, ob dicta *num.* 152. & 153. Vel ipſam diſtinguo: priùs, prioritate conſtitutionis, ineſt Patri id, per quod conſtituitur in eſſe Patris, quã eſſe beatũ, concedo maiorem; prius, prioritate communitatis, intelligentiæ, naturalis præſuppoſitionis, vel naturæ, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo ſimiliter conſequens. Itaque cum eſſe priùs conſtitutivè, nihil aliud ſit, quam conſtituere, ſtat optimè, aliquid eſſe priùs, prioritate conſtitutionis, & eſſe poſteriùs poſterioritate communitatis, intelligentiæ, naturalis præſuppoſitionis, vel naturæ, vt claret in rationalitate, vel animalitate, imò in quocumq; prædicato tranſcendenti reſpectu prædicati conſtitutivi. Eſt clariſſima inſtantia, contra quam non eſt replica.

156 *Reſpond.* 3. Reſpondeo tertiò: Scotum ibi non accipere Patrem, in quantum Pater eſt, ſed accipere principale eſſe Patris, quod eſt Deus, & hoc modo Pater priùs prioritate naturæ, quam generet, eſt beatus, quia omne abſolutum, & eſſentiale in Deo eſt priùs natura perſonis, vt dictum eſt.

157 *Arguit.* 1. Arguitur ſecundò: ex eo, quod Pater æternus ſit priùs origine beatus, quam generet Filium, non ſequitur, quod ſit priùs origine beatus, quam eſſentia communicetur Filio: ergo ratio Scoti eſt nulla. Probatur antecedens: ex eo, quod Pater ſit priùs origine beatus, quam generet Filium, non ſequitur, quod Filius genitus ſit poſteriùs origine beatitudine Patris: ergo nec quod ſit priùs origine beatus, quam eſſentia communicetur Filio. Probatur antecedens: ex eo, quod Pater priùs origine ſpiret Spiritum Sanctum, quam Filius, non ſequitur, quod Filius ſit poſteriùs origine in ſpirando: ergo ſimiliter.

158 *Reſpond.* 1. Reſpondeo primò negando vltimum antecedens: nam ea prioritate, qua Pater priùs ſpirat, Filius eſt poſterior in ſpirando, vt omnibus claret. Vndè cum Pater priùs origine, quã Filius, ſpiret, quia habet à ſe ſpirationem activam, & Filius ſpiret poſteriùs, quia non a ſe, ſed à Patre habet talem ſpirationem, hac prioritate ſemper Pater eſt prior, & hac poſterioritate eſt Filius ſemper poſterior.

159 *NOTA.* Cæterum, vt hoc meliùs percipiatur, notandum eſt: quod duplex eſt ordo originis. Vnus ſimpliciter, & alius ſecundum quid. Ordo ſimpliciter verſatur ſolum inter producens, & productum, quia producens eſt priùs ſecundum virtutem abſolutam, qua producit, & ſecundum ipſam productionem, vt cum Scoto diximus *num.* 151. & hoc, ſivè producens habeat à ſe talem virtutem, ſivè à ſe non habeat, petitq; talis ordo diſtinctionem realem extremorũ.

160 Ordo ſecundumquid non verſatur inter producens, & productum, ſed inter res, quarum vna pertinet ad producens, & altera ad productum. Dicitur ſecundumquid, quia non convenit rebus ratione ſui, ſed ratione producentis, & producti. Hic autem ordo non requirit diſtinctionem realem inter ea, quæ datur, ſed ſufficit, quod extrema, quæ per ſe, & immediatè referuntur, realiter diſtinguantur. Hoc modo eſt prior illa res, quæ in producente eſt à ſe, & in producto eſt à producente.

161 Ex his habetur, quod Pater eſt prior prioritate ſimpliciter originis Filio ob dicta *num.* 159. quia Pater eſt prudens, & Filius productus. Habetur etiam, quod Pater, vt ſpirator, eſt tantum prior Filio prioritate originis ſecundumquid, quia ſpiratio in Patre eſt à ſe, & in Filio à Patre. Ex quo poteſt diſtingui vltimum antecedens argumenti, & erit ſecunda reſponſio. *Reſpond.* 2.

§. IV.

Varia solvuntur argumenta.

162 *Arguit.* 1. ARguitur primò: obiectum essentiale beatitudinis non est Deus, vt Vnus: ergo vt Trinus. Probatur antecedens: licet Deus, vt Vnus, seu essentia sola, sit ratio obiecti beatifici, non tamen est obiectum beans vt *quod*: ergo obiectum essentiale beatitudinis non est Deus, vt Vnus. Probatur antecedens: obiectum *quod* terminans visionem est suppositum: ergo licèt Deus, vt Vnus, seu essentia sola, sit ratio obiecti beatifici, non tamen est obiectum beans vt *quod*. Probatur antecedens: actiones sunt suppositorum ex Philosopho 1. *Methaphisicæ*: ergo obiectum *quod* terminans visionem est suppositum.

163 *Respona.* 1. Respondeo primo negando vltimum antecedens; quia Philosophus solum dixit: Actiones versari in singularibus, seu circa singularia, quatenus nihil, nisi in singulari produci potest, de quo latè, & ex professo agemus *Tom. de Quæstionibus Selectis, quæst.* 24. Vbi quomodo actiones sint suppositorum, investigabimus. Pro nunc autem distinguo antecedens primo: actiones sunt suppositorum denominativè, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens, quia sic sunt singularium. Secundò: actiones productivæ, ommitto antecedens; intentionales, nego antecedens; nam istæ etiam circa vniversalia versantur, vt fatentur omnes. Tertio negando antecedens, ad probationem nego etiam antecedens, ad cuius probationem, ommitto antecedens, & nego consequentiam; nam in casu quæstionis Deus esset suppositum absquè personis, vt concedunt contrarij, & dictum manet *num.* 36. & 37. Imo Essentiam Divinam esse sine personis obiectum *quod*, dixi *num. cit.*

Secundò.

Tertiò.

164 *Arguit.* 2. Arguitur secundò: de facto Divinæ relationes pertinent ad obiectū essentiale beatitudinis; ergo Deus sine relationibus visus nòn bearet. Probatur antecedens: Scriptura, & Eugenius IV. in Decreto de Vnione Latinorum cum Græcis assignat integrum obiectum beatitudinis esse Deum Trinum, & Vnum; sed solum assignat obiectum essentiale: ergo de facto Divinæ relationes pertinent ad obiectū essentiale beatitudinis. Probatur minor: si assignare voluisset obiectum etiam secundarium, non solum assignaret Deum Vnum, & Trinum, sed etiam creaturas, quæ pertinent quoque ad obiectum secundarium: ergo Eugenius *citat.* solum assignat obiectum essentiale.

165 *Rspondeo.* Respondeo primò: Eugenium *citat.* affirmare: Animabus Purgatorij prodesse suffragia vivorum, & animas statim, ac à pœnis liberantur, in Cœlum recipi, & Deum intueri, contra Hæreticos tenentes: hoc non fieri vsque in diem Iudicij. Cœterum an Deus, vt Vnus, vel vt Trinus, sit obiectum essentiale beatitudinis, nec quærit, nec determinat. Ex quo ad argumentum, nego antecedens, & maiorem probationis. Deindè retorqueo fortiter argumentum: non minùs dicitur in Scriptura: Deum Vnū, & Trinum esse primum principium, ac esse vltimum finem; sed non est sic principium, quod Trinitate deficiente, non staret primum principiū: ergo non sic est vltimus finis, sicut nec primum principium. *Retorqueo.*

166 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: stat, quod Essentia Divina sit obiectum motivum beatitudinis, & quod simul cum personis sit obiectum terminativum: ergo relationes pertinent ad essentiale obiectum beatitudinis. Probatur antecedens: stat, quod præmissæ sint obiectum motivum assensus evidentis, & quod simul cum conclusione sit obiectum terminativum illius assensus: ergo stat, quod Essentia Divina sit obiectum motivum beatitudinis, & quod simul cum personis sit obiectum terminativum. Antecedens est certum, quia non datur assensus evidens sine conclusione; nam præmissæ non cognoscuntur evidenter sine conclusione.

167 *Respond.* 1. Respondeo primò negando antecedens, ad probationem ommitto antecedens, & nego consequentiam ob duplicem disparitatem. Prima est: quia ille assensus est necessarius, & sic etiam conclusio intrat in ratione obiecti terminativi; at cognitio erga Deum est circa prędicata, a Deo liberè ostensa; quare ostendere poterit essentiam, quin ostendat relationes. Secunda est: quod syllogismus constat partibus integraliter constituentibus, quare vnum sine alio nequit esse;

cœ-

cæterum relationes non ſunt partes integraliter conſtituentes Eſſentiam Divinam; quare vnum poteſt videri, quin videatur aliud; vt diximus *numer.* 134. Ex quo retorque.

168 *Reſpond.* 2. Reſpondeo ſecundo negando antecedens, ad probationem nego etiã antecedens; nam in ſyllogiſmo datur triplex aſſenſus. Vnus circa maiorem. Alius circà minorem, & alius circa concluſionem. Aſſenſus circa concluſionẽ habet prò obiecto motivo, & terminativo ipſam concluſionem, & quando concluſio non eſſet obiectum motivum reſpectu aſſenſus concluſionis, eſſet tamen terminativum, cuius ratio eſt: ſtat, quod præmiſſæ ſint obiectum motivum, & ſola concluſio ſit obiectum terminativum: ergo, &c. Probatur antecedens: ſtat, quod vnio hypoſtatica efficiatur à tribus, & quod tantum à Verbo terminetur: ergo ſtat, quod præmiſſæ ſint obiectum motivum, & ſola concluſio ſit obiectum terminativum. Hæc ſit contra argumentum retorſio. Ad probationem imbibitã nego ipſam, quia quando ex præmiſſis deducitur aſſenſus evidens, etiam præmiſſæ ſunt evidentes; aliquin non eſſet evidens aſſenſus deductus, & ſic quælibet terminat eſſenſum proprium.

169 *Arguit.* 4. Arguitur qurtò: eſſentia Divina, vt in tribus perſonis, eſt obiectũ beatificum: ergo Deus tantum, vt Vnus, non eſt tale obiectum. Probatur antecedens: viſio beata dependet efficienter ab Eſſentia Divina, vt ab obiecto beatifico; ſed non poteſt dependere ab illa, niſi vt in tribus perſonis: ergo Eſſentia Divina, vt in tribus perſonis, eſt obiectum beatificum. Probatur minor: omnes tres perſonæ indiviſibiliter concurrunt ad viſionem beatam: ergo viſio beata non poteſt efficienter dependere ab Eſſentia Divina, niſi vt tribus perſonis.

170 *Reſpond.* 1. Reſpondeo primò negando antecedens, ad probationem diſtinguo maiorem: viſio beata dependet efficienter ab Eſſentia Divina, vt ab obiecto beatifico motivo, concedo maiorem; terminativo, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Eſſentia itaquè Divina eſt obiectum motivum, ſimul, & terminativum viſionis beatæ. Vt obiectum motivum concurrit efficienter ad illam; cæterum vt obiectum terminativum ſolum terminat tendentiam vitalem, quare non efficienter, ſed tanquam cauſa formalis extrinſeca, vel materialis circa quam, concurrit, ex dictis *diſp.* 1. *num.* 2.

171 Ex hoc patet doctrina ad diſtinctionem minoris: nam licèt Eſſentia Divina, vt in tribus, mobeat ad viſionem; non tamen terminat, vt in tribus, quia licèt tres perſonæ concurrant efficienter ad viſionem; non tamen eſt neceſſarium, quod ómnes tres terminent, quia terminare, non eſt efficere, & ſola efficientia rerum ad extra eſt Trinitati communis.

172 Hinc claret, quomodo ſit diſtinguenda vltima probatio, ſcilicèt, omnes tres perſonæ indiviſibiliter concurrunt ad viſionem beatam motivè, vel effectivè, concedo; terminativè, formaliter extrinſicè, vel materialiter, nego. Tota hæc doctrina apparet in vnione hypoſtatica, quam efficit tota Trinitas; non tamen tota Trinitas terminat illam, ſed ſola Verbi perſonalitas; ex quo fiat contra argumentum retorſio. *Retorque.*

173 *Reſpond.* 2. Reſpondeo ſecundò aliter diſtinguendo maiorem: viſio beata dependet efficienter ab Eſſentia Divina, vt ab obiecto beatifico liberè movente, concedo maiorem; movente neceſſariò, nego maiorem; diſtinguo minorem: ſi dependeret ab illa, vt obiecto movente neceſſariò, ommitto minorem; liberè movente, nego minorem, & conſequentiam. Ex hac reſponſione retorqueo argumentũ: Eſſentia Divina liberè movet ad viſionem beatam: ergo pro nutu ſuæ voluntatis poterit movere ad viſionem ſuæ eſſentiæ ſine perſonis, niſi aliundè repugnet: ergo ex hoc, quod moveat, non repugnat: ergo argumentum potiùs eſt pro nobis. *Retorqueo.*

174 *Reſpond.* 3. Reſpondeo tertiò retorquendo argumentum: viſio beata non aliter dependet ab eſſentia, vt in tribus, ratione obiecti, ac ab illa dependet, vt in tribus, ratione primi principij; ſed ſi per impoſsibile eſſentia non eſſet in tribus, adhuc eſſet primum principium eſſentialiter: ergo ſimiliter: etſi per impoſsibile non eſſet in tribus, adhuc eſſet obiectum beatificũ. Ex quo reſpondeo quarto diſtinguendo vltimum antecedens: om- *Quartò.*

nes

nes tres Divinæ personæ indivisibiliter concurrunt ad visionem beatam, de facto concedo antecedens; data hypothesi, nego suppositum; quia tunc non essent personæ, & adhuc essentia sola efficeret visionem.

175 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: Deus è natura sua est Trinus: ergo in eius diffinitione quidditativa, si posset diffiniri, intrinsicè includetentur tres personæ Divinæ: ergo personæ Divinæ pertinent ad essentiale obiectum beatitudinis. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: Deus è natura sua est Trinus, ita, quod ly *è natura sua* dicat proprietatem, ideſt, quod esse Trinum sit proprium Dei, concedo antecedens; ita, vt dicat Trinitatem in esse quidditativo, seu primo modo, nego antecedens, & consequentiam. Essentia enim est absoluta; persona verò relativa.

176 *Secundò.* Respondeo secundò concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam homo ex natura sua est risibilis, & non includitur in eius diffinitione. Item: Deus ex natura sua est Omnipotens, æternus, &c. & nec Omnipotentia, nec æternitas, &c. includuntur in eius diffinitione, etiã si diffiniretur. Deindè: Verbum Divinum ex natura sua spirat, & spiratio non includitur essentialitèr in Verbo, vt Verbo. Denique: quæcũque res ex natura sua habet proprietates, & tamen proprietates non includuntur in diffinitione illius. Istæ sunt contra argumentũ retorsiones.

177 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: si essentia Divina posset intuitivè videri sine personis, posset etiam adorari sine illis; sed hoc est falsum: ergo essentia visa sine personis non beatificaret; visio enim beata debet esse intuitiva. *Respond. 1.* Respondeo negando minorem: nam Essentia Divina, præcisis personis, est essentialitèr subsistens in ratione entis suprèmi, & consequentèr sufficiens obiectum *quo*, & *quod* adorationis. Nota tamen ex Scoto *in 1. dist. 1. quæst. 2. §. Ad vltimum pro opinione*, quod licèt vna sit Essentiæ, & Trium personarum adoratio habitualis, quia eius motivum est Deitas, quæ est vna in tribus; non tamen necessariò debet esse vna actualis, quia potest essentia sine personis terminare adorationem ob rationem datam. Hic possunt applicari dicta *n. 170. vsq; ad 174.*

178 *Arguit. 7.* Arguit septimò: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci; sed Essentia Divina est in tribus: ergo cognoscitur in tribus. *Respond. 1.* Respondeo primò: hoc argumentum, si quid probat, probare solum, Essentiam Divinam non posse videri sine personis; non verò, quod sic visa non sit obiectum beatificum, de quo tantum est quæstio. *Secundò.* Secundò: probare contra quamcumque cognitionem præcisivam; nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; sed homo est cum risibilitate: ergo cognoscitur cum illa. Vndè ommitto totum, & nego, non posse cognosci, nisi vt in tribus.

179 *Tertiò.* Respondeo tertiò distinguendo maiorem: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci proportionalitèr, concedo maiorem; non proportionalitèr, nego maiorem; distinguo minorem: Essentia Divina est in tribus, ita, quod Trinitas sit proprium Dei, concedo minorem; ita, quod sit de quidditate Dei, nego minorem; & distinguo consequens: ergo cognoscitur in tribus proprietalitèr, concedo consequentiam; quidditativè, nego consequentiam. Declaratur solutio. Cum namquè Essentia Divina habeat esse essentiale, & notionale, absolutum, & relativum, quidditativum, & qualitativum, ita se habet ad cognosci. Vndè cognitio essentiæ absquè personis erit cognitio rei, sicut se habet ad esse essentiale, absolutum, & quidditativum; cognitio essentiæ cum personis erit cognitio essentiæ, sicut se habet ad esse essentiale, & notionale, absolutum, & relativum, &c.

180 *Quartò retorquendo.* Respondeo quartò retorquendo argumentum: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci: ergo ens naturale solum potest naturalitèr cognosci: ergo ens materiale solum à potentia materiali: ergo ens increatum solum cognitione increata. Quæ consequentiæ omnes sunt falsæ, similitèr antecedens. Deindè retorqueo efficatius: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci: ergo ita ad efficere; atqui Essentia Divina est in tribus: ergo efficit in tribus: ergo ita efficit in illis, vt si non esset Trinitas, non ageret ad extra? Mala consequentia, sic similitèr contra nos deducta.

181 *Arguit. 8.* Arguitur octavo: intelligibilitas, quam habet vnaquæque res ad mo-

ven-

vendum intellectum ad intellectionem sui, fundatur in tota entitate rei: ergo pariter, ad terminandam talem intellectionem. Respondeo primò: argumentum probare, nullam rem posse cognosci sine passionibus. Respondeo secundò distinguendo antecedens: intelligibilitas, quam habet res ad movendum intellectum ad intellectionem sui quidditativè, & qualitativè considerati, fundatur in tota entitate rei, concedo antecedens; quidditativè solum, nego antecedens, & consequentiam. Quippè intelligibilitas est duplex. Vna est passio quidditatis. Altera est passio proprietatis. Prima fundatur in tota quidditativa entitate. Secunda hanc supponit, & fundatur in entitate qualificativa. Ex quo patet solutio.

Duplex solutio.

182 *Arguit. 9.*

Arguitur nono: sicut se habet vtile ad vtententē, ita fruibile ad fruentem; sed vtens non potest vti vtibili abstracto à supposito: ergo nec fruens: ergo fruens essentia sine personis non erit beatus. Respondeo primò negando maiorem: quia vti est actio transiens, seu potentiæ extrinsicæ ad extra agentis, quæ saltim necessariò versatur circà singulare; at frui est operatio intentionalis, quæ versari potest circà vniversale, sicut cognoscere. Et licèt hæc sit ad argumentum sufficiens disparitas. Respondeo secundò ommittendo maiorem, & negando minorem: quia licèt vtens nequeat vti re abstracta à singularitate; potest tamen vti re abstracta à suppositalitate, vt claret ex dictis *numer.* 163. nec argumentum alia indiget solutione.

Respond. 1.

Secundò.

183 *Arguit. 10.*

Arguitur decimò: ad plus Dei, tanquam obiectum, se extendit supernaturalis beatitudo, quam naturalis; sed Deus, vt Vnus, est obiectum naturalis beatitudinis: ergo Deus, vt Trinus, erit obiectum beatitudinis supernaturalis. Respondeo distinguendo maiorem: ad plus Dei, ideſt, ad plura Dei prædicata, tanquā obiectum, se extendit supernaturalis beatitudo, quam naturalis, nego maiorem; ad plus Dei, excellentiori modo considerati, concedo maiorem; distinguo minorem: Deus, vt vnus, & vt Author naturalis, est obiectum naturalis beatitudinis, concedo minorem; vt Author supernaturalis, nego minorem, & consequentiam. Vndè naturalis, & supernaturalis beatitudo non distinguntur ex parte obiecti, sed ex modo respiciendi idem obiectum.

Respondeo.

184 *Arguit. deniquè.*

Arguitur deniquè: mens est imago Trinitatis: ergo nequit quietari, nisi in Trinitate: ergo nec beatificari, nisi ratione Dei, vt Trini. Sic arguit Scotus ex Henrico, & ad illud de Imagine ait Doctor: *Quære solutionem.* Ad hoc argumentum respondent primo Marginista, Tataretus, & Sossa: Argumentum procedere de potentia ordinaria; non verò de potentia Dei absoluta; vndè toto concessio, vel vtrumque consequens distinguendo, nihil contra nostram conclusionem. Secundò respondet Tataretus, concessio antecedenti, distinguendo primum consequens: non potest quietari, nisi in Trinitate realitèr, concedo; nisi in Trinitate, ideſt, in tribus personis, nego. Dupliciter enim potest intelligi *in Trinitate.* Primò: ideſt, in re, quæ est Trinitas, & sic est verum, quia quietatur in Essentia Divina, quæ realitèr est Trinitas. Secundò *in Trinitate*, ideſt, in tribus personis, & sic est falsum, quia facta suppositione, quod essentia tantum possideretur, beatificè quietatur possidens illam, quin possidens personas quietetur alia quietatione beatifica essentiali, sed eadem, & distincta solum modalitèr. Quod consonat cum dictis *à numer.* 110. *vsque ad* 120.

1. solutio.

Secunda.

Nec obest, quod dicat Scotus: *Quære solutionem*; ait namquè, quære solutionem *in quæstione antecedent. §. Alij contra istam opinionem*, vbi idē argumentum ex D. Bonaventura ponit contra Avicenam dicentem: Non Deum, sed intelligentiam, esse obiectum beatificum. Contra quam opinionem sic arguit D. Bonaventura *in* 1. *distinct.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 3. ex D. Augustin. 14. *de Trinit. cap.* 8. *Anima est imago Dei: ergo est capax eius, & sic per nihil, quam per Deum, faciatur.* Et Scotus ait: hanc rationem naturalitèr non concludere: Deum esse obiectum beatificum, quia ratio Imaginis, quam habet anima ad Deum, fundatur in respectu ad Deum, vt Trinum, ideòque non cognoscitur naturalitèr. Vndè præmissa assumpta de Imagine est tantum credita; non

verò naturali ratione cognita, & sic hæc ratio non probat contra Philophos naturales.

NOTA. Ex hac Scoti replica deducitur tertia, & verior solutio pro argumento facto ex Henrico contra nostra conclusionem, pro qua noto primo cum Scoto *quodlib.* 14. quod Imago duo dicit. Vnum de formali, & aliud de materiali. De formali est respectus. De materiali est absolutum animæ, vel Angeli, in quo fundatur respectus ad Trinitatem. *Secundò.* Secundo: quod etiam Trinitas, cuius imago est anima, dupliciter consideratur. Primò formaliter, vt terminus prædictæ Imaginis, quomodo est ipsa Trinitas. Secundò materialiter, vt fundans terminationem, & hoc modo est Deus. His itaquè notatis.

3. & verior solutio. Respondeo tertio ad argumentum suprà positum distinguendo antecedens: mens est Imago Trinitatis, formaliter, & materialiter, concedo antecedens; formaliter præcisè, vel præcisè materialiter, nego antecedens; & distinguo primū consequens: non potest quietari, nisi in Trinitate, vt Imago formaliter, concedo consequentiam; vt Imago materialiter, nego consequentiam, ex quo nihil contra nos; nam in casu disputationis anima non beatur, vt Imago formaliter, sed tantum materialiter, seu absolutum illud, quod nunc est Imago, per quod patet distinctio ad secundum consequens. Quod autem in quietatione animæ possit separari esse Imaginem formaliter Trinitatis, & beatificè quietari, ostenditur primò: nam si Deus reliquisset animam in puris naturalibus, quietaretur beatitudine naturali; sed tunc non quietaretur in Trinitate, nec vt Imago formalis Trinitatis: ergo animam esse Imaginem formaliter Trinitatis, & beatificè quietari, separari possunt. *Firmatur solutio.* Secundo: si Deus non esset Trinus, adhuc posset creare animam in absolutis, vt nunc est; atqui tunc non esset anima Imago Trinitatis formaliter, vt de se patet: ergo idem quod prius.

o)§(o

*** *** ***

§. XV.

Resolvitur disputatio de Essentia respectivè ad attributa.

185 *2. Conclus.*

REsoluta iam disputatione de Essentia Divina comparativè ad personas, resolvenda venit respectivè ad attributa. Sit ergo secunda conclusio: *Essentia Divina ab attributis præcissa, est essentiale obiectum beatitudinis.* Est contra Thomistas, & expræsè contra Ill. Godoy, quatenus hic, *num.* 5. asserit: si relationes super addant ad essentiam relativas perfectiones, visio essentiæ sine personis, non esset ad beatificandū sufficiens. Ex Scotistis est contra Ill. Merinerum *tom.* 2. *disput.* 2. *de beatitudine, quæst.* 2. *sect.* 2. *num.* 31.

186 *Probat. 1. ex Scoto.* Probatur primò ex Scoto *in primo dist.* 13. §. *Ad quæst. respond. ℣. ad aliud de potentijs, dico, num.* 23. dicente: *Nulla perfectio, quasi radicata in ipsa Essentia Divina est primo beatificativa intellectus, vel voluntatis Divinæ, sed ipsa Essentia Divina sub omnimoda prima ratione, vt, scilicèt, est fundamentum omnis perfectionis in Divinis*: ergo Essentia Divina ab attributis præcissa, est essentiale obiectum beatitudinis. Si hunc Scoti locum vidisset Merinerus, nec dubitaverit: hanc esse clarissimam Scoti sententiam, nec oppositum defenderet. Contra Ill. God. & alios Thomistas probatur secundo ex D. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 8. *in responsione ad* 4. dicente: *Si solus Deus videretur, qui est fons totius esse, & veritatis, ita repleretur naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quæreretur, & videns Deum esse beatus*; atqui Deus, ab attributis præcissus, est solus Deus, qui est fons totius esse, & veritatis: ergo Essentia Divina ab attributis præcissa, est essentiale obiectum beatitudinis. Solutiones, quas ad hunc D. Thomæ textum adducere valet Ill. God. & adducere possunt Thomistæ, impugnatæ manent *n.* 63. *Secundò ex D. Thom.*

187 *Tertiò ratione.* Probatur tertiò: obiectum essentiale beatitudinis est summum bonū; sed Essentia Divina, ab attributis præcissa, est summum bonum, vtpotè formaliter infinita in linea essentiæ, & radicaliter in omni linea ex Scoto *quodlib.* 5. §. *Circa* 3. *artic. ℣. Respondeo*, & Damasceno *lib.* 1. *cap.* 4. ergo Essentia Divina, ab attributis præcissa,

est

est essentiale obiectum beatitudinis.

188 *Respondet Merinerus*

Respondet Merinerus *numer.* 33. Essentiam Divinam esse pellagus, & radicem, solum concludere, naturam Divinam esse attributis priorem, non prioritate *in quo*, sed *à quo*, quod non obest, vt simul cum attributis sit essentiale obiectum beatitudinis. Hæc solutio, quam ex Ill. Godoy adduximus *num.* 44. reijcitur, vt reiecta manet per dicta *à num.* 45. *vsque ad numer.* 48. servata proportione de essentia comparativè ad attributa.

Reijcitur.

189 *Probat. 4. conclusio.*

Probatur quartò: illud est obiectum beatificum essentiale, quod satiat essentialitèr appetitum beati; sed summum bonum satiat essentialitèr talem appetitum: ergo summum bonum est obiectum beatificum, essentiale. Atqui hoc est Essentia Divina, ab attributis præcissa ex *num.* 187. & *ex dictis §.* 11. *per totum*: ergo Essentia Divina, ab attributis præcissa, est essentiale obiectū beatitudinis. Quæcumque solutio ad hanc rationem impugnatur per dicta *num.* 64. *&* 65. ex quibus altera pro nostra conclusione formari potest probatio.

190 *Quintò.*

Probatur quintò: Deus est nostra obiectiva beatitudo: ergo secundum illas perfectiones erit beatitudo essentialis, secundum quas essentialitèr est Deus. Atqui est essentialitèr Deus absque attributis: ergo Essentia Divina, ab attributis præcissa, est essentiale obiectum beatitudinis. Vndè sicut attributa se habent ad constitutionem Dei, ita ad rationem obiecti beatifici. Aliam probationem, & fortè efficacem, ad hominem contra Ill. God. posuimus *n.* 95. quæ formari potest, mutatis terminis relationum in attributa, & aliam assignabimus *num.* 216. Vbi videndam relinquo.

191 *Arguit. 1.*

Arguitur primò ex Ill. Godoy *num.* 5. mutatis terminis relationum in attributa: visio beatifica eatenus beat, quatenus est visio omnis boni simpliciter talis; sed visio essentiæ non attingens attributa non est visio omnis boni simpliciter talis: ergo non est beatificativa simpliciter. Cōsequentia tenet. Maior certa videtur; quia non visso omni bono infinito simpliciter tali, meritò inquietus manet hominis appetitus, & consequentèr non perfectè beatus. Probatur minor: talis visio non esset visio attributorum secundum proprios conceptus, quibus formaliter differunt ab essentia; sed secundum hos conceptus dicunt bonitatem infinitam simpliciter talem: ergo visio essentiæ non attingens attributa non est visio omnis boni simpliciter talis.

192 *Rspond. 1.*

Respondeo primò negando minorem, ad cuius probationem distinguo minorem: dicunt bonitatem infinitam secundariam, extensivam, &c. concedo minorem; primariam, essentialem, &c. nego minorem, & consequentiam. Respondeo secundò aliter distinguendo minorem: bonitatem radicaliter contentam in essentia, concedo minorem; non sic contentam, nego minorem, & consequentiam. Vndè cum Divina Essentia, præcisis attributis, sit summum bonum, pellagus, & radix omnis bonitatis, ipsa sola est essentiale obiectum.

Secundò.

193 *Retorq. 1.*

Ex hoc retorqueo argumentum primò: in visione essentiæ sine possibilibus, quem in opinione Ill. God. & Thomistarum, dicunt saltem propriam veritatem. Secundò: in visione essentiæ sine futuris, quæ in eorum opinione dicunt propriam bonitatem. Tertiò: in visione essentiæ cum intensione graduali vt duo tantum respectu visionis eiusdem vt quatuor.

Secundò.

Tertiò.

194 *Replicat Ill. God. 1.*

Ill. Godoy impugnat dupliciter secundam responsionem. Primò sic *num.* 6. Essentia Divina, ab attributis præcissa, non est infinita simpliciter in omni genere entis, sed solum in genere essentiæ, prout ab attributali distincto: ergo visio illius in hac precisione, non est visio omnis boni simpliciter talis, sed solum boni infiniti in tali genere, nempè essentiæ. Secundò sic *num.* 7. visio vnius attributi non attingens essentiam non esset beata; sed talis visio esset boni in propria linea infiniti formaliter, & in alijs identicè: ergo paritèr: visio essentiæ non attingens attributa, non erit beata absolutè, & simpliciter, quamvis sit visio boni in propria linea infiniti formaliter, & in alijs identicè.

Secundò.

195 *Respondeo ad 1.*

Respondeo ad primam negando antecedens: nam Essentia Divina, præcissa ab attributis, est infinitum pellagus, & radix omnis perfectionis, seu vt loquitur D. Thomas *citat. numer.* 186. est fons totius esse, & verita-

tis:

tis: ergo est infinita simpliciter in omni genere. Ad secundam concedo totum; quia nos non asserimus: Essentiam Divinam esse simpliciter infinitam in omni genere, quia identificatur cum omni perfectione simpliciter; sed quia radicaliter continet omnem talem perfectionem.

Ad 2.

196 Replicat Ill. Godoy contra hanc solutionem. Primo: sicut essentia continet radicaliter attributa, ita attributum continet per identitatem essentiam; atqui visio attributi, per identitatem continentis essentiam, illam non attingens, non esset beata: ergo nec visio essentiæ continentis radicaliter attributa, erit beata, nisi illa attingat. Sic *numer. 9.*

Replicat 1. Ill. Godoy.

Secundò. Secundo: ideò visio primæ causæ, continentis eminentèr creaturas, est beata, etsi ad illas in se ipsis non terminetur, quia creaturæ sunt bona imperfecta, quæ ad Deum comparata non sunt digna bona nũcupari; sed attributa sunt perfectiones infinitæ simpliciter tales, non solum in se, sed etiam compara ad essentiam: Ergo illis in se non cognitis, non stat beatitudo, etsi cognoscantur, prout radicaliter contenta in essentia. Sic *num.* 10.

197 Respondeo ad primam negando consequentiam. Disparitas est: nam continentia per identitatem non est continentia perfectionis rei identificatæ; at continentia radicalis est continentia perfectionis omnium radicatorum, quarè prima non sufficit ad obiectum beatitudinis, quod debet in se continere omne bonum; benè verò secunda, quia continet.

Respondeo ad 1.

198 Deindè retorqueo contra Ill. Godoy, exemplo ab ipso tradito, & ab ipso non soluto: visio causæ, non attingens effectus, beatificare valet, quia causa continet eminentèr effectus; visio tamen effectus beatificare non valet, quia effectus in se non continet eminentèr perfectionem causæ: ergo continentia eminentialis conducit ad beatificandum, & omninò ad hoc defectuosa est talis non continentia. Atqui continentia per identitatem non est continentia eminentialis: ergo inter has continentias magna est disparitas in ordine ad beatificandum.

Retorqueo.

199 Dices pro Ill. Godoy: ideò per nos essentia ab attributis præcisa, est essentiale obiectum beatificum, quia est summum bonum, vtpotè, continens radicaliter omnem bonitatem; sed quodlibet attributum, continens per identitatem omnem bonitatem, est summum bonum: ergo quodlibet attributum est summum bonum. Respondeo distinguendo maiorem: ideò per nos essentia, ab attributis præcisa, est essentiale obiectum beatificum, quia est summum bonum essentialiter, concedo maiorem; identicè, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam, vel similiter distinguo illam. Itaquè esse obiectum beatitudinis nihil aliud est, quam esse idem cum obiecto essentiali beatitudinis, quomodo quodlibet attributum est tale obiectum; cæterum hoc non sufficit ad esse essentiale obiectum, vt fatetur Ill. Godoy in replica ab ipso facta, & à nobis tradita *num.* 196. Requiritur ergo ad essentiale obiectum, esse essentialiter omne bonum, quod habet essentia ab attributis distincta ex *num.* 187.

Dices pro Ill. Godoy.

Respondeo.

200 Ad secundam replicam, quam vocat Ill. Godoy à priori, nego maiorem; quia ratio, cur visio primæ causæ sine visione creaturarum est beata, est, quia creaturæ sunt bona secundaria, & contenta eminentialiter in prima causa, ex qua ratione infinitiès contra Thomistas retorsionem feci. Nota tamen, quod si ad argumentum Ill. Godoy positum *numer.* 191. respondeamus prima responsione posita *num.* 192. cessant assignatæ replicæ.

Ad 2.

201 Arguitur secundò ex eodem *numer.* 12. si Essentiæ Divinæ posset cõvenire Sapientia, v.g. prout in se ipsa, & de facto non conveniret, Essentia Divina esset privativè imperfecta, etiam si radicaliter haberet illam; sed visa Essentia Divina potest videri in illa Sapientia secundum suum esse formale distinctum ab essentia: ergo si non videatur, essentia erit obiectũ privativè imperfectum: ergo insufficiens ad obiectivè beatificandum.

Arguit. 2. Ill. Godoy.

202 Respondeo primò distinguendo maiorem: si Essentiæ Divinæ posset, & deberet convenire, concedo maiorem; si posset tantum, nego maiorẽ. Distinguo minorem: visa Essentia Divina potest, & debet videri in illa Sapientia secundum suum esse for-

Respond. 1.

male distinctum ab essentia, nego minorem; potest tantum, concedo minorem, & nego vtrumque consequens. Solutio claret ex diffinitione privationis, quæ est carentia formæ debitæ subiecto. Et licèt hac solutione ruit omninò argumentum. *Secundò.* Respondeo secundò concessis præmissis, negando consequentiam. Disparitas est: nam radicalis continentia Sapientiæ non sufficit ad constituendam Essentiam Divinam sapientem modo, quo ipsa Sapientia potest constituere; Sapientia namque constituit formaliter, quod facere nequit radicalis continentia; at prædicta continentia sufficit ad constituendam essentiam, obiectum essentiale beatitudinis, cum ad hoc sufficiat esse radicaliter sapiens.

203 *Dices.* Dices: continentia radicalis non sufficit ad constituendam essentiam, obiectum beatitudinis, modo, quo ipsa Sapientia constituit: ergo continentia radicalis non tollit, quod vissa essentia sine Sapientia sit obiectum privativè imperfectum. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: continentia radicalis non tollit, quod vissa essentia sine Sapientia, sit obiectum extensivè privativè imperfectum, ommitto consequens; essentialiter, nego consequentiam; nam ad esse obiectū essentialiter, sufficit continentia radicalis; ad esse verò obiectum extensivè, requiruntur attributa.

204 *Retorqueo argum. & replicam.* Deniquè retorqueo argumentum: vissa Essentia Divina possunt videri in illa posibilia secundum suum esse formale distinctum ab essentia: ergo si non videantur, essentia erit obiectum privativè imperfectum. Retorqueo etiam replicam: continentia radicalis, vel eminentialis posibiliū non sufficit ad constituendam essentiam, obiectum beatitudinis modo, quo ipsa posibilia constituunt: ergo pariter. Respondeat Ill. Godoy.

205 *Arguit. 3. Ill. Merinerus.* Arguitur tertiò ex Merinero *numer.* 32. attributa sunt perfectiones infinitæ, spectantes ad integram, & completam perfectionem essentialem Dei: ergo, & ad integrum, & completum obiectum beatificum. Miror certè, & me pœnitet, Doctorem istum hoc tam falsum, & Scoto aversum, assumere fundamentum: nam attributa non spectare ad perfectionem essentialem Dei, docuit Scotus infinitis in locis; immò, & ipse Merinerus *citat.* fatetur, dum ait: Attributa ab essentia dimanare: ergo supponunt illam essentialiter constitutā. Vndè etsi video, non credo, Merinerum voluisse: attributa spectare ad essentialem Dei perfectionem, sed tantum intendere: pertinere ad integram, & complectam perfectionem phisicam Dei, vt videtur inferri ex instantia ab ipso adducta *num.* 35. pro confirmatione suæ doctrinæ; ibi enim ait: passiones cuiuscumque rei pertinere ad integram, & completam perfectionem illius, quod solum de phisica perfectione intelligi valet, supposita formali distinctione rei à passionibus, quæ vt Scotista Merinerus amplectitur.

Cœterum si hoc sit huius Doctoris intentum, nihil probat ad rem, vt claret ex dictis *num.* 26. ex quibus argumentum evidenter contra ipsum retorquetur. Vltrà quod ad hominem contra ipsum arguo: Personalitates Divinæ spectant ad integrā, & completam constitutionem phisicam Dei: ergo, & ad integrum, & completum obiectum beatificum, quod ipse negat. Quarè in quocumque sensu loquatur, & manet responsio ad argumentum, & contra ipsum retorsiones vrgent. 206 *Solutio, & retorsionio.*

Arguitur quartò: obiectum formaliter beatificum ideò est tale formaliter, quia est summè perfectum formaliter; sed Essentia Divina, præcisis attributis, non est formaliter summè perfecta, vt omnibus claret: ergo Essentia Divina, ab attributis præcisa, non est essentiale obiectum beatitudinis. 207 *Arguit. 4.* Respondeo distinguendo maiorem: obiectum formaliter beatificum ideò est tale formaliter, quia est summè perfectum, perfectione essentiali, & in primo esse, concedo maiorem; extensiva, & in secundo esse, nego maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam. *Respondeo.* Aliter distinguo: obiectum formaliter intensivum, & extensivum, concedo maiorem; intensivum tantum, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similiter consequens.

Arguitur quintò: si beatus videret essentiam sine attributis, non videret essentiam formaliter bonam, neque Sapientem, neque Iustam, &c. Quid ergo videret? Respondeo, quod 208 *Arguit. 5.* *Respondeo.*

vi-

videret Essentiam Divinam, quæ est entitas realis ex natura rei, seu aptè natura actu existens formalitèr, simplicitèr prima, & absoluta, habens esse completum, & consumatum per modum vltimi actus purissimi, omnem perfectionem simplicitèr fundamentalitèr tanquam in radice continens, vt dixi *num.* 4.

209 *Dices.* Dices: ergo ita videns essentiam, non videt essentiam bonam. *Respondeo primò* distinguendo consequens secundum: ergo videt essentiam non bonam præcisivè, concedo consequentiam; divisivè, nego consequentiam. Vide dicta *num.* 147. Videantur. Et respondeo secundò concedendo primam consequentiam, & negando secundam. Primò ob dicta *num. citat.* Secundò: quia à negatione visionis ad negationem obiecti non valet consequentia, vt claret in hac: non video Petrum sanctum: ergo video Petrum non sanctum, quia in prima propositione negatur de visione, quod terminetur ad Petrum, vt sanctum; in secunda verò negatur de Petro, quod sit sanctus. Sic similitèr in præsenti.

210 *Firmatur.* Idem exemplum est in hac propositione: non video hominem risibilem: ergo video hominem non risibilem. Item in hac: non video hominen album: ergo video hominem non album. Quæ omnes consequentiæ sunt falsæ ob rationem datam. Sic, & contra nos adducta; nam etsi negetur, quod visio terminetur ad essentiam, vt bonam, non ob hoc negatur bonitas de essentia. *Si dicas.* Si autem dicas: inter contradictoria non datur medium; sed non videre essentiam bonam, & videre essentiam non bonam sunt contradictoria: ergo ruit solutio. *Respondeo.* Respondeo negando minorem; quia non verificantur de eodē; nam prima propositio negat aliquid de visione, & secunda negat aliquid de essentia.

211 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: Deus est primum principium, sicut vltimus finis; sed per te non est primum principium formale, seu proximum, præcisis attributis: ergo Essentia Divina, ab attributis præcisa, non est essentiale obiectum beatitudinis. Probatur minor: Deus est primum principium per aliquam virtutem; sed hæc virtus est aliquod attributum: ergo Deus non est primum principium formale, seu proximum, præcisis attributis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo minorem: non est primum principium formale, seu proximum, præcisis attributis, concedo minorem; essentiale, seu radicale, nego minorem, cuius probationem similitèr distinguo.

212 *Dices.* Dices: Deus per nos est primum principium, sicut vltimus finis; sed per nos non est primum principium formale, seu proximum, præcisis attributis: ergo nec vltimus finis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: paritate quoad esse essentiale, seu radicale, concedo maiorem; paritate quoad esse formale, seu proximum, nego maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam. *Explicatur solutio.* Itaq; primum principium, & vltimus finis quoad esse essentiale optimè parificantur; at quoad esse formale, seu proximum, est disparitas: nam cum primum principium nequeat operari, nisi media virtute, sine hac nequit esse formale, & proximum; cæterum cum vltimus finis beatificet merè terminando, absquè virtute distincta est formalis, & proximus.

213 *Dices.* Dices: Deus est primum principium agendo, sicut vltimus finis beatificando; sed præcisis attributis non est primum principium agendo: ergo nec vltimus finis beatificando. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem, vt distinxi *num. anteced.* concedo minorem, & nego consequentiam, cuius ratio ibi posita, declaratur nunc: Certum enim est, quod producere, vel agere requirit virtutem, quæ cōstituat principium in esse formali, & proximo; ast terminare, non requirit talem virtutem, vt claret in quocumque terminante. Cum ergo esse primum principium sit ad agere, & esse vltimum finem ad terminare; non ita potest esse Deus primum principium in esse formali, seu proximo, ac est vltimus finis: ergo licèt præcisis attributis, non sit primum principium formale, & proximum; poterit, attributis præcisis, esse vltimum finem proximum, & formalem.

214 *Replicabis.* Dices, & est replica ad hominem contra à nobis dicta: intulimus suprà: Deum beatificare, etsi non essent personæ, quia Deus ageret, etsi personæ non essent; sed hoc non alia ratione, nisi quia Deus est primum princi-

pium, ſicut vltimus finis: ergo ob eandem rationem debemus nunc inferre: Deum non beatificare, ſi attributa non eſſent, quia Deus non ageret, ſi non eſſent attributa. Reſpondeo. Reſpondeo diſtinguendo minorem: paritate quoad eſſe eſſentiale, concedo minorem; quoad eſſe formale, ſubdiſtinguo: comparativè ad perſonas, concedo minorem; comparativè ad attributa, nego minorem, & conſequentiam.

215 *Arguit. 7.* Arguitur ſeptimò: præciſsis attributis, Deus non eſt ſummum bonum: ergo nec obiectum beatificum. Probatur antecedens: bonitas eſt attributum Dei: ergo præciſsis attributis, Deus non eſt ſummum bonũ. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò diſtinguendo antecedens: præciſsis attributis, Deus non eſt ſummum bonum formalitèr, concedo antecedens; radicalitèr, nego antecedens, & conſequentiam. *Secundò.* Secundò: quod quando aſſerimus: obiectum beatificum eſſe ſummum bonum, eſt idem ac dicere: eſſe ſummum ens, quod haberet Eſſentia Divina à bonitate præciſſa, ex dictis *num.* 208.

216 *Eſſentia Divina præciſſa à relationibus ſimul, & ab attributis, eſt eſſentiale obiectum beatitudinis.* Viſſo iam, Eſſentiam Divinam, præciſſam à relationibus, & ab attributus ſeorſim, eſſe eſſentiale obiectum beatitudinis, nunc probandum venit ad hominem contra Ill. God. Eſſentiam Divinam præciſſam à relationibus, ſimulque ab attributis, eſſe tale obiectum.

Probat. ad hom. contra Ill. Godoy. Hoc igitur probatur: quod Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, ſit obiectum motivũ Divini intellectus, non infert, Eſſentiam Divinam ſimul cum attributis, & relationibus movere: ergo quod Eſſentia Divina, prout eſt in ſe, terminet viſionem beatificam, non infert, Eſſentiam Divinam ſimul cum attributis, & relationibus terminare. Antecedens eſt Ill. God. *tom.* 1. *in* 1. *part. diſput.* 25. *num.* 72. Conſequentia eſt paritate notoria, eamque negare, vt negat Ill. Godoy, eſt inconſequentèr procedere, vt contra ipſum probavimus *tom.* 1. *in* 1. *ſent. diſput.* 25. *à num.* 62. *vſquè ad* 67. Diſcrimen ab Ill. Godoy adductum impugnavimus *ibi num.* 68. Videantur ibi, & quæ diximus *in præf. n.* 95.

quia fortè efficatia apparebunt.

o)§(o

§. XVI.

Reſolvitur difficultas de Eſſentia reſpectivè ad modos intrinſecos.

217 *3. Cõcluſio.* TErtia concluſio: *Eſſentia Divina, præciſſa à modis intrinſecis, eſt eſſentiale obiectum beatitudinis.* Hæc concluſio nec ab Scoto traditur, nec ab vllo Scotiſta expræſsè docetur; cæterum eſt conformis ad ea, quæ docebimus *Tom. de Quæſtionibus Sellectis, quæſt.* 5. ſcilicèt: Eſſentiam formalitèr diſtingui à modis intrinſecis, qua diſtinctione ſuppoſita, idem de his, ac de attributis, videtur dicendum; quare eiſdem probationibus probatur, ac probata manet ſecunda præcedens concluſio. *Probatur ſicut probata manet 2. concluſ.*

218 *Arguit. 1.* Arguitur primò: viſio eſſentiæ ſine modis intrinſecis, non eſt viſio perfecta: ergo nec beata. Probatur antecedens: modus intrinſecus eſt perfectio intrinſeca rei: ergo viſio eſſentiæ ſine modis intrinſecis, non eſt perfecta. *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo antecedens: modus intrinſecus eſt perfectio modalis, concedo antecedens; eſſentialis, nego antecedens, & conſequentiam; quia ad viſionem perfectam alicuius rei ſufficit, quod videatur ſecundum omnia prædicata eſſentialia illius; non verò requiritur, quod videatur cum ſuis modis, niſi viſione extenſiva, ſeu extra eſſentiam videatur.

219 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: exiſtentia per nos iuxta dicenda *Tom. de Quæſtionibus Sellectis, quæſt.* 2. eſt modus intrinſecus Dei; ſed viſſa Eſſentia Divina ſine exiſtentia, non videtur beatificè: ergo eſſentia Divina, præciſſa à modis intrinſecis, non eſt eſſentiale obiectum beatitudinis. Probatur minor: viſio eſſentiæ ſine exiſtentia, non eſt intuitiva: ergo viſſa eſſentia ſine exiſtentia, non videtur beatificè. Probatur antecedens: viſio intuitiva eſt viſio rei exiſtentis, ſecundũ quod exiſtens eſt: ergo viſio eſſentiæ ſine exiſtentia, non eſt intuitiva.

220 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò diſtinguendo antecedens: viſio intuitiva eſt viſio rei exiſtentis eminentialitèr, vel formalitèr, concedo antecedens; formalitèr præciſsè, nego antecedens, & conſequentiam. Ad viſionem itaquè intuitivam non requiritur, quod ſit *Declaratur ſolutio.*

visio rei formaliter existentis, sed sufficit, quod sit visio rei existentis eminentialiter. Cum ergo Essentia Divina pro priori ad existentiam formalem sit summum ens, infinitum, actuale essentiæ, & eminentialiter existens, habet quidquid requiritur ad esse essentiale obiectum beatitudinis, adhuc ab existentia præcisa. Et ne voluntaria videatur hæc doctrina, ipsam fundo in Scoto, *qui in* 1. *dist.* 10. *in fine*, tenet: possibilia intuitivè à Deo videri, quia licèt formaliter non existant, existunt tamen in Essentia Divina eminentiori modo: ergo stare potest visio intuitiva, quin sit rei formaliter existentis. Ex hoc retorqueo argumentum.

Retorque.

Respondeo secundò ad argumentum concedendo totum, quia ex argumento solum sequitur: Essentiam Divinam non esse obiectum sufficiens ad beatificandum sine existentia, eo, quod debeat esse visio intuitiva illius; non verò probat, quod non sit tale obiectum independenter ab alijs modis intrinsecis. Nec conclusioni obest, quod aliquis ratione aliqua particulari sit necessarius, dummodo ex ratione modi vt sic, minimè requiratur. Quarè concluditur: Essentiam Divinam, præcisam à modis intrinsecis, esse essentiale obiectum beatitudis, quod vt verius iudico.

221 *Secundò.*

o)§(o

DISPVTATIO TERTIA.

Utrùm Beatitudo nostra formalis in aliquo increato consistat, vel consistere possit?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio, & argumenta solvuntur.

Num. 1 *Explicatur difficultas.*

COnstat ex dictis *præcedenti disputatione*, obiectivam beatitudinem consistere in solo bono increato. Nunc de formali inquirimus, quæ nihil est aliud, quam id, quo assequimur beatitudinem obiectivam. An in aliqua Dei formalitate nobis vnita consistat, vel consistere possit? An, scilicèt, sit actus ipse divini intellectus, aut divinæ voluntatis, quo Deum videntes, aut Deo fruentes, formaliter constituamur? In qua disputatione tres versantur sententiæ.

2 1. *Sentētia.*

Prima affirmat: Non solum id esse possibile, sed etiam de facto contingere, immò esse impossibile, quod per visionem creatam, Dei natura videatur; quam opinionem quibusdam placuisse suo tempore, refert Div. Bonaventura *in* 3. *dist.* 14. *artic.* 1. *quæst.* 1. fuisseque publicè defensatam Parisijs, refert Gregorius *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 2. Eam tenet expræssè Hugo de Sancto Victore *tom.* 3. *tract. de Sapientia Animæ Christi, fol.* 37. vbi ait: Non aliter animas sapientes constitui, Deumque cognoscentes, nisi Dei cognitione, & sapientia, & de Deo loquens ita concludit: *Ipse est sapientia, qua cognoscimus, ipse amor, quo diligimus, ipse gaudium, quo exultamus*; quos omnes refert, & ex parte sectatur Ægidius *lib.* 4. *de Beatitudine, quæst.* 1. *artic.* 2. §. 3. vbi docet: id contradictionem non implicare. *Et* §. 4. præfatam sententiam nullam censuram contra fidē mereri.

Hugo.

Ægidius.

Secunda sententia negat: Beatos de facto Deum per increatum actum videre, aut amare, asserit tamen, nullam contradictionē involuere, quod per Dei visionem nobis vnitam ipsum videamus; & consequenter beatitudine increata formaliter constituamur beati. Hanc tenet prædictus Ægidius *loco allegato* §. 5. vbi postquā in præcedentibus Hugonis sententiam ab omni censura liberare contendit, tandem illam, vt verè falsam, & temerariam reijcit, asserit tamen non posse, id, quod prædicti Authores affirmant, impossibilitatis convinci, nec

2. *Sentētia.*

implicationem oſtendi. Quam ſententiam aliquando ſe defendiſſe, fatetur Felix *de Beatitudine, cap. 2. diffic. 3. num. 3.* etſi nullum vidiſſet affirmativam partem defendentem, tuetur tamen communem ſententiam.

3 *3. Sentētia.* Tertia, & vera ſententia, vtrique oppoſita, aſſerit: nec de facto beari intellectum creatum viſione increata, nec eſſe poſsibile de potentia abſoluta. Ita Scotus *in 4. diſt. 49. quæſt. 2. §. Ad quæſtionem, litt. Bb. & lit. I.* dicens: *Imo contradictionem includit, beatitudinem eſſe ſine operatione*, id eſt, creata, *Scotus.* Sicut etiam D. Thomas *citatus* ab Ill. Godoy *num. 3.* Doctorem Subtilem, *D. Thom.* & Angelicum ſecuntur omnes eorum diſcipuli; & licèt hac ratione hęc diſputatio à nobis ommittenda erat, vtpotè, in illius concluſionibus ab Ill. Godoy non diſſentimus; habemus tamen quędam littigia, & certè notabilia, quia, ni fallor, ad multa inconſequenter procedit; ideòque eam convenit diſputare. Sit ergo.

4 *1. Concluſio.* Prima concluſio: *Homines non beantur de facto viſione increata.* Ita omnes Doctores pro ſecunda, & tertia ſententia relati, quorum aliqui adeò certam illam exiſtimant, vt oppoſitam reijciant tanquam hæreticam; alij vt temerariam, & ſic ſenſerunt Ægidius *loco allegato §. 5.* & Curiel *de Eſſentia beatitudinis, quæſt. 4. §. 5.* Alij denique non ſolum temerariam, vtpotè, pugnantem cum communi Patrum, & Doctorum conſenſu, eſſe dixerunt, verum etiam erroneam. Sic Ill. Godoy *num. 6.* Sed melius, & conſequentius procederet, ſi adderet, *aut ſaltim errori proximam*, vt de ſimili propoſitione dixit *tom. 2. in 3. part. diſput. 31. num. 17.* Huic aſſentior, & ratio eſt, nam propoſitio erronea ea eſt, quæ opponitur concluſioni per evidentem conſequentiam deductæ, ex vna de fide, & ex altera aut de fide, aut ratione naturali evidenti. Proxima verò errori illa eſt, quæ opponitur concluſioni deductæ ex vna præmiſſa de fide, & ex altera præmiſſa efficaci argumento, & quod non habet facilem ſolutionem, monſtrabili; ſed concluſio noſtra deducitur ex maiori de fide, & minori, aut evidētèr monſtrabili, aut ſaltim argumento efficaciſsimo, & quod non poteſt facile ſolui, vt conſtabit ex prima noſtræ concluſionis probatione: ergo ſententia illi oppoſita, vel eſt erronea, vel ſaltim errori proxima.

Concluſionem prædictam probant Authores ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, quæ omnia ſoluit Ægidius *citat. §. 4.* Ratione autem probatur primò: Beatitudo formalis eſt vita, qua vivit beatus. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum.* Ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & alibi plures; at implicat beatum vivere viſione increata, aut amore increato, vt ex dicendis concluſione ſequenti conſtabit: ergo non beatur de facto increata viſione, aut amore. Probatur ſecundò: ille modus beatificandi tribuendus eſt de facto beatis, qui eſt illis magis connaturalis; ſed modus magis connaturalis eſt per operationem creatam: ergo beantur de facto per operationem creatam. Probatur minor: modus magis connaturalis eſt per operationem à beatis productam; ſed hæc eſt creata: ergo modus magis connaturalis eſt per operationem creatam. Probatur maior: modus, quo beati formalitèr beantur, eſt per operationem vitalem; ſed hanc à beatis produci, eſt ipſis connaturalis, vt apud omnes eſt certum: ergo modus magis connaturalis eſt per operationem à beatis productam.

5 *Probat. 1. concluſio.*

Probat. 2.

Probatur tertiò: Beatitudo formalis eſt adeptio ſummi boni; ſed operatio Dei increata non eſt adeptio ſummi boni: ergo operatio increata non eſt noſtra formalis beatitudo. Probatur minor: operatio Dei increata eſt res adepta; nam eſt ipſe Deus: ergo operatio Dei increata non eſt adeptio ſummi boni. Probatur quartò: noſtra formalis beatitudo eſt participatio beatitudinis increatæ: ergo non eſt ipſa increata beatitudo. Si dicas: quod beatitudo increata, prout nobis communicata, eſt participata à ſe ipſa. Contra: ergo prout nobis communicata eſt quid creatum, quod eſt falſum. Probatur conſequentia: quidquid eſt participatio Dei, eſt quid creatum; ſed per te beatitudo increata, prout nobis communicata, eſt participata à ſe ipſa: ergo prout nobis communicata, eſt quid creatum.

6 *Probat. 3.*

Probat. 4.

Dices.

Contra.

Probatur quintò efficatiùs: beatitudo increata nequit præſtare ſuum effectum formalem beatis: ergo homines non beantur operatione increata.

7 *Probat. 5.*

ta. Probatur antecedens: effectus formalis beatitudinis, est reddere intellectum formaliter videntem, dato, quod in visione consistat; sed beatitudo increata nequit reddere intellectum creatum formaliter videntem: ergo beatitudo increata nequit præstare suum effectum formalem beatis. Probatur minor: reddere intellectum formaliter videntem, est effectus formalis præstitus à visione per modum formæ, vt distinguitur ab effectu præstito à forma per modum termini; sed visio increata nequit per modum formæ, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui creato effectum formalem videndi: ergo beatitudo increata nequit reddere intellectum creatum formaliter videntem. Probatur minor: omnis effectus formalis præstitus à forma *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, exigit necessariò, vel physicam informationem, vel realem identitatem cum subiecto; sed vtrumque repugnat visioni increatæ respectu intellectus creati: ergo visio increata nequit per modum formæ, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui creato effectum formalem videndi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem patet inductione per omnes formas, sivè creatas, sivè Divinas, præstantes suum effectum formalem per modum formæ, vt distinguitur à ly *per modum termini*.

8 *Arguit.* 1.

Arguitur primò ex D. Augustino 1. *de Trinitate, cap. vltimo*, dicente: Beatos videre Deum sapientia increata: ergo increata operatione beantur.

Respondeo. Respondeo: Augustin. loqui causaliter, quia sapientia increata est quæ dat videre; non verò formaliter, ita, vt ipsa sapientia increata formaliter beatificentur beati. Vndè nihil contra nostram conclusionem, loquentem de beatitudine formali.

Dices 1. Dices primò: Augustin. velle: Quod eadem sit visio beatorum, & Dei; sed visio Dei est increata: ergo increata est visio beatorum.

Respondeo. Explico: Augustin. velle: Quod eadem obiectivè sit visio Dei, & beatorum concedo, quia idem est obiectum; eadem numero, vel specie nego.

Dices 2. Dices secundò: Augustin. affirmare: Beatitudinem formalem esse summū bonum; sed nihil creatum est summū bonum: ergo nihil creatum est formalis beatitudo.

Respondeo. Respondeo distinguendo maiorem: Augustin. afirmare: Beatitudinem formalem esse summum bonum, assecutivè concedo maiorem; formaliter nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam.

9 *Arguit.* 2.

Arguitur secundò: Humanitas Christi de facto subsistit subsistentia Verbi: ergo & intellectus Christi videt visione Verbi. Respondeo primò: Humanitatem Christi subsistere subsistentia Verbi, fuisse opus de potentia Dei absoluta, de quo hic non loquimur; quarè non est ad rem argumentum. Cœterum ab hoc præscindendo.

Respond. 1.

Respond. 2. Respondeo secundò negando consequentiam, cuius disparitas est: nam subsistentia non vnitur humanitati, vt forma vitalis, media qua vitaliter operetur, sed solum vt terminus, ad quod nec identitas, nec informatio requiritur; at visio Verbi debebat in hærere intellectui Christi, vt forma vitalis, media qua vitaliter operaretur, quod repugnat.

10 *Respond.* 3.

Vltrà hanc duplicem solutionem, quarum quælibet est pro argumento sufficiens, respondeo tertio: argumentum se ipsum interimere, quia multum probat, quod vt appareat, retorqueo argumentum: humanitas Christi de facto subsistit subsistentia Verbi: ergo de facto est Omnipotens Omnipotentia Verbi, Immensa, Immensitate Verbi, æterna, æternitate Verbi, & sic de alijs. Deniquè, si argumentum vrgeret, convinceret certè, quod homo esset ratiocinans, albus, &c. absquè forma physicè informante, vel realiter identificata, quod est contra omnes, tàm Philosophos, quàm Theologos; ex quo fiat adversus argumentum retorsio, servatis illius terminis. Respondeant contrarij, & pro nobis respondebunt.

Retorqueo.

11 *Arguit.* 3.

Arguitur tertiò: Essentia Divina vnitur mentibus beatorum per modum speciei impressæ: ergo, & per modum intellectionis.

Respond. 1. Respondeo negando consequentiam, & prima disparitas est: quod species impressa effectivè concurrit ad intellectionē; at intellectio est causa formalis.

Secundò. Secunda est: quod intellectio debet inhærere; non verò species impressa, & licèt hæc inhæreat, hoc est ipsi accidentale. Ex hoc habetur, Deum posse supplere munus speciei impressæ;

non

non verò munus intellectionis. Pro quo videantur dicta *tom. 2. in 3. sent. disp. 31. num. 71. 72. 73. & 74.*

12 *Dices.* Dices tamen: non minùs est de ratione actus primi vitalis, esse intrinsecum viventi in actu primò, ac de ratione actus secundi vitalis, esse intrinsecum viventi in actu secundò; sed illo non obstante, Essentia Divina, gerens munus speciei, constituit intellectum beati in actu primò proximo viventem absquè inhæsione: ergo etiam constituet intellectum beati in actu secundo viventem absquè inhæsione. *Respondeo.* Respondeo concessa maiori, negando minorem; quia essentia gerens vicem speciei non concurrit, vt virtus intellectus, sed vt virtus obiecti; quare non constituit intellectum in actu primo viventem, sed solum præstat actui primo vitali id, quod exigit tanquam materia circa quàm, scilicèt, obiectum, vt exeat in actum.

13 *Retorqueo.* Imò retorqueo: quia de ratione actus primi vitalis, seu potentiæ vitalis est, esse intrinsecum viventi in actu primo, nequit quis vivere in actu primo, nisi potentia illa identificetur cum vivente, vt ait Scotus, vel intrinsicè informet, vt cæteri aiunt: ergo quia de ratione actus secundi vitalis est, quod sit intrinsecus viventi in actu secundo, nequibit quis vivere in actu secundo, nisi actus secundus indentificetur cum vivente, vel ipsum intrinsicè informet. Quod operationi increatæ respectu nostri repugnat.

14 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: quod est creatum, & finitum nequit repræsentare infinitum; sed operatio creata est quid finitum: ergo nequit repræsentare Deum, qui est infinitus. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: quod est creatum, & finitum nequit repræsentare infinitum, modo infinito, concedo maiorem; finito modo, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. *Retorqueo.* Retorqueo etiam: accidens, scilicèt, species impressa, repræsentat substantiã: ergo paritèr: quod est creatum, & finitum, repræsentabit infinitum.

15 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: beatitudo formalis est vltimus finis creaturæ rationalis; sed ratio vltimi finis convenire nequit formæ creatæ: ergo nec formalis beatitudo operationi creatæ. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: beatitudo formalis est vltimus finis formalitèr, seu vt *quod*, nego maiorem; assecutivè, seu vt *quo*, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

16 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: si beatitudo formalis est aliquid creatum, erit accidens; sed accidens nequit esse: ergo beatitudo formalis nequit esse aliquid creatum. Probatur minor: beatitudo formalis debet esse perfectior natura beatificabili; sed si est accidens, nequit esse perfectior, vt claret: ergo beatitudo formalis nequit esse accidens. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo maiorem secundi syllogismi: beatitudo formalis debet esse perfectior in ordine natura beatificabili, concedo maiorem; entitativè, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequentiam nego. Claret solutio in quocumque accidente supernaturali, quod, quia est ordinis supernaturalis, perfectius est perfectione in ordine quacumque substantia creata. *Secundò.* Respondeo secundò negando prædictam maiorem; quia solum beatitudo obiectiva, vtpotè, summum bonum, debet esse perfectior natura beatificabili; non verò beatitudo formalis, vt patet in beatitudine naturali, quæ perfectior non est creata substantia.

17 *Dices.* Dices: beatitudo formalis debet esse perfectior natura beatificabili: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: natura beatificabilis ordinatur ad beatitudinem formalem, tanquam ad finem; sed nihil potest ordinari, tanquam ad finem, ad aliquid imperfectius: ergo beatitudo formalis debet esse perfectior natura beatificabili. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: natura beatificabilis ordinatur ad beatitudinem formalem, tanquã ad finem *quo*, seu per modum assecutionis, concedo maiorem; tanquam ad finem *quod*, nego maiorem, similitèr distinguo minorem, & nego consequentiam.

18 *Arguit. 7.* Arguitur septimò: si beatitudo formalis esset quid creatum, Deo absente, homo esset beatus; sed hoc repugnat: ergo beatitudo formalis non est quid creatum. Probatur sequela: Deo absente, maneret eadem operatio creata: ergo si beatitudo formalis esset quid creatum, homo

esset

esset beatus absente Deo. Respondeo distinguendo antecedens: Deo absente maneret eadem operatio, & eodem modo terminata, nego antecedens, & non eodem modo, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia ad beatitudinem requiritur, quod operatio sit intuitiva, quod deficeret operationi, Deo absente.

19 Licèt autem suprapositâ conclusione vera sit, & verissima; tamen in principijs Ill. Godoy valdè inconsequens videtur; vndè contra ipsum, & ipsius doctrina vttendo, probabimus (promissum *num.* 4. adimplendo) in hac conclusione inconsequentèr ad suam doctrinam procedere, consequentèrque in illius doctrina subsistineri non posse conclusionem suprapositam. Pro quo. Sit.

§. II.

Quædam inconsequentia Ill. Godoy ostenditur.

20 *Ostenditur inconsequentia.*

ILl. Godoy *tom. 2. in 3. part. disp. 21.* asserit: quod humanitas Christi est sancta sanctitate increata, ex quo videtur legitimè inferri: quod humanitas Christi sit beata beatitudine increata, & consequentèr, quod nostra formalis beatitudo in aliquo increato consistat, cuius oppositum in præsenti defendit. Hæc est illius inconsequentia, quam hac paritate demonstro.

21 *Formatur probatio.*

Humanitas Christi est sancta sanctitate increata: ergo est beata beatitudine increata. Probatur consequentia: ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem: ergo ex sanctificatione sanctitate increata, conveniete de facto humanitati, sequitur beatificatio eiusdem humanitatis, præstita formalitèr à beatitudine increata. Atqui iuxta Ill. Godoy humanitas Christi est sancta sanctitate increata: ergo est beata beatitudine increata. Sussumpta patet. Prima consequentia tenet à paritate rationis.

22 *Prob. antec.*

Antecedens autem probatur: capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam, sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem. Antecedens est notorium; omnis namque natura sanctificabilis est beatificabilis. Consequentia apparet iuxtà illam regulam, nempè, concesso antecedenti in illatione, vt verò, conceditur consequentia illativè vera; quia si ex capacitate ad sanctificari sequitur capacitas ad beatificari, etiam ex capacitate ad sanctificari sanctitate increata, sequi debet capacitas ad beatificari beatitudine increata. Sed vltrà hoc probatur consequentia: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata; sed iuxtà concessa, & veritatem, capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatã, sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem.

23 *Probatur maior paritatibus. Prima.*

Maior probatur. Primò: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, ex capacitate ad santificari sanctitate creata, sequitur capacitas ad beatificari beatitudine creata: ergo similitèr. Probatur secundo: si immaterialitas arguit intellectivum, & intellectivum volitivum, ex immaterialitate creata sequitur intellectivum creatum, & ex intellectivo creato sequitur creatum volitivum. Item: ex immaterialitate increata sequitur intellectivum increatum, & ex intellectivo increato sequitur increatum volitivum: ergo paritèr.

Secunda.

24 *Tertia.*

Tertiò, & formatur paritas ab oppositò: si capacitas ad beatificari arguit capacitatem ad sanctificari, ex capacitate ad beatificari beatitudine increata sequitur capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo à simili. Probatur consequentia: capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles; valet namque: *est capacitas ad beatificari: ergo est capacitas ad sanctificari*, & è contra: ergo etiam debent esse convertibiles capacitas ad beatificari beatitudine increata, & capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo valet etiam: *est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata.* Et è contra: ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sancti-

tate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.

25 *Confirm.* 1. Confirmatur primò: capacitas ad ſanctificari, & capacitas ad beatificari ſunt convertibiles; ſed quia ſunt convertibiles valet hæc conſequentia: *Eſt capacitas ad beatificari beatitudine creata: ergo eſt capacitas ad ſanctificari ſanctitate creata*: ergo quia ſunt cõvertibiles, etiam hęc debet valere: *Eſt capacitas ad ſanctificari ſanctitate increata: ergo eſt capacitas ad beatificari beatitudine increata.* Atqui in Chriſto nõ eſt capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo nec ad ſanctificari ſanctitate increata. *Secundò.* Secundò: capacitas ad beatificari, & capacitas ad ſanctificari ſunt convertibiles; ſed quia convertibiles ſunt, valet hæc conſequentia: *Eſt capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo eſt capacitas ad ſanctificari ſanctitate increata*: ergo quia ſunt convertibiles hæc etiã valet: *Non eſt capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo non eſt capacitas ad ſanctificari ſãctitate increata.* Cõſequentia claret ex vi illius axiomatis: *Quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiã negatio eſt cauſa negationis.*

26 *Paritas fundatur in doctrina Ill. Godoy.* Hæc ratio fundatur in doctrina generali, ſcilicèt, in eo, quod capacitas ad ſanctificari, & capacitas ad beatificari ſunt convertibiles, quam doctrinam expræſsè docuit Ill. Godoy *diſput. 21. citat. num. 45.* aſsignando diſcrimen inter effectus gratiæ vnionis, & effectus gratiæ habitualis, vbi clariſsimè fatetur prædictam convertibilitatem his verbis: *Nam cum eſſe particeps Divinæ naturæ ſit eſſe radicem vivendi, & amandi Deum, & implicet capacitas ad videndum, & amandum Deum abſquè capacitate amabilitatis ab ipſo, ideò non ſtat capacitas ad participium Divinæ naturæ, abſquè capacitate ad ſanctitatem.* Huic accedit, bonam eſſe paritatem, cum æqualitas, quæ datur inter beatificari, & ſanctificari, reperiatur etiam inter beatitudinem increatam, & increatam ſanctitatem.

27 *Fundatur etiam in communi doctrina.* Fundatur etiam in alia generali doctrina, ſcilicèt, in eo, quod capacitas ad ſanctificari, & capacitas ad beatificari oriuntur ab eodem principio, nempè, ab intellectualitate naturæ; nam ex eo, quod natura ſit intellectualis, rectè infertur, quod ſit ſanctificabilis, & quod ſit beatificabilis, vt omnibus apparet, & conſtat ex eo, quod ideò natura irrationalis nec eſt ſanctificabilis, nec beatificabilis, quia intellectualis non eſt; vndè etſi à Verbo aſſumeretur, adhuc eſſet incapax ſanctitatis, & beatitudinis, vt ſentiunt omnes Theologi.

28 *Reſpondet Ill. Godoy.* Hanc paritatem, quam ſibi in præſenti non obiecit Ill. Godoy, licèt argumento de ſanctitate Divina vtatur *num. 38.* contra ſe tamen illam, etſi non ita confirmatam, oppoſſuit *tom. 2. in 3. part. diſput. 31. num. 31.* ad eamque reſpondet *num. 34.* negando paritatem, quia iſta conſequentia non tenet: *Capacitas ad ſubſiſtendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad ſubſiſtendum ſubſtantia Divina, probat capacitatem operandi operatione Divina.* Cuius antecedens eſt verum, conſequens autem eſt falſum, vt conſtat in natura irrationali, quam poſſe Dei ſubſiſtentia ſubſiſtere, docet communis ſententia; & tamen nullus docuit, eſſe capacem operandi operatione Divina.

29 Et ratio nullitatis conſequentiæ eſt: nam facta comparatione inter ſanctitatem, & beatitudinem abſolutè, non eſt differentia in modo conveniendi ſubiecto, ratione cuius cum capacitate ſanctitatis ſtare poſsit repugnantia beatitudinis: nam formalitatibus creatis, ſicut non repugnat informatio phiſica, vel moralis, quarum aliqua ad ſanctificandum requiritur: ita non repugnat illis egredi realitèr ab agente, quod eſt de ratione beatitudinis, eo quod beatus vivit per illam, quod ſine egreſſu ab illo nequit ſubſiſtere; & ideò facta comparatione inter ſanctitatem vt ſic, & beatitudinem abſolutè, capacitas vnius infert capacitatem alterius. Cæterum facta comparatione inter ſanctitatem increatam, & Divinam, increatamque beatitudinem, argumentum non tenet per reſpectum ad ſubiectum creatum, eo quod informatio moralis, quæ ad ſanctificandum ſufficit, non repugnat Divinis formalitatibus; egreſſus autem, tàm realis, quàm virtualis, quorum aliquis eſt de conceptu eſſentiali beatitudinis, repugnat prædicatis Divinis, reſpectu naturæ creatæ; & ideò ex capacitate conveniente humanitati, vt ſanctificetur per ſanctitatem increatam, & Divinam, non arguitur,

nec

nec probatur capacitas, vt beatificetur increata beatitudine, vt in simili instabamus in ordine ad subsistendum; nam licèt capacitas subsistendi arguat capacitatem operandi absolutè, capacitas subsistendi subsistentia Divina, non arguit capacitatem operandi per Divinam operationem.

30 NOTA. Hæc tamen solutio efficatiam nostræ probationis non tollit, & ante impugnationem notto: quod per ly *operatione Divina*, quod ponit Ill. Godoy in instantia, quam contra nos facit, intelligo operationem tendentem in Deum, scilicèt, operationem intellectualem, vt claret in exemplo ab ipso posito de natura irrationali, quæ etsi capax sit subsistendi subsistentia Divina; incapax tamen est operandi operatione Divina, ideſt, operatione intellectuali in Deum tendente; nam si per ly *operatione Divina*, intelligeret Divinam operationem, nempè, intellectionem, & volitionem Divinam, idem exemplum esset de natura rationali, & Angelica, ac de natura irrationali; cum quælibet sit capax subsistendi subsistentia Divina, & nulla sit capax operandi intellectione, & volitione Divina, vt apud omnes est certum. Hoc notato.

31 Impugn. 1. Refellitur primò instantia Ill. Godoy: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistantia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata*: ergo nulla est instantia Ill. God. Antecedens probatur primò: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operadi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad personari probat capactatem operandi: ergo capacitas ad personari personalitate Divina, probat capacitatem operandi operatione Divina*: ergo paritèr de illa.

Antecedens probat. 1.

32 Probat. 2. ad hom. contra Ill. God. Probatur secundò antecedens ad hominem contra Ill. Godoy: quod hæc cõsequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad personari probat capacitatem ad sanctificari: ergo capacitas ad personari personalitate Divina, probat capacitatem ad sanctificari sanctitate Divina*: ergo similitèr. Antecedens est Ill. Godoy *disp. 21. cit.* Consequentia paritate videtur certa.

33 Probat. 3. etiam ad hom. Tertiò probatur etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad immaterialitatem probat capacitatem ad intellectualitatem: ergo capacitas ad immaterialitatem increatam probat capacitatem ad intellectualitatem increatam*: ergo idem, quod priùs. Consequentia est paritate certa. Antecedens verò est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disp. 22.*

34 Probat. 4. etiam ad hom. Quartò etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad intellectivum probat capacitatem ad volitivum: ergo capacitas ad intellectivum increatum probat capacitatem ad volitivum increatum*: ergo idem, quod antea. Antecedens est Ill. God. *tom. 2. in 1. part. disp. 45.* Consequentia est paritate legitima.

35 Probat. 5. etiam ad hom. Quintò ad hominem etiam contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad esse subsistantiam spiritualem probat capacitatem ad esse intellectivum: ergo capacitas ad esse subsistantiam spiritualem infinitam probat capacitatem ad esse intellectivum infinitum*: ergo paritèr. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 22. num. 168. & seqq.* Consequentia eadem, ac cæteræ, gaudet veritate.

36 Prob. 6. etiã ad hom. Sexto etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum*

probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina, non tollit, quod hæc ſit bona : *Capacitas ad videndum, & amandum Deum probat capacitatem amabilitatis ab ipſo : ergo capacitas ad videndum, & amandum Deum infinitè probat capacitatem infinitè amabilitatis ab ipſo* : ergo ſimilitèr. Conſequentia patet. Antecedens deducitur ex Ill. God. *tom. 2. in 3. part. diſp. 21. n. 45.*

37 *Prob. deniquè doctrina generali*

Deniquè probatur paritate apud omnes certa : quod hæc conſequentia ſit falſa: *Capacitas ad ſubſiſtendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, non tollit, quod hæc ſit bona : *Capacitas ad beatificari probat capacitatem ad ſanctificari : ergo capacitas ad beatificari beatitudine increata probat capacitatem ad ſanctificari ſanctitate increata* : ergo paritèr. Antecedens conceditur ab omnibus. Conſequentia verò vi paritatis legitima apparet.

38

Ecce ſeptem paritates (pluribus alijs ommiſsis) quarum quælibet eſt manifeſta retorſio contra inſtantiam, quam in nos facit Ill. Godoy. Si ergo tot retorſionibus falſificatur eius inſtantia, cur (quæſſo) valebit noſtram probationem falſificare? Non itaquè attendenda eſt paritas Ill. Godoy pro nullitate noſtræ probationis, quin potiùs pro veritate ipſius attendendę ſunt ſeptem paritates ſupradictæ. Et quia eadem eſt de omnibus ratio, retorſio, quam contra ipſum ex prima paritate faciam, deſerviat ad cœteras formandas.

39 *Refellitur 2. Retorq. inſtãtiam.*

Refellitur ſecundò inſtantia Ill. Godoy ipſam retorquendo hac paritate: *Capacitas ad perſonari probat capacitatem ad operari : ergo capacitas ad perſonari perſonalitate Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*: ergo etiam iſta conſequentia eſt bona: *Capacitas ad ſanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo capacitas ad ſanctificari ſanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.* Nulla ergo eſt illius inſtantia. Sic per cœteras paritates fiant contra ipſum retorſiones.

40

Ratio autem, cur inſtantia Ill. Godoy nullam habet efficatiam, triplex eſſe poteſt. Prima eſt : quia eſſe ſubſiſtens ſtat dupliciter, nempè, perſonaliter, vt contingit in natura intellectuali; & ſuppoſitaliter, vt evenit in natura irrationali. Primò modo vera eſt conſequentia tradita ab Ill. Godoy, & ex ipſa contra ipſum in favorem noſtræ conſequentiæ arguebamus *num. anteced.* Secundò modo eſt falſa, ſed ex hoc non licet contra nos arguere, quia eſt maxima diſparitas: nam ſubſiſtens ſuppoſitaliter eſt incapax omnis operationis intellectualis, & conſequenter Divinæ, ideòque hæc conſequentia : *Capacitas ad ſubſiſtendum probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, eſt falſa, intellecta de ſubſiſtente ſuppoſitaliter. Aſt ſubſiſtens perſonaliter non eſt incapax omnis beatitudinis, & conſequenter, nec beatitudinis increatæ, dato, quod incapax non ſit ſanctitatis increatæ; ideòque bona eſt hæc conſequentia: *Capacitas ad ſanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad ſanctificari ſanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.*

3. ratio nullitatis inſtantiæ Ill. God. Prima.

Hæc doctrina, quæ vera eſt, deducitur ex Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. diſput. 21. num. 45.* vbi hæc habet: *Eſſe autem Divinitati coniunctum, dupliciter contingere poteſt, nempè, in vnitate perſonæ, vt coniungitur cum Deo rationalis natura ; & in vnitate ſuppoſiti, vt in natura irrationali contingeret : & primo modo affert ſecum indiſpenſabiliter ſanctitatis effectum, ſecus autem ſecundo modo; ideòque ſtare poteſt capacitas ad eſſe Deificatum, quod primario à gratia vnionis præſtatur, cum incapacitate ad effectum ſanctitatis, qui ſecundario provenit ab illa.* Ex quibus ſic arguo: licèt hæc propoſitio ſit falſa : *Capacitas ad eſſe Deificatum in vnitate ſuppoſiti arguit capacitatem ad effectum ſanctitatis*; hæc tamen eſt vera : *Capacitas ad eſſe Deificatum in vnitate perſonæ arguit capacitatem ad effectum ſanctitatis* : ergo licèt hæc propoſitio ſit falſa : *Capacitas ad eſſe Deificatum in vnitate ſuppoſiti arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, hæc tamen eſt bona: *Capacitas ad eſſe Deificatum in vnitate perſonæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*: ergo hæc etiam erit bona : *capacitas ad ſanctificari ſanctitate Divina ar-*

41 *Confirm. ex Ill. Godoy.*

guit

guit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.

42 *Probatur conseq.*

Probatur hæc consequentia: hæc propositio: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, est falsa, quia in natura suppositi adest incapacitas ad omnem operationem intellectualem; & ideò hæc est vera: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, quia in natura personæ adest capacitas ad operationem intellectualem; atqui in natura capaci ad sanctificari adest capacitas ad beatificari: ergo si hæc est bona: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, hæc etiam erit bona: *Capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.*

43 *2. ratio.*

Secunda ratio ex prima deducta, est: quia operari, vel non operari operatione Divina, non provenit à subsistentia, sed à natura, quam connotat, quod fateri debet Ill. Godoy, & fatetur in responsione: nam ratio, quare natura irrationalis, etiam si subsisteret subsistentia Divina, non posset operari operatione Divina; benè tamen natura rationalis, non potest provenire à subsistentia; cum eadem esset: ergo à natura proveniret. Vndè mirum non est, quod etiam si hæc propositio sit vera: *Capitas ad subsistendum probat capacitatem operandi*, hæc sit falsa: *Capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; cum natura, quæ capax est subsistendi subsistentia Divina, possit esse incapax operationis Divinæ. Cæterum oppositum contingit in sanctificabilitate, & beatificabilitate, cum capacitas ad vtrumque à natura intellectuali proveniat; ideòque si hæc propositio est vera: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*; hæc etiam sit vera: *Capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capatatem ad beatificari beatitudine Divina.* Stat ergo maxima differentia inter consequentiam Ill. God. & nostram consequentiam.

44 *3. ratio.*

Tertia ratio est: nam capacitas ad operandum, & capacitas ad subsistendum non sunt convertibiles, præsertim in doctrina Ill. Godoy, nam licèt hæc sit vera: *Capacitas ad subsistendum arguit capacitatem ad operandum*, hæc tamen est falsa: *Capacitas ad operandum arguit capacitatem ad subsistendum*, vt patet in natura accidentali, in qua est capacitas ad operandū, sine capacitate ab subsistendum, vt tenet, & probat Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 18. num. 135. & sequentib.* Ex quo manifestè retorqueo instantiam ipsius: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum: ergo capacitas ad subsistendū subsistentia Divina probat capacitatē ad operandū operatione Divina*, no tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatē ad beatificari beatitudine Divina*: ergo nulla est instantia Ill. God.

Retorqueo instantiam.

Probatur anteced.

Probatur antecedens: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum: ergo capacitas ad operandum probat capacitatem ad subsistendum*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad beatificari arguit capacitatem ad sanctificari*, seu quod idem est: quod capacitas ad subsistendum, & capacitas ad operandum, non sint convertibiles, non tollit, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari sint convertibiles: ergo quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem ad operandum operatione Divina*, non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina*; & certè hæc est ratio præcipua, in quā fundatur paritas, qua nittimur ad probandum, conclusionem suprapositam in opinione Ill. Godoy substineri non posse, vt diximus *num. 26.*

45 *Ratio Ill. Godoy. nulla est.*

Nec ratio, quam adducit Ill. Godoy, aliquid valet; nam, vt constat ex dictis, tam facta comparatione inter sanctitatem vt sic, & beatitudinem absolutè, quam inter sanctitatem increatam, & increatam beatitudinem, capacitas vnius infer capacitatem alterius; hoc enim probavimus *à n. 31.*

vsquè adhuc, quin instantia facta ab Ill. Godoy nobis noceat. Recurrere autem (vt recurrit *tom. 2. in 3. part. disput. 21.* & ad quod se citat *in præsenti in fine disputationis*) ad informationem materialem, reiectum manet *tom. 2. in 3. sent. disp. 21. à num. 190. vsquè ad 247.*

46 *Alitèr formatur paritas, & incõseq. ostenditur.*

Vltrà dicta tamen de paritate sanctitatis increatæ, alitèr contra Ill. Godoy paritatem formo, & inconsequentiam probo: proprietas consequens naturam Divinam convenit de facto alteri naturæ præter Divinam; sed beatitudo increata est proprietas, consequens naturam Divinam: ergo de facto convenit alteri naturæ præter Divinam: ergo convenit intellectui Christi Domini, & consequentèr intellectui beatorum. Vtraque consequentia est legitima. Minor est notoria, & patet. Primò: nam beatitudo increata est ens increatum, à se, & omninò independens, & consequentèr proprietas consequens naturam Divinam. Secundò: quia Æternitas, Immensitas, Omnipotentia, &c. sunt proprietates consequentes naturam Divinam: paritèr etiam increata beatitudo. Tertiò: nam beatitudo increata non est accidens naturæ Divinæ adveniens: ergo ad minus est proprietas consequens naturam Divinam. Maior probatur: Sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam; sed sanctitas increata convenit de facto alteri naturæ præter Divinam, nempè, humanitati Christi: ergo proprietas consequens naturam Divinam convenit de facto alteri naturæ præter Divinam. Consequentia est legitima. Minor est doctrina Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 21.* Maior est manifesta, & claret triplici ratione, qua ostendimus, beatitudinem increatam esse proprietatem consequentem naturam Divinam, quod à nullo videtur, posse negari.

§. III.

Quid de possibili dicendum sit?

47 *2. conclusio.*

SEcunda conclusio: *Implicat, intellectum beati Deum per increatam intellectionem, seu visionem sibi vnitam videre.* Ita Authores tertiæ sententiæ, & relictis aliquorum probationibus, quas inefficaces reputat, & vt tales impugnat Ill. Godoy *num. 12. & 13.* conclusionem probat ipse *numer. 16.* hac ratione: implicat, voluntatem creatam liberè velle per volitionem liberam Dei, sibi intimè vnitam: ergo implicat etiam, intellectum creatum Dei naturam videre per visionem increatam Divinam. Antecedens ita certum videtur, vt à nemine rationis compote negari possit: volitio namquè libera debet esse in potestate voluntatis; actio namquè Divina nequit potestati voluntatis creatæ subesse.

Prob. concl. Ill. Godoy.

48 *Cõsequent. probat. 1.*

Consequentiam verò probat. Tum primò: nam idcircò posset Scientia Divina vniri intellectui creato, illum constituens videntem, quia emminentèr continet perfectionem visionis, aut scientiæ creatæ; at non obstante simili continentia in volitione libera Dei respectu volitionis liberæ creatæ, nequit constituere voluntatem creatam liberè volentem: ergo paritèr: non obstante, quod visio increata creatæ visionis perfectionem contineat, implicabit, quod vniatur intellectui creato, illumque videntem, aut scientem constituat.

49 *Secundò.*

Tum etiam: nam quod volitio libera debeat voluntati convenire ab intrinseco, non habet ex conceptu liberæ, sed ex ratione voluntariæ, & vitalis; at in hoc secundo convenit cum visione beatifica, quæ etiam debet esse vitalis, & cum actu necessario voluntatis, qui etiam est voluntarius: ergo si non potest actio libera Dei voluntatem liberè volentem constituere, ex eo, quod actio libera debet esse ab intrinseco, nec etiam poterit volitio necessaria Dei voluntatem creatam constituere volentem necessariò, Deoque fruentem, nec visio Divina intellectum creatum videntem. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam volitio libera solum differt à necessaria per indifferentiam ex parte principij: ergo quod debeat ab intrinseco volentis procedere, non habet ex conceptu liberæ, sed ex ratione sibi, & actui necessario communi.

50 *Inefficaciter arguit Ill. Godoy.*

Hoc tamen argumentum parui ponderis est; nam qui semel asserat, intellectum creatum posse videre visione increata, asserere debet, voluntatem creatam posse velle volitione increata; alioquin inconsequentèr procederet; vndè miror, quod Ill. Godoy dicat: *Antecedens ita certum*

vi-

videatur, vt à nemine rationis compote negari posset. Immò inconsequentèr ad hoc videtur procedere Ill. Godoy *disput. 4. num. 19.* vbi ad probandum, quod intellectus non possit Deum videre per actum à se non elicitum, vtitur paritate voluntatis, & ait: *Consequentia est ipsis adversarijs nota, qui eodem modo absquè vllo discrimine de intellectu, & voluntate locuntur, quoad hoc, quod tendere in propria obiecta per motus à se non causatos, sed tantum acceptos.* Ex quo apparet inconsequentia: nam in præsenti, supposito antecedenti, consequentiam probat; & *disp. 4. cit.* vt consequentiam salvet, antecedens probat, vt ibi aparet.

51 *Respondet. in forma.*

Quare in forma potest responderi negando antecedens, ad eius imbibitam probationem sic distinguenda est maior: volitio libera debet esse in potestate voluntatis, vt illam producat, vel per illam in obiectum tendat, concedo maiorem; vt illam producat præcisè, nego maiorem; & distinguo minorem: volitio Divina nequit potestati voluntatis creatæ subijci, vt à tali voluntate producatur, concedo minorem; vt voluntas per illam tendat in obiectum, nego minorem, & consequentiam. Volitio itaquè dupliciter esse potest libera, primo causaliter, vel effectivè, & hoc modo ita est in potestate voluntatis, vt libera nequeat esse, nisi à voluntate producatur. Secundo formaliter, & hoc modo non petit à voluntate produci; cum velle formaliter, sicut, & intelligere formaliter, non consistat in producere, sed in tendentia in obiectum, vt in libris de Anima docuimus cum veriori sententia, quam tenet Scotus *quodlib. 15.* Vndè, vt voluntas creata velit formaliter volitione libera, nullatenus requiritur, quod volitio libera sit in potestate voluntatis in ordine ad illam producere, sed sufficit, quod sit in potestate voluntatis in ordine ad tendentiam in obiectum, quod volitioni Divinæ respectu voluntatis creatæ non repugnat, attenta Ill. Godoy probatione.

Ratio solutionis.

52 *Doctrina est Scoti, & Scotistarũ.*

Hæc est doctrina, quam generaliter tuentur Scotistæ cum Magistro subtili, qui *in 1. dist. 3. quæst. 7. & in 3. dist. 13. quæst. 4. §. Ad quæst. & in 4. dist. 49. quæst. 11.* docet: Tàm intellectionem, quàm volitionem (& idem de quacumq; operatione vitali) posse à solo Deo produci in nostro intellectu, nostraque voluntate, sine aliquo concursu intellectus, & voluntatis, per illasque nostrum intellectum intelligere posse, & nostram voluntatem velle. Quod ostendit maxima ita certa, vt D. Thomas *1. part. quæst. 105. art. 2.* erroneum apellet oppositum. Maxima est hæc: *Quidquid Deus potest facere mediis causis secundis, causantibus in genere causæ efficientis, potest se solo facere, & causare.* Ex qua sussumit: Atqui Deus medio intellectu, & specie impressa intelligibili, causat in genere causæ efficientis intellectionem (idemque de volitione proportione servata) ergo Deus se solo potest producere in nostro intellectu, nostraque voluntate, intellectionem, & volitionem.

53 *Alia Ill. God. probatio.*

Alia etiam ratione probar Ill. God. conclusionem prædictam *numer. 17.* & est hæc: implicat, intellectum creatum videre Deum, quin vivat in actu secundo; at implicat, quod vivat in actu secundo visione increata: ergo implicat, Deum per illam ab intellectu creato videri. Consecutio tenet. Maior est certa: nam intelligere est proprius actus vitæ intellectualis. Minor autem ostenditur primo: implicat, naturam Divinam sub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicalitèr viventem constituere; aliàs posset lapidi vniri, illamque reddere viventem radicalitèr: ergo implicat etiam, quod sub conceptu vitæ actualis constituat intellectum creatum in actu secundo viventem. Patet consequentia. Tum à paritate rationis. Tum etiam: quia actus proprius vitalis alicuius naturæ communicari nequit, non communicata natura, qua ratione vsus est D. Thom. *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. quæst. 20. de verit. artic. 1. in corpor. & 3. part. quæst. 9. artic. 1.* dessumpta ex D. Ambrosio *lib. 2. ad Gratianum, cap. 10.* asserente: *Vbi diversa substantia est, non posse vnam operationem intelligi.* Ex quo 6. Synodus supra relata *actione 17.* argumentum dessumpsit, vt contra Menotelitas ostenderet: humanitatem Christi non posse intelligere, aut velle per intellectionem, aut volitionem Divinam.

Minorem probat. 1.

Secundò: intellectus Divinus sub

54

Secundò. conceptu viventis proximè, nequit Angelicam, seu humanam naturam viventem proximè constituere: ergo idem quod priùs. *Tertiò.* Tertiò: vita actualis debet convenire viventi ab intrinseco, vel per identitatem, qualitèr contingit in Deo, qui vivit, & intelligit in actu secundo per actum sibi omninò identificatum, vel per egressionem effectivam ab illo, qualitèr contingit in vita actuali creata; at Divina intellectio nequit intellectui creato convenire ab intrinseco vllo ex prædictis modis; cum in vtroque importetur manifesta imperfectio: ergo omninò implicat, intellectum creatum per illum constitui viventē.

55 *Argumentum non vrget.* Sed nec hoc argumentum vrget: responderi namquè potest negando minorem, ad cuius primam probationem concesso antecedenti, negatur consequentia. Disparitas est: nam vita radicalis debet realitèr saltim identificari cum natura, quam radicalitèr viventem constituit; non verò actus vitalis, vt patet in creatis, vbi actus vitalis realitèr distinguitur à natura, & consequentèr potest communicari, non communicata natura, per quod patet ad probationem consequentiæ, quam adducit Ill. Godoy: & ad secundam probationem minoris; eadem enim est ratio de conceptu vitæ radicalis, ac de conceptu viventis proximè, seu in actu primo; vterque enim debet realitèr saltim identificari cum natura, vt dè intellectu, & voluntate in libris de Anima cum Subtili Magistro docuimus. *Respondet. ad 1. prob. minor.*

56 *Ad 3.* Ad tertiam minoris probationem, quæ est principale fundamentum Ill. Godoy, & Thomistarum, respondetur distinguendo maiorem: vita actualis productiva debet convenire viventi ab intrinseco, vel per identitatem, vel per egressionem effectivam ab illo, concedo maiorem; vita actualis operativa, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: ergo omninò implicat, intellectum creatum per illum constitui viventem productivè, concedo consequentiam; viventem operativè, nego consequentiam. Duplex enim est vita actualis. Vita productiva debet convenire viventi ab intrinseco, vel per identitatem, vt contingit in Deo, vel per egressionem effectivam, seu productionem, vt contingit in creaturis; vita autem actualis operativa hoc non exigit, cum formalitèr consistat in tendentia ad obiectum, vt diximus *num.* 50. & 51. Amplinsquè præmam *disput. sequenti* contra Ill. Godoy, vt ipse promittit contra nos præmere.

57 *Altera Ill. God. probatio.* Suprapositam conclusionem probat Ill. Godoy *num.* 23. principalitèr altera ratione, quæ sic se habet: nam sequitur ex contraria sententia, naturam humanam Christi de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato; consequens est falsum, vt constat *ex 6. Synodo act.* 17. vbi duas voluntates, duasq; operationes inter se inconfusas, & impermixtas, Divinam, scilicèt, & humanam, esse constituendas, definit, quod etiam Theologi, vt certum fatentur, & concedit Ægidius, ita vt oppositum censeat temerarium asserere: ergo, & antecedens debet negari. Probat sequelam: nam Christo Domino debemus concedere, quidquid est dignitatis, si in eo nulla repugnantia involuatur, quo circa duplicem sanctitatem in illo recognoscunt Theologi communitèr, substantialem, scilicèt, à Verbi personalitate, & accidentalem à gratia habituali, quia in nulla, nequè in vtraque simul aliqua repugnantia invenitur; at Christi humanitatem intelligere, & velle volitione, & intellectione increata, esset maximæ perfectionis, maximæque dignitatis: ergo si admittatur, id non repugnare, debet concedi, ita fuisse de facto.

58 *Hæc ratio est inefficax, & inconsequens.* Hæc tamen ratio minùs vrget, & est incōsequens. Non vrget, quia facilis est solutionis. Respondetur itaquè negando sequelam, ad cuius probationem distinguo maiorem: Christo Domino debemus concedere quidquid est dignitatis, si in eo nulla repugnantia involuatur, aut aliquod inconveniens, concedo maiorem; repugnantia præcisè, nego maiorem; distinguoque minorem: Christi humanitatem intelligere, & velle, volitione, & intellectione increata, esset maximæ perfectionis, maximæque dignitatis cum illatione inconvenientis, concedo minorem; sine inconvenientis illatione, nego minorem, & consequentiam; quia sequeretur: naturam humanam Christi

Deum non videre, nec Deum amare visione, & amore creato, quod est contra fidem, vt fatetur Ill. Godoy in sua probatione. Quod autem hoc inconveniens sequatur, patebit §. *sequenti*; inconsequentiam verò ostendemus §. 5.

§. IV.

Prædicta ratio Ill. Godoy impugnatur.

59 *Impugnatur 1. ratio Ill. Godoy.*

IMpugnatur primò ratio prædicta: dato, non implicare, quod nostra formalis beatitudo in aliquo increato consisteret, non sequitur, naturam humanam Christi de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato: ergo nulla est ratio Ill. Godoy. Probatur antecedens: dato, non implicare, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, non sequitur, intellectum Animæ Christi de facto per illam intellexisse: ergo paritèr. Consequentia est legitima. Antecedens probatur: dato, non implicare, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, non sequitur, intellectum Animæ Christi de facto per illam intellexisse, si ex hoc sequatur grave inconveniens; sed ex eo, quod intellectus Animæ Christi de facto intellexisset Divina intellectione, grave inconveniens sequitur: ergo dato, non implicare, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, non sequitur, intellectum Animæ Christi de facto per illam intellexisse, si ex hoc sequatur grave inconveniens. Consequentia infertur. Maior est certa, & constabit §. *sequenti*, vbi aliam inconsequentiam, quam committit Ill. Godoy in sua probatione ostendemus.

60 *Probatur minor.*

Minor verò, in qua stat tota difficultas, probatur: ex eo, quod intellectus Animæ Christi de facto intellexisset Divina intellectione, sequitur, intellectum Animæ Christi non intellexisse per intellectionem creatam; sed hoc est grave inconveniens: ergo ex eo, quod intellectus Animæ Christi de facto intellexisset Divina intellectione, grave inconveniens sequitur. Consequentia est notoria. Minor patet: nam grave inconveniens est, intellectum Animæ Christi non habuisse de facto, quod de fide certum est, de facto habuisse; cum ergo sit de fide, vt fatetur Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 31. num. 185.* intellectum Animæ Christi de facto intellexisse per intellectionem creatam, inconveniens grave est, intellectum Animæ Christi non intellexisse per creatam intellectionem. Maior autem probatur primò per oppositum ad Ill. Godoy: ex eo, quod humanitas Christi esset sancta sanctitate Divina, sequeretur, non esse sanctam sanctitate creata: ergo paritèr: ex eo, quod intellectus Animæ Christi de facto intellexisset Divina intellectione, sequitur, intellectum Animæ Christi non intellexisse per intellectionem creatam. Consequentia ita efficax est contra Ill. Godoy, vt tota illius ratio sit paritas de sanctitate. Antecedens autem latè à nobis manet probatum *tom. 2. in 3. sent. disp. 21. num. 28. cum seqq.*

Probatur maior 1.

61 *Secundò.*

Probatur secundò dicta maior: intellectus Christi creatus non potest intelligere intellectione increata, & creata intellectione: ergo idem, quod anteà. Probatur antecedens: tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem increatam, & si potest, expletur; sed expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, intellectus Christi creatus non potest intellectione creata intelligere: ergo intellectus Christi creatus non potest intelligere intellectione increata, & creata intellectione. Consequentia est ex præmissis legimè illata. Præmissæ verò sunt probandæ.

62 *1. Pars maioris probat. 1.*

Probatur itaquè maior quoad primam partem. Primò: tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligere non excedit virtutem intellectionis increatæ: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem increatam. Probatur antecedens: virtus intellectionis increatæ est virtus intellectionis infinitæ; sed tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum, non excedit virtutem intellectionis infinitæ: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligere non excedit virtutem intellectionis increatæ. Secundò: intellectus Christi creatus, intelligens

Secundò.

per intellectionem increatam, est infinitè intelligens; sed tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem infinitam: ergo idem, quod anteà. Consequentia est legitima. Minor certa: nam tota capacitas intellectus Divini in ordine ad intelligere expletur per intellectionem increatam: ergo multo meliùs tota capacitas intellectus Christi creati. Maior probata manet *tom.2. in 3.sentent. disput.31. §.2. per totum*, vbi demonstravimus, quod si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, Deum de facto comprehenderet.

63 *2.Pars probat.1.* Ex his facilitèr suadetur secunda pars maioris prædictæ, & primò sic: intellectio increata (suppositione facta) cõmunicaretur intellectui Christi creato, quantum posset communicari: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expletur per intellectionem increatam. Antecedens patet: nam forma communicata subiecto dat illi omne, quod habet formalitèr, vt latè ostendimus *tom.disput.& §.citat.* Consequentia est legitima, alioquin tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum, non posset expleri per intellectionem increatam, cuius oppositum manet probatum.

Secundò. Secundò: intellectio increata est infinita; sed tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expletur per intellectionem infinitam: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum, expletur per intellectionem infinitam. Præmissæ sunt certæ, & consequentia eadem gaudet veritate, ac præcedens.

Tertiò. Tertiò ad hominem contra Ill. Godoy: dato, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, asserendum est, de facto intellectum animæ Christi per illam intellexisse: ergo dato, quod tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum posset expleri per intellectionem increatam, asserendum est, de facto sic expleri. Antecedens est Ill. Godoy *tom.2. in 3.part. disput.31. num.155.* Consequentia est paritate nottoria.

64 *Minor syllogismi prob.* Minor verò suprà positi syllogismi probatur: implicat, quod expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posit intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam: ergo expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, intellectus Christi creatus, non potest intellectione creata intelligere. Antecedens probatur: si expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatã, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam, sequeretur hęc contradictio, scilicèt, quod tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum, esset expleta, & non esset expleta; atqui hoc nequit concedi: ergo tenet antecedens. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: in primis esset expleta, vt supponitur. Deindè, non esset expleta, quia esset capacitas ad intelligendum per intellectionem creatam, vt est evidens; supponitur namquè, intelligere per creatam intellectionem, quod necessariò supponit capacitatem ad intelligendum per illam: ergo sequeretur dicta contradictio.

65 *Impugn. 2. ratio Ill. God.* Impugnatur secundò ratio Ill. Godoy: natura humana Christi semel beata per increatam beatitudinem, nequit simul beari per beatitudinem creatam; sed iuxtà sequelam rationis Ill. Godoy, natura humana Christi esset beata per increatam beatitudinem: ergo natura humana Christi, sequela suppositа, non bearetur per creatam beatitudinem. Probatur maior: humanitas Christi subsistens per subsistentiam increatam, nequit subsistere per subsistentiam creatam: ergo paritèr: natura humana Christi semel beata per increatam beatitudinem, nequit simul beari per beatitudinem creatam.

66 *Respondet Ill. Godoy.* Hoc argumentum insinuat Ill. Godoy *num.24.* & pro solutione ait: *Ratio autem, cur repugnet simultanea terminatio subsistentiæ creatæ, & increatæ, alterius est loci. Videantur Theologi 3.part. quæst.4. artic.2.* Hoc est, Ill. Godoy se remittere ad *tom.2. in 3. part. disput.19.* vbi *num.31.* rationem deducit ex Caietano, nempè, quod natura creata cum propria per-

so-

sonalitate adæquatur intensivè, & extensivè.

67 *Reijcitur solutio, omissa illius falsitate.*

Hanc tamen doctrinam esse falsam, ostendimus latè *tom. 2. in 3. sent. disput. 19. à num. 10. vsque ad 35.* Nunc autem solutionem admitto, & contra Ill. Godoy insurgo: natura creata nequit simul terminari subsistentia creata, & increata: ergo natura creata nequit simul beari beatitudine creata, & increata. Probatur consequentia: ideò natura creata nequit simul terminari subsistentia creata, & increata, quia natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum propria personalitate; atqui natura creata in ordine ad beari adæquatur intensivè, & extensivè cum beatitudine increata: ergo natura creata nequit simul beari beatitudine creata, & increata. Maior est solutio Ill. Godoy. Minor probatur: non minùs adæquatur natura creata in ordine ad beari cum beatitudine increata, ac adæquatur in ordine ad subsistendum cum subsistentia creata; sed natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum creata subsistentia: ergo natura creata in ordine ad beari adæquatur intensivè, & extensivè cum beatitudine increata. Minor cum consequentia tenet ad hominem contra Ill. God.

68 *Firmatur impugn.*

Maior autem, in qua vnicè potest esse difficultas, videtur innegabilis; si enim natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum creata subsistentia; cur (quæsio) natura creata in ordine ad beari non adæquabitur intensivè, & extensivè cum beatitudine increata? Difficilè certè videtur. Primò: nam beatitudo increata in ordine ad beandum infinitè excedit subsistentiam creatam in ordine ad subsistere. Secundò: quia beatitudo increata in ordine ad beandum beatitudinem superiorem non agnoscit; creata verò subsistentia superiorem subsistentiam habet in ordine ad subsistere, vt est manifestum. Vndè tam longè abest, vt solutio Ill. Godoy minuat efficatiam nostræ rationis, quod potiùs sit efficax illius probatio.

69 *Impugn. 3. ratio Illust. God.*

Impugnatur tertiò allata probatio Ill. Godoy: posita beatitudine increata, humanitatem Christi beatam constituente, frustra ponitur beatitudo creata in Christi humanitate: ergo si natura humana Christi de facto Deum videret, Deumque amaret, visione, & amore increato, non bearetur visione, & amore creato. Probatur antecedens: quandocumq; forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr formam inferiorem, & effectum illius, frustra forma inferior ponitur cum forma superiori; sed beatitudo increata est beatitudo superior, continens eminentèr, vel virtualitèr beatitudinem creatam, & effectum illius: ergo posita beatitudine increata, humanitatem Christi beatam constituente, frustra ponitur beatitudo creata in humanitate Christi. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt probandæ.

70 *Probatur maior.*

Probatur itaquè maior: quandocumque forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr inferiorem, & effectum illius, quidquid habetur per inferiorem præstatur à superiori, & excellentiori modo; sed quandocumque id, quod habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, frustra inferior ponitur cum superiori: ergo quandocumq; forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr formam inferiorem, & effectum illius, frustra forma inferior ponitur cum superiori. Maior patet in anima rationali; hæc enim est forma superior, continens eminentèr, vel virtualitèr vegetativam, & sensitivam, ideòque quidquid habetur per istas, præstatur ab illa, & excellentiori modo. Minor vero eadem paritate probatur: nam ideò in homine frustra poneretur anima vegetativa, & sensitiva cú anima rationali, quia quidquid habetur per illas, præstatur ab anima rationali, & excellentiori modo: ergo quandocumque id, quod habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, frustra inferior ponitur cum superiori. Consequentia est legitima. Antecedens autem est communis omnium sententia.

71 *Probatur minor.*

Minor syllogismi prædicti probatur: Beatitudo increata est beatitudo substantialis, Divina, & imparticipata; creata verò beatitudo est accidentalis, finita, & participata: ergo beatitudo increata est beatitudo superior,

con-

continens eminentèr, vel virtualitèr beatitudinem creatam. Atqui beatitudo increata continet etiam eminentèr, vel virtualitèr effectum beatitudinis creatæ: ergo beatitudo increata est beatitudo superior, continens eminentèr, vel virtualitèr beatitudinem creatam, & effectum illius. Antecedens cum consequentia claret. Sussumpta probatur: effectus beatitudinis creatæ est reddere naturam beatam (etsi alius est, de eo fiat idem argumentum) sed suppositione facta, beatitudo increata redderet naturam humanam Christi beatam: ergo beatitudo increata continet etiam eminentèr, vel virtualitèr effectum beatitudinis creatæ. Præmissæ constant, & consequentia patet: nam beatitudo increata non posset reddere naturam humanam Christi beatam, quin eminentèr, vel virtualitèr beatitudinem creatam contineret, vt claret in subsistentia Divina respectu creatæ, & in anima rationali respectu vegetativæ, & sensitivæ.

72 Hæc ex *tom. 2. in 3. sentent. disp. 31.* deduxi ad impugnandas prædictas Ill. Godoy probationes, quia illis ibi vsus fuit ad probandum, implicare, quod intellectus animæ Christi per increatam Dei intellectionem intelligeret. Si enim Ill. Godoy hic repetit in faborem suæ conclusionis, quod *tom. 2. in 3. part. disput. 31.* iam dixerat, nemo mirabitur, me hic contra ipsum repettere, quod ibi contra ipsum dixi, quia si in voluntate Ill. Godoy fuit repettere, in me, vestigia illius sequente, est necessarium. Alia vide *tom. & disput. citat.* pro impugnatione probationum Ill. Godoy, & ad ostendendam illius inconsequentiam progredior.

§. V.

Alia inconsequentia Ill. Godoy ostenditur.

73 OMissa paritate de gratia habituali, quam in se oppossuit Ill. Godoy *num. 24.* & omissa solutione, quam dedit ad illam *num. 25.* omissaque illius falsitate, de qua egimus ex professo contra illum *tom. 2. in 3. sent. disput. 27.* alijs doctrinis inconsequentiam declarabimus. Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 35. num. 224.* asserit: *Non implicat, totam possibilium collectionem extra Verbum quidditativè cognosci; de facto tamen non fuit ab anima Christi cognita*, ex quo per legitimam consequentiam videtur deduci, quod etsi non implicaret, naturam humanam Christi Domini Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato; de facto tamen non videret Deum, nec illum amaret, visione, & amore increato, cuius oppositum tenet Ill. Godoy in vltima illius probatione. Hæc est eius inconsequentia, quam sic manifestam facio.

Alia Ill. God. incõsequentia.

Ratio probans: naturam humanam Christi de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato, supposito, quod non implicet, sic eum videre, & amare, evidentèr convincit: Animam Christi de facto cognovisse quidditativè extra Verbum totam possibilium collectionem, supposito, quod non implicet, illam sic cognoscere; atqui Ill. Godoy vnum affirmat, & alterum negat: ergo Ill. Godoy inconsequentèr procedit. Consequentia est legitima. Minor est doctrina illius ex dictis *num. præcedent.*

74 *Ostenditur inconsequẽtia 1.*

Maior autem, ad quam tota devoluitur difficultas, probatur: ratio probans, naturam humanam Christi de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato, est, quia Christo Domino debemus concedere quidquid est dignitatis, si in eo nulla repugnantia involuatur; atqui hæc ratio evidentèr convincit: Animam Christi de facto cognovisse quidditativè extra Verbum totam possibilium collectionem, supposito, quod non implicet, illã sic cognoscere: ergo ratio probans: Naturã humanam Christi de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato, supposito, quod non implicet, sic eum videre, & amare, evidentèr convincit: Animam Christi de facto cognovisse quidditativè extra Verbum totam possibilium collectionem, supposito, quod non implicet, illam sic cognoscere. Consequentia est notoria. Maior est, quam Ill. Godoy allegat in sua probatione; minor est luce clarior; nam ablata repugnantia, indubitabile est, quod esset maximæ dignitatis in anima Christi, totam collectionem possibiliũ quidditativè extra Verbum cognoscere.

75 *Prob. mai.*

Hoc argumentum sibi non fecit Ill. Godoy, nec video, quid respondere

76 *Respondeb. Ill. Godoy.*

re posit ad inconsequentiam salvandam, nisi recurrat ad doctrinā, quam tradit *tom. 2. in 3. part. disput. 35. num.* 238. scilicèt, maximam illam: *Christo concedendum est, quidquid dignitatis est*, intelligendam esse de dignitate possibili, servato modo connaturali debito animæ rationali. Si autem sic respondeat, aliud enim effugium non apparet.

77 *Contra 1.* Contra primò: inconnaturalitas non obest, vt Christo concedatur quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involuatur: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: natura Christi creata per beatitudinem increatam non bearetur modo connaturali; sed hoc non obest, vt dato, quod non implicet, naturam Christi creatam esse beatam beatitudine increata, de facto sit per illam beata: ergo inconnaturalitas non obest, vt Christo concedatur quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involuatur. Probatur maior: intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali: ergo natura Christi creata per beatitudinem increatam non bearetur modo connaturali. Consequentia est legitima in omniū opinione, & maximè apud Ill. God. constituentem beatitudinem formalem in actu intellectus. Antecedens autem probatur. *Probatur anteced. Primò.* Primò: ideò intellectus Christi creatus non cognosceret omnia possibilia modo connaturali, quia non est connaturale intellectui creato, plura, vt plura, simul intelligere; sed intellectus Christi creatus plura, vt plura, simul intelligeret per intellectionem increatam, vt est manifestum: ergo intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali. Maior est Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disp. 35. num. 237.* Minor, & consequentia tenent.

78 *Secundò.* Probatur secundò idem antecedens: ideò intellectus Christi creatus non cognosceret omnia possibilia modo connaturali, quia si vnico actu cognosceret, necessariò requireretur vna species vniversalissima, excedens vniversalitatem specierum omnium Angelorum; sed si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, necessariò requireretur species vniversalissima excedens vniversalitatem specierum Angelorum omnium: ergo intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *tom. & disp. citat. numer.* 237. Minor patet: nā intelligeret intellectione infinita, quę requireret speciem infinitam.

79 *Tertiò.* Tertiò: intellectus Christi creatus, etsi intelligeret per intellectionem increatam, adhuc etiam intelligeret per creatam intellectionem; sed hoc non alia ratione, nisi vt connaturalitèr intelligeret: ergo intellectus Christi creatus per intellectionē increatam non intelligeret modo connaturali. Maior est Ill. God. *tom. citat. disp. 31. num.* 172. Minor etiam est ipsius *citat. num.* 190. Consequentia constat: nam si intellectus Christi creatus intelligeret connaturalitèr per intellectionem increatam, superflueret creata intellectio, vt connaturalitèr intelligeret. *Quartò.* Probatur quartò: intelligere per intellectionem increatam non est connaturale intellectui creato, vt de se patet: ergo intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali.

80 *Contra 2. ad hom. cōtra Ill. God.* Contra secundò: data non repugnantia in intellectu creato ad beari per increatam beatitudinem, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ beatitudinis ad intellectum creatum, non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatū: ergo data non repugnantia in intellectu creato ad cognoscendum per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionē, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ scientiæ ad intellectum creatū non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo sicut intellectus Christi creatus modo connaturali bearetur per beatitudinem increatam, supposita non repugnantia; ita intellectus Christi creatus modo connaturali cognosceret totam possibilium collectionem per prædicatam scientiam, supposita non repugnantia: ergo ruit solutio Ill. Godoy, & tenet eius inconsequentia. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 31. num.* 168. & 169. vbi id probat, & confirmat de intellectu creato respectu intellectionis

in-

increatæ. Consequentia est paritate nottoria.

81 *Probatur consequent.*

Et vltrà probatur: magis inconnaturale est absolutè, intellectum creatum beari per beatitudinem increatam, quam intelligere per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem; sed iuxta Ill. Godoy data non repugnantia in intellectu creato ad beari per increatam beatitudinem, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ beatitudinis ad intellectum creatum, non sit factibilis connaturalis per aliquod donum creatum: ergo data non repugnantia in intellectu creato ad cognoscendum per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ scientiæ ad intellectum creatum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum. Probatur maior: id, quod est absolutè impossibile, est magis inconnaturale absolutè, quã id, quod est absolutè possibile; sed intellectum creatum beari per increatam beatitudinem, est absolutè impossibile; intelligere autem per scientiam supernaturalem infusam totam collectionem possibilium, est absolutè possibile: ergo magis inconnaturale est absolutè intellectum creatum beari per beatitudinem increatam, quam intelligere per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem. Consequentia est legitima. Minor pro prima parte est Ill. Godoy *in præsenti num.* 11. & pro secunda est ipsius *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 35. *num.* 224. Maior verò ex terminis apparet.

82 *Contra 3.*

Contra tertiò: in tota entium latitudine non est dabilis maior inconnaturalitas, quam quę reperitur inter finitum, & infinitum; sed hæc inconnaturalitas non obest, vt suppositæ non repugnantia in natura humana Christi ad beari beatitudine infinita, per eam de facto beetur: ergo inconnaturalitas intellectus ad cognoscendam totam possibilium collectionẽ, nequit obstare, vt suppositæ non repugnantia in intellectu Christi creato, illam de facto cognoscat: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior autem ita est clara, vt non indigeat probatione.

83 *Ostenditur 2. inconsequentia Ill. Godoy.*

Ostenditur secundò prædicta Ill. Godoy inconsequentia: Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 51. *numer.* 19. absolutè negat hanc propositionem: *Christo debet attribui, quidquid dignitatis est, si contradictionem non implicat*; atqui hæc est propositio, quam, vt absolutè veram, defendit in præsenti: ergo absolutè affirmat in præsenti, quod absolutè habet negatum: ergo inconsequentèr procedit. Vtraque consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy in sua probatione. Maior est ipsius *tom.* 3. *citat.* vbi ad prædictam propositionem sic respondet: *Respondeo ex dictis, vel negando absolutè maiorem.* Nec obest, quod posteà illam distinguat, quia ex his duabus solutionibus, primam summo, & ex illa contra ipsum inconsequentiam demonstro.

84 *Ostendit. 3. inconsequẽt.*

Ostenditur tertiò inconsequentia Ill. Godoy: ratio probans: naturam Christi humanam de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato, supposito, quod non implicet, sic eum videre, & amare, evidentèr convincit, Christum de facto meruisse de condigno continuationem suæ vnionis, supposito, quod non implicet, illam sic mereri; atqui Ill. Godoy vnum affirmat, & alterum negat: ergo inconsequentèr procedit. Consequentia est nottoria. Minor pro prima parte est doctrina Ill. Godoy in sua probatione. Pro secunda est etiam ipsius *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 51. *num.* 2. vbi hæc habet: *Prima conclusio: potuit Christus de potentia absoluta mereri merito condigno vnionis hypostaticæ continuationem; illam tamen de facto non meruit.*

85 *Prob. mai.*

Maior autem, ad quam tota devoluitur difficultas, est ita vera, vt eadem sit pro vtroque ratio; claritatis autem gratia probatur: ratio probans, naturam Christi humanam de facto Deum videre, Deumque amare, visione, & amore increato, supposito, quod non implicet, sic eum videre, & amare, est, quia Christo Domino debemus concedere quidquid est dignitatis, si in eo nulla repugnantia involuatur; atqui hæc ratio evidentèr convincit, Christum de facto meruisse de condigno continuationem suæ vnionis, supposito, quod non implicet, illam sic mereri: ergo ratio probans: naturam Christi hu-

humanam de facto Deum videre, Deumq; amare, visione, & amore increato, suppositò, quod non implicet, sic eum videre, & amare, evidenter convincit, Christum de facto meruisse de condigno continuationem suæ vnionis, suppositò, quod non implicet, illam sic mereri. Consequentia est legitima. Maior est ratio, qua vtitur Ill. Godoy in sua probatione. Minor est evidens; quia suppositæ non repugnantia, quam etiam concedit Ill. Godoy in verbis relatis, innegabile est, quod esset maximæ perfectionis, maximæque dignitatis, Christum de condigno mereri continuationem suæ vnionis.

86 *Solutio Ill. Godoy, & eius impugn.*

Ad hoc argumentum, quod pro merito condigno Christi circa continuationem suæ vnionis, sibi fecit Ill. Godoy *tom. 3. citat. num. 19.* Vel respondet, vt ibi facit, negando absolutè maximam illam, scilicèt, *Christo Domino debemus concedere quidquid est dignitatis, si in eo nulla repugnantia involuitur.* Et sic inconsequentia illius est per se nota ex dictis *num. 83.* Vel distinguit distinctione data *numer. 76.* Et sic vltrà hoc, quod semper manet inconsequentia, impugnatum manet, non solum per dicta *à numer. 77. vsquè 82.* sed etiam per à nobis tradita *tom. 3. in 3. sent. disp. 51. à num. 5. vsquè ad 20.*

§. VI.

Conclusionem supra positam in opinione Ill. God. substineri non posse, probatur.

87 *Conclusio suprà posita nequit defendi in opinione Ill. Godoy.*

REiectis iam rationibus Ill. God. quibus probat conclusionem prædictam, ostensaque illius inconsequentia, restat nunc, iudicium de conclusione facere, & meo videri, licèt prædicta conclusio sit certa, & certissima, & vt talis propugnetur ab Ill. Godoy cum tota Thomistarum caterva, nequit in illorum opinione conclusio prædicta defendi. Me ad hoc movere poterant dicta *à num. 21. vsquè ad 45.* quæ hic accommodari debent; cæterum vltrà hæc, alia est doctrina Ill. God. & Thomistarum, qua moveor, & quam sequenti declaro argumento.

88 *Probatur intentum.*

Intellectus creatus, vel est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem, phisicè, & methaphisicè; vel ad visionem accidentalem logicè tantum? Atqui quidquid dicat Ill. Godoy, vel est contra ipsum, vel intellectus creatus potest videre Deum visione increata: ergo supra posita conclusio nequit defendi in doctrina Ill. Godoy. Maior est certa. Primò: nam triplex est accidens, scilicèt, phisicum, & est, quod entitativè est accidens. Methaphisicum, & est omne id, quod non est essentia rei. Et logicum, & est, quod potest adesse, & abesse absquè subiecti corruptione: ergo intellectus creatus vel est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem phisicè, & methaphisicè, vel logicè tantum. Secundò: nam sicut intellectus Diuinus est essentialitèr determinatus ad visionem substantialem; ita intellectus creatus est essentialitèr determinatus ad visionē accidentalem; sed accidens, vel est phisicū, vel methaphisicū, vel logicum: ergo idem quod anteà.

89 *Prob. min.*

Minor autem probanda est per quodcumque, quod dicat Ill. God. Si dicat, quod intellectus creatus est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem logicè tantum. Sic contra ipsum insurgo: per te intellectus creatus est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem logicè tantum: ergo intellectus creatus potest videre per visionem substantialem phisicè, & methaphisicè, & logicè tantum accidentalem. Consequentia est evidens, concesso antecedenti. Infero nunc: ergo intellectus creatus potest videre visione increata. Probatur hæc consequentia: intellectus creatus potest videre per visionem substantialem phisicè, & methaphisicè, & logicè tantum accidentalem; sed increata visio est physicè, & methaphisicè substantialis, & respectu intellectus creati esset logicè tantum accidentalis: ergo intellectus creatus potest videre visione increata.

90 *Intentum prosequitur, & ostenditur 1.*

Si verò ad hoc evitandum dicat Ill. Godoy: quod intellectus creatus est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem phisicè, & metaphicè. Sic primo contra ipsum insurgo: intellectus creatus non est essentialitèr determinatus ad visionem accidentalem phisicè, & methaphisicè: ergo si hoc dicit, contra se dicit. Probatur antecedens: intellectus creatus iuxtà ipsum est acci-

dens;

dens; ſed accidenti non repugnat eſſe immediatè operativum ſubſtantiæ phiſicè, & methaphiſicè iuxtà eundem: ergo intellectus creatus non eſt eſſentialitèr determinatus ad viſionem accidentalem phiſicè, & methaphiſicè. Præmiſſæ ſunt in doctrina ipſius ſtatutæ. Conſequentia probatur: ſi intellectus creatus eſſet eſſentialitèr determinatus ad viſionem accidentalem phiſicè, & methaphiſicè, accidenti repugnaret eſſe immediatè operativum ſubſtantiæ phiſicè, & methaphiſicè; ſed per te accidenti non repugnat eſſe immediatè operativum ſubſtantiæ phiſicè, & methaphiſicè: ergo intellectus creatus non eſt eſſentialitèr determinatus ad viſionem accidentalem phiſicè, & methaphiſicè.

91 *Secundò.* Inſurgo ſecundò: intellectus creatus eſt accidens; ſed accidens poteſt recipere effectum formalem ſubſtantiæ phiſicè, & methaphiſicè: ergo intellectus creatus poteſt recipere effectum formalem viſionis ſubſtantialis phiſicè, & methaphiſicè: ergo intellectus creatus non eſt eſſentialitèr determinatus ad viſionem accidentalem phiſicè, & methaphiſicè. Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima ex præmiſſis. Ex his autem maior eſt doctrina Ill. Godoy. Reſtat igitur in minori difficultas. Probatur itaquè: corpus in ſententia omnium Thomiſtarum, negantium formam corporeitatis ſubſtantialem, nihil aliud eſt, quam accidens; ſed corpus recipit effectum formalem ſubſtantialem phiſicè, & methaphiſicè ab anima rationali: ergo accidens poteſt recipere effectum formalem ſubſtantialem phiſicè, & methaphiſicè.

§. VII.

Vera concluſionis probatio oſtenditur, & duplici argumento ſpeciali occurritur.

92 *Vera ratio concluſionis.* ILl. Godoy probationibus ommiſſis, noſtra, & communis ſententia hac vnica, & efficaci certè ratione probatur: beatitudo increata nequit præſtare ſuum effectum formalem intellectui creato: ergo implicat, intellectum beati Deum videre viſione increata. Probatur antecedens: effectus formalis cuiuſcumque beatitudinis eſt reddere ſubiectum formaliter beatum; ſed increata beatitudo nequit reddere intellectum creatum formaliter beatum: ergo beatitudo increata nequit præſtare ſuum effectum formalem intellectui creato. Probatur minor: reddere intellectum formaliter beatum eſt effectus formalis præſtitus à beatitudine *per modum formæ*, vt diſtinguitur ab effectu præſtito à forma *per modum termini*; ſed increata beatitudo nequit *per modum formæ*, vt diſtinguitur à ly *per modum termini*, præſtare intellectui creato effectum formalem beatitudinis: ergo increata beatitudo nequit reddere intellectum creatum formaliter beatum. Probatur minor: omnis effectus formalis præſtitus à forma *per modum formæ*, vt diſtinguitur à ly *per modum termini*, exigit neceſſariò vel phiſicam informationem, vel realem identitatem cum ſubiecto; atqui vtrumque repugnat beatitudini increatæ reſpectu intellectus creati: ergo increata beatitudo nequit *per modum formæ*, vt diſtinguitur à ly *per modum termini*, præſtare intellectui creato effectum formalem beatitudinis. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem patet inductione per omnes formas, ſivè creatas, ſivè Divinas, quæ præſtant ſuum effectum formalem *per modum formæ*, vt diſtinguitur à ly *per modum termini*.

93 Hæc ratio ita efficax eſt, vt ea ſolum facillimè ſolvantur argumenta omnia, quæ contra concluſionem obijci ſolent, & aliquibus relictis, quæ à pàritate, tum de ſubſiſtentia; tum etiam de Eſſentia Divina vnita per modum ſpeciei, fieri ſolent; quia ſoluta manent §. 1. duplex ſpeciale argumentum proponam, vt illorum ſolutione, & vera maneat concluſio, & efficatia rationis prædictæ eluceſcat.

94 *Arguit.* 1. Arguitur primò: ſi beatitudo increata vniretur cum intellectu creato, aliquis effectus beatitudinis, vt beatitudinis, redundaret in intellectu, vt intellectu; ſed effectus beatitudinis, vt beatitudinis, in intellectu, vt intellectu, eſt beatificare: ergo ſi beatitudo increata vniretur cum intellectu creato, redderet illum beatum. Atqui, etſi de facto non ſit vnita cum intellectu creato; non repugnat vniri:

er-

ergo non repugnat, quod intellectus creatus beatitudine increata beatificetur, & consequentèr non implicat, intellectum beati Deum per increatam visionem sibi vnitam videre: Probatur maior: quia subsistentia increata vnitur cũ humanitate Christi, aliquis effectus subsistentiæ, vt subsistentiæ, communicatur humanitati, & quia Filij subsistentia vnitur cum humanitate Christi, aliquis effectus Filij, vt Filij, communicatur humanitati: ergo si beatitudo increata vniretur cum intellectu creato, aliquis effectus beatitudinis, vt beatitudinis, redundaret in intellectu, vt intellectu.

95 *Prob. cõseq. Primò.* Probatur consequentia primò: vbi non repugnat vnio rei sub aliquo conceptu, non repugnat effectus communicabilis ratione vnionis, & sub illo conceptu; nam vbi repugnat effectus communicabilis sub aliquo conceptu, repugnat, & vnio sub illo conceptu: ergo si beatitudo increata vniretur cum intellectu creato, redderet illum beatum. *Secundò.* Probatur secundò consequentia: non potest esse vnio in subiecto, quin det subiecto suum effectum, scilicèt, esse vnitum: ergo non potest esse forma aliqua vnita, quin det in ratione formæ aliquem effectum formalem subiecto: ergo beatitudo increata nequit vniri in intellectu creato, quin præstet in linea beatificandi aliquem effectum.

96 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: si beatitudo increata vniretur cum intellectu creato, vnione sufficienti, vt aliquis effectus beatitudinis, vt beatitudinis, redundaret in intellectu, vt intellectu, aliquis effectus beatitudinis, vt beatitudinis, redundaret in intellectu, vt intellectu, concedo maiorem; si vniretur vnione insufficienti, nego maiorem; & ommissa minori, distinguo similitèr consequens. Ommitto sussumptam, & nego consequentiam. *Ratio solutionis.* Ratio est: nam vt beatitudo increata tribuat intellectui creato effectum beatitudinis, vt beatitudinis, seu effectum beatificandi (quod pro eodem vsurpatur in argumento) non sufficit quælibet vnio, sed necessariò exigitur vnio, vel per informationem, vel per identitatem, vt ostendimus *num.* 92. Cum igitur hoc repugnet, nunquam sequitur, quod beatitudo increata possit reddere intellectum creatum beatum, adhuc ommisso, quod possit vniri cum intellectu creato, & quod effectus beatitudinis, vt beatitudinis, sit beatificare.

97 *Firmatur solutio.* Solutio est manifesta, & his patet exemplis. Primum est: nam etiam si Verbum immediatè vniretur accidenti, v.g. albedini, quod esse possibile, diximus *tom.* 2. *in* 3. *sent. disp.* 18. §. 3. albedo non tribueret Verbo suum effectum formalem, scilicèt, esse album, quia non vniretur ipsi vnione sufficiente, vt illud album denominaret. Secundum est: nam etiam si Verbum immediatè vniretur intellectioni creatæ, intellectio creata non tribueret Verbo suum effectum formalem, scilicèt, esse intelligentem, quia non vniretur ipsi vnione sufficiente, vt illud intelligentem denominaret. Ratio vtriusque exempli constabit retorsionibus, quas cum ipsis contra argumentum formabimus.

98 *Retorqueo.* Retorqueo itaquè primo argumentum: si Verbum vniretur cum albedine, aliquis effectus albedinis, vt albedinis, redundaret in Verbo; sed effectus albedinis, vt albedinis, est reddere album: ergo si Verbum vniretur cum albedine, albedo redderet illud album, quod est apud omnes falsum. *Secundò.* Secundò: si Verbum vniretur cum intellectione creata, aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in Verbo; sed effectus intellectionis, vt intellectionis, est reddere subiectum intelligentem: ergo si Verbum vniretur cum intellectione creata, intellectio creata redderet Verbum intelligentem, quod etiam est apud omnes falsum.

99 *Ratio vtriusque retorsionis.* Ratio autem vtriusque exempli, vtriusque retorsionis, ex ipsis contra argumentum factæ, est: data vnione Verbi Divini cum albedine, & cũ intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata tribuerent Verbo suos effectus formales: ergo non sufficit quælibet vnio ad hoc, vt forma præstet subiecto suum effectum formalem: ergo vera est nostra ad argumentum solutio. Probatur antecedens: data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata prædicarentur de Verbo: ergo nec tribuerent Verbo suos effectus for-

males. Probatur antecedens: data prædicta vnione, nec in concreto, nec in abstracto, prędicarentur de Verbo: ergo data vnione, nec albedo, nec intellectio creata prædicarentur de Verbo. Probatur antecedens: prædicatio in abstracto petit identitatē prædicati cū subiecto, & prædicatio accidentis in concreto petit informationē; sed vtrumque repugnat Verbo Divino respectu albedinis, & intellectionis creatæ: ergo data prædicta vnione, nec in concreto, nec in abstracto prædicarentur de Verbo. Minor, & consequentia tenent. Maior autem pro prima parte est nottoria. Pro secunda autem probatur: concreta accidentalia non denominant, nisi ratione informationis, ideòque dixit Scotus *in 3. dist. 22. in fine*: sola subsistentatio non sufficit: ergo prædicatio accidentis in concreto petit informationem.

100 Quomodo autem albedo, & intellectio (idemque de quolibet alio accidente) denominarent Verbum Divium, data vnione Verbi Divini cum illis, iam diximus *tom. 2. in 3. sent. disp. 18. num. 90.* scilicèt, quia Verbum denominarent solum in obliquo, sicque data prædicta vnione, Verbum non diceretur album, sed habens albedinem; non diceretur intelligens, sed habens intellectionem. Quam doctrinam fatetur Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disput. 31. num. 150.* prætermissa sententia, quod Deus sibi albedinem, & intellectionem assumeret, & in illis subsisteret; licèt talis vnio, vel assumptio sit apud ipsum impossibilis, cuius oppositum adversus illum propugnavimus *tom. & disp. cit. §. 3. 4. & 5.*

101 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: quod est perfectum sine imperfectione, potest suppleri à Deo; sed in hoc, quod est intelligere, vel videre, reperitur aliquid perfectum sine imperfectione, & aliquid cum imperfectione: ergo poterit suppleri à Deo, quod est perfectum sine imperfectione, licèt non possit suppleri, quod est cum imperfectione. Atqui videre, vel intelligere est perfectum sine imperfectione, & se habere vt forma antecedentèr ad intelligere, est perfectum cum imperfectione: ergo poterit suppleri à Deo hoc, quod est intelligere præcisè, etsi non possit suppleri hoc, quod est, se habere vt forma informans. Tunc sic; sed formalis beatitudo consistit in videre, vel velle: ergo consistere potest in videre, quod non se habeat vt forma informans: ergo in videre Divino, quia hoc tantum non est informativum. Prima maior est certa: quia non alia ratione aliquid repugnat Deo, nisi propter imperfectionem. Minor est clara; quia intelligere præcisè, est præscindibile ab hoc, quod est informare, vt constat in Deo. Consequentia est legitima. Prima sussumpta pro prima parte patet in Deo, & pro secunda in sententia, contra quam arguo; nam est ratio, & aquiles illius. Secunda sussumpta apud omnes est certa. Consequentia legitima.

102 *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: quod est perfectum sine imperfectione, & nulla sequitur imperfectio, potest supleri à Deo, concedo maiorem; & aliqua sequitur imperfectio, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Itaquè: licèt intelligere præcisè sit præscindibile ab hoc, quod est informare, non ob hoc sequitur, posse Deum supplere hoc, quod est intelligere. Quod ostenditur primò: primarius effectus formæ præscindibilis est ab effectu secundario; sed in sententia probabili, Deus nequit supplere effectum primarium formæ, maximè totalis, quia licèt hic effectus, scilicèt, dare esse, sit perfectio sine imperfectione; tamen est necessariò connexus cum effectu secundario, qui est expellere informando, & consequentèr imperfectio: ergo licèt aliquid sit præscindibile ab alio, non ob hoc sequitur, quod possit Deus illud supplere: ergo similitèr. *Firmatur solutio 1.*

Secundò. Secundò: licèt in effectu primario formæ præscindibilis sit duplex formalitas, scilicèt, dare esse, quod est perfectio sine imperfectione, & dare esse informando, & per modum partis, quod est imperfectio, nequit Deus in sententia probabili supplere vnum sine alio, quia habent connexionem inter se: ergo paritèr.

103 *Variæ retorsiones contra argument.* Denique argumentum prædictum patitur plures instantias in partibus, tàm physicè, quàm methaphisicè constituentibus; quia vnum se habet per modum generis, & aliud per modum differentiæ, & consequentèr

præs-

præscindibilia, & tamen nequit homo esse rationalis, quin sit animal, & è contra. Patitur etiam instantiam in quocumque constitutivo, & eius passione in quarto modo dicendi per se. Ex quibus plures fiant contra argumentum retorsiones. Et hæc de ista disputatione. (§)

DISPVTATIO QUARTA.

Utrùm Beatitudo formalis consistat in operatione elicita à Beato?

VT Ill. Godoy ad id, quod inter Theologos est in hac disputatione controversum, discutiendum accedat, duas reijcit opiniones, quas nos etiam vestigia illius sequendo, reijciemus, vt ad id, quod inter ipsum, & nos est in hac disputatione controversum, discutiendum accedamus. Sit ergo.

§. I.

Reijcitur sententia Henrici.

Num. 1 *Sententia Henrici.*

HEnricus *quodlib.* 13. *quæst.* 12. duplicem beatitudinẽ formalem statuit. Vnam perfectam, quam constituit in illapsu quoddam ipsius Deitatis in substantiã animæ, illam scilicèt, Deificando per penetrationem, & circuminsessionem admodum, quo ignis ignificat, & penetrat ferrum candens. Alteram minùs perfectam, & hanc constituit in operationibus intellectus, & voluntatis. Hanc vocat minùs perfectam, quia ex perfecta beatitudine redundat. Sic Henricus. Pro cuius impugnatione.

2 *NOTA.* Advertendum est: quod quadruplex est illapsus Dei in creaturas. Primus est, quando per essentiam, potentiam, & præsentiam Deus illabitur creaturis, qui illapsus dicitur generalis, quia ad omnes creaturas se extendit. Secundus est per gratiam, quomodo illabitur Iustis. Tertius est per gloriam, quomodo illabitur beatis. Quartus tamen per vnionem hypostaticam, quomodo illabitur solum humanitati Christi. Hoc itaquè animadverso, in quo omnes Theologi conveniunt.

3 *Impugn.* 1. Illapsum ab Henrico positum omnes reijciunt, præsertim Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. §. *Ad istam secundam quæst.* Ex quo. Impugnatur primò: nihil mutatur propriè intrinsicè, nisi aliquid nobum sibi formalitèr inhæreat; sed homo per beatitudinem propriè intrinsicè mutatur; transijt enim de miseria in beatitudinem: ergo aliquid intrinsicè inhæret in ipso, quo formalitèr mutatur; atqui Essentia Divina illapsa non est forma mutans formalitèr beatũ, vt de se patet: ergo formalis beatitudo non consistit in illapsu Divinitatis in animam.

4 *Dices* 1. Dices primò: esse mutationem in potentijs, quarum operationibus mutatur sufficientèr beatus. *Contra* 1. Contra primò: secundum Henricum ante quamcumque operationem homo est formalitèr beatus per illapsum: ergo ante operationem potentiarum debet esse mutatio. *Contra* 2. Contra secundò: homo non est formalitèr beatus vsquè dum formalitèr mutatur; sed iuxtà solutionem non mutatur formalitèr vsquè ad operationem potentiarum: ergo vsquè ad hanc operationem non erit formalitèr beatus: ergo beatitudo formalis non stat in illapsu ab Henrico posito.

5 *Dices* 2. Dices secundò: esse mutationem per nobam, & specialem vnionem Dei ad animam. *Contra.* Contra: nam hæc

vnio vel eſt ſubſtantialis, vel accidentalis? Non primum; aliquin Deus, & anima, vel eſſet vna natura, vel vna perſona, quorum vtrumque eſt contra fidem. Imò hoc dato, homo non eſſet beatus per hanc vnionem, vt patet in humanitate Chriſti, quæ non fuit beata per vnionem ſubſtantialem ipſius ad Verbum: ergo nec homo eſſet beatus per vnionem ſubſtantialem Dei in animam. Non ſecundum: nam hæc vnio accidentalis ſolum fieri poſsit per gratiam habitualem; ſed per hanc vnionem homo non eſt formaliter beatus; nam hæc vnio beatis, & viatoribus eſt communis: ergo in tali vnione conſiſtere nequit noſtra formalis beatitudo.

6 *Impugn. 2.* Impugnatur ſecundo ex eodem: beatitudo formalis creaturæ in eo conſiſtit proportionaliter, in quo conſiſtit formalis Dei beatitudo; ſed hæc non conſiſtit in identitate obiecti beatifici ad ſe ipſum, ſed in operatione intellectus, vel voluntatis circà tale obiectum: ergo nec noſtra conſiſtet in vnione Deitatis ad animam, ſed in operatione intellectus, vel voluntatis circà tale obiectum. *Impugn. 3.* Tertiò impugnatur etiam ex eodem: illapſus ab Henrico poſsitus eſt prior natura quacumque operatione: ergo ſine contradictione poteſt eſſe ſine aliqua operatione: ergo dormiens poteſt eſſe beatus, contra Ariſtotelem 12. *Methaphiſicæ*. Si dicas: quod operatio requiritur, vt prævia diſpoſitio. Contrà: repugnat, quod prius dependeat à poſteriori, vt à conditione antecedenti; ſed per te illapſus eſt prior natura quacumque operatione: ergo repugnat, quod operatio requiratur, vt prævia diſpoſitio ad illapſum.

7 *Arguit. 1.* Obijcies primò D. Dioniſium *de Cæleſti Hyerarchia, cap. 7.* dicentem: quod amans transformatur in rem amatam; ſed Deus amat beatos: ergo transformatur in illos: ergo illabitur, quia illabi idem eſt, ac transformari. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò: dictum D. Dioniſij eſſe methaphoricum; nam eſt idem, ac dicere: quod amans magis eſt in re amata, quam in ſe ipſo, ex quo non ſequitur illapſus Henrici. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò retorquendo argumentum: Deus illabitur beatis, quia illos amat: ergo illabitur etiam viatoribus iuſtis, quia illos amat. Item: ergo Petrus amans Paulum illabitur illi: ergo ſubſtantia Petri eſt in ſubſtantiam Pauli illapſa, contra omnes.

8 *Arguit. 2.* Obijcies ſecundò: ignis penetratur cum ferro, ſeu ferro illabitur: ergo ſimiliter Deus cum beato. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò negando conſequentiam, quia Henricus non adducit rationem aliquam, in qua fundetur paritas. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò diſtinguendo conſequens: ergo Deus illabitur beato, ſic, quod in prædicto illapſu non ſtet formalis beatitudo, ommitto conſequens; ſic, quod ſtet in illo, nego conſequentiam. Itaquè, vt paritas meliùs percipiatur, nota: quod dupliciter poteſt ignis penetrari cum ferro. Primò: ita, quod ferrum habeat in ſe accidentia propria ignis, ſcilicèt, calorē, ſplendorem, &c. Secundò: ita, quod in partibus prorſis contineat veram ſubſtantiam ignis. Primo modo Deus eſt in beatis per lumen gloriæ, & gratiam habitualem, quorum neutrum formaliter beatificat. Secundo modo Deus non eſt in beatis, quod erat neceſſarium ad intentum Henrici. *Explicatur ſolutio.* Imò dato, quod Deus eſſet in beatis hoc ſecundo modo, adhuc non eſſet noſtra formalis beatitudo in hac vnione, quod claret ex noſtris impugnationibus, & vltrà firmatur exemplo vnionis hypoſtaticæ, qua Chriſtus formaliter non beatificatur. *Retorquè.*

9 *Arguit. 3.* Obijcies tertiò: beatitudo formalis eſt perfectiſsima vnio animæ cum Deo; ſed vnio per illapſum eſt perfectiſsima: ergo beatitudo formalis prædicto illapſu conſiſtit. *Reſpond. 1.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem primo: beatitudo formalis eſt vnio perfectiſsima, & intrinſeca, concedo maiorem; & extrinſeca, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. *Secundò.* Diſtinguo ſecundo maiorem: eſt perfectiſsima in ratione aſſecutionis, & poſſeſsionis obiecti, concedo maiorem; in ratione entis, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. *Retorqueo.* Deniquè retorqueo argumentum: beatitudo formalis eſt perfectiſsima vnio; ſed in probabili ſententia vnio hypoſtatica eſt perfectior inter omnes vniones: ergo hæc erit formalis beatitudo.

10 *Arguit. 4.* Obijcies quartò: beatitudo conſiſtit

sistit in illapsu Dei ad creaturas; sed convenientius est, quod talis illapsus sit Dei in animam, quam in potentiam: ergo beatitudo consistit in illapsu Divinitatis in animam. Probatur minor: ex illapsu in animam redundat illapsus in potentias, non verò è contra: ergo convenientius est, quod illapsus sit Dei in animam, quam in potentias. Probatur antecedens: à priori fit redundantia in posterius, non verò è contra; sed anima est prior potentijs: ergo ex illapsu in animam redundat illapsus in potentias, non verò è contra.

Respond. 1. Respondeo primò, negando maiorem: quia non datur illapsus ille, quem ponit Henricus; nam cum hic ex sola Dei voluntate dependeat, solum ex Scriptura, Concilijs, vel Patribus colligi debebat; sed ex nullo ex his colligitur: ergo non datur. Imò esse impossibilem talem illapsum, affirmat Salas *tract. 2. disp. 2. sect. 2. num.* 11. etsi Suarez oppositum teneat.

11 *Respond.* 2. Respondeo secundò omissa maiori, negando minorem, ad probationem nego antecedens, & vltimam maiorem: nam stat optimè, quod aliquid sit prius alio vno modo, & sit alio modo posterius, vt patet in substantia ignis, quæ est prior quoad esse potentia calefaciendi ipsius ignis; & tamen quoad actū calefaciendi prior est potentia, quam ipsa substantia ignis, quia calefacere immediatiùs convenit potentiæ, quam substantiæ. Similitèr ergo in præsenti: licèt anima quoad esse sit prior potentijs; tamen quoad operari, in quo consistit formalis beatitudo, potentiæ sunt anima priores.

Tertiò. Deniquè respondeo tertiò distinguendo maiorem: beatitudo consistit in illapsu Dei, sub ratione Deitatis, nego maiorem; sub ratione obiecti beatifici, attingibilis à creatura, concedo maiorem, & nego minorem; quia vt sic immediatiùs attingitur per potentias, quam per ipsam animam.

12 *Arguit.* 5. Obijcies quintò: illapsus Dei in animam verius perficeret animam, quam potentias; sed beatitudo consistit in veriori perfectione: ergo beatitudo consistit in illapsu Divinitatis in animam.

Triplex solutio. Respondeo distinguendo primò, & secundò vt in *numer.* 9. Distinguo tertiò: illapsus Dei in animam verius perficeret in actu primo animam, quam potentias, concedo maiorem; in actu secundo, nego maiorem: distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Retorqueo tandem argumentum. Primò: intellectus Angeli perfectior est sua intellectione, idemque de voluntate respectu volitionis; sed beatitudo Angeli nec in intellectu, nec in voluntate consistit; sed intellectione, vel volitione: ergo paritèr.

Retorq. 1.

Secundò. Retorqueo secundò: vnio hypostatica est perfectior, quam operatio nostra; sed beatitudo non consistit in vnione hypostatica: ergo similitèr.

13 *Arguit.* 6. Obijcies sexto: gloria est gratia consumata; sed gratia principalitèr est in anima, ex qua redundat in potentias: ergo gloria principalitèr est in anima, ex qua redundat in potentias: ergo gloria, vel beatitudo in illapsu in animam consistit.

Respond. 1. Respondeo primò negando minorem; quia gratia, non in anima, sed in voluntate subiectatur, vt nos cum Scoto tenemus.

Secundò. Respondeo secundò distinguendo maiorem: gloria est gratia consumata per aliquid existens in anima, nego maiorem; per vltimam perfectionem, quæ est in potentijs, concedo maiorem; ommitto minorem, & nego consequentiam cum subillata.

14 *Arguit.* 7. Obijcies septimò: iustitia distributiva respicit dignitatem recipientis secundum proportionem geometricam, ideſt, quod magis digno det magis de bono; sed anima est dignior potentijs: ergo maius bonum, seu maior gloria debetur animæ.

Respondeo. Concedo totum, & ex hoc oppositum ostendo: cui debetur maius bonum, ei reddi debetur, vt maius bonum est ipsi; sed maius bonum est animæ, si beatitudo ei communicetur medijs potentijs, quia ratione suæ essentiæ nullo modo potest ei convenire: ergo maius bonum animæ est, quod ei beatitudo medijs potentijs communicetur.

§. II.

Reijcitur aliorum sententia.

BEatitudinem formalem consistere, non in actuali operatione, sed in aliquo habituali, seu per modum actus primi, docuerunt aliqui, de quorum numero fuit Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. *artic.* 1.

15 *Aliorum opinio.*

D. Bonavētura.

vbi tenet: Beatitudinem formalem consistere principaliter in habitu glorioso, & minus principaliter in operatione. Hęc opinio licèt à Theologis non admittatur communiter; immunis tamen est ab omni censura, vt tenet Ægidius *lib. 4. quæst. 4. artic. 1. §. 3. à num. 11.* quamvis oppositum plures existiment, vt refert Ill. God. *num. 3.* in quod eius silentium inclinare videtur.

16 *Esse immunem ab omni censura, ostenditur.*

Primò.

Ratio autem est quadruplex. Prima: nam licèt Scriptura, Concilia, & Patres multotiès asserant: beatitudinem formalem in operatione consistere; nullibi tamen negarunt habitum vltra operationem; sed hoc tantum substinet prædicta opinio; nam operatione concessa, habitum addit: ergo opinio allata non est contra Scripturam, Concilia, & Patres: ergo immunis est ab omni censura. Probatur hæc consequentia: si opinio allata esset aliqua censura digna, esset censura temeritatis propter Cōcilia, Scripturam, & Patres dicentes, beatitudinem consistere in operatione; atqui hoc non negat opinio allata, & habitum, quem addit, nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres negant: ergo opinio allata immunis est ab omni censura. Maior autem est ratio, quam adducit Montesinos *disput. 3. quæst. 3.* ad dicendum: prædictam opinionem esse temerariam.

17 *Ostenditur 2.*

Secunda ratio est: quod Scriptura, Concilia, & Patres asserant: beatitudinem formalem in operatione consistere, non obest, vt locum habeat opinio prædicta: ergo immunis est ab omni censura. Probatur antecedens: opinio prædicta fatetur, beatitudinem formalem in operatione consistere: ergo quod Scriptura, Concilia, & Patres asserant: beatitudinem formalem in operatione consistere, non obest, vt locum habeat opinio prædicta.

Tertiò.

Tertia ratio est: prædicta opinio salvat Scripturam, Concilia, & Patres, dicendo: beatitudinem formalē consistere in operatione minus principaliter; sed hoc asserit prædicta opinio: ergo salvat Scripturam, Concilia, & Patres: ergo immunis est ab omni censura.

Quartò.

Quarta denique est: nam asserere: beatitudinem formalem consistere minus principaliter in operatione, nec est contra Scripturam, nec contra Concilia, nec contra Patres: ergo nulla censura est digna opinio allata, hoc affirmans.

18 *Beatitudinem in actuali operatione consistere, probatur 1.*

Licèt autem supra posita opinio nulla sit digna censura, substinenda non est, vtpotè, contra Scotum *in 4. dist. 49. quæst. 2. §. Ad quæst.* & cum illo Theologi communiter, cū quibus, & ex Scriptura impugnatur primo: aliquibus enim in locis expræsè dicitur: beatitudinem formalem in visione Dei consistere, & in alijs consistere in fruitione Dei; sed tàm visio, quàm fruitio sunt operationes: ergo formalis beatitudo non in habitu, sed in actuali operatione consistit.

Secundò.

Secundò: ex Benedicto in Extravaganti, quam refert Castro, verbo *Beatitudo, hæresi 6.* vbi diffinitur: animas Sanctorum ante diem Iudicij videre Deum, ipsoque frui, & tali visione, & fruitione beatas constitui; sed visio, & fruitio sunt operationes: ergo idem, quod anteà.

Tertiò.

Tertiò ex Aristotele, qui quotiès loquitur de beatitudine naturali, eam collocat in actu secundo: ergo similiter de supernaturali beatitudine.

19 *Respondeb.*

Video Autores oppositæ sententiæ prædictas authoritates explicare, dicendo: beatitudinem formalem consistere in operatione minus principaliter. Sed licèt hac solutione sufficienter salvent authoritates prædictas; contra ipsam tamen stant rationes sequentes.

20 *Quartò, & impugnat. solutio.*

Probatur quartò, & solutio impugnatur: beatitudo formalis, sivè naturalis, sivè supernaturalis, est vita; sed non vita substantialis; alioquin omnia viventia essent formaliter beata: ergo est vita accidentalis. aqui hæc non est habitus; nam habitus reperitur in dormientibus: ergo est vitalis operatio: ergo formalis beatitudo in operatione consistit.

Quintò.

Probatur quintò: beatitudo formalis est possessio beatitudinis obiectivæ; sed obiectiva beatitudo non possidetur per habitum; alioquin bruta possent esse beata, cum possint habere habitum: ergo possidetur per actum: ergo non in habitu, sed in actu consistit beatitudo formalis.

21 *Sextò.*

Probatur sextò: beatitudo formalis est vltima hominis perfectio, non ordinabilis in aliam perfectionem, nisi ordinatione, qua finis *quo* ordinatur ad finem *qui*, seu actus ad

ob-

obiectum; atqui habitus ordinatur ad actum, & actus non nisi ad obiectum: ergo formalis beatitudo non in habitu, sed in actu consistit.

22 *Arguit.* 1. Arguitur primò: beatitudo formalis consistit in maxima perfectione hominis; sed gratia habitualis, & lumen gloriæ, quæ sunt actus primi, excedunt in perfectione quamcumq; operationem: ergo formalis beatitudo, non in operatione, sed in habitu consistit. Probatur maior: vltimus finis est perfectior omnibus ordinatis ad ipsum; sed ad beatitudinem omnia tanquam ad finem ordinantur: ergo beatitudo formalis consistit in maxima perfectione hominis. *Respond.* 1. Respondeo primò distinguendo maiorem: beatitudo formalis consistit in maxima perfectione absolutè, nego maiorem; maxima in linea formali assecutionis obiecti, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem & nego consequentiam. Ad probationem maioris similitèr distinguo, concedo minorem, & nego consequentiam. *Retorque.* Deindè retorqueo argumentum in vnione hypostatica, & beatitudine naturali, quæ in operatione consistit, licèt sit imperfectior anima, intellectu, & voluntate.

23 *Respond.* 2. Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: beatitudo formalis consistit in maxima perfectione absolutè, nego maiorem; in vltima perfectione vitali, concedo maiorem; ommitto minorem, & nego consequentiam. Retorqueo etiam argumentum, vt in numero antecedenti. *Dices.* Dices contra hanc solutionem: vltima perfectio Christi, in quantum homo, non est visio, sed naturalis Dei filiatio; sed non beatificatur per naturalem filiationem: ergo nulla est solutio. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: non est vltima intra ordinem supernaturalem, in quo est beatificabilis, nego maiorem; intra ordinem hypostaticum, concedo maiorem; concedo minorem, & distinguo consequens: ergo beatitudo non consistit in vltima perfectione ordinis supernaturalis, nego consequentiam; in vltima omnis ordinis, concedo consequentiam. Alitèr distinguo: vitalis nego; non vitalis cōcedo.

24 *Respond.* 3. Respondeo tertiò ad argumentum supra positum negando maiorem; ad cuius probationem distinguo maiorem: vltimus finis formaliter, seu vt *quod*, est perfectior omnibus ordinatis ad ipsum, concedo maiorem; vltimus finis assecutivè, seu vt *quo*, est perfectior omnibus ordinatis ad ipsum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Retorqueo etiam argumentum, vt in *num.* 22.

25 *Dices.* Dices: gratia vnionis Christi Domini non ordinatur ab beatitudinem, nec vt ad finem *quo*; sed hoc non alia ratione, nisi quia excedit illam in perfectione: ergo non solum finis *quod*, sed etiam finis *quo* debet excedere in perfectione, ea, quæ ordinantur ad ipsum: ergo ruit solutio. *Respondeo.* Respondeo distinguendo minorem: non alia ratione, nisi quia excedit vt cumquè, nego minorem; quia excedit excessu in ordine, concedo minorē, & nego consequentiam. Ex hoc solum infertur, quod finis *quo* non sit inferioris ordinis respectu eorum, quæ ordinantur ad ipsum, ideòque non ordinantur ad beatitudinē gratia vnionis, quia cum hæc sit increata, est superioris ordinis ad beatitudinem; non verò infertur, quod finis *quo* debeat excedere in perfectione omnia, quæ ordinantur ad ipsum.

26 *Rspond.* 4. Respondeo deniquè quartò: ommitto maiorem, & nego minorem, quia ex Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. §. *Ad quæst.* §. *Ad* 5. *concedo*, actus est simpliciter perfectior habitu. *Dices* 1. Dices primò: habitus est causa æquivoca actus: ergo est illo perfectior. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: habitus est causa æquivoca partialis actus, concedo antecedens; totalis, nego antecedens, & consequentiam. Claret solutio in specie impræssa respectu intellectionis, & vniversalitèr in qualibet causa æquivoca partiali; ex quo tot fiant contra replicam retorsiones, quot sunt causæ æquivocę partiales. *Dices* 2. Dices secundò: Lumen gloriæ petit à solo Deo produci: ergo est perfectius visione, quæ ab intellectu creato producitur. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam; nam quod lumen à solo Deo producatur, non provenit ex maiori perfectione, sed quia est habitus infusus, qui petit à solo Deo creari.

27 *Dices.* 3. Dices tertiò: bonum diuturnius perfectius est bono citò transeunte; sed habitus est diuturnus, & actus

ci-

citò transiens: ergo habitus est actu perfectior. Respondeo primò distinguendo maiorem: bonum diuturnius perfectius est bono citò transiens, si bonum citò transiens non habeat differentias perfectiores, concedo maiorem; si habeat, nego maiorem; ommitto minorem, & distinguo similitèr consequens. Respondeo secundò concedendo maiorem, & distinguendo minorem: actus beatificus est citò transiens, nego minorem; alius actus, concedo minorem, & nego consequentiam; quia beatitudo est operatio immanens; omnis namque operatio habens Deum pro obiecto proximo est immanens, & sic est beatitudo. Nec obest, quod actio sacrificandi sit transiens; quia hæc non respicit Deum, vt obiectum proximum, sed vt finem.

Respond. 1.

Secundò.

28 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: beatus per lumen possidet Deum: ergo est beatus per lumen: ergo beatitudo formalis non in operatione, sed in habitu consistit. Hæc consequentia claret; nam lumen est habitus. Respondeo negando antecedens: quia per lumen solum est Deus beato obiectivè præsens proportionatè, & per actum secundum possidetur. Sicut licèt Avarus habeat pecuniam præsentem, non dicitur, illam possidere, donec habeat actionem moralem dominij circa illam.

Respondeo.

29 *Dices.* Dices: Avarus priùs possidet pecuniam, quam illa vtatur: ergo beatus priùs possidet Deum, quam illo vtatur; atqui vsus beati est ipsa operatio: ergo ante operationem est beatus. Confirmatur: beatitudo Avari non consistit in vsu pecuniæ: ergo nec nostra beatitudo consistet in vsu, nempè, operatione. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est: quia in pecunijs vsus est necessario posterior possessione; at in beatitudine ipse vsus est ipsa possessio. Ad confirmationem nego etiam paritatem. Ratio est: nam per vsum ammittit Avarus pecuniam; per operationem verò, seu per vsum, non ammittit beatus Deum, quin potiùs ipsum possidet.

Confirmat.

Respondeo.

Ad cõfirm.

30 *Arguitur specialitèr.* Arguitur denique specialitèr: si beatitudo formalis consisteret in operatione, talis operatio esset visio, vel fruitio; alia enim operatio non est; atqui neutra est formalis beatitudo: ergo beatitudo formalis non consistit in operatione, & consequenter consistit in habitu. Probatur minor: motus ad terminum antecedit quietem, quam habet mobile in termino; sed visio, & fruitio sunt motus ad quietem: ergo antecedunt quietem, quam habet beatus in Deo: ergo nec visio, nec fruitio sunt quies: ergo neutra est beatitudo formalis. Maior constat in naturalibus. Minor probatur: visio, & fruitio sunt adeptio obiecti; sed adeptio obiecti est motus ad quietem: ergo visio, & fruitio sunt motus ad quietem. Probatur minor: quod antecedit ad quietem, est motus ad quietem; sed adeptio obiecti antecedit ad quietem; nam quies sequitur adeptionem obiecti: ergo adeptio obiecti est motus ad quietem.

31 *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: motus ratione imperfectionis antecedit quietem, quam habet mobile in termino, concedo maiorem; ablata imperfectione, nego maiorem; distinguo minorem: visio, & fruitio sunt motus ad quietem, ablata imperfectione motus naturalis, concedo minorem; illa non ablata, nego minorem, & consequentiã; per quod patet ad probationes. Itaquè, quod quies distinguatur à motu naturali, est imperfectio in motu, quæ non reperitur in operatione perfecta, vt sunt visio, & fruitio; vndè non valet paritas, quia in operatione adeptio, & quies sunt vnitæ, nam quietatio est in perfecta adeptione obiecti. Sic Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 4. §. Contra istud, & §. Sed contra.*

§. III.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

32 *Pũctus difficultat.* His itaquè suppositis, punctus difficultatis consistit in eo: An ista operatio, in qua beatitudo formalis consistit, debeat elici ab ipso beato, vel non ita, sed possit formalitèr beatus per illam cõstituì, etsi passivè ad illam comparetur, & hoc tàm de facto, quam de possibili, attenta potentia absoluta? Ita hanc difficultatem proponit Ill. Godoy *num. 7.* sed diminutè illam proponit; nam beatum ad operationem passivè comparari, stat dupliciter. Primò: elicitivè, seu effectivè. Secundò: non solum

eli-

elicitivè, verum etiam operativè; & in vtroque sensu est examinanda difficultas, in qua licèt Ill. Godoy tres tantum sententias repererit, quatuor ego invenio.

33 1. *Sentētia.* Prima affirmat: de facto intellectum beati comparari ad visionem, qua beatificatur, solum passivè, tàm elicitivè, quàm operativè. Hanc tenent Authores, quos refert Ill. God. *num.*7. referens etiam Scotum, texte Ovando; sed quam falsum hoc sit, ex dicendis apparebit. Secunda sententia, etsi neget de facto, beatum ad propriam beatitudinem comparari merè passivè, tàm elicitivè, quàm operativè; affirmat tamen non repugnare, quod de potentia Dei absoluta se ad illam habeat merè passivè elicitivè, & operativè. Sic Authores, quos *num. citat.* citat Ill. God. pro secunda sententia. Vltrà quos dictam sententiam defendere tenentur Scotistæ illi, qui affirmant: nostrum intelligere formalitèr in receptione intellectionis consistere.

2. *Sentētia.*

34 3. *Sentētia.* Tertia sententia asserit: omninò repugnare, quod beatus ad propriam beatitudinem comparetur passivè elicitivè, vel effectivè. Sic Ill. Godoy *num.* 19. vbi hanc statuit conclusionem: *Contradictionem implicat, quod beatus videat Deum per actionem à se non elicitam.* Sequitur Ill. God. omnes Authores, quos refert, & *cit. n.* 8.

Ill. Godoy.

35 *Quarta.* Quarta, & vera, triplici per extremum opposita, affirmat: beatos de facto non se habere merè passivè ad propriam beatitudinem, sed tàm elicitivè, quàm operativè ab illis procedere; de potentia absoluta non repugnare, se habere merè passivè elicitivè, vel effectivè, licèt repugnet, se habere merè passivè operativè. Ita Magister Subtilis *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *& in* 3. *dist.* 13. §. *Ad quartam quæst.* Et *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *In prima quæst.* Et *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. *& quodlib.* 15. Scotum sequntur omnes eius Discipuli, & plures è Societate. Pro cuius explicatione. Sit.

Scotus.

36 1. *Cōclusio.* Prima conclusio: *De facto beati non se habent merè passivè ad propriam beatitudinem, sed effectivè, & operativè ab illis procedit.* Hæc conclusio est contra Authores primæ sententiæ, eamque statuit Ill. God. *num.* 9. Estque communis, & constat ex Concilio Tridentino *Sess.* 6. *Canone* 4. dicente: *Sed velut inane quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere.* Quibus verbis damnat affirmantes: liberum arbitrium merè passivè se habere ad actus, quibus homo ad iustificationem disponitur, gratiamque meretur. Ex quo.

37 *Probatur 1 conclusio.* Primò probatur conclusio: eadem est ratio de beatitudine formali, ac de actibus, quibus homo ad iustificationem disponitur; sed ad hos non se habet homo merè passivè, effectivè, nec operativè: ergo de facto beati non se habent ad propriam beatitudinem merè passivè effectivè, & operativè. Consequentia est legitima. Minor traditur à Concilio in verbis relatis. Maior probatur: ratio, cur homo ad illos actus non se habet merè passivè, effectivè, & operativè, est, quia ad illos disponitur, vt agens per rationem, liberè operans intellectivè, & volitivè vivens; sed etiam beatus per operationes intellectus, & voluntatis, quibus beatur, vivit intellectivè, & volitivè: ergo eadem est ratio de beatitudine formali, ac de actibus, quibus homo ad iustificationem disponitur.

38 *Probat. 2.* Probatur secundò: idem est merè passivè, effectivè, & operativè se habere ad actus supernaturales, ac se habere vt non vivens: ergo idem est se habere vt vivens ad actus supernaturales, ac non se habere merè passivè, effectivè, & operativè. Atqui beatus beatitudine formali se habet vt vivens: ergo non se habet merè passivè, effectivè, & operativè: ergo de facto beati non se habent ad propriā beatitudinem merè passivè, effectivè, & operativè.

39 *Prob. denique.* Denique probatur conclusio: nam licèt possit aliquis vivens in actu secundo constitui per formam à se non productam (vt conclusione tertia propugnabimus contra Ill. Godoy) & dato, quod possit in actu secundo vivens constitui per formam purè receptam sine tendentia in obiectum (quod est se habere merè passivè operativè) nequit tamen negari, connaturaliùs, & suaviùs id fieri per formā effectivè ab ipso causatam, & media ipsa in obiectum tendendo; atqui id, quod suavius est, & naturis rerum conformius, debemus Deo semper adscrivere, & maximè respectu beatorum, nisi oppositum sit revelatum,

vel

vel impoſsibile: ergo cum nec repugnet, beatum effectivè cauſare formalem beatitudinem, mediaque illa in Deum tendere, nec oppoſitum ſit revelatum, tenemur aſſerere, effectivè, & operativè; non verò merè paſsivè, ad illam comparari.

40 *Obijcies.* Obijcies contra concluſionem: ad habitum gratiæ, & lumen gloriæ homo ſe habet merè paſsivè, effectivè, & operativè: ergo, & ad beatitudinem formalem. Probatur conſequentia: beatitudo eſt perfectior gratia, & lumine; nam beatitudo, vtpotè, gloria, dicitur gratia conſummata: ergo ſi ad habitum gratiæ, & lumen gloriæ homo ſe habet merè paſsivè, effectivè, & operativè, potiori iure ad beatitudinem. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam, ad probationem ommitto antecedens, & nego conſequentiam; nam dato antecedenti, non benè infertur conſequens, ſicut non ſequitur: agens poteſt producere perfectius: ergo, & imperfectius; aliquin ignis producens formam ignis, produceret materiam, & Angelus producens intellectionem, produceret albedinem. Sic ſimilitèr.

§. IV.

Quid de poſsibili ſit dicendum?

41 *2. Cõcluſio.* SEcunda concluſio: *Repugnat, beatum ad propriam beatitudinem ſe habere merè paſsivè, tàm elicitivè, quàm operativè.* Hæc concluſio eſt contra Authores ſecundæ ſententiæ; illam tamen tenet Scotus citatus, & probatur primò: voluntas merè paſsivè, effectivè, & operativè ſe habens ad volitionem, & cum volitione, volitione illa non vult; quia in mera paſsione non datur voluntariè velle; cum non detur libertas: ergo intellectus merè paſsivè, effectivè, & operativè ſe habens ad intellectionem, & cum intellectione, intellectione illa non intelligit: ergo nec illâ beatificatur: ergo repugnat, beatum ad propriam beatitudinem ſe habere merè paſsivè, tàm elicitivè, quàm operativè.

Probat. 1.

42 *Probat. 2.* Probatur ſecundò: repugnat, beatum non vivere vita intellectuali per formalem beatitudinem: ergo repugnat merè paſsivè, effectivè, & operativè ſe habere. Antecedens à contrarijs admittitur. Conſequentia verò probatur: homo merè paſsivè ſe habens ad intellectionem, tàm elicitivè, quàm operativè, non vivit intellectione illa; ſed per te repugnat, beatum non vivere vita intellectuali per formalem beatitudinem: ergo repugnat merè paſsivè, effectivè, & operativè ſe habere. Minor, & conſequentia tenent. Maior verò, in qua eſt difficultas, probata manet *numer. anteced.* Vltra quod.

43 *Probatur maior 1.* Probatur primò dicta maior: homo merè paſsivè ſe habens ad intellectionem, tàm elicitivè, quàm operativè, nec exercet virtutem activam productivam intellectionis, nec virtutem intentionalem operativã circa obiectum; ſed non datur vita intellectualis abſquè exercitio harum virtutum: ergo homo merè paſsivè ſe habens ad intellectionem, tàm elicitivè, quàm operativè, non vivit intellectione illa. Maior claret. Minor eſt certa: nam vita intellectualis apud Scotiſtas ponitur in exercitio virtutis operativæ circà obiectum; & apud omnes alios in exercitio virtutis productivæ. Conſequentia legitimè infertur. Probatur ſecundò eadem maior: homo merè paſsivè ſe habens ad intellectionem, tàm elicitivè, quàm operativè, poſsidet intellectionem modo mortuo, & ſicut lapis: ergo non vivit intellectione illa. Probatur antecedens: ideò lapis modo mortuo ſe habet ad intellectionem, & cum intellectione, quia merè paſsivè ſe habet ad intellectionem elicitivè, & operativè: ergo homo merè paſsivè ſe habens ad intellectionem, tàm elicitivè, quàm operativè, poſsidet intellectionem modo mortuo, & ſicut lapis. *Secundò.*

44 *Arguit. 1* Obijcies primò: Non repugnat, quod intellectus videat Deum, viſione à ſe non elicita: ergo non repugnat, quod beatus merè paſsivè ſe habeat ad propriam beatitudinem. Antecedens eſt Scoti, & noſtra doctrina, vt clarebit concluſione ſequẽti. Conſequentia certa videtur. *Reſpondeo.* Reſpondeo ad argumentum conceſſo antecedenti diſtinguendo conſequens: ergo non repugnat, quod homo ſe habeat ad beatitudinem merè paſsivè elicitivè concedo conſequentiam; operativè nego conſequentiam.

45 *Arguit. 2.* Obijcies ſecundò: Poteſt Deus ſe ſolo producere quidquid producit media cauſa ſecunda: ergo poteſt ſe ſolo producere viſionem beatam; at-

qui

qui per visionem à solo Deo productam potest intellectus videre Deum: ergo & poterit ad beatitudinem merè passivè se habere.

Respondeo. Respondeo distinguendo antecedens: potest Deus se solo producere quidquid producit media causa secunda, concurrente causa secunda efficientèr, physicè, & elicitivè concedo antecedens; concurrente formaliter, operativè, & perceptivè nego antecedens; concedo consequentiam, & distinguo sumptam: per visionem à solo Deo productam potest intellectus videre Deū, operando circa ipsum concedo minorem; sine tali operatione nego minorem; distinguoque consequens: ergo & poterit ad beatitudinem merè passivè se habere elicitivè concedo consequentiam; operativè nego consequentiam.

46 *Arguit. 3.* Objicies tertiò, & est replica contra solutionem datam: Deus potest se solo producere quidquid producit media causa secunda concurrente efficientèr: ergo Deus potest se solo producere visionem beatam, vt est qualitas, & vt talis qualitas est, scilicèt, vt est visio, seu qualitas visiva. Hæc consequentia patet; nam intellectus creatus efficientèr concurrit ad productionem visionis, vt est qualitas, & vt talis qualitas est. Infero nunc: ergo Deus potest se solo producere quidquid producit media causa secunda concurrente operativè. Probatur hæc consequentia: Deus potest se solo producere visionem, vt operatio est: ergo potest se solo producere quidquid producit media causa secunda concurrente operativè. Probatur antecedens: ideò Deus potest se solo producere visionem, vt qualitas, & vt talis qualitas est, quia eminentèr continet perfectionem illius, vt qualitas, & vt talis qualitas est; sed etiam Deus continet eminentèr perfectionem visionis, vt operatio est: ergo Deus potest se solo producere visionem, vt operatio est.

47 *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti cum prima consequentia, negando secundam, ad cuius probationem nego antecedens, & ad probationem illius nego causalem maioris, quia non ideò Deus potest se solo producere visionem, vt visio est, quia continet illius perfectionem, sed quia continet, & quia talis visio in sui productione non dependet essentialitèr ab intellectu creato; at operatio, vt operatio est, essentialitèr dependet ab operante, ideòque nequit Deus se solo producere visionem, vt est operatio, licèt eam, vt est qualitas, & vt talis qualitas est, posit se solo producere.

48 Et vt hæc clarescat doctrina, in qua stat tota huius difficultatis intelligentia, notandum est, quod actus vitalis, nempè, visio, triplicitèr potest intelligi. Primò: vt est qualitas, & sic dependet ab intellectu, potente illam producere. Secundò: vt est talis qualitas, v.g. visio, seu qualitas visiva, & sic dependet ab intellectu simul cum obiecto, vel specie impressa producente illam. Tertiò: vt est operatio, & sic dependet ab ipso intellectu, media illa tendente in obiectum, seu operante tendentiam. Inter has autem dependentias prima, & secunda non sunt essentiales, vt intellectus videat obiectum, quia sine illis potest obiectum percipere, dummodo in eo recipiatur, licèt ab alio, & non ab ipso, sit producta. Tertia verò ita est essentialis ad videndum, quod nisi visione intellectus operetur, intellectus formaliter non videbit. Et ex hoc satis apparet solutio.

49 *Retorqueo argum.* Vltrà hoc retorqueo etiam argumentum: si Deus se solo produceret visionem in homine, vel in Angelo, homo diceretur habens visionē; non verò producens visionem, vt patet à simili, vel potiùs identicè, de intellectione; si enim Deus se solo produceret intellectionem in homine, homo diceretur habens intellectionem; non verò producens intellectionem: ergo si Deus se solo operaretur circà obiectum, media illa visione, homo diceretur habens illam; nō verò operans: ergo nec videns, quia sine operatione repugnat videre.

50 *Arguit. 4. & est replica.* Replicabis, & simul objicies quartò: repugnat, visionem esse in subiecto capaci, & quod non reddat illud videns: ergo si Deus poneret visionem beatam in homine, homo redderetur videns beatificè: ergo potest merè passivè, tàm elicitivè, quàm operativè, se habere ad beatitudinē. Probatur antecedens: repugnat, formam esse in subiecto capaci, & illi nō communicare suum effectum: ergo repugnat, visionem esse in subiecto capaci, & quod non reddat illud videns.

Respondeo ad argum.

dens. Respondeo distinguendo antecedens: repugnat, visionem sub munere formali videndi, seu sub ratione operationis, esse in subiecto capaci, & quod non reddat illud videns, concedo antecedens; non ita, sed sub alio munere, nego antecedens,& cõsequentiam, quia visio à solo Deo in intellectu producta,non est in illo sub munere formali videndi, seu sub ratione operationis, quia hoc modo solum est in illo, quando media illa tendit in obiectum, & circà illud operatur.

51 *Ad probationem.*

Ad probationem distinguo antecedens: repugnat,formam esse in subiecto capaci,& illi non communicare effectum totalitèr provenientem à forma in subiecto, concedo antecedens; effectum non provenientem totalitèr à forma in subiecto, sed à forma,& subiecto,illa forma operante, nego antecedens,& consequentiã. Cum igitur videre non sit effectus totalitèr proveniens ab intellectione in intellectu, sed ab intellectione, & intellectu,media intellectione operãte, hinc est, quod ad videndum vltrà receptionem requiritur operatio.

52 *Instabis.*

Instabis: repugnat,albedinem esse in subiecto capaci, & quod non reddat illud album, similitèrque de calore, & qualibet alia forma naturali: ergo repugnat, visionem esse in subiecto capaci,& quod non reddat illud videns:ergo potest beatus ad propriã beatitudinem se habere merè passivè, tàm elicitivè, quàm operativè. Hæc consequentia est manifesta: nam semel concesso,vt à nobis conceditur, quod potest Deus se solo producere visionem, illamque ponere in intellectu beati, si per receptionem illius beatus cõstituitur formalitèr videns, constituitur formalitèr beatus, merè passivè se habens,tàm elicitivè,quàm operativè. *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti negando primam consequentiam. Disparitas est, nam esse album, calidum,&c. est effectus totalitèr proveniens ab albedine, calore,&c; ast videre non est effectus totalitèr proveniens à visione, sed ab intellectu cum visione operante, vt dictum manet.

53 *Instabis iterum.*

Instabis iterum: esse album, calidum, &c. est effectus formalis primarius albedinis, caloris, &c: ergo esse videns est effectus formalis primarius visionis. Atqui nequit forma esse in subiecto capaci,quin illi tribuat suum effectum formalem primarium, vt patet in albediine, calore, &c: ergo implicat, visionem esse in subiecto capaci, quin illud reddat videns:ergo ruit doctrina hucusquè dicta. Respondeo primò concesso antecedenti, negando consequentiam; quia sicut effectus formalis primarius intellectionis non est reddere intellectum intelligentem, sed reddere illum intellificatum, seu habentem formam, qua possit intelligere; ita effectus formalis primarius visionis,non est reddere videns, sed potentem videre, vel informatum visione,ad quem effectum significandum non est adhuc excogitatum simplex vocabulum. *Respond.1.*

54 *Respond.2.*

Respondeo secundò concesso antecedenti, & omisso consequenti, distinguendo sussumptã: nequit forma, quæ solum petit per informationem subiectum afficere, esse in subiecto capaci, quin illi tribuat suum effectum formalem primarium, concedo minorem; quæ non solum informationem, sed etiam operationem exposcit, subdistinguo: si forma est in subiecto modo sibi debito, scilicèt, cum operatione subiecti, concedo minorem; modo non debito, scilicèt, per puram receptionem, nego minorem, & consequentiam. Itaquè, sicut primarius effectus formæ purè inhærentis est forma per inhæsionẽ subiecto communicata; ita effectus formæ non purè inhærentis, sed etiam operationem exposcentis, est forma communicata cum operatione subiecti. Vndè cum intellectio sit de secundo genere formarum,nisi hoc secundo modo conveniat intellectui, repugnat, quod ei præstet suum effectum formalem primariũ, dato,quod hic esset, illum intelligentem constituere.

55 *Firmatur solutio doctrinæ Ill. Godoy.*

Et ne hæc solutio videatur voluntaria, est doctrina, qua vtitur Ill. Godoy in sua opinione de egressione intellectionis; nam ad hoc argumentum,quod tradit *num.27. in fine: Effectus formalis primarius nihil est aliud, quam forma communicata subiecto:ergo implicat, formam communicari subiecto, & non dare suum effectum formalem primarium*,sic respondet *num.29.prope medium.Secundò aliter distinguo antecedens:Effectus primarius formæ,quæ so-*

tum

lum petit per informationem subiectum afficere, est forma communicata subiecto, concedo antecedens; quæ non solum informationem, sed etiam egressionem exposcit, subdistinguo antecedens: est forma communicata modo sibi debito, scilicèt, cum egressione ab illo, concedo antecedens; modo non debito, scilicèt, per puram receptionem, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè sicuti primarius effectus formæ purè inhærentis est forma per inhæsionem subiecto communicata; ita effectus formæ non purè inhærentis, sed etiam egredientis, est forma communicata per egressionem ab eodem subiecto: Vndè cum intellectio sit de secundo genere formarum, nisi hoc secundo modo conveniat subiecto, repugnat, quod ei præstet suum effectum formalem primarium, qui est illud constituere intelligens. Hæc Ill. Godoy. Et hæc est, proportione servata, nostra ad litteram solutio.

56 *Rursus instabis.* Rursus instabis: habere visionem, est habere expressam, & formalem similitudinem obiecti, scilicèt, Dei; nam iuxta à nobis dicta *num. 1. in 1. sent. disput. 12. §. 1.* visio beata est species expræssa Deum quidditativè repræsentans; atqui hoc est Deum videre: ergo per hoc præcisè, quod beatus habeat in se visionem, constituitur formalitèr beatus: ergo constituitur in ratione formalitèr beati, passivè se habendo operativè. Atqui visio illa potest à solo Deo produci iuxtà nostram opinionem: ergo potest constitui formalitèr beatus, passivè se habendo elicitivè: ergo merè passivè se habendo, tàm elicitivè, quàm operativè. *Respondeo.* Respondeo negando minorem; quia videre Deum est cum illa similitudine in illum tendere, & circà ipsum operari.

57 *Arguit. 5.* Obijcies quintò: denominativum, & denominans incipiunt per eadem syllabas; sed videns est denominativum: ergo incipit eadem syllaba, ac denominans; atqui non tendentia, aut operatio, sed visio incipit eadem syllaba, ac videns: ergo non tendentia, aut operatio, sed visio constituit formalitèr videre: ergo absquè operatione stat videre. Tunc sic, sed etiam potest stare videre absquè visione elicita à vidente: ergo stare potest videre merè passivè se habendo, tàm elicitivè, quàm operativè. Maior patet in Logica de denominativis; & claret in albo, & albedine, calido, & calore; forte, & fortitudine, &c. Minor est certa. Consequentia est legitima, & cætera vera.

58 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: denominativum, & denominans per intrinsecam denominationem, sumptam à forma intrinseca, seu inhærente subiecto, incipiunt per eadem syllabas, cōcedo maiorem; per extrinsecam denominationem, sumptam à forma in alio subiecto, terminata tamen ad denominativum, nego maiorem; distinguoque minorem: sed videns est denominativum per extrinsecam denominationem, concedo minorem; per denominationem intrinsecā, nego minorem, & consequentiam; ex quo cætera ruunt. *Explicatur solutio.* Itaquè denominativa sunt in duplici differentia. Alia sunt per intrinsecam denominationem, sumptam à forma intrinseca, seu inhærente subiecto, & sic dicitur paries albus, manus calida, homo fortis. Alia sunt per extrinsecam denominationem, sumptam à forma in alio subiecto, terminata tamen ad illa, & sic dicitur lapis cognitus, paries visus. Quando enim dixit Aristoteles *in anteprædicamentis*, quod denominativum, & denominans incipiunt per eadem syllabas, loquitur denominativis primi generis; non autem secundi, de quorum numero est *Deus visus*. Et hoc est, quod in logica docetur.

59 *Arguitur deniquè.* Obijcies deniquè Aristotelem pluribus in locis docentem: intelligere esse quoddam pati: ergo Deum videre est quoddam pati: ergo potest homo, vel Angelus esse formalitèr beatus, merè passivè se habendo, tàm elicitivè per visionem à Deo productam, quod esse passibile nos concedimus, quàm operativè, quia Deū videre, est Dei visionem recipere. *Respondeo.* Respondeo explicando Aristotelem: intelligere est quoddam pati præsuppositivè, concedo antecedens; formalitèr, nego antecedens, & distinguo similitèr primum consequens, negoque subillatum. Et hoc modo intelligendus est Scotus, vbicumque id insinuare videatur.

o)(§)(o

*** *** ***

§. V.

Tertia concluſio contra Ill. Godoy ſtatuitur.

60 3. Cõcluſio.

TErtia concluſio: *Non repugnat, quod beatus videat Deum per actionem à ſe non elicitam*, ſeu quod idē eſt: *Non repugnat, quod beatus ad propriam beatitudinem comparetur paſsivè elicitivè, vel effectivè.* Hæc concluſio eſt contra Ill. Godoy *num.* 19. illam tamen habet Scotus *locis citat.* Et hæc primo, & à priori ratione probatur: quidquid Deus poteſt facere mediis cauſis ſecundis, cauſantibus in genere cauſæ efficientis, poteſt ſe ſolo efficere, & cauſare; ſed Deus medio intellectu, & ſpecie impreſſa intelligibili (ſeu obiecto, vicem ſpeciei ſuplente, vt tenet Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. diſp.* 11. *num.* 91.) cauſantibus in genere cauſæ efficientis, efficit, & cauſat viſionem beatam: ergo Deus poteſt ſe ſolo illam efficere. Atqui cauſata à ſolo Deo viſione, poteſt illam ponere in intellectu beati, beatuſque per illā Deum videbit: ergo non repugnat, quod beatus ad propriam beatitudinem comparetur paſsivè elicitivè, vel effectivè.

Probatur à priori 1.

61 Maior eſt axioma apud Theologos, quam habet D. Thomas 1. *part. quæſt.* 105. *artic.* 2. *in corpore, his verbis: Erroneum eſt dicere: Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, quæ fiunt per quamcumque cauſam creatam.* Minor eſt certa, quia tàm intellectus, quàm ſpecies impreſſa, vel loco illius obiectum, effectivè producunt viſionem. Conſequentia eſt legitima. Suſſumpta pro prima parte conſtat: nam ſemel viſione à Deo producta, illam poteſt ponere in intellectu, qui eſt proprium ſubiectum illius, imò, & in alieno, & extrà omne, quia eſt accidens abſolutum, & nulla in hoc apparet repugnantia. Quoad ſecundam eſt apud omnes manifeſta; nam poſsita forma in ſubiecto capaci, illi communicat ſuum formalem effectum. Conſequentia notoria videtur.

62 *Reſpondet Ill. Godoy.* Ad hanc rationem, cuius efficatia cognoſcitur ex tot ad illam contrariorum ſolutionibus, pluribus relictis ex ab Ill. God. adductis *à num.* 27. *vſquè ad* 34. Triplicem ſolutionem tradit ipſe *num.* 35. Reſpondet itaq; primo diſtinguendo maiorem: Si ſint cauſæ purè efficientes, tranſeat maior; ſi ſimul ſint cauſæ formales negat maiorem, & conceſſa minori, negat conſequentiam: quia intellectus eſt cauſa formalis extrinſeca reſpectu intellectionis, quæ à vitali principio ſpecificatur.

63 *Reſpond.* 2. Reſpondet ſecundò alitèr diſtinguendo maiorem: aitque veram eſſe de illis effectibus, qui à cauſis ſecundis non dependent eſſentialitèr; ſecus verò ſi ab illis eſſentialitèr pendeant; cum namquè Deus non poſsit eſſentialia rerum deſtruere, ſi ſemel effectus aliquis à principio creato dependeat eſſentialitèr, nequit Deus abſquè illius concurſu talem effectum producere, & quia viſio beatifica dependet eſſentialitèr ab intellectu illuſtrato lumine gloriæ; conſequens fit, quod non poſsit ſola efficacitate ſua illam extrà cauſas ſtatuere, ſeu conſtituere. Reſpondet tertiò inſtando argumentum in generatione, & alijs actionibus, quæ ſunt de prædicamento actionis, quas Deus iuxtà nos nequit ſe ſolo produceré.

Tertiò.

64 1. *ſolutio. Impugn.* 1. Nullam ex his ſolutionibus ſatisfacit, omneſque ſunt reijciendæ, & primo impugnatur prima: intellectus non eſt cauſa formalis extrinſeca ſpecificans intellectionem: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: actus non ſpecificantur per potentias, ſed potius è contra; atqui intellectus eſt potentia, & intellectio actus: ergo intellectus non eſt cauſa formalis extrinſeca ſpecificans intellectionem. Conſequentia eſt legitima. Minor certa. Maior autem patet illo generali axiomate: *Potentiæ ſpecificantur per actus, & actus per obiecta*; non verò dicitur: actus ſpecificantur per potentias, & obiecta per actus. Secundò: intellectus eſt pura cauſa efficiens intellectionis: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: intellectus eſt cauſa intellectionis; atqui non materialis, nec finalis, nec formalis: ergo purè efficiens. Minor pro prima, & ſecūda parte eſt certa. Pro tertia probatur: intellectus nec inhæret intellectioni, nec intellectionem informat: ergo non eſt cauſa formalis illius.

Secundò.

65 *Impugn.* 2. Impugnatur ſecunda ſolutio Ill. Godoy: viſio beatifica non dependet eſſentialitèr ab intellectu illuſtrato lumine gloriæ: ergo nulla eſt ſolu-

tio.

tio. Probatur primò antecedens: intellectus creatus potest de potentia absoluta producere visionem sine lumine gloriæ habituali, vel actuali, permanente, vel transeunte, intrinsicè inhærente, vt contra Ill. Godoy docuimus *tom. 1. in 1. sent. disput. 18*: ergo visio beatifica non dependet essentialitèr ab intellectu illustrato lumine gloriæ. Tertia verò solutio, quæ est instantia de generatione, & alijs actionibus, impugnabitur, dum solvamus tertium argumentum Ill. God. vbi disparitatem assignabimus

Impugn. 3.

66 *Probat. 2. conclusio.*

Probatur secundò conclusio ratione consueta in quæstionibus de potentia Dei absoluta: Deo debemus concedere quidquid non importat contradictionem; sed non importat contradictionem, quod Deus se solo efficiat visionem beatam, eamque ponat in intellectu beati, beatusque per illam operetur, & denominetur beatus: ergo non implicat, quod beatus videat Deum per visionem à se non elicitam, & consequentèr, quod passivè, elicitivè, vel effectivè se habeat ad propriam beatitudinem. Cõsequentia est legitima. Maior apud omnes certa. Minor verò, in qua est tota difficultas, constabit, solvendo argumenta Ill. Godoy.

§. VI.

Solvuntur argumenta Ill. God.

67 *Arguit. 1.*

ILl. Godoy ad oppositum nostræ conclusionis tenendum, motus est (vt ipse fatetur *num. 19.*) quibusdam verbis D. Thomæ *2. 2. quæst. 23. art. 2. in corpore*, ex quibus sic arguit primò: implicat contradictionem, quod voluntas diligat, etiam supernaturalitèr, per actionem à se non elicitam: ergo, & quod intellectus Deum supernaturalitèr videat per actum à se non elicitum, implicatorium debet censeri. Consequentia est nobis nota, qui eodem modo absquè vllo discrimine de intellectu, & voluntate loquimur, quoad hoc, quod est tendere in propria obiecta per motus à se non causatos, sed tantum acceptos. Antecedens autem præterquam quod est D. Thomæ expressum, suadetur manifestè duplici ratione ex ipso dessumpta.

68 *Probatur anteced. 1.*

Primò: nam repugnat omninò, voluntatem diligere obiectum per motum non voluntarium; cum de ratione amoris non sit minus esse voluntarium, quàm esse actum voluntatis; at implicat, motum esse voluntarium, & non esse à principio intrinseco efficiente, nisi velimus diffinitionem voluntarij negare, quod sic diffinitur: *Voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis*: ergo implicat voluntatẽ velle per actum à se non elicitum. Secundò: nam licèt lapis possit sursum moveri per motum à se non causatum, sed omninò ab extrinseco, quod verò talis motus sit naturalis lapidi, nisi in lapide sit intrinsicè principium illius, est implicatorium omninò: ergo paritèr: implicat, quod voluntas voluntariè moveatur per actum, cuius principium in ipsa non sit. Quo argumento vsus est D. Thomas loco ex disputatis relato.

69 *Respond. 1. ad argum. & ad 1. probat. antec.*

Respondeo primò ad argumentum negando antecedens; ad cuius primam probationem concessa maiori, nego minorem, & explico probationem: Voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco productivo, vel operativo, concedo; productivo præcisè, nego. Vndè casu, quo Deus se solo, & sine concursu effectivo voluntatis, produceret in voluntate nostra amorem, voluntas nostra voluntariè amaret; quia ad hoc sufficit, vt voluntas per illum amorem vitalitèr circà obiectũ operaretur, illud amando, quin sit necessarium, quod à voluntate producatur; vt claret in actu amoris, quo Divinæ personæ diligunt Essentiam Divinam, qui actus, etsi improductus, est ipsis voluntarius, vt omnes fatentur, & ex quo fiat contra argumentum retorsio.

70 *Respond. 2.*

Respondeo secundò negando antecedens, & ad probationem distinguo minorem: implicat, motum esse voluntarium causalitèr, vel effectivè, & non esse à principio intrinseco efficiente, concedo minorem; formalitèr nego minorem, & consequentiam. Ratio est: nam voluntarium causalitèr petit actionem voluntatis, & in hoc sensu verum est argumentum; voluntarium verò formalitèr actionem non postulat, quia cõsistit in hoc, quod sit actus secundus voluntatis, per quem tendat in obiectum, & denominetur formalitèr volens, sivè à voluntate creata, sivè à

ſolo Deo actus producatur; ſivè à nullo, vt claret inſtãtia facta de amore, quo Divinæ perſonæ diligunt Divinam Eſſentiam.

71 *Reſpond. 1. ad 2. prob. antec.*

Reſpondeo primò ad ſecundam probationem conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: implicat, quod voluntas voluntariè moveatur per actum, cuius principium paſsivù in ipſa non ſit, concedo conſequentiam; activum, nego conſequentiam, & hoc tantum probat argumentnm; nam ſicut naturalitas motus in lapide exigit principium intrinſecum paſsivum, ideſt, quod ſit ſecundum inclinationem lapidis; ita vi paritatis ab Ill. Godoy adductæ, vt actus ſit voluntati voluntarius, exigit in voluntate principium intrinſecum duntaxat paſsivum, ſcilicèt, quod ſit iuxta inclinationem voluntatis; & hoc modo eſſe voluntarium actum à ſolo Deo productum in voluntate, eſt ſine controverſia apud omnes certum.

72 *Retorqueo.*

Ex quo in paritate nitendo, ſic valet argumentum retorqueri: nam vt motus aliquis ſit naturalis, ſufficit, quod in ſubiecto mobili ſit naturalis potentia receptiva illius, vt conſtat in motu, quò materiâ prima ad receptionem formæ ſubſtantialis diſponitur, ad quem ſolum comparatur paſsivè, & tamen eſt illi naturalis: ergo pariter: vt voluntas voluntariè moveatur, ſufficit, quod in illa ſit principium paſsivum, & receptivum actus, etſi omninò ab extrinſeco efficiente procedat.

73 *Replicat Ill. Godoy.*

Contra hanc ſolutionem, & retorſionem replicat Ill. Godoy infrà *num.* 20: nam motus voluntarius convenit cum naturali in hoc, quod vterque petit principium intrinſecũ, addit tamen ad illum, quod principium intrinſecũ debet activè ad motum voluntarium concurrere, & ſimul debet eſſe cum cognitione finis: ergo ſicut non poteſt ratio motus naturalis ſalvari reſpectu alicuius, abſquè eo, quod natura, quæ eſt paſsivum principium naturalis motus, ſit mobili intrinſeca; ita nequibit actus eſſe alicui voluntarius, niſi intrinſicè ſit principium activum reſpectu talis motus; & conſequentèr omninò repugnabit, quod voluntas voluntariè tendat in proprium obiectum per actum, ad quem ſolum comparatur, vt principium paſsivum.

74 *Reſpondeo.*

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: motus voluntarius, ſumpto voluntario pro eo, quod eſt ſecundum inclinationem voluntatis, addit ad motum naturalem, quod principium intrinſecum debet activè ad motum voluntarium concurrere, nego antecedens; ſumpto voluntario, prout convertitur cum libero, ſubdiſtinguo: debet activè, effectivè, vel operativè ad motum voluntarium concurrere, concedo antecedens; effectivè præciſsè, nego antecedens, qua diſtinctione, diſtinguo conſequens, & diſtinguo etiam ſubillatum: omnino repugnabit, quod voluntas voluntariè tendat in proprium obiectum per actum, ad quem ſolum comparatur, vt principium paſsivum, effectivum, & operativum, concedo conſequentiam; effectivum duntaxat, nego conſequentiam.

75 *Declaratur ſolutio.*

Voluntarium itaquè dupliciter poteſt accipi. Primò pro eo, quod eſt ſecundum inclinationem voluntatis, quomodo certum eſt, quod voluntariũ non requirit in voluntate principium activum, ſed paſsivum duntaxat, vt patet in motibus lapidis, & materiæ primæ ab Ill. Godoy aſsignatis, & ratio generalis eſt: nam voluntarium hoc modo ſumptum, eſt naturale, vt naturale opponitur violento, quod dicitur per ordinem ad principium paſsivum, vt in Phiſica diximus. Quare attenta paritate Ill. Godoy de motu naturali lapidis, potiùs eſt contra ipſum argumentum, & ob hoc ſolvimus hac doctrina ſecundam illius probationem *num.* 71. & retorſionem in ipſum fecimus *numer.* 72.

76 *Amplius declarat.*

Secundò modo ſumitur voluntarium, prout convertitur cum libero, quomodo certum etiam eſt, quod motus voluntarius addit ad naturalem principium intrinſecum activũ; ſed falſum eſt, quod hoc debeat eſſe effectivum; ſufficit namque, quod ſit activum operativum, vt patet ex totiès dictis; ideòque hac ſolutione ſolvimus *num.* 74. replicam Ill. Godoy. Et quia in præſenti non loquitur de voluntario primo modo ſumpto; ſed ſecundo modo accepto, & in rei veritate hæc eſt mens Ill. Godoy, etſi oppoſitum ſonet paritas de motu naturali lapidis.

Reſpondeo ſecundò ad ſecundam

77

pro-

Respondeo 2. ad 2. probationem.

probationem antecedentis, distinguendo alitèr consequens: ergo implicat, quod voluntas voluntariè moveatur per actum, cuius principium effectivum, vel operativum in se ipsa non sit, concedo consequentiam; effectivum præcisè, nego consequentiam. Solutio claret ex dictis, & retorqueo contra Ill. God: vt voluntas voluntariè moveatur per actum, cuius principium in ipsa sit, sufficit, quod in ipsa sit principium activum operativum: ergo potest voluntas voluntariè moveri per actum à se non elicitum. Probatur antecedens: per hoc præcisè, quod voluntas habeat in se principium activum operativum, sufficientèr distinguitur à natura, quæ est principium duntaxat passivum motus: ergo vt voluntas voluntariè moveatur per actum, cuius principium in ipsa sit, sufficit, quod in ipsa sit principium activum operativum. Antecedens est certum, & consequentia legitima apparet in vi paritatis Ill. Godoy.

Retorqueo.

78 *Arguit. 2.*

Arguit secundò *num.* 21: implicat, videre Deum, nisi videns vivat in actu secundo vita accidentali intellectiva; at implicat, vivere vita intellectuali in actu secundo per actum à se non elicitum: ergo omninò repugnat, aliquem Deum videre visione præcisè recepta, & à se non elicita. Illatio est legitima. Maior cuilibet nota. Minor autem ostenditur: nam vivens ex communi conceptu viventis per hoc à non vivente differt, quod vivens se movet, non vivens movetur ab alio; at se movere per hoc differt à moveri ab alio, quod se movens, non solum movetur, sed etiam causat effectivè in se motum; id autem quod ab alio movetur, præcisè comparatur passivè ad motum, quod sola meditatione terminorum oculos non claudenti constabit: ergo est implicatorium omninò, vivere aliquem vita intellectuali in actu secundo per motum præcisè receptum, & à se non elicitum.

79 *Confirmat.*

Confirmat, & explicat amplius: vivens sub conceptu communi viventis, à non vivente differt, per hoc, quod non vivens habet perfectionē in se, non tamen à se; vivens autem habet perfectionem à se, vel per identitatem, qualitèr contingit in vita actuali Divina, vel per elicientiam, seu realem egressionem, qualitèr contingit in vita actuali creata; at quod præcisè recipit motum, & illum effectivè non causat, non habet illum motum à se, sed in se solum: ergo per talem motum nequit vivens in actu secundo constitui.

80 *Respondeo ad argum.*

Respondeo ad argumentum concessa maiori, distinguendo minorem: implicat, vivere productivè vita intellectuali in actu secundo per actum à se non elicitum, concedo minorē; vivere operativè, nego minorem; ad cuius probationem, distinguo maiorem: vivens ex communi conceptu viventis, per hoc à non vivente differt, quod vivens se movet productivè, vel operativè, concedo maiorem; productivè præcisè, nego maiorem; & distinguo primam partem minoris: se movere productivè, per hoc differt à moveri ab alio, quod se movens, non solum movetur, sed etiam causat effectivè in se motum, concedo minorem; se movere operativè, nego minorem, & distinguo consequens distinctione data.

81 *Ad cōfirm.*

Ad confirmationem, vel nego maiorem quoad secundam partem, vel ipsam distinguo: vivens autem habet perfectionem à se, productivè, vel operativè concedo maiorem; productivè præcisè nego maiorem; distinguo minorem: non habet illum motum à se productivè concedo minorem; operativè nego minorem; & distinguo consequens: ergo per talem motum nequit vivens productivum in actu secundo constitui concedo consequentiam; vivens operativum nego consequentiā. Duplicitèr namquè vivit intellectus, scilicèt, producendo intellectionem, & media illa recepta tendendo in obiectum. Prima vita exigit perfectionem à se productivam; secunda verò neutiquam, & hæc secunda est propriissimè vitalis operatio, in qua formalitèr nostrum intelligere consistit.

82 *Retorqueo argum. & confirm.*

Retorqueo etiam argumentum, & confirmationem: vivens ex communi conceptu viventis, per hoc à non vivente differt, quod vivens se movet; non vivens movetur ab alio; atqui hæc differentia salvatur absquè eo, quod vivens producat formam, qua movetur: ergo stat vivens sine efficientia motus. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy. Proba-

tur minor : per hoc, quod vivens se moveat operativè;& non vivens moveatur ab alio,differt vivens à non vivente : ergo differentia viventis ex communi conceptu viventis à non vivente salvatur absquè eo, quod vivens producat formam, qua movetur. Consequentia est notoria. Antecedens est ita manifestum, quod sola meditatione terminorum (vtor terminis Ill. Godoy) oculos non claudenti constabit.

83 *Arguit. 3.* Arguit tertiò Ill.Godoy *num.22.* implicat, vivere vita vegetativa actuali per actum præcisè receptum,& non elicitum à principio intrinseco viventi, v g. quod aliquis se vitalitèr nutriat per nutritionem ab alio receptam, & quod vitalitèr se localitèr moveat per motum ab extrinseco agente causatum, quod vitalitèr generet generatione solum recepta, & a se non elicita: ergo implicat etiam, aliquem vita intellectuali vivere in actu secundo per actionem, ad quam comparatur merè passivè.

84 *Disparitas prima.* Ad hoc argumentum triplicem disparitatem adducit Ill.Godoy *num. citat.* Et per sequentes impugnat. Eas pro nunc admitto, vt illius impugnationes solvamus. Prima disparitas est: nam vivens vita vegetativa constituitur vivens in actu secundo per actionem, cui omnino repugnat existere absquè concursu activo proprij principij. Vivens autem vita intellectiva redditur vivens in actu secundo, non per actionem, sed per terminum talis actionis, & quia termino per actionem creatam producto non repugnat fieri à solo Deo, absquè concursu principij creati, consequens fit, quod possit aliquis constitui vivens hoc genere vitæ, quin activè effectivè concurrat.

85 *Impugn. 1. Ill. Godoy.* Hanc solutionem impugnat primò Ill.Godoy *num.23.* nam in illa petitur principium; cur namquè vivere vita intellectiva consistit in termino motus; vita autem vegetativa non in termino, sed in actione debet consistere? Et quidem sicut intellectus in se producit terminum vitalem, quem appellamus Verbum;ita potentia nutritiva per nutritionem terminum vitalem producit, scilicèt, partialem substantiam viventem; & tamen non constituitur in ratione viventis actualitèr per terminum productum, sed per actionem productivam illius: ergo paritèr : etsi intellectus terminum vitalem producat, non per illum, sed per actionē constituetur intelligens.

86 *Secundò.* Impugnat secundò : nam vita intellectualis divina non in termino per actionem producto, sed in perfectissima actione consistit ; aliàs Pater per Verbum productum, tanquam per formam redderetur intelligens, quod est omninò absurdum : ergo vita intellectualis creata actualis, non in termino, seu in Verbo producto, sed in actione ipsum producente debet constitui.

87 *Respondet. ad 1.* Istæ impugnationes vim non habent. Ad primam respondetur negando, quod petatur principium ; ratio autem cur vivere vita intellectiva consistit in termino motus ; vita autem vegetativa non in termino, sed in actione consistit, est, quia terminus motus vitæ intellectivæ, scilicèt, intellectio, est verè actus vitalis, per quem intellectus modo vivo tendit in obiectum; ast terminus motus vitæ vegetativæ non est actus vitalis, quia illa pars substantiæ, vel compositum totum, quæ adquiruntur nutritione, & generatione, non dicuntur actus vitales ; quia per illos non tenditur in obiectum; per quod patet ad primam. *Ad 2.* Ad secundam negatur antecedens, quia vita intellectualis Divina consistit in tendentia ad obiectum.

88 *2. disparitas.* Secunda disparitas est : nam actio vitalis vegetativa est vera actio de prædicamento actionis, cui omninò repugnat produci absquè sui principij concursu; at verò intellectio, actio de prædicamento actionis non est, sed est vera qualitas,& solum grammaticalitèr actio ; qualitas autem non petit essentialitèr concursum principij creati, vt existat; & consequentèr nec illum exposcit, vt suum effectum formalem præstet proprio subiecto, & idcircò potest, etsi ab agente extrinseco causetur, intra intellectum poni, illumque intelligentem constituere.

89 *Reijcit Ill. Godoy solutionem.* Hanc solutionem reijcit Ill. Godoy *num.24.* quia licèt demus, intellectionem non esse actionem de prædicamento actionis, benè verò generationes,& alias operationes vitæ vegetativæ ; non ideò intellectio excluditur à ratione actionis, quia non dicat essentialem ordinem ad principium vitale, sed vel quia non identifi-

ca-

catur cum motu, vel quia non producit terminum, propter quem fit, sed potiùs terminus est propter ipsam, quarè vtrumque in prædicta sententia est de conceptu actionis prædicamentalis: at quod generatio sine generantis concursu non possit ipsum generans constituere, non est ratione motus, cum quo identificatur, nec ratione termini, ad quem ordinatur, sed propter ordinem essentialem, quem ad illud importat: ergo cum intellectio in hoc cum generatione omninò conveniat, id ipsum de illa fateri tenemur.

90 *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem; nam licèt ob plures rationes intellectio excludatur à ratione actionis, nempè, ex eo, quod est qualitas absoluta producta per veram actionem, scilicèt, dictionem, & ex eo, quod non producat terminum, vt in Scoti, & Scotistarum opinione est valdè constans, idque in libris de Anima docuimus; excluditur etiam à ratione actionis ex eo, quod non dicit essentialem ordinem ad principium vitale; quia de ratione actionis est dicere essentialem ordinem ad principium. Vndè hæc est bona consequentia: *Non dicit essentialem ordinem ad principium: ergo non est actio*, quia de ratione omnis actionis est dicere prædictum ordinem.

91 *Secundò.* Secundò potest responderi negando suppositum maioris, & consequentis; supponit namquè, quod intellectio dicat essentialem ordinem ad principium vitale productivum, sicut generatio, vt est vitalis, dicit essentialem ordinem ad principium generans, quod est falsum; nam hæc est differentia quoad vitalitatem inter actus vitæ vegetativæ, & vitæ intellectualis; illi enim vt sint vitales, necessariò, & intrinsicè requiritur, quod à potentijs animæ vegetativæ producantur, vt patet his exemplis. Si enim Deus ex materia alimenti educeret formam carnis, illamque præexistenti carni viventis vniret, non per hoc vivens propriè nutriri diceretur; similitèr etiam, si Deus produceret aliquod vivens, vel in aliquo loco collocaret, non posset dici animal generare, vel localitèr se movere. Ast actus vitæ intellectualis, vt sint vitales, non requiritur, quod à potentijs producantur, sed sat est, quod in ipsis recipiantur, & per ipsos operentur, vt patet in Divinis, vbi actus intellectionis essentialis, quo tres Divinæ personæ sunt, & denominantur actu, & vitalitèr intelligentes, non est productus, sed solum est actus, quo Divinus intellectus operando intelligit.

Quædam exempla.

Tertia disparitas est: quod vita vegetativa dicitur, & est talis per respectum principij productivi: vndè nisi motum producat, non potest vivere per illam; vita autem intellectiva non consistit in ratione principij productivi, sed in ratione principij intellectivi, ideſt, potentis intellectualitèr tendere in obiectum, & potentis fieri rem intellectam in actu secundo: vndè per hoc, quod in se recipiat formam obiecti, etiam si illam in se non producat, potest constitui vivens in actu intelligibilitèr.

92 *3. disparit.*

Contra hanc disparitatem insurgit Ill. Godoy *infrà num. 24.* in hunc modum: nam conceptus vitæ intellectualis consistit in respectu potentis tendere in obiectum per tendentiam, quam habet à se, alias tendentia vitalis non erit; at si non causet in se prædictam tendentiam, illam non habebit à se, sed ab alio: ergo dicit respectum productivi respectu tendentiæ, etsi non comparatione facta ad obiectum, in quo à vita vegetativa distinguitur: nam hæc non solum dicit respectum productivi ad actionem, sed etiam ad obiectum, quod nihil est aliud, quam terminus per actionem productus.

93 *Impugnat. Ill. Godoy.*

Respondetur distinguendo maiorem: conceptus vitæ intellectualis consistit in respectu potentis tendere in obiectum per tendentiam, quam habeat à se, operativè, concedo maiorem; effectivè, nego suppositum; supponit namquè, quod tendentia sit effectivè producta, quod est falsum; tendentia enim est relatio attingentiæ vnionis, seu coniunctionis realis ex parte intellectus, & rationis ex parte obiecti, quæ relatio est intrinsecus adveniens, secuta ex positione intellectionis in intellectu, & terminatione obiecti, vocaturque relatio mensurabilitatis, & tendentiæ vnius in aliud, per quod patet falsitas suppositi maioris, quod in minori, & in consequentia prosequitur Ill. Godoy.

94 *Respondet.*

His itaquè disparitatibus declara-

95

tis,

Proprior, & clarior ſolutio, & diſparitas.

tis, & quibus valet argumentum reſponderi, propriùs tamen, & clariùs reſpondeo ad prædictum argumentum Ill. Godoy conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt: nam potentiæ vitæ vegetativæ, nempè, potentiæ generativæ, nutritivæ, & augmentativæ, ſimilitèrque loco motivæ, ſunt productivæ duntaxat, & ſic earum actus, vt ſint vitales, neceſſario exigunt ab ipſis produci. Aſt intellectus, & voluntas, non ſolum ſunt productivæ, verum etiam operativæ; cum poſt receptionem ſuorum actuum tendant in obiectum; quare earum actus, vt vitales ſint, non poſtulant neceſſario, quod ad ipſis producantur, ſed ſolum, quod poſt receptionem actuum tendant in obiectum, quod eſt formalitèr vivere, vt claret in vita intellectuali Divina, quæ non in productione intellectionis eſſentialis, ſed in tendentia conſiſtit.

§. VII.

Propria mens declaratur.

QVarta concluſio: *Beati de facto non ſe habent merè paſsivè ad propriam beatitudinem, ſed tàm effectivè, quàm operativè ab illis procedit; de potentia verò abſoluta poteſt beatus paſsivè ſe habere effectivè ad propriam beatitudinem; non verò operativè.* 96 4. *Cõcluſio.* Hæc concluſio eſt Scoti *locis citatis.* Veriorque eſt, & conformior Divinæ beatitudini. Prima pars probata manet §. 3. contra Authores primæ ſententiæ. Secunda manet oſtenſa contra Ill. Godoy §. 5. Tertia denique propugnata eſt §. 4. contra Authores ſecundæ ſententiæ. Argumenta verò, quæ contra quamlibet militare poſſunt, ſuis locis ſine alterius indigentia ſoluta manent.

*****

DISPVTATIO QUINTA.

Utrùm Beatitudo formalis conſiſtat in actu intellectus, vel in actu voluntatis?

Num. 1

VIſo iam (inquit Ill. Godoy, & nos cum ipſo dicimus) in diſputationibus præcedentibus, formalem beatitudinem eſſe entitatem creatam, & inſuper eſſe operationem, per quod illius genericam rationem agnoſcimus: explicare pergimus in præſenti diſputatione vltimam differentiam illius, inveſtigando, cuius potentiæ operatio ſit noſtra beatitudo formalis, an, ſcilicèt, intellectus, an voluntatis, an vtriuſq; potentiæ.

§. I.

Præmittuntur, quæ apud omnes ſunt certa, & referuntur ſententiæ.

2 *1. præſuppoſitum.* IN qua diſputatione primò, tanquam certum apud omnes, ſupponimus: formalem beatitudinem non conſiſtere in actu aliquo partis ſenſitivæ. *Probatur* Ratio eſt manifeſta: nam formalis beatitudo eſt aſſecutio beatitudinis obiectivæ; at beatitudinem obiectivam, quam in ſummo, & increato bono conſiſtere vidimus *diſput.* 1. nullus actus potentiæ ſenſitivę conſequi valet; cum Deus ſit extra obiectum ſpecificativum omnis ſenſitivæ potentiæ, ſivè exterioris, ſivè interioris: nulla autem potentia extra ſuum adæquatum obiectum poteſt operari: ergo in actu partis ſenſitivæ potentiæ nequit formalis beatitudo conſiſtere. Explicatur hoc amplius: actus partis ſenſitivæ ſolũ poſſunt attingere corpus; at nihil corporeum ingreditur obiectum noſtræ beatitudinis: ergo nullus actus ſenſitivæ partis ingreditur eſſentiam beatitudinis noſtræ formalis. *Confirmat*

Secundò eſt apud omnes certum: bona corporis ad formalem beatitudinem eſſentialitèr non pertinere Ratio eſt: nam alioquin animæ ante diem Iudicij non eſſent beatæ beati- 3 *2. præſuppoſitum.*

tu-

titudine essentiali, nec Christus Dominus in huius vitæ statu fuisset perfectè beatus, quo ad essentiam beatitudinis, cum illæ bonis corporis careant, & Christus Dominus multa mala corporis fuerit perpessus in vita mortali; consequens quoad vtrumque est absurdum: ergo, & illa sententia.

4 3. *præsuppositum.* Tertiò omnes fatentur, actus vtriusque potentiæ requiri ad perfectam beatitudinem, perfectione saltim accidentali, & connaturali, ita, vt si beatus careat visione, non erit completè beatus, etiam si in actu voluntatis beatitudinis essentia consistat, & è contra, si actus charitatis deficiat, non manebit perfectè beatus perfectione accidentali, etiam si beatitudinis formalis essentia consistat in actu intellectus.

5 4. *præsuppositum.* Quartò est apud omnes certum: hic non loqui de beatitudine potentiarum; claret enim, visionem esse beatitudinem formalem intellectus, & amorem voluntatis; loquimur namquè de beatitudine formali animæ, seu naturæ intellectualis; quæ divisio traditur ab Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 3.* Quintò est etiam apud omnes certum: hanc difficultatem non esse de beatitudine formali amplè sumpta, sivè extensivè, vel quoad statum; quia hæc in aggregatione omnium, tàm essentialitèr, quàm accidentalitèr beatificantium consistit; est tantum quæstio de beatitudine formali præsè accepta, seu intensivè, vel quoad essentiam, quæ consistit in possessione formali summi boni satiantis appetitū intellectualis naturæ.

5. *præsuppositum.*

6 6. *præsuppositum.* Sextò supponendum est: hanc disputationem non esse dogmaticam, sed prorsus methaphisicam, quia ferè omnes fatentur, vt ait Ill. Godoy *infrà num. 3.* ex diffinitione Ecclesiæ, seu Scripturæ authoritate nihil firmum haberi in hac parte; nam licèt in Scriptura, Patribus, & Concilijs multotiès inveniatur: beatitudinem formalem in pluribus consistere operationibus, multotièsque in vna duntaxat, nullibi tamen hoc clarè diffinitur, & optimè ab Authoribus pro pluribus, & pro vnica operatione explicatur. Similitèr etiam quamvis aliquando inveniatur, in visione consistere, & aliquando in fruitione, tàm Thomistæ, quàm Scotistæ, optimè explicant testimonia prædicta, vt fatetur Ill. Godoy *num. 3. in fin. & numer. 4.*

7 7. *præsuppositum.* Suppono septimò: quod aliud est inquirere: An beatitudo formalis consistat essentialitèr in pluribus operationibus? Et aliud inquirere: An æquè perfectè consistat in pluribus? In hoc secundo sensu omnes vno ore fatentur: Beatitudinem formalem in vnica operatione consistere, dato, quod in pluribus essentialitèr constituatur, licèt sit dissensio, in qua perfectiùs consistat, de quo posteà. Quare in primo sensu præsens procedit difficultas. Et quod hæc sint diversa quæsita, evidentèr constat: nam optimè stat, quod plura essentialitèr aliquid constituant, & vnum perfectiùs alio constituere, vt claret in animalitate, & rationalitate respectu constitutionis methaphisicæ hominis; in corpore, & anima respectu phisicæ, & in pedibus, manibus, & capite respectu integralis: ergo sunt diversa quæsita.

8 8. *præsuppositum.* Suppono octavò: Scotum in hac difficultate pro vna, vel pro pluribus operationibus, esse problematicum, vt constat ex eo, quod Scotistæ, fundamento ab ipso sumpto, & in eius opinione, vtrumque defendant. Sed vt hoc magis clarescat, aliquibus illius locis ostendendum est, vt appareat Ill. Godoy diminutè citasse Scotum in præsenti, illum tantum citando pro vnico actu, scilicèt, pro actu amoris amicitiæ beatifico, vt facit *num. 6.*

9 *Scotum esse poblematicum, prob. 1* Declaratur primò Scotum esse problematicum: Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 3. §. Ad quæstion.* videtur asserere: Beatitudinem in vna tantum operatione consistere; sed in fine corporis quæstionis hoc sub dubio relinquit, his verbis: *Nisi ponendo, quod ad operationem beatificam non sufficiat operatio vnica sine alia, quod tamen est dubium*: ergo est problematicus. *Secundò.* Secundò: Scotus *in 4. citat. quæst. 4. §. In ista quæstion.* supposito, quod beatitudo consistat in operatione naturæ intellectivæ, hæc habet verba: *Sed in cuius illarum potentiarum operatione sola consistat, si consistit in vnica, vel in qua principaliùs, si consistit in ambabus, opiniones sunt*; atqui Scotus in tota hac quæstione hoc dubium non resolvit; sed tantum probat, in solo actu voluntatis consistere, si in vna operatione consistat, & perfectiùs in actu volun-

tatis,ſi in vtraque conſiſtat:ergo problematicus eſt.

10 1.*Sentẽtia.*

His ſuppoſitis triplex verſatur ſententia. Prima aſſerit: Beatitudinem formalem eſſentialitèr methaphiſicè conſiſtere in pluribus operationibus, intellectus,ſcilicèt,& voluntatis, licèt ſit diſſenſio, in qua perfectiùs conſiſtat.Sic D.Bonaventura,Ocham,Gregorius, Aureolus, Marſilius, Maior, Argentinus, Alenſis, Henricus, Ægidius,Suarez, Valentia, Amicus, quos omnes citat,& ſequitur Maſtrius *in* 1. *diſput.6. quæſt.*12. cum Pontio *diſput.* 19. *quæſt.*2. *concluſ.*3.*&* 4. Et Baſolus *in* 4.*diſt.*49.*quæſt.*2.*artic.*2. quam ſententiam, vt probabilem tuetur Luſitanus *lib.*4.*quæſt.*10.

11 2.*Sentẽtia.* *Ill. Godoy.* *Thomiſtæ omnes.*

Secunda tenet:Beatitudinem formalem in vnica operatione conſiſtere, licèt ſit non parvum diſidium, in qua operatione conſiſtat. Sic Ill.Godoy *num.*13.cum vniverſa Thomiſtarum ſchola,in ſola intellectus operatione, ſcilicèt, viſione, beatitudinem conſtituentium, cuius Authores refert, & citat *num.* 6. pro ſecunda opinione.Sic etiam plures Scotiſtæ, quos citat Maſtrius *in* 1. *diſput.6. quæſt.*12. *num.*305.Beatitudinem conſtituentes in ſolo actu voluntatis, qui dicitur fruitio.

12 3.*Sentẽtia.* *Scotus.* *Ariſtot.* *D.Thom.*

Tertia ſententia eſt problematica, quam videtur Scotum docuiſſe, vt diximus *num.*9.eamque videtur etiam defendiſſe Ariſtotelem 1.*Ethic. cap.*8. *&* *lib.*10 *cap.*5.*in fin.* dicentem: *Sivè igitur vna, ſivè plures ſint perfecti, & beati viri operationes.* Deniquè hanc opinionem eſſe D. Thomæ, non obſcurè ex pluribus locis colligitur; nam D.Thomas 1. 2.*quæſt.*4. *artic.*8. *ad* 3. dicit: *Perfectio Charitatis eſt eſſentialis beatitudinis quoad dilectionem Dei.* Et *in* 3. *diſt.*27. *quæſt* 2. *artic.* 2. dicit: *Felicitatem ſupernaturalem requirere coniunctionem amicitiæ cum Deo.* Item clariùs *in* 1.*part.quæſt.*43.*artic.*5.*ad* 2. Et *in* 1.*diſt.*14.*quæſt.*4.*artic.*1.*ad* 3. dicens:*Cognitionem ſine amore non ſufficere ad perfectam ſimilitudinem Dei.* Deindè 1.2. *quæſt.*1. *artic.*8. ait:*Creaturam rationalem conſequi ſuum finem vltimum cognoſcendo, & amando Deum.* Deniquè 3.*contra Gentes, cap.*26. vbi hoc fuſiùs diſputat,ſæpè explicat beatitudinem principalitèr conſiſtere in intellectu; & quando ait: Beatitudinem conſiſtere in contemplatione, idem Doctor ſe explicat *quæſt.* 22. *de Veritate,artic.*11. *ad* 11. dicendo: *Cum eſt ſermo de contemplatione non excludi amorem,*& citat Gregorium *Homil.*14. *in Exodum.*

§. II.

Concluſio veræ ſententiæ ſtatuitur.

13 *Concluſio problemat.*

TErtiam ſententiam vt veriorem reputo, ideòque noſtra concluſio eſt poblematica,quam ex nullo ex Scotiſtis, nec Thomiſtis inveni; eſt tamen rationabilior, mentique Philoſophi, Scoti,& D. Thomæ conformior ex dictis *num.* 9. *&* 12. Eſtque contra Ill.Godoy *num.*13. negantem: beatitudinem formalem in pluribus conſiſtere operationibus, & *num.*30. negantem etiam: aliquem actum voluntatis ſpectare ad eſſentiam formalis beatitudinis. Et pro vtraque parte firmabitur, fundamenta pro vtraq; aſsignando,& ſolvendo. Sit ergo.

§. III.

Fundamenta pro vtraque operatione aſsignantur.

14 *Beatitudinẽ formalem cõſiſtere eſſentialitèr in pluribus operationibus, duplici authoritate oſtenditur.*

OPinio aſſerens: beatitudinem formalem naturæ conſiſtere eſſentialitèr in vtraque operatione intellectus, & voluntatis, ſcilicèt, in viſione, & fruitione, habet pro ſe aliquas authoritates, quas refert Maſtrius *numer.* 307. ex quibus omnibus duplex videtur difficilior. Prima, & à Maſtrio non adducta, eſt Benedicti XII. extravaganti relata à Caſtro *verbo Beatitudo hæreſi* 6. vbi Pontifex ait: *Nec non quod ex tali viſione, & fruitione eorum animæ, quæ iam deceſſerant, ſunt verè beatæ.* Quibus verbis Alphonſus à Toledo, & Vega, texte Vaſquio *vbi ſuprà,*exiſtimant, expræſsè diffiniri ſententiam aſſerentem, in actu vtriuſque potentiæ intellectus, & voluntatis eſſentialitèr conſiſtere formalem beatitudinem. Secunda ex Catechiſmi Romani 1. *cap.*13. in illa verba Symboli: *Vitam æternam*, vbi hæc habet verba: *Solida beatitudo, quam eſſentialẽ communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, vt Deum videamus, eiuſque pulchritudine perfruamur*: ergo formalis beatitudo eſſentialitèr conſiſtit in pluribus operationibus.

15 1.*à ratione fundam.*

Ratione verò probatur.Primò:beatitudo conſiſtit eſſentialitèr in illis actibus, quibus immediatè attingitur

Deus

Deus in ratione obiecti beatifici; sed vterque actus est huiusmodi: ergo in vtroque actu consistit essentialitèr formalis beatitudo. Maior patet: nam beatitudo consistit essentialitèr in perfecta vnione animæ ad Deum; sed talis vnio fit per illos actus, quibus immediatè attingitur Deus in ratione obiecti beatifici: ergo beatitudo consistit essentialitèr in illis actibus, quibus immediatè attingitur Deus in ratione obiecti beatifici. Minor verò probatur: Deus secundum rationem Deitatis est obiectum beatificum; sed vterque actus habet pro immediato obiecto Deum secundum rationem Deitatis; nam sicut Essentia Divina in se ipsa est obiectum immediatum visionis; ita etiam est obiectum fruitionis: ergo vterque actus attingit Deum immediatè. Sic primo probat Mastrius *num.* 309.

16 *2. fundam.* Probatur secundò: beatitudo formalis essentialitèr consistit in perfectissima assecutione; sed assecutio per vtramque potentiam perfectior est, quam assecutio tantum per vnã: ergo in vtraque potentiarum assecutione consistit beatitudo formalis. Maior est communis. Probatur minor primò: quilibet actus istarum potentiarum dicit perfectionem distinctam in linea assecutionis; cum assecutio intellectus non contineatur in assecutione voluntatis, nec è contra: ergo assecutio per vtramque potentiam perfectior est, quam assecutio tantum per vnam. Probatur secundò: assecutio per vnam potentiã non dicit omnem assecutionem; benè verò assecutio per vtramque: ergo idem quod anteà.

17 *3. fundam.* Probatur tertiò: beatitudo formalis consistit essentialitèr in perfecta facietate naturæ intellectualis secundum omnes potentias, secundum quas est beatificabilis; sed secundum vtramque est beatificabilis: ergo in actu vtriusque potentiæ consistit formalis beatitudo. Probatur maior: de essentia beatitudinis est, vt sit bonum adæquatè satians: ergo beatitudo formalis consistit essentialitèr in perfecta facietate naturæ intellectualis secundum omnes potentias, secundum quas est beatificabilis. Hoc fundamẽtum etiam adducit Mastrius *n.* 310. Nec dicas (inquit) hanc rationem probare: beatitudinem etiam in potentijs sensitivis ponendam esse. Nam cum beatitudo formalis sit consecutio obiectivę, & hæc in solo bono increato consistat, illæ tantum potentiæ erunt capaces beatitudinis formalis, quæ suis actibus possunt consequi tale bonum; istæ autem sunt solum potentiæ rationales, intellectus, scilicèt, & voluntas.

18 *4. fundam.* Probatur quartò: beatitudo consistit in similitudine perfecta Dei; sed nequit esse perfecta Dei similitudo, nisi vtraquè pars imaginis, intellectus, nempè, & voluntas, assimilentur: ergo in actibus vtriusque potentiæ consistit beatitudo.

19 *5. fundam.* Probatur quintò: obiectum non possidetur perfectè, nisi possideatur illis actibus, quibus natum est possideri; sed obiectum beatificum vtroque actu aptum est possideri: ergo vterque concurrit ad perfectam possessionem obiecti beatifici. Atqui hæc est beatitudo: ergo in actu vtriusque potentiæ consistit formalis beatitudo. Maior probatur primò ratione: obiectum possidere est obiectum adæquari potentiæ: ergo quando natum est adæquari diversis potentijs, non possidetur perfectè, donec per actus illarum possideatur: ergo obiectum non possidetur perfectè, nisi possideatur illis actibus, quibus natum est possideri. Secundò paritate: obiectum sensibile non possidetur perfectè, nisi possideatur illis actibus, quibus natum est possideri. V. g. Pomum non possidetur perfectè sola visione, quia etiam natum est odoratione, & gustatione possideri: ergo obiectum non possidetur perfectè, nisi possideatur illis actibus, quibus natum est possideri. Sic Mastrius *citat. num.* 310.

20 *6. fundam.* Probatur sextò: Deus est assequibilis sub ratione veri ab intellectu, & sub ratione boni à voluntate: ergo non assequitur perfectè, nisi per vtrivsque actum; atqui beatitudo est perfecta assecutio: ergo beatitudo in vtroque actu essentialitèr est constituenda. Probatur septimò: formalis nostra beatitudo est participatio beatitudinis formalis increatæ; sed hæc essentialitèr includit vtrumque actũ: ergo & nostra. Probatur minor: beatitudo increata est, qua maior excogitari non potest; sed talis non esset, si non clauderet vtrumque actum; nam beatitudo, quæ vtrumque clauderet,

esset perfectior : ergo beatitudo increata essentialitèr includit vtrumque actum.

21 8. *fundam.* Probatur octavò: beatitudo consistit in perfecta vnione animæ ad Deum: ergo illud erit de essentia beatitudinis, quod est de ratione illius perfectæ vnionis. Atqui de ratione huius vnionis est vnio secundum vtramlibet operationem : ergo actus vtriusque potentiæ est de essentia beatitudinis. Probatur minor : vnio perfecta est mutua ; sed nequit esse mutua, nisi mediante actu vtriusque potentiæ : ergo de ratione perfectæ vnionis est vnio secundum vtramlibet operationem. Maior est certa: nam tunc perfectè tibi vnior, quando tu è converso vniris mihi. Minor probatur: per visionem visum vnitur videnti propriè ; non verò è contra ; & per amorem amans vnitur amato; non autem è converso : ergo per actum intellectus vnitur Deus animæ, & per actum amoris vnitur anima Deo : ergo per vtrumque actum fit mutua vnio: ergo nequit esse mutua, nisi mediante actu vtriusq; potentiæ.

22 9. *fundam.* Probatur nonò: beatitudo ex Patribus est quodam spirituale Matrimonium inter creaturam, & Deum; sed ad matrimonium essentialitèr requiritur traditio dominij ex parte vtriusque consortij: ergo ad beatitudinem requiritur proportionata traditio ex parte Dei, & creaturæ. Atqui per visionem solum Deus tradit creaturæ dominium in sua bona, & per amorem creatura solum tradit dominium suum in Deum : ergo vtraque ad beatitudinem essentialitèr requiritur.

23 10. *fund.* Probatur decimò specialitèr : illa pertinent ad essentiam alicuius, quod non manet, quocumque corū dempto; sed dempta quacumque operatione, non manet beatitudo : ergo in vtraque essentialitèr consistit. Maior est certa : nam hac ratione probatur: materiam, & formam esse de essentia compositi ; corpus, & animam de essentia hominis philici. Minor verò probatur : tolle ab homine videre Deum, & non erit beatus, quia visio est merces. Tolle ab homine amorem, & non erit beatus, quia non stat beatitudo sine amore : ergo dempta quacumque operatione, non manet beatitudo. Confirmatur : in illo non consistit essentia beatitudinis, quo posito, non ponitur beatitudo ; sed non ponitur beatitudo, posita visione sola, nec sola fruitione posita: ergo in neutro seorsim consistit beatitudo: ergo in vtroque simul. Probatur minor : si posita visione, staret displicientia de Deo, & posita fruitione, staret fides, non staret beatitudo : ergo non ponitur beatitudo, posita visione sola, nec sola fruitione posita.

Confirmat.

24 *Dices.* Dices: minorem esse falsam, eiusque probationem impossibilem; quia implicat visio Dei sine eius fruitione, & fruitio illius sine eius visione. *Contra.* Contra : quia quando arguimus de pertinentibus ad essentiam rei, possumus supponere hypotheses impossibiles; quia non est impossibile per locum ab intrinseco, rem esse sine eo, quod non est de essentia eius, licèt per locum ab extrinseco repugnet, vnum esse sine alio : ergo admittenda est prædicta hypothesis. Antecedens constat in his suppositionibus impossibilibus : si per impossibile Spiritus Sanctus non procederet à Filio. Si Deus non esse Trinus. Si homo non esset risibilis, &c.

25 11. *fund.* Probatur vndecimo magis specialitèr : quando aliqua plura requiruntur essentialitèr ad esse alicuius, essentialitèr requiruntur ad eius benè esse; sed ad esse naturæ rationalis, vt rationalitèr operativa est, essentialitèr requiritur intellectus, & voluntas: ergo ad eius benè esse, quod est sua beatitudo, essentialitèr requiritur aliquid ex parte intellectus, & aliquid ex parte voluntatis.

26 *Vltimum fundam. ad hom. contra Scotistas.* Probatur duodecimo, & est argumentum speciale ad hominem contra Scotistas; ante cuius formationem scire oportet, quod Thomistæ ad probandum contra nos : intellectum esse perfectiorem voluntate, hoc vtuntur argumento : *Felicitas humana ex Aristotele lib.* 10. *Ethic. cap.* 8. *consistit in contemplatione substantiarum separatarum, quæ est actus intellectus; sed ille actus, in quo consistit felicitas humana est perfectior, texte eodem Aristotele ibidem cap.* 7: *ergo intellectus est voluntate perfectior.* Ad hoc argumentum respondent Scotistæ negando maiorem ; *quia Aristoteles nomine contemplationis vtrumque mentis actum, scilicèt, intellectus, & voluntatis com-*

pre-

prehendit. Sic Ill. Merinerus *lib. 3. de Anima, disp. 6. quæst. 3. num. 148. in fine.* Sic etiam Mastrius *in libris de Anima, disput. 7. quæst. 7. num. 209. in fine*; & sic cæteri Scotistæ. Solutionem admitto, & ex ipsa infero: ergo iuxta solutionem, mentem Philosophi exponentem, felicitas humana in vtroque actu essentialitèr consistit: ergo, & felicitas beata.

Hæc sunt pro pluribus operationibus fundamenta communia, & specialia, ad quorum solutionem, non solum nos, qui problematicam conclusionem statuimus, solvere tenemur; verum etiam omnes illi Scotistæ, & Thomistæ, qui in vnica tantum operatione beatitudinem formalem constituunt. Et quia vnus ex his est Ill. Godoy, contra quem procedimus, ante nostram solutionem ad fundamenta prædicta, solutionem illius videamus, & reijciamus.

§. IV.

Quædam solutiones Ill. Godoy proponuntur, & reijciuntur.

27 *1. Solutio.*

AD hæc ferè omnia fundamenta respondet primò Ill. Godoy *num. 17*: beatitudinem formalem non consistere in perfectissima coniunctione absolutè, sed in perfectissima coniunctione assecutiva; cum autem actus voluntatis, etsi superaddat rationem coniunctionis ad actum intellectus; non tamen addit rationem assecutionis, nullo modo est beatitudo in actu voluntatis collanda; quia etsi ex vtroque resultet perfectior coniunctio cum Deo; non tamen resultat perfectior assecutio. Et hac mixus doctrina, negat *numer. 26.* quod homo secundum suam adæquatam essentiam sit beatificabilis beatitudine essentiali. Quam etiam doctrinam repetit infinitiès in tota hac disput.

28 *Duplex instantia Ill. Godoy.*

Vltrà hanc à ratione solutionem, duplicem facit instantiam. Prima est: quia si ob prædicta fundamenta beatitudo formalis collocanda esset essentialitèr in visione, & amore, etiam in delectatione collocari deberet, quia perfectior coniunctio esset, quæ resultaret ex his tribus actibus, quam quæ ex duobus tantum conflaretur. Sic Ill. Godoy *num. 17.* quod repetit *num. 41. in fine.* Secunda est: fundamenta prædicta probare: amorem viæ esse assecutionem Dei. Primò: quia Deum attingit, & nos cum illo coniungit. Secundò: quia per amorē viæ transformatur viator in Deum. Tertiò: quia amor viæ est eiusdem speciei cum amore patriæ. Sic Ill. Godoy *num. 30. 41. & 42.*

29 *Contra 1.*

Hæc est generalis Thomistarum doctrina, qua passim in præsenti vtuntur, & quia in eius impugnatione stat, tum veritas Scotistarum asserentium: beatitudinem formalem in solo actu voluntatis essentialitèr consistere; tum etiam veritas nostræ problematis, multiplicitèr à nobis est solutio principalis reijcienda, & posteà instantias salvabimus. Contra primò: actus voluntatis est possessio, & assecutio Dei: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: voluntas per actum amoris possidet, & assequitur Deum: ergo actus voluntatis est possessio, & assecutio Dei. Probatur antecedens: actus, qui facit Deum suum, possidet, & assequitur Deum; sed voluntas per actum amoris facit Deum suum: ergo voluntas per actum amoris possidet, & assequitur Deum. Probatur minor: *amore amicitiæ amicus fit alter ego*: ergo voluntas per actum amoris facit Deum suum.

30 *Dices.*

Nec dicas: hanc esse methaphoricam locutionem, & sic methaphoricè tantum obiectum per amorem assequi, & possideri. Ne, inquam, hoc dicas: nam etiam methaphoricè tantum per visionem obiectum assequitur, & possidetur; sed hoc non obstante, per visionem Deus à beatis possidetur iuxtà Thomistas: ergo similitèr. Probatur maior: ideò dicitur: per visionem Deum possideri, quia intellectus trahit res ad se; sed hæc est methaphorica locutio: ergo etiam methaphoricè per visionem obiectum assequitur, & possidetur. Probatur minor: per hanc locutionem solum denotatur, quod obiectum declaretur per visionem; hoc autem non est verè, sed methaphoricè, obiectum trahere: ergo Deum per visionem possideri, est locutio methaphorica.

Hoc non obstat.

31 *Contra 2.*

Contra secundò, & roboratur prima replica: quod voluntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, non tollit, quod sit assecutiva obiecti: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: facere obiectum suum, est assequi obiectum; sed quod vo-

luntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, non tollit, quod suum faciat obiectum: ergo quod voluntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, non tollit, quod sit assecutiva obiecti. Consequentia est legitima. Maior manifestè apparet: nam rem aliquam, v.g. pecuniam assequi, nihil aliud est, quam pecuniam facere suam. Minor probatur: voluntas per actum amoris facit obiectum suum, vt claret ex axiomate: *Amore amicitiæ amicus fit alter ego*: ergo quod voluntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, non tollit, quod suum faciat obiectum.

32 *Contra 3.* Contra tertiò: quod voluntas non trahat ad se obiectum, vt facit intellectus, solum impedit, quod voluntas sit assecutiva in genere veri; non verò in genere boni: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: quod voluntas non trahat ad se obiectum, solum impedit, quod voluntas faciat obiectum præsens, vt facit intellectus; non verò impedit, quod voluntas assequatur in genere boni obiectum iam præsens: ergo quod voluntas non trahat ad se obiectum, solum impedit, quod voluntas sit assecutiva in genere veri; non verò in genere boni. Probatur secunda pars antecedentis: obiectū, scilicèt, Deus, est assequibilis in genere boni, supposita illius præsentia; sed solum per voluntatem est sic assequibilis: ergo quod voluntas non trahat ad se obiectum, non impedit, quod assequatur in genere boni obiectum iam præsens.

33 *Contra 4. ad hom. cōtra Ill. God.* Contra quartò ad hominem contra Ill. Godoy: potentia, quæ aliquomodo assequitur obiectum, est potentia assecutiva; sed licèt voluntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, aliquomodo assequitur obiectum: ergo est assecutiva, licèt non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, & consequentèr solutio ruit. Vtraque consequentia infertur. Maior evidens apparet: nam repugnat aliqua differentia assecutionis, absquè conceptu communi assecutionis, iuxta regulam illam generalem: *Ratio superioris debet reperiri in inferiori.* Minor autem, in qua potest esse difficultas, est Ill. Godoy, ex quo probatur: quod assequitur obiectum consecutivè, obiectivè, & completivè, aliquomodo illud assequitur, vt patet; atqui voluntas, quæ apud Ill. Godoy, non trahit ad se obiectum, sed in illud fertur, assequitur obiectum consecutivè, obiectivè, & completivè, vt tenet expræssè *numer.* 64. cuius verba infrà subiciebam *num.* 41: ergo licèt voluntas non trahat ad se obiectum, sed in illud feratur, aliquomodo assequitur obiectum.

34 *Contra 5. etiam ad hom.* Contra quintò ad hominem etiam contra ipsum: ille actus est assecutio, & possessio obiecti, ex quo nascitur delectatio; sed delectatio nascitur ex amore: ergo amor est assecutio, & possessio obiecti. Consequentia est legitima. Maior patet: nam delectatio, vt ait Ill. Godoy *num.* 30. nascitur ex adeptione obiecti, seu boni convenientis: ergo actus, ex quo nascitur, erit necessario adeptio, seu assecutio. Minor verò est Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part. disput.* 57. *numer.* 55. vbi cum D. Thom. docet: quod amor est principium gaudij. Fateor: hoc argumentum mihi valdè efficax ad hominem contra Ill. Godoy videri, & nescio, quid valeat respondere, nisi inconsequentèr ad doctrinas ex ipso traditas procedat.

35 *Contra 6.* Contra sexto: illa potentia est obiecti assecutiva, quæ per vitalem operationem attingit intentionalitèr obiectum; sed hic modus assequendi communis est intellectui, & voluntati; cum vtraque vitalitèr percipiat, & attingat obiectum: ergo vtraque potentia, intellectus, scilicèt, & voluntas, est assecutiva obiecti, & consequentèr nulla est Ill. Godoy, & Thomistarum solutio. Probatur maior: potentia, intellectus, scilicèt, vel voluntas, non est obiecti assecutiva, ita, vt evadat realitèr obiectum, nec ita, vt illud sibi formalitèr inhærens adquirat: ergo illa potentia est assecutiva obiecti, quæ per vitalem operationem attingit intentionalitèr obiectum.

36 *Contra 7.* Contra septimò: sicut visio coniungit videntem cum obiecto, trahendo obiectum ad se, sic amor coniungit amantem cum amato, ferendo amantem in amatum; sed voluntas fertur, vt coniungat, & intellectus, vt coniungat, trahit: ergo sicut visio, ita amor, est assecutivus. Probatur maior primò: Non minus con-

iun-

iungitur vnum cum alio quando id in illud fertur, ac quando illud ad se venire facit: ergo sicut visio coniungit videntem cum obiecto, trahendo obiectum ad se, sic amor coniungit amantem cum amato, ferendo amantem in amatum. Secundò: non minus possidetur res per hoc, vt quis eat, vt possideat, ac per hoc, vt quis trahat ad possidendum: ergo idem, quod anteà.

37 *Contra 8.* Contra octavò: sicut vnio facta inter videntem, & obiectum comparatur aprehensioni manus, sic vnio facta per voluntatem comparatur vinculo; sed non minus coniungitur cum re, qui vinculo illi adstringitur, ac qui illum manu tenet: ergo non minus per voluntatem, quam per intellectum, coniungitur Deus cum beato: ergo non minus, quam intellectus, est affectiva voluntas. Probatur maior: quia vti manu apprehendimus res materiales, ita intellectu apprehendimus obiectum; & sicut vinculo comprehenduntur detenti, ita amore amans connectitur amato: ergo sicut vnio facta inter videntem, & obiectum comparatur apprehensioni manus, sic vnio facta per voluntatem comparatur vinculo.

Contra 9. Contra nonò: ideò visio est Dei affectiva, quia vnit videntem cum Deo; sed amor magis vnit amantem cum Deo, quam visio videntem: ergo magis affectivus est amor, quam visio. Probatur minor: cum actu amoris Dei repugnat aversio à Deo immediatè; non autem cum visione Dei: ergo amor magis vnit amantem cum Deo, quam visio videntem.

Contra. 10. Contra decimò: actui voluntatis potiori ratione, quam actui intellectus, tribuenda est affectio obiecti beatifici: ergo nulla est solutio Ill. Godoy. Antecedens probabimus specialiter *num.* 143. & 144.

38 *Contra denique.* Contra denique: ideò iuxtà Ill. Godoy intellectus est affectivus, quia trahit ad se rem intellectam; sed etiam voluntas trahit ad se rem amatam: ergo etiam voluntas est affectiva: ergo de primo ad vltimum inutilis est, & voluntaria solutio Ill. Godoy, & Thomistarum. Probatur minor primò: nam amor quando quidem modo quoddam intentionali constituit amatum in amante, facitque, vt intra amantem existat per inclinationem, & propensionem amoris, vt ait D. Thom. 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 2: ergo etiam voluntas trahit ad se rem amatam.

39 *Probat. 2. ex D. August.* Probatur secundò ex D. Augustino *lib.* 1. *de Libero Arbitrio*, *cap.* 3. qui loquendo de vita æterna, ait: *Ipsum velle nihil aliud est, quam habere.* Et *cap.* 14. inquit: *Vitam æternam deberi voluntati.* Atqui nec velle esset habere, nec voluntati deberetur vita æterna, nisi voluntas traheret ad se rem amatam: ergo idem quod anteà. Tertiò: nam est modus communis loquendi, exprimere possessionē boni per verbum *fruor*; solent enim homines dicere: *Quibus bonis, aut divitijs fruitur talis*, quod idem est, ac dicere: *Quæ bona, aut divitias possidet*: ergo etiam voluntas trahit ad se rem amatam. *3. ex communi modo loquendi.*

40 *4. ex D. Thom.* Probatur quartò eadem minor ex D. Thoma: illa potentia, quæ est affectiva, trahit ad se obiectum; sed voluntas est affectiva obiecti amati: ergo voluntas trahit ad se obiectum amatum. Maior est doctrina Ill. Godoy, contra quem arguo. Probatur minor: fruitio, quæ est actus voluntatis, est affectiva obiecti amati: ergo etiam voluntas. Consequentia est indubitabilis. Antecedens verò tradit Ill. Godoy *num.* 61. ex D. Thoma his verbis: *Antecedens suadetur ex D. Thoma infrà quæst.* 11. *art.* 3. *ad* 3. *vbi asserit: fruitionem, quæ est actus voluntatis, esse vltimum finem, non sicut res, quæ vltimo quæritur, sed sicut adeptio vltimi finis. Quod etiam repetit in hac* 1. 2. *quæst.* 34. *art.* 4. *in fine corporis articuli*: ergo fruitio, quæ est actus voluntatis, est affectiva obiecti amati.

41 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *numer.* 64. fruitionem directam esse adeptionē, non formaliter, sed consecutivè, & obiectivè: quia consequitur ad visionem beatificam, quæ adeptio est, & illam pro obiecto habet. Vel dicatur: esse adeptionem, non formaliter, sed completivè; quia complet, & perficit visionem beatificam, ad quam consequitur, tanquam illius proprietas, & in eisdem sensibus est vltimus finis vt *quo*.

42 *Reijcitur ex D. Thom.* Hæc tamen solutio (quidquid sit de eo, an per illam salvetur solutio D. Thomæ ad 3. argumentum illius articuli, qui sic procedebat: *Potest*

Probatur minor 1. ex D. Thom.

quis reflexè frui sua fruitione, quam habet de Deo; sed fruitio non est vltimus finis: ergo non omnis fruitio est vltimus finis, quod inter domesticos littigandum relinquo) se ipsam interimit, & impugnata manet à ratione per à nobis dicta *num.* 35. Vltrà quod alia D. Thomæ authoritate reijcitur: voluntas trahit ad se rem amatam: ergo est formaliter assecutiva. Probatur antecedens ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 3. *ad* 2. dicente: *Sicut ad voluntatem pertinent Spes, & amor, ita, & comprehensio*; atqui comprehendere iuxtà Ill. Godoy, & Thomistas est trahere rem ad se: ergo voluntas trahit ad se rem amatam. Quod ad hanc authoritatem respondet Ill. God. impugnatum vide *disp.* 8. *num.* 18.

43 *Incōveniēs de delectatione non habet vim.*

Nequè instantiæ Ill. Godoy, quas adduximus *numer.* 28. aliquid contra nos convincunt. Non primum, scilicèt, quod etiam in delectatione consisteret essentialiter beatitudo. Primò: nam delectatio non est Dei assecutio, sed Dei assecutionem consequitur iuxtà Ill. Godoy *num.* 30. dicentem: Quod delectatio est de bono iam adepto, & possesso: nascitur namquè ex boni convenientis adeptione: ergo nequit in ea stare beatitudo. Secundò: quia delectatio distinguitur ab amore, & est quasi accidens connaturale illius, vt fatetur ipse Ill. Godoy *disput.* 6. *num.* 26. Tertiò: quia formalis beatitudo consistit in operatione, vt diximus *disput. præced.* §. 1. & testatur Ill. Godoy eadem *disput. num.* 3; atqui delectatio, de qua loquitur Ill. Godoy, non est operatio, sed ad operationem consequitur, vt ipse confessus est, estque passio, seu accidens connaturale amoris: ergo nequit in delectatione consistere beatitudo.

44 *Nec inconveniens de amore viæ vim habet.*

Minus etiam obstat secundum, scilicèt, quod amor viæ esset assecutio Dei. Primò: quia licèt amor viæ Deum attingat, nosque cum Deo coniungat, & fit transformatio viatoris in Deum; est obiecti absentis, consequentèrque non est Dei assecutio; quia ad assecutionem requiritur, quod obiectum sit intuitivè præsens, quod habet amor patriæ; neutiquam amor viæ. Secundò: quia falsum est: amorem viæ esse eiusdem speciei cū amore patriæ, de quo dicemus §. 9. solvendo argumentum Ill. Godoy pro sola visione; & hoc dato, manet assignatum discrimen, quod pro insufficientia instantiæ Ill. Godoy contra fundamenta prædicta est plus quam sufficiens, quin ab ipso negari possit; est enim doctrina ipsius *numer.* 9. *in fine.*

45 *Respond. 2. Ill. Godoy.*

Reiecta iam principali solutione Ill. Godoy, valet secundo respondere doctrina ab ipso tradita *num.* 66. *in fin.* scilicèt, fundamenta prædicta nullatenus probare: beatitudinem formalem consistere essentialiter in pluribus operationibus; quia formalis beatitudo non est qualiscumque coniunctio cum Deo, sed coniunctio per assimilationem. Cum ergo amans, licèt per actum amoris fiat vnum cū obiecto dilecto ratione ponderis, & inclinationis in illud; non tamen fiat vnum cum illo ratione similitudinis, & identitatis naturæ cum illo, quia hoc solum fit per actum intellectus; hinc est, quod non in actu voluntatis, & intellectus formalis consistat beatitudo.

46 *Impugn. 1.*

Hæc tamen solutio impugnatur primò: dicere, quod formalis beatitudo est coniunctio cum Deo per assimilationem, est omninò voluntarium: ergo voluntaria est omninò solutio Ill. Godoy. Consequentia est legitima. Antecedens patet: quia rationem de hoc non assignat Ill. God. etsi aliqua est, eam mihi assignet, & contra ipsam insurgam. Secundò: quia etsi coniunctio cum Deo in genere veri fit per assimilationem, hoc non tollit, quod sit coniunctio cum illo in genere boni, quæ non est per assimilationem, vt diximus *num.* 34: ergo nec tollet, quod beatitudo formalis consistat etiam in actu voluntatis. Tertiò: quia quod actus voluntatis non sit coniunctio cum Deo per assimilationem, non tollit, quod sit coniunctio, etsi alio modo, ac actus intellectus: ergo nec tollet, quod ingrediatur in constitutionem beatitudinis formalis. Quartò: quod actus voluntatis non sit coniunctio cum Deo per assimilationem, non tollit; quod sit assecutivus ex dictis *in hoc* §: ergo nec tollet, quod sit de essentia beatitudinis formalis.

Secundò.

Tertio.

Quartò.

47 *Respond. 3. Ill. Godoy.*

Tertiò valet Ill. Godoy respondere ad ferè omnia fundamenta proposita: amorem coniungere amantem cum amato affectivè; non verò

possessivè; de quo duplicem rationem tradit. Prima fundatur in eo, quod per assecutionem fiat obiectum præsens, quam sic proponit *num.* 41: assecutio per operationem intentionalem dicitur, & est talis per proportionem, & analogiam ad assecutionem, quæ fit per operationem corpoream; at per operationem corpoream, solum tunc tenemus obiectū, cum illud nobis reddimus præsens: ergo intentionalis tentio, & assecutio in simili obiecti præsentatione debet consistere. Maior est certa.. Minor probatur, & explicatur simul: tunc namquè manu, aut dentibus aliquod obiectum tenemus, cum illud, sivè in se antecedentèr fuerit nobis præsens, sivè absens, manu, aut dentibus apprehendimus, nobisque præsentamus: ergo corporea tentio, aut assecutio obiecti consistit in illius præsentatione facta per corpoream operationē.

48 *Reijcitur* 1. Hæc tamen ratio Ill. Godoy reijcitur primò: assecutio rei propriſsimè loquendo, potiùs supponit præsentiam rei, quam faciat rem præsentem: ergo potiùs est assecutio actus, qui supponit obiectum præsens, quā qui præsens facit: ergo potiùs actus voluntatis, quam intellectus, erit assecutio. Consequentiæ sunt legitimæ. Antecedens autem, in quo est difficultas, patet in quacumque rei assecutione, & exemplo Ill. Godoy probatur: nullus enim manu, aut dentibus rem aliquam assequitur, nisi illa supponatur præsens: ergo assecutio rei propriſsimè loquendo, potiùs supponit præsentiam rei, quam faciat rem præsentem.

49 *Secundò.* Reijcitur secundò: licèt aliqua detur assecutio, per quam fiat obiectum præsens; falsum tamen est, quod omnis assecutio faciat obiectum præsens: ergo ruit solutio. Probatur antecedens pro secunda parte: aliqua est assecutio, quæ supponat obiectum præsens: ergo falsum est, quod omnis assecutio faciat obiectū præsens. Consequentia est notoria. Antecedens verò est D. Thomæ 1.2. *quæst* 4. *artic.* 3. *ad* 1. dicentis: *Comprehensio nihil aliud nominat, quam tentionem alicuius rei, quæ iam præsentialitèr habetur*: ergo iuxtà D. Thomam aliqua est assecutio, quæ supponat obiectum præsens. *Tertiò.* Tertiò: nam dicere, quod visio est assecutiva, quia facit obiectum præsens, est manifestè principiū petere; nam obiectum fieri præsens per visionem, solum est obiectum videri; atqui rationem non reddit Ill. Godoy, cur vnio intentionalis per visionem sit assecutio, & non vnio per amorem: ergo petit in solutione principium.

50 *2. ratio solutionis Ill. God.* Secunda ratio fundatur in eo, quod per actum amoris non dicimur possidentes Deum, sed à Deo possessi, quam sic format *num.* 42. *in fine*: nam amor transformans amantem in obiectum amatum, non reddit amantem possidentem illud, sed potiùs ab illo possessum; per amorem namquè amans se amico tradit, non amicum sibi: ergo amor, quo diligimus Deum, non constituit nos possidentes Deum, sed potiùs à Deo possessos, & consequentèr estò admitteretur, in illa methaphorica possessione consistere rationem tentionis, adhuc in amore non salvaretur.

51 *Ratio hæc innutilis est.* Hæc tamen ratio attentè inspecta, innutilis est; quia possidere obiectum intentionalitèr, vel est suum facere obiectum; vel illum intentionalitèr attingere; vel cum illo coniungi, aut vniri, & hoc, vel in illud se ferendo, vel illud ad se trahendo? Primum convenit voluntati ex dictis *num.* 29. & 31. Secundum iuxta dicta *num.* 34. Tertium per dicta *numer.* 35. & 37. Quartum ex dictis *num.* 36. Quintum per dicta *num.* 38. & *seqq.* Et deniquè voluntatem coniungere assecutivè amantem cum amato, clarescet ex dictis in hoc §. & præsertim *num.* 33. ad hominem contra Ill. God.

§. V.

Necessaria ad solutionem supponuntur.

52 *Suppono* 1. SOlutionibus Ill. Godoy, vt insufficientibus relictis, pro vera solutione fundamentorum opinionis pro vtraq; operatione, suppono primo: quod beatitudo non est qualiscumque assecutio obiecti beatifici, sed talis, qua obiectum beatificum fit assequentis, & ab eo, vt suum, tenetur, & possidetur; quomodo sola voluntas est assecutiva, quia ita amore assequitur rem, vt eam suam faciat, vt constat ex illo proloquio: *Amore amicitiæ Amicus fit alter ego*, & declarat illud Canticorum 3: *Tenui eum, nec dimittam.*

Beatitudo formalis est assecutio suum faciens obiectum.

53 *Talis assecutio soli cō venit voluntati.*

Vndè licèt intellectus sit assecutivus obiecti; non tamen est hoc modo assecutivus; quia non trahit obiectum ita, vt illud faciat suum, sed ita, vt intelligibilitatem obiecti exprimat, quod licèt satis sit, vt obiectum faciat obiectivè præsentem, non est satis, vt obiectum faciat suum, quia ad hoc erat necessàrium, vt actus intellectus esset veluti translatio dominij obiecti cogniti in cognoscentem, quod non facit actus intellectus, & soli actui voluntatis competit. Quarè quando dicitur: beatitudo formalis est assecutio obiecti beatificè, sic debet intelligi: beatitudo formalis est assecutio obiecti beatifici, suum faciens obiectum beatificum. Vndè operatio illa, quæ sit talis assecutio, erit beatitudo formalis, quia in tali assecutione consistit essentialitèr beatitudo formalis. Sic Lusitanus *lib.* 4. *quæst.* 10. *art.* 3.

54 *Beatitudo est assecutio secū afferens voluptatem.*

Suppono secundò: quod beatitudo formalis, non est qualiscumque assecutio obiecti beatifici; sed assecutio secum afferens voluptatem, seu delectationem, quia beatitudo debet esse aliquid formalitèr recreans, & exhilarans personam. Vndè cum voluptas, seu delectatio non ad intellectum, sed ad voluntatem spectet ex dictis in libris de Anima, & fatetur Ill. Godoy *disput.* 6. *num.* 26. per hæc verba: *Delectationem de bono Divino, vt convenienti Deo, & ab illo possesso, quæ ad amorem amicitiæ sequitur, &c.* Et etiam *disput.* 8. *num.* 15. in solutione ad authoritatem D. Thomæ, quam *numer.* 42. pro nobis proposuimus; sola voluntas est hoc modo assecutiva.

55 *Beatitudo est assecutio perfectissima, & vltima.*

Suppono tertiò: quod beatitudo formalis non est qualiscumque assecutio, sed assecutio perfectissima, & vltima; quia beatitudo, vtpotè, summum bonum, debet poni in summa perfectione, & vtpotè, vltimus finis, in vltima assecutione. Vndè illa operatio erit essentialitèr beatitudo formalis, quæ fuerit perfectissima, & vltima. Suppono deniquè: quod beatitudo formalis non est qualiscumq; vnio animæ cum Deo, nec qualiscumque satietas, sed est vnio, & satietas intensiva; vndè illa operatio erit essentialitèr beatitudo formalis, quæ fuerit vnio, & satietas intensiva. Hæc sunt valdè necessaria ad solvēda fundamenta adducta. Quarè his suppositis. Sit.

Beatitudo est vnio, & satietas intensiva.

§. VI.

Solvuntur fundamenta pro vtraq; operatione.

56 *Ad authoritates in generali, respond.* 1.

AD fundamenta ex Authoritatibus deducta *num.* 14. respondeo primò: Scripturam, Patres, & Concilia loqui problematicè, vt claret ex eo, quod iam in actu intellectus, iam in actu voluntatis, iam in vtroque simul beatitudinem constituant; quarè ab authoritatibus est præscindendum, vt diximus *num.* 6. & testatur Ill. Godoy *num.* 3. *in fine, & num.* 4. Sed ne videatur, explicatione carere. Respondeo secundò: loqui de beatitudine amplè sumpta, seu extensiva, vel quo ad statum; non verò præsè accepta, seu intensivè, vel quo ad essentiam, de quo est quæstio ex dictis *num.* 5.

Secundò.

57 *Respondeo in particulari. Ad* 1.

In particulari autem respondeo ad primam, ex Benedicto Papa deductam, quod mens Pontificis, vt rectè advertit Ill. Godoy ex Bazquez *disput.* 10. *cap.* 3. solum fuit definire, Iustorum Animas ante diem Iudicij verè esse beatas, an autem operatione intellectus, an voluntatis, an vtriusq; potētiæ intellectus, & voluntatis, neutiquam in sua diffinitione comprehenditur, sed Theologis disputandū relinquit: vtitur autem nominibus vtriusque potentiæ, vt à Theologorum discrimine abstrahat. Tum etiā: nam Pontifex non asserit, fruitione, & visione essentialitèr constitui beatas, sed solum docet, ex visione, & fruitione verè esse beatas, quod facilè explicatur: vna ingrediente, vt essentia, altera præsuppositivè.

58 *Ad* 2.

Ad authoritatem Catheciſmi, quæ specialis est difficultas, respondeo: quod per ly *essentialem*, non intelligit essentiam methaphisicè, sed integram substantiam beatitudinis, vt ab accidentibus communibus divisam, quomodo vtramq; operationem claudit, quin de eius essentia methaphisica sit vtraque operatio. Et quod hæc sit vera explicatio, quidquid dicat Mastrius, probatur: nam ibi intentum non erat, explicare beatitudinem methaphisicè; alioquin opinio pro vtraque operatione esset de fide, quod Mastrius dicere non audet. Item: ibi sufficiebat declarare ea, quæ necessà-

rio

rio concurrunt ad beatitudinem, præscindendo ab hoc, an formaliter, antecedenter, vel consequenter concurrant: ergo vera est tradita solutio.

59 *Ad 1. fundamentum respond. 1.*

Ad primam rationem posítam *num.* 15. respondeo primò distinguendo maiorem: beatitudo consistit essentialiter in illis actibus, quibus immediatè attingitur Deus, attingentia absolutè, nego maiorem; quæ sit assecutio, subdistinguo primo: quæ sit assecutio suum facciens obiectum, concedo maiorem; suum non faciens obiectum, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Subdistinguo secundò: quę sit assecutio secum afferens voluptatem, concedo maiorem; secum non afferens voluptatem, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Subdistinguo tertiò: quæ sit assecutio perfectissima, & vltima, concedo maiorem; non perfectissima, & vltima, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo hac triplici distinctione maiorem, minorem, & consequens. Ad probationem minoris, concedo maiorem, distinguo similiter minorem, & consequens. Solutio constat ex *num.* 52. 53. 54. & 55.

60 *Replicabis, contra 1. distinct.*

Replicat Mastrius *num.* 312. contra primam distinctionē, etsi nostram doctrinam de assecutione voluntatis concedat: actus intellectus est assecutivus, suum faciens obiectum: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: per actum intellectus constituitur obiectum in potestate intelligentis: ergo actus intellectus est assecutivus, suum faciens obiectum. Probatur secundò: ideò amor est assecutio, suum faciens obiectum, quia amore amicus fit alter ego; sed intellectus intellectione fit obiectum; nam intellectus intelligendo fit omnia: ergo actus intellectus est assecutivus, suum faciens obiectum. *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, ad primam probationem distinguo antecedens: per actum intellectus constituitur obiectum in potestate intelligentis, transferendo dominium obiecti cogniti in cognoscentem, nego antecedens; non ita transferendo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad secundam probationem distinguo similiter maiorem, & minorem, negoque consequentiam. Claret solutio ex *numer.* 53. Et vltrà firmatur.

61 *Firmatur solutio ratione.*

Licèt enim intellectus per intellectionem constituat obiectum in eius potestate, & fiat omnia intelligendo, hoc non ita habet, vt cognoscentē cognito configuret, transformet, & convertat, quia hoc solum convenit voluntati: ergo solum voluntas ita assequitur obiectum, vt amantem amato configuret, transformet, & quodammodo convertat. Atqui hoc est assequi obiectum, ita, vt suum faciat; quia hoc est veluti translatio dominij obiecti assecuti in assequentem: ergo hic modus assequendi obiectum, non intellectui, sed solum convenit voluntati. Hæc doctrina est D. Dionisij *cap. 7. de Cœlesti Hyerarch.* Et D. Augustini *tract. 2. in 1. Canonicam Ioannis*, vbi ait: *Attende quid diligas: si diligis terram, terra es; si Cœlum, Cœlum est; audeo, & dicere: si Deum, Deus es.* Imò, & Div. Thomæ, qui hac de causa 1. 2. *q.* 28. *art.* 1. *Ad* 3. ait: *Vndè amor est magis vnitivus, quam cognitio.*

Firmatur ex Dionis. Augustī. & D. Thom.

62 *Respond. 2.*

Respondeo secundò aliter distinguendo primam probationem: per actum intellectus constituitur obiectum quoad præsentiam in potestate intelligentis, concedo antecedens; obiectum quoad dominium illius, vel ipsius bona, nego antecedens, & consequentiam. Distinguo similiter secundam probationem. Vndè obiectum constitui in potestate videntis per actum intellectus, solum est facere obiectum obiectivè præsens; non tamen ob hoc transfert in se dominium illius; vel de illo ad nutum suum disponere valet, quod erat necessarium, vt obiectum faceret suum. Ast voluntas per amorē veluti transfert in se dominium obiecti, & ita indissolubiliter ipsi vnitur, vt de ipso ad nutum suum disponere valeat, quod est suum facere, vt omnibus claret.

63 *Replicabis contra 2. distinct.*

Dices contra secundam distinctionem: si beatitudo formalis esset essentialiter assecutio, secum afferens voluptatem, seu delectationē, delectatio pertineret essentialiter ad beatitudinem; sed hoc est falsum in Scoti opinione; imò ex hoc sequeretur: non consistere tantum in vnica operatione, imò nec in duobus, sed

præ-

præter has consistere etiam in delectione, quæ ab vtraque distinguitur: ergo nulla est secunda solutio à nobis data. Respondeo distinguendo maiorem: delectatio, quam secum affert assecutio, pertineret essentialitèr ad beatitudinem, concedo maiorem; secuta ad assecutionem, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequens.

Respond.

64 *Explicatur solutio.*

Itaquè delectatio ex Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 4. §. Contra istud. ℣. Cum probatur, & brevitèr ergo*, est duplex. Vna de ipso fine, vel circà ipsum finem. Alia de consecutione finis. Prima est ipsa complacentia, vel amor amicitiæ, qui est ipsa assecutio finis. Secunda distinguitur ab ipso amore, & est accidens beatitudinis consequens beatitudinem formalem, quia consequitur finis assecutionem, in qua consistit essentialitèr beatitudo. Quando enim dicimus, quod beatitudo formalis est assecutio, secum afferens delectationem, loquimur de delectatione, que est ipsa finis assecutio; non verò de delectione, quæ finis assecutionem consequitur.

65 *Replicat Ill. Godoy. cõtr. 3. dist. Primò.*

Contra tertiam distinctionem replicat Ill. Godoy primò *num. 9*: in ratione assecutionis excedit beatifica visio actum voluntatis: ergo solutio est nulla. Probatur antecedens: visio beatifica assequitur Deum independentèr ab actu voluntatis; iste autem dependentèr à visione beatifica, quo circà amor amicabilis vitæ assecutio non est, quia non visionem claram, sed per obscuram fidei cognitionem regulatur; atqui perfectius quid est in ratione assecutionis, assequi independentèr, quam assequi cum dependentia ab alio: ergo in ratione assecutionis excedit visio beatifica actum voluntatis.

Respond. 1.

Respondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem dico: quod voluntas dependet ab intellectu, dependentia regulativa, & ostensiva, sicut Dominus dependet à servo, nocte illum illuminante, vel consilium dante; non verò dependentia authoritativa, & imperativa, sicut servus dependet à Domino; quin potiùs hoc modo intellectus dependet à voluntate, ex quo distinguatur maior pro vtraque parte, & minor, & negetur consequentia. Et cum independentia in regulando, & ostendendo, non sit independentia perfectionis; benè verò independentia in imperãdo, ex hoc retorqueatur replica.

Respond. 2.

Respondeo secundò concessa maiori, negando minorem; quia non omnis dependentia arguit imperfectionem; finis enim dependet à medijs; substantia ab accidentibus; intellectus ab speciebus, & nec media, nec accidentia, nec species sunt fine, substantia, & intellectu perfectiora.

Respond. 3.

Respondeo tertiò distinguendo maiorẽ: amor assequitur dependentèr à visione beatifica, tanquam à conditione, concedo maiorem; alio genere dependentiæ, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Solutio claret in quacumque conditione, quæ numquam est perfectior illo, respectu cuius est conditio. Quod autem visio beatifica sit conditio, vt actus voluntatis assequatur Deum, patebit ex dicendis *num. 106.* & Ill. Godoy fatetur in replica. Ommitto alias solutiones, & retorsiones, quæ videri possunt in libris de Anima, contra Thomistas asserentes: intellectum esse voluntate perfectiorem.

Replicat 2. Ill. Godoy.

Replicat secundò *numer. 11.* nam licèt beatitudo in perfectissima assecutione consistere petat, perfectior assecutio est, quæ fit per vtramque potentiam, quam illa, quæ fit tantum per vnam: ergo si vtraque potentia assecutiva est, in actu vtriusque potentiæ debet consistere.

Respondeo.

Respondeo distinguendo antecedens: in linea essentiali, & accidentali, concedo antecedens; in linea essentiali solum, nego antecedens, & consequentiam; quia beatitudo essentialitèr cõsistit in perfectissima assecutionè, qualibet alia extra lineam essentialem se habente. Aliter replicat Ill. Godoy; sed quia propriùs procedit contra secundam responsionem, ibi eam obiectam invenies.

66 *Contra 3. dist. replicat Mastrius.*

Mastrius verò *num. 319.* ait: tertiam distinctionem predictam veram esse de beatitudine inadæquata, quomodo est aliquid per se vnum, & forma simplex; falsum verò de beatitudine adæquata, quomodo est vna vnitate ordinis, vel aggregationis.

Respondeo.

Sed tenendo viam problematicam, dico nunc: beatitudinem adequatam naturæ esse aliquid per se vnum, formam simplicem, & vnam vnitate in-

divisibilitatis, quod tenent omnes constituentes beatitudinem in vnica operatione. Nec oppositum probat Mastrius, nisi per fundamēta suæ opinionis, quorum primum est solutum, & cætera solventur.

67 *Respond. 2. ad 1. fundamentum.*

Respondeo iam secundò ad prædictam primam rationem, negando maiorem, ad probationem distinguo maiorem: beatitudo consistit essentialitèr in perfecta vnione intensiva, concedo maiorem; extensiva, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Beatitudo enim consistit essentialitèr in perfecta vnione intensiva, ad quod sufficit, quod Deus attingatur perfectiori operatione.

68 *Replicat Ill. Godoy.*

Contra hanc secundam solutionem replicat Ill. Godoy *infrà n.* 11: quilibet actus istarum potentiarum dicit perfectionem in linea assecutionis, supposito, quod vtraque assecutiva sit, non solum extensivam, sed etiam intensivam, & aliàs perfectio assecutionis intellectus in actu voluntatis non continetur: ergo assecutio intellectus simul cum assecutione voluntatis perfectior est, nedum extensivè, sed etiam intensivè, assecutione, quæ fit per voluntatem. *Confirmat.* Confirmatur: beatitudo consistere petit in tali assecutione Dei, quæ formalitèr, vel eminentèr omnem Dei assecutionem contineat; atqui assecutio facta per voluntatem, si verum est, quod voluntas assecutiva est, nec formalitèr, nec eminentèr continet assecutionem, quæ fit per intellectum; cum illam non radicet, sed potiùs radicetur in illa: ergo nequit adæquatè beatitudinis essentiam constituere; & consequentèr actus intellectus ab illius essentia excludi non potest.

Respondeo. Respondeo ad replicam negando maiorem, & claritatis gratia, illam distinguo: quilibet actus istarum potentiarum dicit perfectionem in linea assecutionis, non solum extensivam, sed etiam intensivam, ideſt, essentialem, nego maiorem; extra lineam essentialem, concedo maiorem; & distinguo minorem: perfectio assecutionis intellectus in actu voluntatis non continetur radicalitèr, vel formalitèr, concedo minorem; eminentèr, nego minorem, & distinguo consequens distinctione maioris. Ex quo *Ad confirmationem.* ad confirmationem, nego minorem, imò, & suppositum; supponit namq; quod vt assecutio voluntatis contineat eminentèr perfectionem assecutionis intellectus, hæc debet in illa radicari, quod est falsum, quia ad hoc sufficit, vt assecutio voluntatis excedat in perfectione assecutionem intellectus, vt aurum continet eminentèr argentum, Angelus hominē, notitia clara alicuius obiecti notitiam obscuram illius ex Scoto *quæst. 1. Prologi, §. Ita in proposito*, & vniversalitèr omne perfectius continet eminentèr imperfectius. Vltrà hoc nōta, quod in confirmatione habet Ill. Godoy aliud suppositum falsum, scilicèt, quod assecutio per voluntatem radicatur in assecutione per intellectum.

69 *Ad 2. fundamentum.*

Ad secundam positam *num.* 16. vt ad primam distinguo maiorem triplici distinctione posita *num.* 59. Distinguo similitèr minorem cum vtraque probatione, & nego consequentiam. Alitèr distinguo maiorem, minorem, & vtramque probationē, vt in *num.* 67. Alitèr distinguo maiorem: beatitudo formalis essentialitèr consistit in perfectissima assecutione absolutè, nego maiorem; in perfectissima de linea constitutionis, subdistinguo: de linea constitutionis potentiarum, nego maiorem; naturæ, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem cum vtraque probatione, & nego consequentiam. Claret hæc solutio ex *num.* 66.

70 *Ad 3. fundam. 4. 5. & 6.*

Ad tertiam nego maiorem, & distinguo primò probationem per dicta *num.* 59. Distinguo secundò per dicta *num.* 67. Ad quartum distinguo similitèr maiorem, & minorem, negoque consequentiam. Ad quintum distinguo similitèr maiorem, & minorem, cum vtraque probatione. Imò probatio à paritate obiecti sensibilis, quam in suum favorem tradit Mastrius, potiùs est pro nobis: nam tunc perfectè possideo pomum, quādo illud meum facio, & possessione voluptatem afferente illud teneo: ergo similitèr: tunc perfectè Deum possideo, quando illum meum facio, illumque possessione, voluptatem afferente teneo. Cum ergo hæc possessio soli voluntati conveniat, in ipsa sola stat essentialitèr beatitudo formalis. Ad sextum distinguo triplici distinctione assignata *num.* 59. Ante-

cedens, conſequens, & ſuſſumptam, negoque conſequentiam.

71 *Ad 7. fundam.* Ad ſeptimum nego minorem, ad probationem nego minorem, & diſtinguo probationem imbibitam: beatitudo, quæ vtrumque clauderet extenſivè, eſſet perfectior, nego; intenſivè, concedo, ſed nego ſuppoſitum; quia repugnat beatitudinē vtrumq; intenſivè claudere ob rationes aſſignandas §. *ſequenti* pro vna operatione. Solutio conſonat cum dictis *num.* 68. in ſolutione. *Ad 8.* Ad octavum diſtinguo antecedens, conſequens, & ſuſſumptam, ſicut ad primum. Ad probationem ſuſſumptæ, nego minorem, ad cuius probationem, nego antecedens quoad ſecundam partem: nam per amorem vnitur amans amato, quia fertur in amatum, vt omnes concedunt; & amatum vnitur amanti, quia ſicut intellectus trahit ad ſe obiectum, ratione cuius obiectum vnitur intelligenti; ita voluntas trahit ad ſe amatum ex dictis *num.* 38. *& ſequentibus.*

72 *Ad 9.* Ad nonum concedo ſyllogiſmum, & nego ſuſſumptam quoad ſecundam partem; quia per amorem creatura tradit dominium ſuum in Deum, & cum amor ſit veluti tranſlatio domi. ij obiecti amati in amantem, etiam Deus per amorem tradit creaturæ dominium in ſua bona ex dictis *num.* 54. *&* 61. Nota tamen, quod hæc, & præcedens ratio ſpecialiter militant contra ponentes beatitudinem in viſione, cum qua nequit eſſe mutua vnio Dei & creaturę, nec mutua dominij traditio.

73 *Ad 10. reſpond. 1.* Ad decimum reſpondeo primò negando maiorem; licèt enim illa ratione probetur: materiam, & formā eſſe de eſſentia compoſiti; corpus, & animam de eſſentia hominis phiſici; non tamen eſt vniverſaliter vera, vtpotè, in ipſis exemplis falſificata: nam dempta vnione, nec compoſitum, nec homo manet: ergo vnio eſt de eſſentia compoſiti, & hominis? Mala conſequentia; ſic & illa. Item: non manet relatio dempto cōceptu *in*: ergo eſt de eſſentia relationis. Mala conſequentia: ſimiliter ergo & contra nos deducta. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: illa pertinent ad eſſentiam alicuius, quod non manent defectu alicuius eſſentialis, quocumq; eorum dempto, concedo maiorem; defectu alicuius conditionis, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Ad probationē maioris ſimiliter diſtinguo, & pariter probationem minoris quoad primā partem. Solutio claret in exemplis adductis; hacque diſtinctione ad cōfirmationem, diſtinguo maiorem, & minorem, eiuſque probationem pro ſecunda parte. *Ad cōfirm.*

74 *Tertiò.* Reſpondeo tertiò aliter diſtinguendo maiorem: illa pertinent ad eſſentiam alicuius, quod non manet eſſentialiter, quocumq; eorum dempto, concedo maiorem; denominativè, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem cum eius probatione quoad primam partem, & nego conſequentiam. Itaquè aliud eſt, manere eſſentialiter, & aliud denominativè. Tunc aliquid manet eſſentialiter, quando manet tota eius eſſentia; & tunc denominativè, quando eſſentia actu denominat ſubiectum. Hoc claret in exemplis adductis: nam manente materia, & forma, manet compoſitum eſſentialiter; cæterum dempta vnione non manet denominativè, quia licèt materia, & forma ſeclusa vnione ſint tota eſſentia cōpoſiti; tamen ſine vnione non actu conſtituunt. Similiter de alijs. Ad cōfirmationem hac diſtinctione diſtinguo maiorem, & minorem, eiuſque probationem pro ſecunda parte. *Ad cōfirm.*

75 *Declaratur ſolutio.* Hinc ad propoſitum: dempta vna operatione, manet homo eſſentialiter beatus, quia manet tota eſſentia beatitudinis, quæ poſita eſt in vna operatione; cæterum non manebit denominativè beatus, quia licèt vna ſine alia ſit tota eſſentia beatitudinis, tamen vna ſine alia non beatificat actu. Hanc doctrinam tenent Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 1. *art.* 4. *in fine.* Medina 1. 2. *quæſt.* 3. *art.* 4. *in vltima ſolutione ad primum primæ opinionis.* Ipſamque vt probabilem tenet Ill. God. *in præſenti num.* 28.

76 *Ad 11. fundam. reſpōdeo 1.* Ad vndecimam rationem reſpondeo primò negando maiorem: nam cum benè eſſe naturæ, quod eſt eius beatitudo, conſiſtat eſſentialiter, non in qualicumque aſſecutione, vnione, & ſatietate; ſed in aſſecutione, vnione, & ſatietate dicta *numer.* 52. 54. *&* 55. benè eſſe naturę conſiſtit eſſentialiter in tali aſſecutione, vnione, & *Secundò.*

ſa-

facietate, quæ sita est in vnica operatione. Deindè: quia cum benè esse naturæ sit vnum per se; in vnica operatione essentialitèr consistere debet.

Secundò. Vltrà hoc tamen respondeo secundò concedendo maiorem, & minorem, & distinguendo consequens: ergo ad benè esse naturæ, vt operativa est, essentialitèr requiritur aliquid ex parte intellectus, & aliquid ex parte voluntatis, concedo consequentiam; vt natura est, nego consequentiam. Itaq; aliud est natura, vt natura est; & aliud vt operativa est. Vt operativa facit reduplicationem suprà potentias, & sic non est forma simplex, sed claudit duplicem potentiam; ast vt natura est, est forma simplex, & solum claudit conceptum naturæ.

77 *Firmatur solutio.* Cum ergo esse naturæ, vt operativa est, essentialitèr includat duplicem potentiam; benè esse naturæ, vt operativa est, essentialitèr claudit duplicem operationem; sed hoc tantum concludit, quod sicùt duplex est potentia, duplex sit operatio ad benè esse potentiarum, quod non dubitamus, vt claret ex *numer.* 5. vbi cum Scoto diximus: beatitudinem potentiarum in duplici consistere operatione, sed de hac non loquimur, nec de ipsa procedit disputatio, vt omnes fatentur. Similitèr ergo: cum esse naturæ, vt natura est, sit essentialitèr forma simplex, & solum claudat conceptum naturæ; benè esse naturæ, vt natura est, essentialitèr claudit vnicam operationem.

78 *Respond. 1. ad vltimũ fundam.* Ad vltimum fundamentum respondeo primo: Philosophum esse problematicum, vt diximus *num.* 12. Vndè ab illius authoritatibus est præscindendum, in quo Ill. Godoy nobiscum convenit, vt claret ex dictis *numer.* 6.

Secundò. Vltrà quod respondeo secundò distinguendo consequens: ergo felicitas humana in ratione operativę in vtroque actu essentialitèr consistit, concedo consequentiam; in ratione naturæ, nego consequentiam. Quando enim Aristoteles ait: quod felicitas naturæ humanæ consistit in contemplatione, vtrumque mentis actũ comprehendente, intelligendus est de felicitate naturæ humanæ, vt operativa est; non verò vt natura est, & hoc supposito, solutio claret ex proximè dictis ad vndecimum fundamẽtum.

Tertiò. Tertiò: quod quando Scotistæ dicunt: Aristotelem per contemplationem vtrumque actum intellexisse, intelligendi non sunt de vtroq; actu in recto, sed vno in recto, & alio in obliquo, ex quo nihil contra nos.

§. VII.

Fundamenta pro vna operatione assignantur.

79 *Quædam authoritates.* OPinio asserens: beatitudinem formalem naturæ consistere essentialitèr in vnica operatione, habet pro se plures Authoritates Scripturæ, & Patrum, à Thomistis pro actu intellectus adductas, & pro actu voluntatis ab Scotistis. Rationes verò sunt sequentes.

1. *fundam.* Prima est Ill. God. *num.* 15: nam illa sola operatio, quæ est assecutio Dei, constituit essentialitèr formalem beatitudinem; at in rationali creatura sola vna operatio obtinet rationem assecutionis: ergo in vna sola operatione essentia beatitudinis formalis consistit.

80 2. *fundam.* Secunda est eiusdem *num. citat.* illa operatio constituit essentialitèr formalem beatitudinem, qua primo Deum assequitur, & radicalitèr, seu causalitèr continet aliarum potentiarum perfectiones; at sola vna operatio gaudet istis proprietatibus: ergo in vna sola consistit formalis beatitudo essentialitèr. Minor est certa: nam inter duas operationes rationalis naturæ, pertinentes ad diversas potentias, intellectus, nempè, & voluntatis, intervenit ordo prioritatis: ergo vtraque nequit esse prima assecutio, alias radicalitèr, seu causalitèr continens. Maior autem suadetur: nam in alijs essentijs id intelligimus, illas essentialitèr constituere, quod primo illis competit, & in quo radicalitèr cęterę perfectiones continentur, vt in homine licet videre, cuius essentiale constitutivum est rationale, quia id primo ei convenit, & aliæ perfectiones radicantur in illo: ergo cum beatitudo nostra formalis in Dei assecutione consistat, in illa operatione debet constitui, cui primo convenit ratio assecutionis continentis causalitèr cęteras perfectiones, concomitantes statum beatificum.

81 3. *fundam.* Tertia ratio est: beatitudo est aliquid per se vnum, & forma simplex; sed ex pluribus actibus non constituitur aliquid per se vnum, nec forma simplex: ergo beatitudo formalis

non

non in pluribus actibus, ſed in vno duntaxat eſſentialitèr conſiſtit. Quarta: beatitudo eſt operatio omnium optima: ergo nequit eſſentialitèr cõſiſtere in pluribus operationibus. Patet conſequentia: quia inter operationes ſpecie diſtinctas, vna tantum eſt optima. Quinta: beatitudo eſt cõiunctio vltima, & perfectiſsima creaturæ ad Deum; ſed talis coniunctio fit per vnicam operationem; nam vnica tantum eſt vltima: ergo beatitudo formalis non in pluribus actibus, ſed in vno duntaxat eſſentialitèr conſiſtit. Sexta: vna tantum eſt potentia, quæ in natura intellectuali perfectiſsimè attingit obiectum: ergo & vna tantum operatio, qua ſic attingitur: ergo non in pluribus, ſed in vno actu conſiſtit eſſentialitèr formalis beatitudo. Septima: beatitudo eſt operatio immediatè, & perfectiſsimè attingens obiectum; ſed ab vnica tantum operatione ſic valet attingi: ergo in vnico actu conſiſtit.

4. *fundam.*

5. *fundam.*

6. *fundam.*

7. *fundam.*

82

Octava: obiectum beatificum, ſcilicèt, Deus, eſt vnus, & ſimplex: ergo & formalis beatitudo. Nona: beatitudo formalis eſt vltimus finis *quo* creaturæ; ſed vltimus finis *quo* eſt vnus, & ſimplex, ſicut finis vltimus extrinſecus, ſeu *quod*; alioquin non eſſet vltimus: ergo beatitudo formalis in vnico actu conſiſtit. Decima: beatitudo obiectiva eſt ſummum bonum: ergo debet replere ſupręmam hominis capacitatem; ſed hæc eſt in ſupræma potentia, quæ vnica eſt: ergo in actu vnius potentiæ beatitudo conſiſtit. Vndecima: beatitudo formalis eſt aſſecutio obiectivæ, illiuſq; poſſeſsio; ſed vna tantum eſt operatio aſſecutiva, & poſſeſsiva: ergo in vno tantum conſiſtit formalis beatitudo.

8. *fundam.*

9. *fundam.*

10. *fund.*

11. *fund.*

83

Duodecima, & eſt ad hominem contra Scotiſtas: non minùs requiruntur actus intellectus, & voluntatis ad legem, & imperium, quam ad beatitudinem; ſed tàm imperium, quàm lex, in vnico actu tantum conſiſtit eſſentialitèr, vt tenent Scotiſtæ cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 36. Et *in* 4. *diſt.* 44. legem, & imperium in ſolo actu voluntatis conſtituẽntes; imò, & Thomiſtæ in ſolo actu intellectus collocantes: ergo beatitudo etiam in vnico ſolo actu eſſentialitèr conſiſtere debet. Denique: vel omnia, ad quę neceſſario exiguntur actus intellectus, & voluntatis, per actus vtriuſque potentiæ conſtituuntur in recto, vel beatitudo non conſtituitur, cum eadem ſit ratio de omnibus; at non omnia, ad quæ neceſſario requiruntur actus intellectus, & voluntatis in actibus vtriuſque conſiſtunt: ergo beatitudo non conſiſtit in pluribus actibus. Minor probatur exemplo Prudentiæ, Omnipotentiæ, & aliorum, ad quæ vtriuſque potentiæ actus deſiderantur, & tamen in illis non conſtituuntur in recto, ſed in actu alicuius ex illis, altero præſuppoſito: ergo non omnia, ad quæ neceſſario requiruntur actus intellectus, & voluntatis, in actibus vtriuſque conſiſtunt. Hæc ſunt pro vna operatione fundamenta, quæ facilitèr ſolvuntur.

12. *fund.*

13. *fund.*

§. VIII.

Fundamenta pro vna operatione ſolvuntur.

84

NOTA.

Ante ſolutionem fundamentorum, notto: quod beatitudo formalis eſt duplex. Adęquata vna; inadæquata altera. Beatitudo adæquata eſt adæquata aſſecutio, vnio, & ſatietas, ſivè adæquata attingentia. Beatitudo inadæquata eſt inadæquata aſſecutio, vnio, & ſacietas. Prima requirit eſſentialitèr quamcumque aſſecutionem. Secunda ſalvatur in qualibet, & principaliùs in perfectiori. Hoc notato.

85

Reſpond. 1. ad author.

Reſpondeo primò ad Authoritates: Scripturam, & Patres loqui problematicè; nam multotiès aſsignant beatitudinem in actu vtriuſque potentiæ; quare ab authoritatibus eſt præſcindendum, vt manet dictum *num.* 6. in quo nobiſcum conuenit etiam Ill. Godoy *num.* 3. *in fine, & num.* 4. Reſpondeo ſecundò: loqui de beatitudine inadæquata; non verò de adæquata; & ſi aliquando dicant: beatitudinem adæquatam, ſivè totam, eſſe in viſione, vel in fruitione, debent intelligi de beatitudine intellectus, vel voluntatis; non verò de beatitudine naturæ, de qua vnice eſt ſermo.

Secundò.

86

Ad 1. fundament.

Ad primam rationem Ill. Godoy conceſſa maiori, nego minorem; quia in rationali creatura duplex eſt operatio, obtinens rationem aſſecutionis, vt vidimus §. 4. Ad ſecundum nego ſuppoſitum; ſupponit namquè, quod

Ad 2.

vna

vna operatio rationalis creaturæ radicalitèr continet operationes aliarum potentiarum, quod est falsum; nam neque visio est radix fruitionis, nec è contra. Nec obstat probatio maioris; nam licèt in illis rebus, quæ sunt vnum per se, & forma simplex, assignemus constitutivũ in eo, quod primo illis competit, & in quo radicentur cæteræ perfectiones, vt de homine optimè probat Ill. Godoy; falsum tamen est in rebus, quæ solum sunt vnum vnitate ordinis, vt est adæquata beatitudo. Imò argumentum probat: compositum essentialitèr constitui per aliquod simplex, quod apud omnes est falsum, ex quo argumentum claram patitur retorsionem. *Retorque.*

87 *Ad 3.* Ad tertiam distinguo maiorem: beatitudo inadæquata est aliquid per se vnum, & forma simplex, concedo maiorem; adæquata, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Itaque beatitudo adæquata solum est vna, vnitate ordinis, vel aggregationis, sicut potentia beatificabilis non est vna, sed duplex. *Ad 4. & 5.* Ad quartam distinguo similitèr antecedens, & consequens. Ad quintam similitèr distinguo maiorem, cõcedo minorem, & distinguo consequens eodem modo; nam beatitudo adæquata consistit essentialitèr in duplici coniunctione vltima, non simplicitèr, sed vltima quantum ad potentias, quia visio est vltima quantum ad intellectum, & fruitio quantum ad voluntatem, & quia prima ordinatur ad secundam, ideò solum secunda dicitur simplicitèr vltima. *Ad 6.* Ad sextam respondeo: probare tantum, beatitudinem consistere principaliùs in vna operatione; non verò adæquatè; quarè distinguo secundum consequens distinctione data. *Ad 7.* Ad septimam distinguo similitèr maiorem; concedo minorem, & distinguo paritèr consequens.

88 *Ad 8. respond. 1.* Ad octavam respondeo primò concesso antecedenti, negando consequentiam; nam in opinione, quod Deus sub vnica ratione beet, obiectum beatificum est vnum vnitate indivisibilitatis; at beatitudo formalis, non est sic vna; quarè stat disparitas. *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo antecedens: Deus est vnus, vnitate reali, concedo antecedens; virtuali, aut formali, nego antecedens; nam licèt sit vna ratio *quæ* beandi, scilicèt, Deitas, duplex tamen est ratio *sub qua*, quia sub ratione veri beat intellectum, & sub ratione boni voluntatem. Ex quo retorqueo argumentũ: in beatitudine obiectiva est duplex æquabilitas; ergo in formali duplex erit affectio. *Retorqueo.*

89 *Ad 9.* Ad nonam rationem distinguo maiorem: beatitudo est finis vltimus simplicitèr, & non simplicitèr, concedo maiorem; simplicitèr præcisè, subdistinguo: beatitudo inadæquata, seu principalior, concedo maiorem; adæquata, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Claret solutio ex dictis ad tertiam rationem. Alitèr distinguo maiorem: beatitudo est finis vltimus, & vnus, vnitate ordinis, concedo maiorem; vnitate indivisibilitatis, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. *Ad 10.* Ad decimam respondeo: tantum probare: actum potentiæ supremæ esse de essentia beatitudis; non verò in ipso solo consistere. Imò oppositum probat: nam si obiectiva beatitudo est summum bonum: ergo debet replere omnem hominis capacitatem; sed hæc est in duplici potentia: ergo consistit beatitudo in duplici potentia. Vide claram retorsionem. *Retorque.*

90 *Ad 11.* Ad vndecimam respondeo: concessa maiori, negando minorem, vt satis constat ex dictis, præcipuè §. 4. *per totum.* *Ad 12. respond. 1.* Ad duodecimam poteram primò respondere negando maiorẽ, eodem modo discurrendo de lege, & imperio, ac de prædestinatione, & beatitudine, quod certè difficilè non erat. *Secundò.* Sed conformiùs ad Scotistarum opinionem procedendo. Respondeo secundò distinguendo maiorem: non minùs requiruntur actus intellectus, & voluntatis ad legem, & imperium, quam ad beatitudinem, non minùs, & diverso modo, concedo maiorem; & eodem modo, nego maiorem; quia licèt actus intellectus, & voluntatis necessario requirantur ad legem, & imperium, sicut ad beatitudinem; non tamen eodem modo. Diversitas est: nam ad legem, & imperium requiritur actus intellectus, non ex cõceptu legis, aut imperij, sed ex eo duntaxat, quod nihil volitum, quin præcognitum, & consequentèr, vt

pura conditio. Aſt ad beatitudinem requiritur ex conceptu beatitudinis, quia cum hæc ſolum ſit aſſecutio obiecti beatifici, quilibet actus aſſecutivus eſt de eſſentia illius, ex quo deduci valent tot diverſitates, quot rationes pro ſolo actu voluntatis ad legem, & imperium adducunt Scotiſtę, pro quibus videantur à nobis dicta *tom. 2. in 1. ſent. diſp. 49. §. 5. vſquè ad finem diſput.* Conſuleturque Maſtrius *in 3. diſput. 7. quæſt. 8. art. 1. num. 168. cum ſequentibus.*

91 *Ad vltimũ reſpond. 1.* Ad vltimam rationem reſpondeo primò negando maiorem; quia non eſt eadem ratio de omnibus, vt claret ex dictis *numer. præced.* Vndè exempla in preſenti non convincunt, quia inter Divina attributa, aliqua ſunt formæ ſimplices, & aliquid per ſe vnum; alia verò ſunt vnum vnitate ordinis, vel aggregationis. Illa (quæcumque ſint) vnico actu conſtituuntur; iſta verò pluribus, vt de natura ſub conceptu operativæ dictum manet *num. 76. & 77.* Et de prædeſtinatione propugnavi *tom. 2. in 1. ſentent. diſput. 60.* Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: vel omnia, ad quæ neceſſario, & eſſentialitèr exiguntur actus intellectus, & voluntatis, per actus vtriuſque potentiæ cõſtituuntur in recto; vel beatitudo non conſtituitur, concedo maiorem; vel omnia, adquę neceſſario, non tamen eſſentialitèr exiguntur, nego maiorem; concedo minorem, & nego conſequentiam; quia etſi ad aliqua requirantur actus intellectus, & voluntatis, vnus in recto, & alius in obliquo; tamen ad beatitudinem vterq; requiritur in recto, ob fundamenta aſsignata, §. 7.

Secundò.

§. IX.

Argumenta Ill. God. pro ſola viſione ſolvuntur.

92 *Arguit. 1.* ARguit primò Ill. God. *numer. 30:* beatitudo formalis adæquatè quoad eſſentiam conſiſtit in aſſecutione, & adeptione Dei, qui eſt noſtra beatitudo obiectiva; at nullus actus voluntatis eſt adeptio, & aſſecutio Dei: ergo nullus actus voluntatis ſpectat ad eſſentiam illius. In maiori vnanimiter conſentiunt Theologi. Minor autem ſuadetur: nam omnis actus voluntatis, qui proſecutivè terminatur ad Deum, vel eſt deſideriũ, vel amor ſpecialitèr dictus, vel delectatio. Primus eſt de bono non poſſeſſo: tertius eſt de bono iam adepto, & poſſeſſo, delectatio namquè naſcitur ex adeptione boni conuenientis: ergo illud adeptum, & poſſeſſum ſupponit, & conſequentèr nequit eſſe adeptio, ſeu poſſeſsio. Secundus verò, quem D. Thomas prætermiſsit, quia fortè in illo nullam dubitandi rationem invenit, verſatur circà bonum, quod eſt illius obiectũ abſtrahendo à præſentia, & abſentia; cum æquè in illud tendat, ſivè præſens ſit, ſivè abſens: ergo nullus actus voluntatis eſt adeptio, & aſſecutio Dei; & conſequentèr ad eſſentiam formalis beatitudinis ſpectare nequit.

Confirmat. Explicat ampliùs, & confirmat: amor amicabilis viæ eſt eiuſdem ſpeciei cum amore amicabili patriæ; ſed amor viæ adeptio, & poſſeſsio non eſt: ergo nec amor amicabilis patriæ. Ill. Godoy aliam pro minori argumenti probationem non adducit; Gonet verò alitèr eam probat, cuius probationem *§. ſequenti* proponemus, vt illi reſpondeamus, & nihil maneat inſolutum.

93 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum negando minorem, & ad probationem Ill. God. diſtinguo vltimam partem antecedentis. Secundus, ſcilicèt, amor ſecundum ſe, vel amor, qui non eſt fruitio, verſatur circà bonum, quod eſt illius obiectũ, abſtrahendo à præſentia, & abſentia, concedo antecedens; amor patriæ, vel amor, qui eſt fruitio, nego antecedens, & conſequentiam. Firmatur primò ſolutio in cognitione: cognitio enim ſecundum ſe abſtrahit à præſentia, vel abſentia obiecti; atqui hoc non obſtante, cognitio, quæ eſt viſio Dei, ſeu intuitiva, eſt cognitio obiecti præſentis: ergo licèt amor ſecundum ſe abſtrahat à præſentia, & abſentia, amor, qui eſt fruitio, ſeu amor patriæ, eſt amor obiecti intuitivè præſentis.

Firmatur ſolutio 1.

94 *Secundò.* Secundò: eadem cognitione Divina abſquè vlla diſtinctione ex parte cognitionis regulantur actus diverſarum virtutum, Iuſtitiæ, nempè, & Miſericordiæ, & eadem viſione beatifica regulantur amor amicitiæ, & concupiſcentiæ in beatis: ergo eadẽ notitia intuitiva regulantur gaudium, & amor ſpecialitèr dictus. To-

tum

tum est Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disput. 57. num. 53*: ergo amor patriæ, seu amor, qui est fruitio, est amor obiecti intuitivè præsentis. Consequentia est evidens, & ita evidens inconsequentia, quam his attentis cōmittit in præsenti Ill. Godoy. Vndè mirum est, quod *num. 30. in fine*, dicat: hoc argumentum ob sui in gentem difficultatem, in varias solutiones Authores contrarios compulit abire.

95 *Replicat Ill. Godoy.*

Replica Ill. Godoy *num. 35.* contra hanc solutionē: amor specialitèr dictus per hoc differt à desiderio, & gaudio, quod desiderium est de bono non habito, gaudium verò de bono habito, & possesso, & amor specialitèr captus est de bono prout sic, abstrahendo præcisivè à præsentia, & absentia: ergo vel amor beatificus, quem ad essentiam formalem beatitudinis spectare defendimus, est delectatio, & non amor specialitèr dictus, vel sub nulla ratione est de bono, vt præsenti, & consequentèr, nec assecutio.

96 *Respondeo.*

Hæc replica Ill. Godoy aliam solutionem non indiget supra datam ad argumentum, distinguendo, scilicèt, vltimam partem antecedentis, & retorquendo retorsione facta. Vltrà hoc tamen retorqueo primò replicam ad hominem contra Ill. Godoy: quod amor specialitèr dictus abstrahat præcisivè à præsentia, & absentia obiecti, non tollit, quod præsentiam illius necessario supponat: ergo nec tollit, quod sit de bono præsenti: ergo amor specialitèr dictus, & gaudium conveniunt in hoc, quod est supponere obiectum præsens: ergo nulla est replica. Probatur antecedens: in Deo datur amor specialitèr dictus respectu sui ipsius; sed hic amor necessario supponit obiectum præsens: ergo quod amor specialitèr dictus abstrahat præcisivè à præsentia, & absentia obiecti, non tollit, quod præsentiam illius necessario supponat. Consequentia est legitima. Minor notoria: nam amor, quo Deus se amat, supponit necessario visionem sui. Maior autem est opinio generalis Theologorum, quam docuimus *tom. 2. in 1. sent. disp. 57.* & quam docet Ill. God. *tom. 2. in 1. part. disp. 57. num. 41.*

Retorq. 1. replicā ad hom. contra Ill. Godoy.

97 Retorqueo secundò: amor specialitèr dictus crescere solet ex præsentia obiecti: ergo est de obiecto præsenti: ergo convenit cum gaudio, in hoc, quod est, esse de obiecto præsenti: ergo ruit replica. Antecedens, in quo potest esse difficultas, est Ill. Godoy *tom. & disput. citat. num. 44.* probando suam conclusionem, cuius verba necessaria ad præsens transcribo: *Imperfectio namquè, quæ inveniri potest in aliquo actu secundum suam rationem formalem, vel provenit ex parte obiecti, vel ex modo se habendi ad illud; atqui amor specialitèr sumptus bonitatis Divinæ imperfectionem non dicit ex parte obiecti, quod est Divina bonitas, nec ex modo se habendi ad illud: quod probo: nam amor iste non petit absentiam obiecti; cum potiùs, vt inquit D. Thomas, ex ipsius præsentia crescere soleat: ergo nullam imperfectionem dicit ob quam debeat relegari à Deo.*

Retorq. 2. etiam ad hominem.

98 Retorqueo tertiò ad hominem etiam contra ipsum: amor specialitèr dictus, non petit, obiectum suum à possessione, & non possessione præscindere: ergo ruit replica. Consequentia est legitima. Antecedens verò est Ill. Godoy, qui quandam responsionem, ferè eandem cum replica, quam contra nos facit in præsenti, sic impugnat *tom. & disp. citat. numer. 46.* Et notentur vltima illius verba, quæ sunt ad litteram nostrum antecedens.

Retorq. 3. etiam ad hominem.

99 *Amor* (inquit Ill. Godoy) *specialitèr sumptus ex præsentia, & possessione obiecti crescere solet, quando obiectum in se perfectum est, quod inquit D. Thomas in spiritualibus bonis contingere, quorum possessio experta amorem non minuit, sed auget, ad differentiam humanorum bonorum, quæ ante sui assecutionem desiderium accendunt, possessa tamen ob sui vtilitatem fastidium generare solent: ergo amor specialitèr sumptus, non solum non petit absentiam obiecti, verum nec abstractionem positivam illius, à præsentia, & absentia, à possessione, & non possessione. Patet consequentia: nam conditio obiecti non attacta per actum, illum non iuvat: ergo si actualis possessio iuvat, & accendit amorem specialitèr sumptum, per ipsum attingitur; & consequentèr non petit obiectum suum à possessione, & non possessione præscindere.*

Retorqueo quartò etiam ad hominem contra Ill. Godoy: præcisio

100

Retorq.4. ad hom. etiam.

ab abſentia,& preſentia obiecti,poſſeſſione, & non poſſeſsione illius, non eſt de conceptu amoris ſpecialitèr dicti : ergo nulla eſt replica illius.Cõſequentia eſt nota. Antecedens verò eſt ipſius *tom. & diſp. citat. numer.* 47. cuius verba ſunt hæc: *Beati non ſolum gaudent de Deo, vt ſibi bono, ſed etiam illum amant amore ſpecialitèr ſumpto; & tamen beatificus amor non tendit in bonitatem Dei, vt abſtrahentem à poſſeſsione, & non poſſeſsione : ergo talis abſtractio non eſt de conceptu obiecti amoris ſpecialitèr ſumpti. Illatio eſt legitima. Minor certa ; nam amor prædictus regulatur viſione intuitiva, & beatifica, Deum, vt eſt in ſe, concipiente; ac per conſequens non attingente Deum cum præciſsione ab abſentia, & præſentia: ergo nec amor bonitatem Divinam cum præciſsione attingit. Maior etiam nota videtur: tum, quia aliàs in beatis ſolum eſſèt amor concupiſcientiæ. Tum etiam; quia amor viæ continuare poteſt cum amore patriæ, & de facto continuatum fuiſſè in B.Virgine, eſt multorum ſententia ; atqui amor viæ eſt amor Dei ſpecialitèr ſumptus : ergo & amor patriæ.*

101

Retorq.5. ad hom. etiam.

Item idem, & clariùs probat *numer.* 48. per hæc verba: *Bonitas Divina poſſeſſa non ſolum eſt amabilis à Deo, quia poſſeſſa ab ipſo, ſed etiam quia bona abſolutè ; atqui actus attingens bonitatem poſſeſſam, quia abſolutè bonam, eſt amor ſpecialitèr ſumptus, non petens bonitatem amatam ab actuali poſſeſsione præſcindere: ergo talis præciſsio non eſt de conceptu amoris ſpecialitèr ſumpti. Maior eſt certa: & minor pro prima parte nota videtur ; gaudium namquè petit attingere bonum poſſeſſum, non quomodolibet, ſed quia poſſeſſum, ita, vt illius motivum ſit boni poſſeſsio: ergo actus attingens bonum poſſeſſum, non quia poſſeſſum, ſed quia abſolutè bonum, gaudium non erit ; cumque deſiderium non ſit, erit amor ſpecialitèr ſumptus.* Ex quo retorqueo quintò contra Ill.Godoy: amor ſpecialitèr ſumptus attingit obiectum poſſeſſum, licèt non quia poſſeſſum : ergo attingit obiectum præſens. Atqui hæc eſt noſtra ad argumentum ſolutio: ergo ſi oppoſitum intendit Ill.God.virtute replicæ, contra ſe ipſum procedit.

102

Retorq. 6. ad hom.cõtra ipſum.

Deindè : hac doctrina vtitur Ill. Godoy *citat. num.* 52; nam ſolvendo primum argumentum Herici, hac propoſitione vtentis : *Obiectum amoris ſpecialitèr dicti eſt bonum abſtrahens à præſentia, & abſentia, à poſſeſsione, & negatione illius*, ſic reſpondet Ill. Godoy: *Diſtinguo maiorem : eſt bonum abſtrahens abſtractione poſsitivâ, & ex parte rationis quæ amatæ, nego maiorem; negativa ſolum, & ex parte rationis ſub qua, ſeu motivæ, concedo maiorem; iuxtà quam diſtinctionem minor argumenti eſt diſtinguenda : nam licèt repugnet bonitati Divinæ poſsitivè abſtrahere à poſſeſsione, & non poſſeſsione, quia ad hæc exigebatur indifferentia ad poſſeſsionẽ, & non poſſeſsionem, quæ illi repugnat; & conſequenter etiam repugnat illi amari, quin etiam illius actualis poſſeſsio diligatur vt quod, non tamen repugnat, quod hæc bonitas moveat ad ſui amorem, quia abſolutè bona, quin per modum motivi ad actum, illam quia abſolutè bonam amantem ingrediatur actualis poſſeſsio, in quo abſtractio negativa conſiſtit.* Ex quibus retorqueo ſextò: Repugnat Deum ſe amare amore ſpecialitèr dicto, quin etiam illius actualis poſſeſsio diligatur, vt *quod*; ſed actualis illius poſſeſsio ſupponit illius præſentiam : ergo repugnat, Deum ſe tali amore diligere, quin ſupponatur præſens: ergo amor Dei circà ſe ipſum, qui eſt amor ſpecialitèr dictus, eſt amor obiecti præſentis : ergo vera eſt noſtra ſolutio,& nulla replica Ill.God.

103

Retorq.7. etiam ad hom.

Rurſus hoc idem declarat *num.*53. vbi ſolvendo ſecundum argumentum Herice, hanc propoſitionem ſtatuentis : *Amor ſpecialitèr dictus petit pro regula abſtractivam notitiam*, ſic reſpondet: *Nego antecedens ; nec inconvenit, eadem notitia intuitiva regulari gaudium, & amorem ſpecialitèr ſumptum, ſicuti eadem cognitione Divina abſq; vlla diſtinctione ex parte cognitionis regulantur actus diverſarum virtutum, Iuſtitiæ nempè, & miſericordiæ, & eadem viſione beatifica regulantur amor amicitiæ, & concupiſcientiæ in beatis.* Ex quo retorqueo ſeptimò contra ipſum : eadem notitia intuitiva regulantur gaudium, & amor ſpecialitèr ſumptus : ergo vtrumque ſupponit obiectum præſens : ergo nulla eſt illius replica.

104

Retorq.8. ad hom. etiam.

Denique : Ill.Godoy *numer.citat.* ſtatuendo diſparitatem inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & amorem ſpecialitèr dictum, hæc habet. *Amor namquè ſpecialitèr dictus non pe-*

tit

tit ad bonum terminari cum præcisione à possessione illius positiva, & ex parte obiecti vt quod amati, sed solum negativè, & ex parte motivi, ideſt, quod quamvis Deus sibi vellit per amorem prædictum bonitatem possessam, non tamen quia possessam, sed quia absolutè bonam, illam sibi vellit; at verò ad rationem simplicis notitiæ requiritur, quod obiectum attingatur vt quod, non attacta existentia exercita ex vi eiusdem actus, & quia talis præcisio Divinis perfectionibus repugnat respectu intellectus Divini; hinc fit, quod non possit ab illo abstractivè cognosci. Qua doctrina stante, infero: ergo amor specialitèr dictus, quo Deus se diligit, terminatur ad obiectum intuitivè præsens: ergo vera est nostra ad argumentum solutio: ergo nihil contra ipsam facit Ill. Godoy replica. Et hæc est octava retorsio.

105 *Distinctio gaudij ab amore specialitèr dicto.*

Vndè ad agnoscendam distinctionem inter gaudium, & amorem specialitèr dictum, necessarium est hunc distinguere in amorem secundum se, & amorem patriæ. Gaudium itaqué, & amor specialitèr dictus, seaundum se acceptus, distinguntur pęnes hoc: quod hic secundū se sumptus, versatur circà obiectum, sivè præsens sit, sivè absens; gaudium verò semper est de obiecto præsenti, & hoc probat duntaxat argumentum, quod ingentis difficultatis vocat Ill. Godoy. Gaudium autem, & amor patriæ specialitèr dictus, distinguntur per hoc, primò: quod gaudium est de bono iam possesso; amor verò est ipsa obiecti possessio, vt dictum manet §. 4. Secundò: quod gaudium attingit obiectum possessum, quia possessum; amor verò illud attingit, non quia possessum, sed quia bonum, quod fatetur ipse Ill. Godoy *tom. 2. citat.* præsertim, & clarissimè *numer.* 48. ex quo evidentèr apparet: tàm gaudium, quàm amorem patriæ, versari circà obiectum præsens intuitivè; consequentèrque nullum esse illius argumentum, nullamque replicam illius.

106 *Ad cōfirm. respond.*

Solutis iam, & retorsis argumento, & replica Ill. Godoy, ad confirmationem positam *numer.* 92. poteram negare maiorem cum Scoto, quam opinionem, vt probabiliorem tenet *in 4. dist* 49. *quæst.* 5. Cœterum ne de hoc fiat in præsenti contentio, vt facit Ill. Godoy, respondeo concessa maiori, quam tenet probabilitèr Scotus *citat.* & concessa etiam minori, negando consequentiam; nam cum ad possessionem requiratur præsentia obiecti, vel per ipsum actum posidendi, vel per alium præsuppositum, & Deus in via non sit obiectivè intuitivè præsens; benè verò in patria; ideò amor patriæ est possessio; non verò amor viæ, vt etiam diximus *num.* 44. & fatetur Ill. Godoy *num. 9. in fine.*

Retorq. 1. confirm.

Retorqueo etiam confirmationem primò: visio permanens patriæ, & visio transiens viæ sunt eiusdem speciei; sed visio transiens viæ non est adeptio, vel possessio: ergo nec visio permanens patriæ. Consequentia est legitima. Maior conceditur ab Ill. Godoy *disput. 9. num.* 22. Minor est valdè probabilis, & patet: quia per visionem transeuntem non convenirent homini proprietates beatitudinis, nempè, impeccabilitas, & perpetuitas ab intrinseco, quomodo eas statuit Ill. Godoy. Retorqueo secundò: gratia viæ, & gratia patriæ sunt eiusdem speciei; sed cum hoc stat, quòd gratia viæ non petat durationem æternam; benè verò gratia patriæ: ergo cum hoc, quod amor viæ, & amor patriæ sint eiusdem speciei, stabit, quod amor viæ non sit adeptio, vel possessio; benè verò amor patriæ. Præmissæ sunt Ill. Godoy *disput. 9. num. 23. in fine.* Consequentia est paritate ad hominem cōtra ipsum nottoria. Solutio ad has retorsiones, erit ad confirmationem responsio.

Retorq. 2.

107 *Arguit. 2. Ill. Godoy.*

Arguit secundò Ill. Godoy *numer.* 39: solum ille actus est formalitèr assecutio Dei, quo Deus, vt in se, redditur nobis præsent obiectivè; at hoc competit visioni beatificæ, non autem actui voluntatis: ergo & ratio assecutionis; & consequentèr ratio formalis beatitudinis soli visioni beatificæ convenit. Maior videtur certa. Minor autem probatur ex discrimine, quod invenitur inter voluntatem, & intellectum in modo tendendi in obiectum: Intellectus namquè intelligit obiectum, illud trahendo ad se; voluntas autem fertur per inclinationem ad illud: ergo obiectum tenere, & illud reddere obiectivè præsens, soli actui intellectus competere

Prob. min.

potest : ergo illi soli potest convenire ratio assecutionis.

108 *Respond.* 1. Respondeo primò negando maiorem, cuius falsitas plenè, & planè constat ex dictis §. 4. *per totum.* Respondeo secundò distinguendo maiorem : solum ille actus est formaliter assecutio Dei in genere veri, & intelligibili, quo Deus, vt in se, redditur præsens obiectivè, concedo maiorem; in genere boni, nego maiorem, & concessa minori distinguo similiter consequens. Solutio claret ex dictis *num.* 48. & 49. Ex his itaquè appareret, quod si Ill. Godoy has prævidisset solutiones, maiorem argumenti, & non minorem, probaret; sed vt nobis illius probatio obstare potest, ad illius probationem respondeo primò : ommisso antecedenti, negando primam partem consequentis; quia obiectum tenere, & possidere, convenit etiam voluntati ex dictis §. 4.

Secundò. Respondeo secundò negando antecedens; quia voluntatem trahere ad se rem amatam, demonstravimus *numer.* 38. & *seqq.*

109 *Dices contra* 1. *solutionem.* Dices pro Ill. Godoy contra primam solutionem : assequi obiectum non convenit voluntati : ergo ruit prima solutio. Probatur antecedens: per visionem assequitur obiectum: ergo voluntas supponit illud assecutum; atqui supponere obiectum assecutum, est non assequi illud : ergo voluntas non assequitur obiectum.

Respond. 1. Respondeo primò negando antecedens, & distinguendo antecedens probationis: per visionem assequitur obiectum in genere veri, & intelligibilis, concedo antecedens; in genere boni, nego antecedens, & distinguo similiter consequens, & sussumptam.

Secundò. Respondeo secundò aliter distinguendo idem antecedens : per visionem assequitur obiectum inadæquatè, concedo antecedens; adæquatè nego antecedens, & distinguo similiter consequens, cum sussumpta. Vndè tantum probat : beatitudinem formalem constistere essentialiter inadæquatè in visione, non verò adæquatè.

110 *Dices contra* 2. Contra secundam solutionem dices pro Ill. Godoy: intellectum trahere ad se obiectum; non verò voluntatem, sed ferri in illud, est commune proloquium : ergo verum: ergo ruit nostra secunda solutio.

Respond. 1. Respondeo primò distinguendo antecedens: est commune proloquium, fundatum in modo loquendi methaphorico, concedo antecedens; fundatum in veritate à parte rei, nego antecedens.

Secundò. Respondeo secundò ommisso antecedenti; distinguendo consequens : ergo est verum communiter, concedo consequentiam; generaliter, nego consequentiam, & patet solutio ex dictis *num.* 38. 39. & 40.

Alia arg. Ill. Godoy. solventur §. 13. Alia argumenta adducit Ill. Godoy *num.* 8. 9. & 12. quibus probare conatur : visionem beatificam ab essentia beatitudinis excludi non posse, quæ ommitto ad §. 13. vbi illa proponemus, & solvemus.

§. X.

Argumenta Gonet pro sola visione diluuntur.

111 *Arguit.* 1. ARguit primò Gonet *numer.* 93: Beatitudo formalis consistit essentialiter in assecutione vltimi finis, seu beatitudinis obiectivæ; sed nullus actus voluntatis potest esse assecutio vltimi finis : ergo beatitudo formalis in nullo actu voluntatis essentialiter potest consistere. In maiori omnes conveniunt. Minor autem probatur primò ratione generali: velle est quoddam appetere; atqui appetere non est consequi rem appetitam, sed inclinari, & tendere in eam: ergo nullus actus voluntatis potest esse assecutio vltimi finis.

112 *Prob. min. exemplis.* Vndè videmus (prosequitur Gonet) quod res cognitione carentes per apetitum innatum tendunt in bonum conveniens suæ naturæ; animalia verò per appetitum elicitum excitantur ad illud quærendum, & consequuntur illud per actum alterius potentiæ, v. g. lapis per gravitatem, quæ est inclinatio ipsius, tendit ad centrũ, per quantitatem verò, & per vbi ipsi vnitur : item ovis per famem, & appetitum incitatur ad quærendum pabulum, & dentibus, ac ore illud attingit, & consequitur : similiter homo per voluntatem appetit divitias, cibos, flores, odores, voluptates, & similia, & per diversas potentias, ac sensus, illa consequitur : manu enim apprehendit pecunias, cibos verò, flores, odores, & voluptates, gustu, odoratu, & tactu: ergo similiter: actus voluntatis non est consecutio rei

vo-

volitæ, sed inclinatio, & tendentia voluntatis in eam. Aliam minoris probationem adducit Gonet *num.*34. quam ex Ill. Godoy adduximus *numer.*91. quæ soluta, & retorsa manet *num.*93. & 94.

113 *Respond.*1. Respondeo primò ad argumentum distinguendo maiorem: beatitudo formalis constitit essentialitèr in assecutione adæquata vltimi finis, concedo maiorem; inadæquata, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequens. Solutio claret ex dictis §. 8. Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: cõsistit essentialitèr in assecutione vltimi finis, tàm in genere veri, quàm in genere boni, concedo maiorem; in genere veri præcisè; nego maiorem, & distinguo similitèr minorem, & consequens. Hæc duplex solutio generalis est ad omnia argumenta, quibus adversarij connantur probare: beatitudinem formalem in vnica tantum operatione essentialitèr consistere.

Secundò.

114 *Tertio.* Specialitèr verò respondeo tertiò negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: velle desiderij est quoddam appetere, concedo maiorem; velle fruitionis, nego maiorem, & concessa minori nego consequentiã; & hac solutione ruunt omnia exempla Gonet; nam in illis solum reperitur velle desiderij, vt in quolibet apparet, ex quo fiant contra illum retorsiones. Respondeo quartò negata minori, & ommissa maiori probationis, distinguendo minorem: appetere non est consequi rem appetitam, quando res appetita non est consequibilis per appetitum, concedo minorem; quando est per appetitum consequibilis, nego minorem, & consequentiam. Primum probant exempla Gonet, quia in illis consecutio pertinet ad diversum actum à potentia appetitiva. Secundum est nostra oppinio; nam cum Deus sit appetibilis à potentia appetitiva, vt fusè manet ostensum §. 4. appetere, est consequi. Denique retorqueo contra Gonet: videre pabulum, & pecunias, non est illa consequi: ergo nec videre Deum, erit, consequi illum. Solutio Gonet erit pro nobis ad ipsum responsio.

Quartò.

Retorqueo.

115 *Arguit.* 2. Arguit secundò *num.* 109: beatitudo formalis essentialitèr consistit in consecutione obiecti beatifici; sed actus intellectus, videntis clarè Divinam Essentiam, est consecutio eius: ergo in clara Dei visione beatitudo formalis consistit essentialitèr. Minorem probat ex Scriptura, ex D. Augustino, & ex discrimine intellectionis à volitione, quatenus, scilicèt, intellectio fit trahendo obiectũ cognitum ad intellectum; volitio verò tendendo in obiectum. Respondeo primò distinguendo maiorem duplici distinctione generali posita *numer.*113. Respondeo secundò: argumentum vnicè probare: beatitudinem formalem in visione consistere; non verò convincere, quod in sola consistat visione. Respondeo tertiò: hoc argumentum solutum esse *numer.*108. Nec authoritates, quas addit ad secundum argumentum Ill. Godoy, vim faciunt, quia explicatæ manent *num.*85.

*Respond.*1.

Secundò.

Tertiò.

116 *Arguit.* 3. Arguit tertiò *num.* 113: Beatitudo formalis est illa operatio, quæ est radix proprietatum, quæ ad beatitudinem requiruntur; sed visio beatifica est radix amoris necessarij, summæ delectationis, omnimodæ impeccabilitatis, aliarumq; perfectionũ, & proprietatum, quæ beatitudini connaturalitèr conveniunt: ergo illa est beatitudo formalis. Respondeo primò negando suppositum: supponit enim, quod vna operatio sit radix alterius, quod est falsum, ex quo respondeo secundò, negando minorem; quia visio non est radix amoris, ex dictis in libris de Anima, nec delectationis, vt contra Ill. Godoy ex ipso diximus *num.* 34. & *infrà dicemus num.*197. Nec impeccabilitatis, vt patebit ex dicendis *disp. sequent.* ad quam se refert in argumento Gonet.

*Respond.*1.

Secundò.

117 *Arguit.* 4. Arguit quartò *num.*114: Beatitudo formalis essentialitèr constituitur per id, per quod primò, & essentialitèr distinguitur status termini à statu viæ; sed status termini à statu viæ per ipsum actum visionis primo, & essentialitèr distinguitur, non verò per actum amoris: ergo beatitudo per actum visionis, non verò per actum amoris essentialitèr constituitur. Maior patet: nam constitutivum, & distinctivum omninò coincidunt. Minor autem suadetur: si videns Deum per impossibile ipsum non dilligeret, maneret extra statum viatoris; si tamen

men è contra, Deum dilligeret, nec simul eum videret, extra statum viatoris non constitueretur: ergo quod primo distinguit statum viæ à statu termini, est visio beatifica, non verò actus amoris.

118 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: beatitudo formalis essentialitèr constituitur per id, per quod primo essentialitèr, & adæquatè distinguitur status termini à statu viæ, concedo maiorem; inadæquatè solum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & eius probationem quoad primam partem. Secundam verò sic distinguo: si Deũ diligeret dilectione absoluta, concedo; dilectione fuitionis, nego; per hanc enim distinguitur beatus à non beato; imò perfectius, quam per visionem, quia ex dicendis §. 13. in fruitione consistit perfectiori modo beatitudo formalis, dato, quod in vtraq; operatione essentialitèr consistat.

119 *Arguit. 5.* Arguit quintò *numer.* 115: pœna essentialis damnatorum, quæ dicitur pœna damni, consistit in carentia Divinæ visionis: ergo gloria essentialis beatorum consistet in visione Dei. Consequentia patet: nam pœna damni est privatio beatitudinis essentialis: ergo si est privatio visionis, visio est gloria essentialis. Antecedens probat: pueri, qui sunt in Lymbo, habent pœnam damni præcisè ex eo, quod privati sint visione Dei, non verò quia privati sunt quocumque actu voluntatis; quoscumque enim actus voluntatis in ipsis ponamus, si non ponatur visio, pœnam damni semper habebunt: ergo pœna damni essentialitèr in carentia Divinæ visionis consistit.

120 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo antecedens: pœna essentialis damnatorum, quæ dicitur pœna damni, consistit in carentia Divinæ visionis inadæquatè, concedo antecedens; adæquatè, nego antecedens, ad cuius probationem vel nego antecedens, vel ipsum distinguo distinctione data; nam pœna essentialis damnatorum consistit etiam in carentia fruitionis texte D. Augustino dicente: *Charitatem discernere inter filios Regni, & perditionis.* Quod autem communitèr explicetur per carentiam visionis, non obstat, quia hoc provenit, vel quia carentia visionis est nobis notior, vel quia ab illa incipit pœna damni.

121 *Arguit. 6.* Arguit sextò: beatitudo Dei consistit essentialitèr in actu intellectus, vt præintellecto omni actu voluntatis: ergo & beatitudo nostra, quæ est similitudo, & participatio Divinæ beatitudinis. Antecedens probat Gonet ex D. Thoma, quam probationẽ ommitto, quia nobis illius authoritatem explicare non incumbit. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: beatitudo Dei inadæquatè consistit in actu intellectus, concedo antecedens; adæquatè, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. *Secundò.* Respondeo secundò negando absolutè antecedens; quia beatitudo Dei consistit essentialitèr in vtroque actu, intellectus, scilicèt, & voluntatis.

122 *Arguit deniquè.* Arguit deniquè: beatitudo consistit essentialitèr in operatione formalitèr, vel causalitèr satiante omnem appetitum; sed sola visio hoc præstat: ergo in illa essentialitèr consistit formalis beatitudo. Maior patet. Minorem autem probat digressione quadam, vbi ostendere conantur authoritatibus, & ratione: omnia hominis desideria per visionem Dei perfectè satiari, & ad quatuor reducit. Primum est desiderium sciendi. Secundum desiderium magnitudinis. Tertium desiderium voluptatis, & quartum desiderium æternitatis, quæ ommitto, quia responsione generali ad omnia satisfaciam.

123 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum negando minorem, & ad probationem dico: visionem solum satiare desideria scientiæ, & aliorum, quæ pertinent ad intellectum, etsi aliquando de pertinentibus ad voluntatem loquantur Scriptura, & Patres, intelligi debent conditionalitèr solum; nam formalitèr ab amore duntaxat satiantur ex dictis contra Ill. Godoy *num.* 34. 36. & 116.

§. XI.

Aliorum argumentis pro sola visione occurritur.

124 *Arguit. 1. Arriaga.* ARguit primò Arriaga: de conceptu beatitudinis est voluptas; sed visio est fruitio totius bonitatis Divinæ: ergo in sola visione cõsistit nostra formalis beatitudo. Probatur minor: visio percipit quidquid est in Deo pulchrum, & delectabile:

er-

Confirmat. ergo visio est fruitio totius bonitatis Divinæ. Confirmatur: pulchritudo causat voluptatem in visu, cibus in gustu, musica in auditu, odor in olfatu, & sic de alijs; sed isti sunt sensus cognitivi: ergo voluptas obiectorum sensibilium est tantum in sensibus cognitibis: ergo voluptas Dei in sola potentia cognoscitiva reperitur: ergo & beatitudo.

125 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo maiorem vt in *num.* 63. qua distinctione ruit totum argumentum Arriagæ, ab ipso proposito sine vlla syllogistica forma; à me tamen reductum ad suprà allatam formam; quia Arriaga loquitur de voluptate sequente amorem, quæ non est essentia, sed passio est beatitudinis, aut illius accidens ex dictis *num.* 64. & 116.

Secundò. Respondeo secundò negando minorem cum probatione, quia delectatio, sicut tristitia, ad voluntatem spectat, non ad intellectum. Ratio est: quia delectatio provenit ab obiecto, vt convenienti, seu vt bono, sicut tristitia, vt disconvenienti, & malo; sed hoc pertinet ad voluntatem, non ad intellectum: ergo delectatio, & tristitia non ad intellectū, sed ad voluntatem pertinent. Vndè, etsi adsit cognitio rei convenientis, vel disconvenientis, si actus voluntatis non accedit, nulla est tristitia, nec delectatio.

126 *Ad cōfirm. respond. 1.* Ad confirmationem respondeo negando primò maiorem; quia voluptas, sicut, & dolor obiectorum sensibilium, non pertinent ad sensum cognitivum, & perceptivum obiecti, sed ad appetitum sequentem talem sensum, quia cuilibet potentiæ cognitivæ, propria correspondet appetitiva, quæ prosequatur, vel refugiat obiectum, à cognitiva propositum, vt conveniens, vel disconveniens. Sed quia aliqui negant in sensibus potentiam appetitivam distinctam à cognitiva, respondeo secundò: Concedendo totum syllogismum confirmationis, & negando secundum consequens; quia in potentijs intellectivis omnes fatentur dari potentiam appetitivam à cognoscitiva distinctam; ex quo manifestè apparet: confirmationem nihil valere, & minorē argumenti omninò esse falsam.

Secundò.

127 *Arguunt 2.* Arguunt secundò alij: sola visio applicat Deum, vt eo fruamur: ergo sola visio est Dei possessio. Respondeo negando consequentiam; nam sicut visio applicat Deum, vt eo fruamur; ita fruitio applicat Deum, vt in eo complaceamus, illumque vlteriùs amemus amore concupiscentiæ; vndè sicut visio, ita fruitio, est possessio.

Respondeo.

128 *Arguunt 3.* Arguunt tertiò: beatitudo est proprium naturæ intellectualis: ergo convenit illi secundum gradum ei essentialem; atqui hic est intellectivus, cuius proprietas est appetitivus: ergo beatitudo convenit homini secundum gradum intellectivum, & consequenter in solo actu intellectus consistit. Respondeo negando sussumptam; quia essentialiter constituitur ex vtroque. Nec obest, quod vnum alium natura præcedat; quia etiam in homine gradus sensitibus præcedit rationalem, & tamen vterq; est de essentia hominis.

Respondeo.

129 *Arguunt 4.* Arguunt quartò: in sola illa potentia stat beatitudo, per quam anima formaliter elevatur, & disponitur ad illam; sed solus intellectus ita disponitur per lumen gloriæ: ergo in solo intellectu stat beatitudo. Probatur minor: voluntas in patria non elevatur nobo habitu charitatis: ergo solus intellectus per lumen gloriæ ita disponitur. Respondeo primò negando maiorem; quia beatitudo stat essentialiter in potentia assecutiva, de quorum numero est voluntas. Respondeo secundò data maiori, negando minorem, & consequentiam probationis: quia licèt voluntas non elevetur nobo habitu charitatis; elevatur tamen ab eodem consumato, qui sufficit ad eliciendum actum, qui sit formalis Dei assecutio, in quo beatitudo consistit.

Respond. 1.

Secundò.

130 *Arguunt 5.* Arguunt quintò: intellectus priùs vnitur Deo, quam voluntas: ergo vel in illo priori creatura est beata, vel non? Si primum: ergo in solo actu intellectus stat beatitudo naturæ. Si secundum: ergo stante vnione intellectus cum Deo, creatura non esset beata, quod repugnat. Respondeo: in hoc casu creaturam esse beatam inadæquatè; non verò adæquatè. Alia sunt argumenta pro sola fruitione militantia, quæ solventur §. sequenti.

Respondeo.

o)(§)(o

§. XII.

Argumenta pro ſola fruitione ſolvuntur.

131 *Arguit. 1.* ARguitur primò : actus voluntatis perfectior eſt actu intellectus : ergo in eo præciſè conſiſtit beatitudo. Confirmatur primò : ſolus actus voluntatis eſt propriè aſſecutio obiecti : ergo in illo ſolo ſtatuenda eſt eſſentialitèr beatitudo formalis. Confirmatur ſecundò : magis vnit amor amantem cum amato, quam viſio videntem cum viſo : ergo in amore, & non viſione collocari debet formalis beatitudo. Confirmatur tertiò: actus ſolius voluntatis eſt ſummè appetibilis, & amabilis: ergo in

Reſpondeo. ſolo actu voluntatis ponenda eſt formalis beatitudo. Reſpondeo : omnia hæc tantum probare : beatitudinem principaliùs conſiſtere in actu voluntaris ; non verò in ipſo ſolo conſiſtere adæquatè ; vndè his terminis diſtinguo conſequens argumentì, & confirmationum, nec alia indigent ſolutione.

132 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò : Deus eſt obiectum beatificum ſub ratione boni ; ſed ſola voluntas ſic Deum attingit : ergo in ſolo voluntatis actu conſiſtit eſſentialitèr formalis beatitudo. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò negando maiorem ; quia Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum beatificum. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: Deus eſt obiectum beatificum ſub rationi boni, & veri, concedo maiorem ; ſub ratione boni tantum, nego maiorem ; concedo minorem, & nego conſequentiam. Claret ſolutio ex *num.* 88.

133 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: meritum, & præmium pertinent ad eandem potentiam ; ſed meritum pertinet ad voluntatem ; hæc enim eſt, quæ meretur: ergo & beatitudo, quæ eſt præmium. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò diſtinguendo minorem : meritum pertinet ad voluntatem, & ad intellectum, concedo minorem ; ad voluntatem ſolum, nego minorem, & conſequentiam. Nec obeſt, quod intellectus non ſit primario, & formalitèr liber, quia eſt liber ſecundario, & per participationem, quod ſufficit ad meritum ex Scoto *quodlib.* 8. Reſpondeo ſecundò negando maiorem ; quia licèt meritum pertineat ad voluntatem; tamen *Secundò.* præmium pertinet etiam ad alias potentias; nam voluntas non ſibi ſolum meretur, ſed etiam alijs potentijs, præcipuè intellectui, qui natus eſt beatificari. *Tertiò.* Tertiò reſpondeo : argumentum probare : intellectum non beari contra omnes.

134 *Arguit. 4.* Arguitur quartò : ſola voluntas punietur : ergo ſola ipſa præmiabitur. Probatur antecedens ex D. Auguſtino 13. *de Trinit. cap.* 5. dicente: *Mala voluntate, & ſola quiſque miſer efficitur*: ergo ſola voluntas punietur. *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò negando antecedens ; quia etiam intellectus punietur per privationē viſionis. Ad probationem diſtinguo antecedens : per diſplicientiam, concedo antecedens; abſolutè, nego antecedens, & conſequentiam. Itaquè cum ſoli voluntati diſpliceat miſeria, ſola voluntate quiſque miſer efficitur per diſplicientiam ; ſicut è contra : quia ipſa ſola complacet, & delectatur ; ſola ipſa præmiabitur per delectationem; hoc autem non tollit, quod intellectus puniatur, & præmietur. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò : argumentum probare : intellectum non beatificari contra omnes.

135 *Arguit. 5.* Arguitur quintò : viſio reſpicit amorem, tanquam finem, & non è contra ; nam videre ordinatur ad amare, & non è contra : ergo in ſolo amore conſiſtit eſſentialitèr beatitudo. *Conſequentia prob. 1.* Probatur conſequentia primò: beatitudo eſſentialis eſt vltimus finis *quo*; ſed ſolum amor, vtpotè, non ordinabilis, eſt vltimus: ergo in ſolo amore conſiſtit beatitudo eſſentialitèr. *Secundò.* Probatur ſecundò conſequentia: beatitudo eſt operatio, ad quam cæteræ ordinantur ; ſed hæc eſt ſolus amor : ergo in ſolo amore conſiſtit eſſentialitèr beatitudo.

136 *Reſpondeo.* Reſpondeo negando antecedens, & ad probationem imbibitam, diſtinguo: videre ordinatur ad amare, tanquam in finem, vel obiectum beatificum, nego; tamquam in operationem poteſtiorem, concedo antecedens, & nego conſequentiam ; quia beatitudo eſſentialitèr conſiſtit in operatione, quæ referibilis non eſt in aliam operationem, tanquam in finem, vel obiectum beatificum, quomodo nec viſio in amorē, nec amor in viſionē referibilis eſt, ſed vtraq; refertur in Deum, vt vltimū finem *qui.*

Vn-

137 *Ad 1. prob. coſeq.*

Vndè ad primam probationem conſequentiæ, nego minorem; quia etiam viſio eſt vltimus finis *quo* in genere ſuo, cum ſit aſſecutio finis *qui* in ſuo genere. Ad ſecundam reſpondeo: vel negando maiorem, vel ipſam diſtinguendo: beatitudo principaliùs, eſt operatio, ad quam cæteræ ordinantur, concedo maiorem; adæquatè, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo ſimilitèr conſequens.

Ad 2.

138 *Firmatur ſolutio.*

Cœterum, quia hoc eſt argumentum, cui valde fidunt Scotiſtæ, collocantes beatitudinem eſſentialem in ſolo amore, ſciendum, & firmitèr tenendum eſt: tàm viſionem, quàm amorem eſſe vltimum finem *quo* abſolutè loquendo; comparatione tamen facta inter viſionem, & amorem, amor eſt omninò vltimus, cui ſubordinatur viſio. Ex hac autem vltimatione ſolum ſequitur: beatitudinem principaliùs in amore conſiſtere; non verò in ſolo ipſo adæquatè ſalvari.

§. XIII.

Reſolvuntur brevitèr quædam difficultates.

PRo complemento huius diſputationis (ait Ill. Godoy *num.* 67.) reſtant difficultates nonnullæ brevitèr enodandæ, & plures nobis reſtant diſcutiendæ ratione problematis. Sit ergo.

PRIMA DIFFICVLTAS.

In qua operatione eſſentialitèr conſiſtat Beatitudo formalis, ſuppoſito, quod in vna conſiſtat?

139 *Reſolutio difficultatis.*

REſpondeo: *In actu voluntatis duntaxat conſiſtere eſſentialitèr.* Sic Scotus *citat.* quem omnes eius diſcipuli ſecuntur contra Ill. God. cæteroſque Thomiſtas. Hanc reſolutionem probant argumenta facta pro ſola fruitione §. *præcedent.* Vltrà quæ, probanda venit per dicenda. Probatur itaquè primo: beatitudo formalis conſiſtit eſſentialitèr, non in qualicumque aſſecutione obiecti beatifici, ſed in aſſecutione, qua obiectum beatificum fit aſſequentis, & ab eo, vt ſuum tenetur, & poſsidetur; atqui ſola voluntatis operatio eſt ſic aſſecutiva obiecti beatifici: ergo ſola voluntatis operatio eſt eſſentialitèr beatitudo formalis, dato, quod in vna tantum operatione conſiſtat. Maior patet ex dictis *num.* 52. Minor ex dictis *numer.* 53. Conſequentia legitima aparet.

Probat. 1.

240 *Secundò.*

Probatur ſecundò: Beatitudo formalis non eſt eſſentialitèr qualiſcumque aſſecutio obiecti beatifici, ſed eſt aſſecutio, ſecum afferens voluptatem, & delectationem; atqui ſolus actus voluntatis eſt aſſecutio obiecti, ſecum afferens voluptatem, & delectationem: ergo dato, quod formalis beatitudo in vna tantum operatione coſiſtat eſſentialitèr, in actu voluntatis conſiſtit. Maior claret: nam beatitudo debet eſſe aliquid recreans, & exhilarans perſonam. Minor eſt certa; quia voluptas, ſeu delectatio ad voluntatem, & non ad intellectum ſpectat. Conſequentia eſt legitima. Nullam ex hac duplici ratione adducit Ill. Godoy; quod autem reſponderi poteſt, impugnatum manet *num.* 60. *& ſeqq.*

141 *Tertiò.*

Probatur tertiò: Beatitudo formalis non eſt eſſentialitèr qualiſcumque aſſecutio obiecti beatifici, ſed aſſecutio perfectiſsima, & vltima; atqui ſola voluntatis operatio eſt ſic aſſecutiva obiecti beatifici: ergo in operatione voluntatis conſiſtit eſſentialitèr formalis beatitudo, dato, quòd in vna operatione duntaxat conſiſtat. Maior videtur certa: nam beatitudo, vtpotè, ſummum bonum, debet poni in ſumma perfectione, & vtpotè, vltimus finis, in vltima aſſecutione. Minor eſt notoria, & conſequentia legitima. Quod autem ad hanc probationem reſpondet Ill. Godoy, poſsitum, & ſolutum manet *numer.* 65.

142 *Quartò.*

Probatur quartò concluſio: formalis beatitudo non eſt qualiſcumq; vnio animæ cum Deo, nec qualiſcumque ſatietas, ſed eſt vnio, & ſatietas intenſiva; atqui actus voluntatis, & non intellectus, ſic vnit, & ſaciat: ergo dato, quod beatitudo formalis in vna operatione conſiſtat, in voluntatis operatione conſiſtit. Maior eſt certa, & minor probatur: actus Deum attingens perfectiori modo, eſt vnio, & ſacietas intenſivâ; ſed actus voluntatis, & non intellectus, attingit Deum perfectiori modo: ergo actus voluntatis, & non intellectus, vnit, & ſatiat intenſivè.

143 *Prob. deniquè ratione speciali.*

Probatur deniquè conclusio ratione speciali: beatitudo formalis essentialiter consistit in assecutione boni infiniti, vel obiecti beatifici: ergo dato, quod in vnico actu consistat, consistet in actu, cui potiori ratione tribuenda est assecutio. Atqui potiori ratione tribuenda est actui voluntatis in patria, vel in termino, assecutio boni infiniti, vel obiecti beatifici, quam actui intellectus: ergo in actu voluntatis, & non intellectus, consistit essentialiter formalis beatitudo, dato, quod in vnico actu consistat. Probatur minor: potiori ratione tribuenda est assecutio rei in termino actui potentiæ currentis in via, vel prosequentis obiectum, quam actui potentiæ tantum ostendentis obiectum prosequendum; sed dum sumus in via, voluntas currit, & prosequitur per amorem prosecutionis obiectum infinitum possidendum; intellectus tamen per fidem tantum ostendit, bonum illud esse amore prosequendum: ergo potiori ratione tribuenda est actui voluntatis in patria, vel in termino, assecutio boni infiniti, vel obiecti beatifici, quam actui intellectus. Minor, & consequentia tenent. Probatur maior: dum in stadio curritur, & pervenitur ad bravium, comprehensio bravij potiùs tribuitur currenti, quam tantum prædictum bravium demonstranti: ergo potiori ratione tribuenda est assecutio rei in termino actui potentiæ currentis in via, vel prosequentis obiectum, quam actui potentiæ tantum ostendentis obiectum prosequendum.

144 *Confirmat. ab opposito.*

Confirmatur ab opposito: voluntas in via per actum odij fugit ab obiecto, scilicèt, Deo: ergo per actum amoris prosequitur Deum. Consequentia claret: nam sicut per actum odij Dei currit in via voluntas, retrocedendo à Deo, intellectu se habente ostensivè tantum; ita per actum amoris prosecutivum currit in via, accedendo ad Deum, intellectu solum ostensivè se habente. Infero nunc: ergo non assecutio Dei in termino potiori ratione tribuenda est voluntati, fugienti in via à Deo, quã intellectui ostendenti. Infero deniq; ergo consecutio Dei in termino potiori ratione tribuenda est voluntati, currenti in via, quam intellectui ostendenti. Hæc consequentia est ab opposito manifesta, ex qua manifestè colligitur: potiùs voluntatem, quam intellectum, rationem assecutionis sortiri, & consequentèr nullam esse Ill. Godoy, & Thomistarum doctrinam.

145 *Dices 1. pro Ill. Godoy.*

Dices primò pro Ill. Godoy: currentem comprehendere terminum, non tamen sub ratione, qua currit; sed sub alia. Solutionem admitto, veram fateor, & ipsam pro maiori assumo, vt Scoti, & nostra opinio validissimè maneat confirmata: Currens comprehendit terminum, non sub ratione, qua currit, sed sub alia; atqui currens in via est voluntas, & ratio sub qua currit, est tentio, desiderium, & amor prosecutionis: ergo voluntas comprehendit terminum in patria, non solum sub ratione currentis, sed sub ratione tentionis, & amoris. Probatio ergo est nostræ doctrinæ solutio.

Solutio nobis fabet.

146 *Dices 2.*

Dices secundò pro eodem: quod potentia, quæ currit, non assequitur, nec comprehendit terminum; nam homo in cursu naturali currit pedibus, & assequitur manu: ergo etsi anima currat volũtate in via, non infertur, quod voluntas assequatur, vel comprehendat terminum in patria. Hæc solutio consonat cum doctrina, quam tradit Ill. Godoy *numer.* 41.

147 *Contra 1.*

Contra primò: ratione exempli assignanda est in patria alia potentia assecutiva, distincta ab intellectu, & voluntate; atqui hoc est falsum: ergo solutio est nulla. Probatur maior: ratione exempli in homine currente ponendæ sunt manus, quibus comprehendat præmium; sed manus distinguuntur à pedibus, quibus currit, & ab occulis non currentibus, sed illud ostendentibus: ergo ratione exẽpli assignanda est in patria alia potentia assecutiva, distincta ab intellectu, & voluntate. Præmissæ sunt certæ. Consequentia probatur: pes, qui currit, est voluntas; & occulus, qui ostendit, est intellectus; sed manus ab exemplo assignata, vt comprehendat, distinguitur à pedibus, & occulis: ergo ratione exempli assignanda est in patria alia potentia assecutiva, distincta ab intellectu, & voluntate.

148 *Contra 2.*

Contra secundò: si homo curreret sine manibus, potiori ratione

con-

consequeretur terminum pedibus, quibus currit, quam oculis, quibus videt; atqui intellectus est oculus videns, & voluntas est pes currens: ergo si anima currit sine manibus, idest, sine potentia distincta ab intellectu, & voluntate, potiori ratione, quam intellectus, voluntas erit consequens terminum. Tertiò: comprehensio obiecti in patria nihil aliud est, quam pervenire ad terminum, & statum cursus, quietareque in cursu, & in motu; sed potentia currens potius, quam non currens, est, quæ pervenit ad terminum, & statum cursus, & quietatur in cursu, & in motu: ergo cum voluntas sit currens, & non intellectus, voluntas potius, quam intellectus, comprehendit obiectum in patria. Maior cum consequentia tenet. Minor autem est notoria: nam *cuius est motus, est & quies, cuius est motus*, iuxta generale proloquium.

Contra 3.

149 *Arguit 1. Ill. Godoy.*

Arguit primò Ill. Godoy *num.* 8 plures adducendo authoritates Patrum, beatitudinem formalem in visione Dei collocantes: ergo dato, quod beatitudo formalis in vna tantum operatione essentialitèr consistat, non in actu voluntatis, sed in actu intellectus consistit essentialitèr. Ommitto authoritates, quia eadem solutione solvuntur. Respondeo itaquè primò: Patres loqui de beatitudine amplè sumpta, extensivè, vel quoad statum; non verò præsè accepta, intensivè, vel quoad essentiam, de quo est difficultas ex dictis *num.* 5.

Respond. 1.

Respondeo secundò: loqui de beatitudine præsuppositivè, vel antecedentèr; non verò formalitèr, vt etiam fatetur Ill. Godoy *num.* 4. ad quam explicationem tot extant fundamenta, quot sunt rationes pro operatione voluntatis.

Secundò.

150 *Arguit 2.*

Arguit secundò *num.* 9: formalis beatitudo essentialitèr consistit in actu, quo assequimur Deum, qui est nostra beatitudo obiectiva; at visio beatifica est formalis assecutio Dei, vel non est dabilis alius actus, qui sit illius assecutio: ergo intrat essentialitèr constitutionem beatitudinis formalis: ergo dato, quod in vna tantum operatione consitat essentialitèr, consistit in beata visione. Respondeo distinguendo maiorem, & minorem triplici distinctione data *num.* 59. & quidquid contra illas replicare valent adversarij, & quod contra tertiam replicat Ill. Godoy *num. citat. vsquè ad num.* 12. positum manet, & solutum *à num.* 60. *vsquè ad* 68.

Respondeo.

151 *Arguit 3.*

Arguit tertiò *num.* 12: id, quod essentialitèr distinguit, statum termini ab statu viatoris, nequit ab essentia formalis beatitudinis excludi; talis est visio beatifica: ergo nequit excludi ab essentia beatitudinis. Maior videtur certa: nam beatitudo est terminus viæ: ergo id, quod essentialitèr distinguit inter statum termini, & statum viatoris, essentialitèr constituit in termino, cum in idem veniant constitutivum, & distinctivum. Minor autem suadetur: nam si per impossibile quis videat Deum, non tamen ipsum diligat, manebit extra statum viæ; si tamen è contra, diligat intensissimè, non tamen ipsum videat, extra statum viæ minimè constituetur: ergo primo distinguens inter vtrumq; statum est visio beatifica.

152 *Respondeo.*

Respondeo ad argumentum concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens quoad primam partem: si per impossibile quis videat Deum, non tamen ipsum diligat, manebit extra statum viæ initiativè, concedo antecedens; essentialitèr, nego antecedens. Distinguo etiam secundam partem antecedentis: si diligat intensivè dilectione absoluta, non tamen ipsum videat, extra statum viæ minimè constituetur, concedo antecedens; si diligat dilectione fruitionis, subdistinguo primo: minimè constituetur extrà statum viæ, defectu alicuius conditionis, concedo antecedens defectu alicuius essentialis, nego antecedens. Subdistinguo secundò: extra statum viæ minimè constituetur denominativè, concedo antecedens; essentialitèr, nego antecedens, & consequentiam. Tota hæc doctrina evidentèr apparet ex dictis *numer.* 73. 74. & 75. Videanturibi dicta, ne eadem repetamus.

153 *Arguit deniquè.*

Arguit deniquè *num. citat.* actus, qui ratione sui est proprius intellectualis naturæ, nequit excludi ab essentia formalis beatitudinis, quæ propria est intellectualis naturę, prout ab alijs distinctæ; talis est visio beatifica ratione sui: ergo nequit excludi ab essentia beatitudinis. Maior videtur certa. Minor autem probatur:

nam id, quod distinguit intellectualem naturam ab alijs, non est ratio volitivi; hæc namquè, cum sit inclinatio, naturam constitutam consequitur, & iuxtà illius variationem distinguitur; ac proindè non distinguit illam ab alijs ratione sui; visio autem competit intellectuali naturæ, ea ratione, qua intellectualis est: ergo ratione sui est actus proprius intellectualis naturæ.

154 *Respondeo*

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: actus, qui ratione sui est proprius, & principalior, seu perfectior intellectualis naturę, nequit excludi ab essentia beatitudinis, concedo maiorem; actus, qui ratione sui est proprius, minus tamen principalis, & perfectus naturæ intellectualis, nequit excludi ab essentia beatitudinis, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Ad probationem minoris, prout nostræ solutioni obstare potest, nego assumptum; nam natura intellectualis ex gradu intellectivo, & appetitivo conflatur; cum ex natura sua non minus petat principium appetendi, quam intelligendi. Est tamen advertendum: quod si natura in esse intellectualis in vnico gradu essentialitèr consistat, in volitivo, vtpotè, perfectiori, consistit. Solutio consonat cum dictis *numer.* 76. 77. *&* 78.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

In qua operatione perfectiori modo consistat beatitudo formalis, supposito, quod consistat in pluribus.

155 *2. difficult.*

Supposito, quod beatitudo formalis in pluribus operationibus essentialitèr consistat, consistit perfectiori modo in actu voluntatis. Sic omnes Scotistæ cum Magistro Subtili *in 4. distinct* 49. *quæst.* 4. Estque contra omnes Thomistas, quos sequitur Ill. Godoy §. 5. Contra quem probatur hac vnica, & efficaci ratione: dato, quod beatitudo formalis in pluribus operationibus essentialitèr consistat, consistit perfectiori modo in operatione perfectiori; sed actus voluntatis, nempè, fruitio, est perfectior actu nobiliori intellectus, nempè, visione: ergo supposito, quod beatudo formalis in pluribus operationibus essentialitèr consistat, consistit perfectiori modo in actu voluntatis. Consequentia est legitima. Præmisæ autem clarebunt, solutiones Ill. God. reijciendo.

Probatur ratione.

156 *Respondet Ill. Godoy. Primò.*

Respondet primò Ill. God *numer.* 47. distinguendo maiorem: consistit perfectiori modo in operatione perfectiori entitativè, negat maiorem; in linea assecutionis, concedit maiorem; & omissa minori in primo sensu, & negata in secundo, negat consequentiam. Respondet secundò *num.* 48. negando absolutè minorem. Vtraque tamen solutio est à nobis reijcienda.

Secundò.

157 *1. Solutio Reijcitur 1*

Prima solutio Ill. Godoy reijcitur primò: formalis beatitudo in data suppositione consistit perfectiori modo in operatione perfectiori in linea assecutionis; sed actus voluntatis est perfectior actu nobiliori intellectus in linea assecutionis: ergo in actu voluntatis perfectiori modo consistit beatitudo formalis in dicta suppositione. Probatur minor primò: actus, qui ita assequitur obiectum, vt illud suum faciat, est perfectior in linea assecutionis quocumq; actu, non ita assequente obiectum; sed actus voluntatis ita assequitur obiectum, vt illud faciat suum, quod nullus actus intellectus facit: ergo actus voluntatis est perfectior actu nobiliori intellectus in linea assecutionis.

Probatur min. 1.

158

Consequentia est legitimè illata. Maior ex terminis patet; nam inter modos assequendi obiectum, omnibus præeminet modus ita assequendi, vt illud faciat suum. Minor autem, in qua potest esse difficultas, duplicem habet partem. Pro secunda est certa: nam iuxtà Ill. God. in hac disputatione præsertim *numer.* 39. ideò intellectus est assecutivus, quia per illum Deus, vt est in se, redditur nobis præsens, quod non est, Deum facere suum, sed Deum in potestate videntis constituere, vt ipso fruatur. Pro prima verò claret ex illo axiomate: *Amore amicitiæ amicus fit alter ego*, quod declarat etiam illud *Cantic.* 3. *Tenui eum, nec dimittam.* Et pro vtraque probata manet *numer.* 53. 61. *&* 62.

159 *Secundò.*

Probatur secundò dicta minor: actus, qui magis vnit subiectum cum obiecto, est perfectior in linea assecutionis, sed actus voluntatis magis

vnit

vnit amantem cum Deo, quam visio videntem cum Deo : ergo actus voluntatis est perfectior actu nobiliori intellectus in linea assecutionis. Probatur minor : cum actu amoris Dei repugnat aversio à Deo immediatè, non verò cum visione Dei : ergo actus voluntatis magis vnit amantem cum Deo , quam visio videntem cum Deo. Tertiò : actus, qui intimiùs vnitur cum obiecto , est perfectior in linea assecutionis ; sed actus voluntatis intimiùs vnitur cum Deo: ergo idem , quod anteà. Maior patet : nam cum assecutio obiecti sit vnio cum illo, intimior vnio erit perfectior assecutio. Probatur minor: nam iuxtà Dionisium *cap. 7. de Angel. Hier. Voluntas sic attingit amatum, sic illi se copulat , vnit , & apræciat , vt verius sit amans amatum , quam ipse*; atqui non ita intimè vnitur cum Deo actus intellectus: ergo actus voluntatis intimiùs vnitur cum Deo.

Tertio.

160 *Quartò.*

Quartò : inter actus assecutivos, ille est perfectior in linea assecutionis, in quo stat quies perfectior ; sed in actu voluntatis stat quies perfectior , quam in actu intellectus : ergo idem, quod priùs. Consequentia est optima. Maior certa: nam beatitudo est quies : ergo actus assequens perfectiorem quietem , erit perfectior in linea assecutionis. Minor probabatur : in actu , in quo stat quies secunda , supposita prima , stat quies perfectior , quam in actu, in quo stat quies prima absquè secunda ; atqui in actu voluntatis stat quies secunda, supposita prima ; in actu verò intellectus stat quies prima absquè secunda: ergo in actu voluntatis stat quies perfectior , quam in actu intellectus. Totum claret ex eo , quod prima quies est per visionem, quæ , vtpotè, actus intellectus , est prior actu voluntatis ; secunda quies est per fruitionem, quæ, vtpotè, actus voluntatis, supponit primam quietem ex visione ortam.

161 *Quintò, & specialitèr.*

Probatur quintò , & specialitèr: quando aliqua duo concurrunt ad constitutionem essentialem alicuius, in posteriori , & non in primo, stat constitutio perfectior ; sed actus intellectus , & voluntatis concurrunt, facta suppositione , ad constitutionem essentialem beatitudinis formalis: ergo in posteriori , & non in primo , stat constitutio perfectior. Sussummo nunc ; atqui actus voluntatis est posterior , & actus intellectus primus: ergo in actu voluntatis , & non in actu intellectus, stat cōstitutio perfectior. Sussummo iterum; sed id , in quo stat perfectior constitutio , est perfectius: ergo cum in actu voluntatis, & non in actu intellectus, stet constitutio perfectior , actus voluntatis est perfectior actu intellectus. Sussummo deniquè ; atqui hæc maior perfectio est in linea assecutionis; supponitur namquè, quod actus voluntatis sit assecutivus , sicut actus intellectus, ex eo, quod supponatur, quod vterque constituat essentialitèr formalem beatitudinem: ergo actus voluntatis est perfectior actu intellectus in linea assecutionis. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior autem claret primo in materia , & forma, compositum constituentibus; in corpore , & anima , hominem phisicè componentibus , & sic de omnibus alijs. In illis igitur, forma, scilicèt , & anima, quæ sunt posteriora, stat constitutio perfectior. Secundò claret ex Philosopho 9. *Methaph. textu* 15. dicente : *Posterius generatione est priùs perfectione.*

162 *2. solutio impugnat. prob. min. Primò.*

Secunda solutio Ill. Godoy diluitur, probando minorem nostræ probationis, scilicèt , actus voluntatis est perfectior actu intellectus. Probatur itaquè primò : amor est perfectior visione; sed amor est actus voluntatis, & visio actus intellectus: ergo actus voluntatis perfectior est actu intellectus. Probatur maior : illud est perfectius , cuius oppositum est peius ; sed odium actui amoris oppositum , peius est carentia visionis, seu errore circà Deum, oppositio visioni: ergo amor est perfectior visione. Maior est certa ex regula illa Philosophi 7. *Ethic. cap.* 10. *Illa sunt meliora, quorum opposita sunt deteriora.* Minor, & consequentia tenent.

163 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondeo Ill. Godoy *numer.* 49. ad vltimum syllogismum , concessa maiori, distinguendo minorem : est peius odium errore in linea moris, concedit minorem ; in genere phisico , negat minorem. Ex quo solum sequitur, seu infertur, amorem præstare visioni in genere moris , quod libentèr concedit , cum visio in genere moris non sit, vtpotè, libertate

non gaudens, non autem, quod illam excedat in genere phiſico, quod ſolum negat.

164 *Contra 1.* Contra primò: odium eſt peius carentia viſionis in genere moris: ergo & in genere phiſico. Probatur conſequentia: odium eſſe peius carentia viſionis in genere moris, ſupponit, quod odium ſecundum ſuam entitatem phiſicam magis, quam carentia viſionis, debiat ab ordine ſuæ naturæ debito: ergo ſi odium eſt peius carentia viſionis in genere moris, eſt etiam in genere phiſico peius. Conſequentia infertur; alioquin odiū ſecundum ſuam entitatem phiſicam non magis, quam carentia viſionis, deviaret ab ordine, ſuæ naturæ debito. Antecedens verò probatur: in tantum actus ſunt moraliter mali, in quantum ſecundum ſuam entitatem phiſicam debiant ab ordine, ſuæ naturæ debito: ergo odium eſſe peius carentia viſionis in genere moris, ſupponit, quod odium ſecundum entitatem phiſicam magis, quam carentia viſionis, debiat ab ordine ſuæ naturæ debito. Probatur antecedens: actus, qui ideò ſunt prohibiti, quia mali, in tantum ſunt moraliter mali, in quantum ſecundum ſuam phiſicam entitatem debiant ab ordine ſuę naturæ debito: ergo in tantum actus ſunt moraliter mali, in quantum ſecundum ſuam entitatem phiſicam debiant ab ordine ſuæ naturæ debito. Conſequentia eſt legitima. Antecedens autem patet; alioquin non eſſent prohibiti, quia mali.

165 *Contra 2.* Contra ſecundò: odium eſt peius carentia viſionis iuxta ſolutionem Ill. Godoy: ergo eſt peius in genere phiſico. Probatur conſequentia: dium eſſe peius carentia viſionis, ſupponit carentiam viſionis eſſe malam; ſed carentia viſionis ſolum eſt mala in genere phyſico: ergo odium eſt peius in genere phiſico. Maior eſt clara; quia peius eſt comparativum ad malum. Minor patet: nam privatio viſionis non eſt in genere moris, ſicut nec viſio, vt ait Ill. Godoy in ſolutione, quia libertate non gaudet. Conſequentia infertur.

166 *Contra 3.* Contra tertiò: dato, quod odium libertate non gauderet, ſeu quod eſſet neceſſarium, quod eſt, non eſſe in genere moris, adhuc odium eſſet peius carentia viſionis: ergo eſt peius in genere phiſico. Probatur antecedens: odium, adhuc ſuppoſitione facta, verè, & realiter magis avertit à Deo, quam carentia viſionis: ergo dato, quod odium libertate non gauderet, ſeu quod eſſet neceſſarium, quod eſt, non eſſe in genere moris, adhuc odium eſſet peius carentia viſionis. Probatur antecedens: carentia viſionis ſolum privativè avertit à Deo; ſed odium, adhuc facta ſuppoſitione, poſitivè, & contrariè avertit à Deo: ergo odium verè, & realiter, magis avertit à Deo, quam carentia viſionis. *Contra 4.* Contra quartò: odium non eſt peius carentia viſionis, quia libertate gaudet: ergo eſt peius in genere phiſico. Conſequentia eſt legitima. Antecedens patet: alioquin omne liberum eſſet malum, quod eſt evidenter falſum.

167 *Contra 5.* Contra quintò: actus voluntatis, nempè, amor, eſt perfectior in genere phiſico actu intellectus, ſcilicèt, viſione: ergo & odium, quod oponitur amori, eſt peius in genere phiſico carentia viſionis, quæ viſioni oponitur: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens primò: actus, qui in linea aſſecutionis eſt perfectior alio, perfectior eſt illo in genere phiſico; ſed actus voluntatis, nempè, amor, eſt in linea aſſecutionis perfectior actu intellectus, ſcilicèt, viſione: ergo actus voluntatis, nempè, amor, eſt perfectior in genere phiſico actu intellectus, ſcilicèt, viſione. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas, probata manet *num.* 157. 160. & 161. *Contra 6.* Probatur ſecundò antecedens, & contra ſextò: actus, qui magis, & intimiùs vnit ſubiectum cum obiecto, eſt perfectior in genere phiſico; atqui actus voluntatis, nempè, amor, magis, & intimiùs vnit ſubiectum cum obiecto, ſcilicèt, amantem cum amato, quam actus intellectus, nempè, viſio, vnit ſubiectum cum obiecto, ſcilicèt, videntem cum viſio, vt probavimus *num.* 159: ergo idem quod anteà.

168 *Impugn. 2.* Probatur ſecundò ſuprà poſita minor, & ſecundò impugnatur ſecunda ſolutio Ill. Godoy: actus procedens à perfectiori habitu eſt perfectior; ſed actus voluntatis, nempè, amor, procedit à perfectiori habitu, quam actus intellectus, nempè, viſio: ergo actus voluntatis eſt perfectior

actu

actu intellectus. Maior est apud omnes certa. Probatur minor : amor procedit ab habitu Charitatis ; visio verò à lumine gloriæ ; sed habitus Charitatis est lumine gloriæ perfectior: ergo actus voluntatis, nempè, amor, procedit à perfectiori habitu, quam actus intellectus, nempè visio. Probatur minor ex Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 13. *Maior horum est Charitas.* Confirmatur : ordo Seraphinorum, dictus ab ardore amoris, perfectior est ordine Cherubico, dicto ab excellentia scientiæ: ergo amor est perfectior visione.

Confirmat.

169 *Respondet Ill. Godoy.*

Ad hanc confirmationem respondet Ill. Godoy *num.* 50. concesso antecedenti, negando consequentiam. Seraphim namquè, non dicitur ab ardore Charitatis patriæ, sed viæ, & similiter Cherubim non à scientia comprehensoris, sed à scientia viatoris suam denominationem desumit: vndè ex præstantia ordinis Seraphinorum suprà ordinem Cherubinorum, solum colligitur, amorem viæ excedere cognitionem viatoris, non autem visionem beatificã. Quo etiam modo respondebit ad replicam, quam sibi non obiecit, scilicèt, Apostolum non loqui pro statu patriæ, sed pro statu viæ.

170 *Contra.* 1.

Contra primò : Apostolus loquitur etiam pro statu patriæ : ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Apostolus *citat.* ait: *Charitas numquam excidit*: ergo sentit Apostolus: habitum Charitatis retinere in patria eandem eminentiam, quam habet in via : ergo Apostolus etiam loquitur pro statu patriæ. Antecedens videtur certum; cum certum sit, quod excellentia Charitatis in patria non minuatur, quin potiùs crescat, vt sentit etiam D. Thomas, texte Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part. disput.* 57. *numer.* 46.

Contra 2.

Contra secundò: nam idem Apostolus ad *Ephes.* 3. loquens de Charitate Christi, eam vocat scientia perfectiorem his verbis: *Supereminentem scientiæ Charitatem* ; atqui Christus non solum erat viator, sed etiam comprehensor : ergo loquitur etiam Apostolus pro statu patriæ.

171 *Contra* 3.

Contra tertiò : nam D. August. vniversalitèr loquendo de donis viæ, & patriæ, Charitatem vocat nobiliorem : ergo etiam in Patria habitus Charitatis est omnibus alijs perfectior. Consequentia est legitima. Antecedens autem patet : nam Augustin. 15. *de Trinit. cap.* 19. hæc habet: *In donis Dei nullum est maius donum Charitate, nec æquale.* Contra quartò: nam Hugo *super illum locum D. Dionisij de Angelica Hyerarch. cap.* 7. *Super acutum, super fervidum, & dilectio supereminet scientiæ*, hanc supereminentiam Charitatis intelligit etiã in patria: ruit ergo solutio.

Contra 4.

Contra quintò : voluntas in via habet habitum perfectiorem respectu intellectus : ergo etiam in Patria. Probatur consequentia: capacitas voluntatis eadem est in via, ac in Patria: ergo si voluntas in via habet habitũ perfectiorem respectu intellectus, etiam in Patria. Probatur consequentiam : capacitas voluntatis in Patria debet proportionabilitèr satiari modo, quo est satiata in via ; sed in via est satiata per habitum respectu intellectus perfectiorem: ergo si voluntas in via habet habitum perfectiorem respectu intellectus, etiam in Patria. Minor, & consequentia tenent. Maior autem videtur connaturalitèr certa.

172 *Contra* 5.

Contra denique : Seraphin dicitur ab ardore Charitatis patriæ : ergo nulla est solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens : si Seraphin non diceretur ab ardore Charitatis Patriæ, ordo Seraphinorum in Patria non esset præstantior ordine Cherubinorum; sed hoc est apertè falsum, & contra D. Dionisium *citat.* ergo Seraphin dicitur ab ardore Charitatis in Patria. Probatur maior : si Seraphin non diceretur ab ardore Charitatis in Patria, ordo Seraphinorum in Patria nihil haberet præstantius ordine Cherubinorum: ergo si Seraphin non diceretur ab ardore Charitatis Patriæ, ordo Seraphinorum in Patria non esset præstantior ordine Cherubinorum. Consequentia infertur. Antecedens est certum; alioquin assignet Ill. Godoy illud Seraphinorum præstantius, & assignet cum fundamento, vel authoritate, ne in hoc assignando stet pro ratione voluntas, sicut voluntaria est allata solutio de in via, & in Patria.

173 *Contra* 6.

Probatur tertiò suprà dicta minor, & tertiò impugnatur secunda solutio Ill. God: ille actus inter omnes est perfectior, quem nos magis

174 *Impugn.* 3.

desiderare debemus, & Deus à nobis magis exigit; atqui inter Deum amare, & Deum videre, magis nos desiderare debemus, amare Deum perfectissimè, quam ipsum videre, & hoc Deus magis à nobis exigit: ergo amor est visione perfectior.

175 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *infrà numer.* 54. Concessa maiori, negando minorem; nam sivè loquatur de amore, quo nobis diligimus bonum, qui est amor concupiscentiæ, sivè de amore, quo bona extrinseca volumus, qui est amor amicabilis, expetibilior est visio, quam amor. *Contra* 1. Contra primò: hæc solutio omninò voluntaria apparet, quia vt ex ipsa constat, sine fundamento adstruitur: ergo ruit. *Contra* 2. Secundò: Deus à nobis in via magis exigit amorem, vt constat ex Apostolo *citat.* Charitatem cæteris virtutibus præferente: ergo etiam in Patria. Consequentia claret ex dictis *num.* 164. *& sequentibus.* *Tertiò.* Tertiò: quid enim Deo optabilius, quam se super omnia amatum respicere, & quid nobis optabilius, quam, quod Deus nos in suam admittat amicitiam? Ergo vera est minor, quam negat Ill. God. & consequenter nulla illius solutio.

176 *Impugn.* 1. Impugnatur quartò secunda solutio Ill. Godoy, prædictam minorem probando: actus, qui à potentia perfectiori procedit, est perfectior; sed amor procedit à perfectiori potentia, quam visio: ergo amor est visione perfectior. Probatur minor: amor procedit à voluntate; visio verò ab intellectu; sed voluntas est intellectu perfectior: ergo amor procedit à perfectiori potentia, quam visio. Probatur minor: illa potentia est perfectior, quæ habet obiectum perfectius; sed voluntas habet obiectum perfectius, quam intellectus: ergo voluntas est intellectu perfectior. Probatur minor ad hominem contra Thomistas: obiectum voluntatis est bonum; obiectum verò intellectus est verum; sed bonum est vero perfectius: ergo voluntas habet obiectum perfectius, quam intellectus. Consequentia est legitima. Minor certa, & maior est aduersariorum opinio.

177 *Respondet Ill. Godoy.* Hanc replicam sibi non fecit Ill. Godoy; ad ipsam tamen doctrina Thomistarum generali respondebit negando vltimam minorem; quia iuxtà Thomistas obiectum intellectus est perfectius obiecto voluntatis, cuius ratio (inquiunt) est: quia intellectus tendit in verum abstractiori modò, scilicèt, abstrahendo ab existentia, quod non facit voluntas. Cæterum vltrà hoc, quod falsum est apud nos, verum abstractius esse bono, cum vtrunque sequatur ad ens in eadem abstractione, veluti propriæ illius passiones. Vltrà hoc (inquam) solutionem admitto.

178 *Impugn.* 1. *ad hom. cõtra Thom.* Et ad hominem contra illos insurgo. Primò: intellectus tendit in verum, abstrahendo ab existentia; non verò voluntas: ergo voluntas est magis perfecta. Antecedens est solutio Thomistarum. Consequentia probatur: quod non abstrahit ab existentia, est magis perfectum, quam quod ab illa abstrahit: sed per vos intellectus tendit in verum, abstrahendo ab existentia; non verò voluntas: ergo voluntas est magis perfecta. Probatur maior: quod non abstrahit ab existentia, minus recedit ab actu, & accedit ad potentiam, quam quod abstrahit ab existentia; sed quod minus recedit ab actu, minusque accedit ad potentiam, est magis perfectũ, quam quod magis recedit ab actu, magisque accedit ad potentiam: ergo quod non abstrahit ab existentia, est magis perfectum, quam quod ab illa abstrahit. Consequentia est legitima. Minor certa: nam quod minus recedit à forma, minusque accedit ad materiam, est magis perfectum, quam quod magis recedit à forma, magisq; accedit ad materiam, ex eo, quod forma est actus, & materia potentia. Probatur maior: quod non abstrahit ab existentia, minus accedit ad vniuersale, minusque à particulari recedit, quam quod abstrahit ab existentia; atqui vniuersale est ens in potentia; & particulare est ens in actu: ergo quod non abstrahit ab existentia, minus recedit ab actu, & accedit ad potentiam, quam quod abstrahit ab existentia. Totum videtur ad hominem contra Thomistas certum.

179 *Impugn.* 2. Insurgo secundò: intellectus, facta cum voluntate comparatione, est magis abstrahens ab existentia: ergo intellectus est magis vniuersalis, & potentialis, quam voluntas. Consequentia est legitima. Infero nunc: ergo intellectus est voluntate imperfectior. Probatur hæc consequentia:

quod

quod minus assimilatur Deo, est imperfectius; sed intellectus minus, quam voluntas, assimilatur Deo: ergo intellectus est voluntate imperfectior. Probatur minor: quod est magis potentiale, & vniversale, minus assimilatur Deo; sed iuxtà concessa intellectus est magis vniversalis, & potentialis, quam voluntas: ergo intellectus minus, quam voluntas, assimilatur Deo. Probatur maior: quod est magis potentiale, & vniversale, minus assimilatur actui purissimo, nullo modo vniversali, nec ab existentia abstrahibili; sed Deus est actus purissimus, nullo modo vniversalis, nec ab existentia abstrahibilis, iuxta Ill. Godoy, & omnes Thomistas: ergo quod est magis potentiale, & vniversale, minus assimilatur Deo.

180 *Impugn. 3.* Insurgo tertio ad hominem etiam: intellectus abstrahit ab existentia; non autem voluntas: ergo voluntas est intellectu perfectior. Probatur consequentia: notitia intuitiva est abstractiva perfectior: ergo voluntas est intellectu perfectior. Probatur consequentia: ideò notitia intuitiva est abstractiva perfectior, quia abstractiva abstrahit ab existentia; non autem intuitiva; atqui iuxtà concessa intellectus abstrahit ab existentia, non autem voluntas: ergo voluntas est intellectu perfectior. Minor, & consequentia tenent. Maior verò est generalis omnium doctrina.

181 *Respondet Ill. Godoy.* Si autem ad supradictas rationes respondeat Ill. Godoy: probare tantum, voluntatem esse perfectiorem intellectu secundum quid; non verò simpliciter, & absolutè, consequenterque actum voluntatis, scilicèt, amorem, esse duntaxat secundum quid perfectiorem actu intellectus, scilicèt, visione, quam doctrinam adducit *num.* 48. sibi suam reservet doctrinam, & solutionem pro maiori perfectione intellectus respectu voluntatis; quia si rationes allatæ ex quatuor capitibus, nempè, ex natura potentiæ, ex perfectione actus, ex excellentia habitus, & ex nobilitate obiecti, non probant præeminentiam voluntatis supra intellectum simpliciter, & absolutè; nec ipse probare potest talem præeminentiam intelectus supra voluntatem; cum nec aliter, nec alio modo, excellentia vnius potentiæ præ alia convinci valeat. *Retorqueo.*

TERTIA DIFFICVLTAS.

An visio sit notitia simplex, vel composita, aprehensiva, vel iudicativa?

182 *3. difficult.* HAnc difficultatem movet Illust. Godoy *num.* 67. pro cuius clariori resolutione suppono primò: quod aprehensio est cognitio obiecti simplicis, vel compositi, v. g. homo est animal, non iudicando, an propositio, sit vera, vel falsa. Iudicium est cognitio obiecti, iudicando de veritate illius. Et hoc adhuc est duplex, scilicèt, complexum, & incomplexum, quod ex duplici capite potest provenire, nempè, ex parte actus, & ex parte obiecti. Tunc cognitio est incomplexa ex parte actus, quando vnico actu cognoscitur obiectum, etiam si complexum sit; Tunc est incomplexa ex parte obiecti, quando obiectum est incomplexum; per quod patet, quid sit cognitio complexa ex vtroque capite. Hoc itaquè suppositò.

Quid sit apprehẽsio, & Iudiciũ.

Iudicium complexum, & incomplexum.

183 *Resolutio difficultatis.* Respondeo: *Visio beata potest esse aprehensiva solum; de facto tamen est iudicativa incomplexa formaliter ex parte actus, & obiecti, respectu cuius est virtualitèr complexa.* Prima, & vltima pars est contra Ill. Godoy *numer.* 67. & 68. Cæteræ verò defenduntur ab ipso. Antecedens verò probatur: Visio Essentiæ Divinæ præcisè, imò etiam vt est in se, non iudicando, an sit vera, vel falsa, est solum aprehensiva, sed talis visio est possibilis, & esse beata: ergo visio beata potest esse aprehensiva solum. Maior, & consequentia tenent. Minor pro secunda parte est certa; pro prima autem constat ex eo, quod talis visio nullam dicit imperfectionem, per quod patet falsitas probationis Illust. Godoy, quin ad aliud nos cogat.

Probat. 1. pars.

184 *Probat. 2. pars.* Secunda pars probatur: Beatus verè iudicat, Deum esse Vnum, & Trinum, Omnipotentem, Æternum, &c: ergo visio beata est defacto iudicativa. Ostenditur tertia: Beatus vnica visione videt Deum: ergo visio est incomplexa ex parte actus. Quarta suadetur: Essentia Divina, quæ est obiectum beatificum, est vna, simplex, & incomplexa: ergo visio formaliter est incomplexa ex parte obiecti. Consequentia infertur. Antecedens verò

3. & 4. pars suadetur.

est

est generalis Theologorum doctrina, & adhuc verior in nostra doctrina; tenemus namquè, vt diximus *disp.* 2. Deum, vt vnum, præcisivè ab attributis, modis intrinsecis, & personis, esse obiectum essentiale beatitudinis.

185 *Vltima pro batur.* Vltima pars probatur: Beatus cognoscit Deum, sicut est in se; sed in Deo sunt plures formalitates formaliter distinctæ, vt apud omnes Scotistas est manifestum: ergo illas, vt plures, cognoscit beatus: ergo talis visio est virtualitèr complexa ex parte obiecti. *Confirmat.* Confirmatur ex doctrina Ill. Godoy: visio beata comparata ad obiecta secundaria, erit simplex, vel composita obiectivè iuxtà qualitatem obiecti secundario cogniti, nempè, simplicis, vel compositi; atqui personæ Divinæ, Divinaque attributa, sunt obiecta secundario cognita, & plura formalitèr: ergo talis visio est virtualitèr complexa ex parte obiecti. Maior est Ill. Godoy *num.* 68. Minor in nostra opinione indubitata. Consequentia legitima.

QVARTA DIFFICVLTAS.

An visio beatifica sit practica, an speculativa notitia?

186 *4. difficult.* PRo resolutione difficultatis est necessario advertendum, quod praxis ex Scoto *quæst.* 14. *Prologi*, §. *Dico igitur*, est *Actus alterius potentiæ ab intellectu, naturalitèr posterior intellectione, natus conformitèr elici rationi rectæ ad hoc, vt sit actus rectus.* *Quid sit praxis.* Vndè actus elicitus voluntatis est propriè praxis; impropriè verò, & secundario actus aliarum potentiarum, à voluntate imperati, ex quibus actus intellectus latissimo tantum modo, & solum extensione est practicus, vt ait commune proloquium.

187 *Quid requiratur ad praxim.* Advertendum est etiam, quod ad praxim debet præcedere intellectio, quæ dirigat praxim, & cui praxis conformetur, vt constat ex allata praxis diffinitione. *Quid sufficiat ad notitiã practicam.* Vlteriùs advertendum est, quod vt cognitio dicatur practica, sufficit, quod aptitudinalitèr sit directiva praxis, quia necessarium non est, quod praxis sequatur. Quod totum, & plura alia in logica explanavi. *Quoddam dubium.* An autem, vt cognitio sit practica, sufficiat, quod sit ostensiva praxis; an etiam requiratur, quod sit de se regulativa, licèt voluntas, à qua praxis debet provenire, non sit regulabilis à tali cognitione, sed se ipsa sit regula, vt est Divina voluntas? Est dubium apud Scotum. His itaquè animadversis.

188 *1. Sentẽtia. Ill. Godoy.* Aliorum opinionibus ommissis, vtpotè, ad meum intentum non conducentibus. Ill. Godoy *num.* 69 in falso nittens principio, scilicèt, amorem beatificum esse necessarium, quæstionem vocat de nomine, ibique *numer.* 70. conditionalitèr loquitur; *numer.* tamen 71. assèrtivè tenet: Visionem sortiri rationem beatificantis, prout speculativa notitia est; non autem prout practica. *2. Sentẽtia. Scotus. Rada. Faber. Smising. Vulpes. Scotistæ.* Contra quod stat Scotus *quæst.* 4. *Prolog.* §. *Contra hoc, & §. Ad argumenta.* Cum quo Rada 1. *part. Controvers.* 3. *artic.* 4. Faber *disput.* 9. Smising *in Prologo num.* 136. Vulpes *disput.* 24. *artic.* 8. Et omnes Scotistæ, alijque plures, quos allegat Ægidius *lib.* 4. *quæst.* 9. *art.* 5.

189 *Resolutio difficultatis.* Respondeo: *Visio beatifica est practica, & prout est practica, sortitur rationem beatificantis, dato, quod ingrediatur in essentialem constitutionem beatitudinis formalis.* Ita Scotus *citat.* qui primam partem resolutionis sic probat: illa est notitia practica, quæ est directiva praxis ex dictis; sed visio beata est directiva praxis: ergo visio beata est practica. *Probat. 1. pars.* Probatur minor: Visio beata est directiva volitionis; sed volitio est praxis: ergo visio beata est directiva praxis. Consequentia est legitima. Minor certa: nam volitio est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturalitèr posterior intellectione, nata conformitèr elici rationi rectæ, ad hoc, vt sit actus rectus, quæ est praxis diffinitio tradita *numer.* 186. Minor patet primò: nam visio beata dictat, & excitat voluntatem, vt totis viribus amet Deum, cum eum proponat, vt summum bonum. Secundò: quia non est alia regula, à qua reguletur fruitio.

190 *Arguit Ill. Godoy.* Arguit Ill. Godoy *num.* 69. Iudicium practicum movens ad amorem, non est necessarium, nisi quando voluntas indifferens ad illum supponitur: ergo ad amorem necessarium, qualis est beatificus, sufficit beatifica visio, vt ostendens, & proponens obiectum infinitum absquè iudicio, expræsè dictante, hic, & nunc esse diligendum prædictum obiectum. *Respond. 1.* Respon-

pondeo primò: quidquid sit de antecedenti, negando suppositum consequentis; supponit enim, quod amor beatificus est necessarius, cuius falsitatem ostendemus *disp. sequenti*, vbi se refert Ill. Godoy ad necessitatem ostendendam.

191 *Secundò.* Secundò responderi potest, data falsitate suppositi, concesso antecedenti cum consequentia, negando, quod visio non esset practica; nam licèt visio tunc non esset regulativa, sed solum ostensiva obiecti, hoc sufficeret, vt practica esset visio; quia adhuc dato, quod amor esset necessarius, esset praxis, vt de amore, quo Deus se diligit, tenet probabiliter Scotus *quæst. 4. Prologi, §. Si obijciatur*, licèt *§. Contra*, & *§. Ad argumenta, & in 1. dist. 38. §. Quamvis*, & cum eo Lichetus *in hoc loco*, oppositum iudicet probabilius, eo, quod ad praxim requiritur saltim, quod cognitio sit aptitudinaliter regulativa amoris. Solutio consonat cum dictis *num. 187.*

192 *2. pars probatur.* Secunda pars resolutionis probatur: supposito, quod visio sit pars constituens essentialiter beatitudinem formalem, sortitur rationem beatitudinis, prout ordinatur ad amorem, quæ est altera pars constituens beatitudinem; sed amor est praxis: ergo beatificat, vt ordinabilis ad praxim: ergo beatificat, prout est practica. Hæc ratio sufficiat, quia solutiones ad fundamenta Ill. God. erunt pro nostra opinione probationes.

193 *Arguit. 1. Ill. Godoy.* Arguit Ill. Godoy *num. 71.* Primò: nam cognitio practica ordinatur ad opus, & est propter illud; at visio, vt beatificans, non est propter aliud, sed alia propter se ipsam: ergo non beatificat, quatenus practica, sed quatenus speculativa notitia. Secundò: nam visio beatificat sub tendentia ad primarium obiectum; at secundum istam tendentiam non est practica, sed speculativa: ergo non beatificat quatenus practica, sed sub conceptu speculativæ.

194 *Respondeo ad 1.* Respondeo ad primum negando minorem; quia visio, vt beatificans, ordinatur ad amorem, qui est visione posterior, nisi vellit Ill. Godoy, vt velle videtur, quod amor ordinetur ad visionem, vt ad vltimum finem *quo*, in quo stat adæquata essentia formalis beatitudinis, quo in casu, nego suppositum minoris; quia vt dictum manet, vel visio non ingreditur in constitutionem essentialem beatitudinis, si in vna operatione tantum consistat, quo supposito, visio ordinatur ad amorem, vt ad finem *quo* vltimum, in quo salvatur tota essentia beatitudis formalis; vel inadæquatè ingreditur in constitutionem essentialem beatitudinis, quo supposito, visio ordinatur ad amorem, non vt ad finem *quo* illius, sed vt ad finem omninò vltimum, cui subordinatur iuxta dicta *num. 138.*

195 *Ad 2.* Ad secundum respondeo distinguendo maiorem: visio beatificat adæquatè sub tendentia ad primarium obiectum, nego maiorem, inadæquatè, subdistinguo: dato, quod beatitudo in duplici consistat operatione, concedo maiorem; dato, quod consistat in vnica, nego maiorem; & distinguo minorem: secundum tendentiam ad obiectum primarium nō est practica, dato, quod beatificaret adæquatè, ommitto minorem, & nego suppositum; dato, quod beatificaret inadæquatè, vel quod essentialiter non beatificaret adhuc inadæquatè, nego minorem, & consequentiam; quia sivè essentialiter non beatificet, sivè beatificet inadæquatè, quod ad summum in nostra opinione potest esse verum; semper visio ordinatur ad amorem, qui praxis est, & consequentèr est practaca ob rationem nostræ probationis, & solutionis ad argumentum præcedens.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Quisnam sit actus voluntatis, in quo, vel essentialitèr adæquatè, vel si inadæquatè, principalius consistit formalis beatitudo?

196 *Actus voluntatis est triplex.* NOtto primò: triplicem esse actum voluntatis. Primus est desiderium, qui est de obiecto absenti. Secundus amor, qui aliquando est de obiecto absenti, vt amor viæ, & aliquando præsenti, vt amor patriæ. Tertius delectatio, qui est de obiecto possesso. Ex his, actus secundus, scilicèt, amor, est duplex. Vnus amicitiæ, qui est propter ipsum bonum volitum. Alter concupiscentiæ, qui est propter ipsum volentem, vel propter

aliud

Triplex nolle.

aliud. Huic tripli actui correſpondet triplex nolle, quorum deſcriptio per oppoſitum facilitèr deducitur; ſupponit tamen quodlibet nolle aliquod velle, quia nihil fugit voluntas, niſi quia eſt oppoſitum illi, quod appetit, amat, in illoque gaudet. Similitèr etiam amor concupiſcentiæ ſupponit amorem amicitiæ, quia nunquam voluntas vult bonum alicui, niſi quia vult bonum.

197 *Duplex voluntatis affectio.*

Notto ſecundò: in voluntate eſſe duplicem affectionem. Vna commodi, & alia juſtitiæ. Prima appetit proprium commodum. Secunda appetit, quod decet Iuſtitiæ, & rationi. Nec affectio commodi debet confundi cum amore concupiſcentiæ; nam affectio commodi reſpicit præciſè, quod eſt mihi bonum; amor verò concupiſcentiæ reſpicere ſolet bonum ordinatũ ad alium, etſi mihi non commodum. Notto tertiò: quod delectatio, ſeu gaudium eſt duplex. Vna de ipſo fine. Alia de conſecutione finis. Prima eſt ipſe amor. Secunda conſequitur ad amorem, & eſt ab illo diſtincta, eſtque paſsio amoris, à voluntate inimpedibilis, etſi impedibilis à Deo, quia non eſt paſsio in quarto modo, ſed quaſi accidens connaturale amoris.

Delectatio eſt duplex.

198 *Beatitudo non conſiſtit in nolle.*

Notto quartò: certum eſſe, beatitudinem non conſiſtere in aliquo nolle; quia nolle habet pro obiecto directè, & per ſe malum; actus verò voluntatis, in quo ſtat beatitudo, debet habere pro obiecto per ſe, & directè aliquod bonum. Quare difficultas eſt de velle voluntatis, & non de velle deſiderii; quia cum hic ſit de obiecto abſenti, in ipſo nequit conſiſtere beatitudo. Reſtat ergo dubium de amore, & delectatione.

199 *1. difficultatis reſolutio.*

Reſpondeo primò: *Beatitudo eſſentialis non eſt delectatio diſtincta ab amore.* Sic Scotus *in 4. diſt. 49. quæſt. 4. §. In iſta quæſt.* Probatur primò: beatitudo formalis conſiſtit in operatione ex dictis *diſput 4. §. 2.* atqui delectatio, ab amore diſtincta, non eſt operatio, ſed paſsio, vel quaſi accidens connaturale amoris ex dictis *numer. 197.* ergo beatitudo formalis non eſt delectatio diſtincta ab amore.

Probat. 1.

Secundò.

Probatur ſecundò: beatitudo formalis eſt aſſecutio obiecti; ſed delectatio (dato, quod ſit operatio) eſt de obiecto aſſecuto, vel poſſeſſo iuxtà dicta *num. 196*: ergo beatitudo eſſentialis non eſt delectatio diſtincta ab amore.

200 *Obijcies 1.*

Obijcies primò: Plura ſunt Scripturæ loca, & Patrum teſtimonia aſſerentia: beatitudinem eſſe gaudium, vel delectationem: ergo beatitudo eſſentialis eſt delectatio. Reſpondeo primò: loqui de gaudio indiſtincto ab amore; non verò de gaudio conſecuto ad amorem. Reſpondeo ſecundò: loqui cauſalitèr, vel conſequentèr; quia gaudium conſequitur ad beatitudinem, quæ eſt cauſa illius; non verò loqui formalitèr. Reſpondeo tertiò: loqui de beatitudine extenſiva, vel quoad ſtatum; non verò de intenſiva, & eſſentiali.

Triplex ſolutio.

201 *Obijcies 2.*

Obijcies ſecundò: delectatio vltimo ſatiat appetitum: ergo beatitudo eſſentialis eſt delectatio. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: delectatio vltimo ſatiat ſatietate eſſentiali appetitum, nego antecedens; ſatietate accidentali, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Dices: delectatio eſt vltimum bonum beati: ergo beatitudo eſſentialis eſt delectatio. Reſpondeo diſtinguendo, vt diſtinxi, & alitèr: delectatio eſt vltimum, & optimum bonum beati, nego antecedens; & non optimum, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Itaquè beatitudo eſt vltimo ſatiativa eſſentialitèr, & bonum vltimum, & optimum, quod tantum habet amor.

Reſpondeo.

Dices.

Reſpondeo.

202 *Obijcies 3.*

Obijcies tertiò: poſteriora generatione ſunt priora perfectione; ſed delectatio eſt generatione poſterior amore: ergo delectatio eſt amore perfectior: ergo ipſa eſt beatitudo eſſentialis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: poſteriora generatione in eodem genere ſunt priora perfectione, concedo maiorem; in diverſo genere, nego maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequẽtiam. Itaquè axioma Philoſophi: *Poſteriora generatione ſunt priora in perfectione*, verum eſt, quando ſunt in eodem genere, vti ſunt intellectus, & voluntas; intellectio, & volitio, quæ ſunt in genere potentiæ, & operationis; falſum tamen, quando ſunt in diverſo genere, vt ſunt paſsiones reſpectu operationum; ſubſtantia reſpectu accidentium, &c. Ex quibus fiant plures contra argumentum retorſiones.

Reſpondeo.

203 *Objicies 4.*

Obijcies quartò: amor est propter delectationem: ergo delectatio est amore perfectior: ergo ipsa est essentialis beatitudo. *Respondet.* Respondeo distinguendo antecedens: amor est propter delectationē, sicut causa propter effectum, concedo antecedens; sicut effectus propter causam, nego antecedens; quia sic delectatio est propter amorem, & consequentèr amore imperfectior. *Dices.* Dices: beatitudo cum gaudio est perfectior: ergo gaudium ingreditur in constitutionem essentialem beatitudinis formalis. *Respond.* Respondeo distinguendo antecedens: beatitudo cum gaudio est perfectior extensivè, concedo antecedens; intensivè, nego antecedens, & consequentiam. *Retorqueo.* Imò retorqueo: homo cum sapientia est perfectior: ergo sapientia est de essentia hominis? Mala consequentia. Sic & illa.

204 *2. difficult. resolutio.*

Respondeo secundò: *Beatitudo formalis essentialitèr consistit in amore amicitiæ; non verò concupiscientiæ.* Sic Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 5. §. Ad quæstionem*, & probatur primo quoad vtramque partem: Beatitudo consistit in primo actu voluntatis; sed actus concupiscientiæ præsupponit actum amicitiæ ex *num.* 196. ergo beatitudo formalis essentialitèr consistit in amore amicitiæ; non verò concupiscientiæ. *Probat. 1.* *Secundò.* Secundò: beatitudo consistit in perfectiori amore; sed hic est amor amicitiæ; quia convenit voluntati secundum affectionem iustitiæ; amor verò concupiscientiæ secundum affectionem commodi: ergo beatitudo formalis essentialitèr consistit in amore amicitiæ; non vero concupiscientiæ. *Tertiò.* Deinde: amor amicitiæ respicit bonum in se, & absolutè: ergo est perfectior amore concupiscientiæ, qui est per respectum ad alterum: ergo idem, quod priùs. *Quartò.* Denique: beatitudo formalis est assecutio beatitudinis obiectivæ; sed solus amor amicitiæ, & nullo modo amor concupiscientiæ, est assecutio obiecti beatifici: ergo in solo amore amicitiæ consistit formalis beatitudo. Probatur minor: solus amor amicitiæ tendit in Deum propter solam eius bonitatē; amor verò concupiscientiæ tendit in Deum, vt iam assecutum, scilicèt, vt iam amatum ex dictis *numer.* 196: ergo solus amor amicitiæ, & nullo modo amor concupiscientiæ, est assecutio obiecti beatifici. Consequentia patet: nam quod supponit obiectum assecutum, non est assecutio illius, vt est manifestum.

205 *Objicies 1.*

Obijcies primò Anselmum *de casu Diaboli, cap.* 12. dicentem: Appetitum beatitudinis pertinere ad appetitum commodi, seu concupiscientiæ: ergo beatitudo formalis essentialitèr consistit in amore concupiscientiæ. *Duplex solutio.* Respondeo primò: loqui de beatitudine extensiva. Respondeo secundò: loqui de beatitudine falsa, quæ solum est beatitudo ex intentione hominis, ordinantis eam ad se, vt est beatitudo avari, sibi cupientis diuitias; non verò loqui de beatitudine vera, & bona.

206 *Objicies 2.*

Obijcies secundò: beatitudo importat bonum perfectivum nostri: ergo debet poni in actu concupiscientiæ, seu in affectu commodi. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: beatitudo extensiva importat bonum perfectivum nostri, concedo antecedens; beatitudo intensiva, nego antecedens; quia hæc solum importat bonum in se; & distinguo similitèr consequens. *Dices.* Sed dices: beatitudo intensiva importat bonum perfectivum nostri: ergo ruit solutio. *Respondeo.* Probatur antecedens: beatitudo intensiva est bonum nostrum: ergo importat bonum perfectivum nostri. Respondeo distinguendo antecedens: beatitudo intensiva est bonum nostrum, & respicitur à beatitudine vt bonum nostrum, nego antecedens; vt bonum in se, concedo antecedens; & distinguo similitèr consequens.

207 *Dices iterū.*

Dices iterum: beatitudo intensiva est bonum nostrum, etsi à beatitudine respiciatur vt bonum in se: ergo in eo actu debet poni, qui magis fuerit perfectivus nostri. Atqui hic est amor concupiscientiæ: ergo beatitudo formalis essentialitèr consistit in amore concupiscientiæ. Probatur sussumpta: maior perfectio nostra est Deus dilectus, vt bonum nostrum, quam Deus dilectus, vt bonum ipsius Dei; sed amor concupiscientiæ tendit in Deum, vt bonum nostrum contra positivè ad amorem amicitiæ: ergo amor concupiscientiæ est magis perfectivus nostri. *Respondeo.* Respondeo ad replicam negando sussumptam, & ad probationem nego maiorem; quia illa est maior perfectio nostra, quæ immediatiùs nos Deo coniungit; sed

hoc non convenit amori concupiſcientiæ, qua tendit in Deum medio reſpectu creato, & convenit amori amicitiæ, tendenti in Deum, nullo mediante reſpectu creato: ergo amor amicitiæ eſt noſtra maior perfectio: nulla ergo eſt replica allata.

208 *Replicat vltimo Gonet.*

Replicat deniquè Gonet *num.* 98. Beatitudo formalis habet rationem præmij, & coronæ: ergo reſpicit Deũ, vt bonum noſtrum: ergo beatitudo formalis potiùs in amore concupiſcientiæ, quam in amore amicitiæ, collocanda eſt, dato, quod ad actum voluntatis pertineat. Hæc conſequentia claret ex eo, quod amor concupiſcientiæ, & non amor amicitiæ, reſpiciat Deum, vt bonum noſtrum. *Reſpondeo.* Reſpondeo conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ergo reſpicit Deum, vt bonum noſtrum primario, vel ſecundario, concedo conſequentiam; primario, nego conſequentiã. Solutio conſtat ex dictis *num.* 201. vbi ſatis efficacitèr convincitur, in amore amicitiæ, vtpotè, primario, debere collocari beatitudinem formalem, dato, quod ad voluntatem ſpectet.

209 *Retorqueo contra Gonet.*

Retorqueo etiam replicam contra Gonet: ideò beatitudo formalis reſpicit Deum, vt bonum noſtrum, quia habet rationem præmij, & coronæ: ergo dato, quod formalis beatitudo ad voluntatem ſpectet, potiùs in amore amicitiæ, quam concupiſcentiæ, collocanda eſt. Probatur conſequentia: beatitudo formalis parvulorum eſt vera beatitudo; ſed hæc potiùs in amore amicitiæ, quam concupiſcentiæ, collocanda eſt, dato, quod ad voluntatem ſpectet: ergo dato, quod formalis beatitudo ad voluntatem ſpectet, potiùs in amore amicitiæ, quam concupiſcentiæ, collocanda eſt. Probatur minor: beatitudo formalis parvulorum non reſpicit Deum, vt bonum noſtrum: ergo beatitudo formalis parvulorum potiùs in amore amicitiæ, quam concupiſcentiæ, collocanda eſt, dato, quod ad voluntatem ſpectet. Probatur antedens: ideò beatitudo formalis reſpicit Deum, vt bonum noſtrum, quia habet rationem præmij, & coronæ; atqui beatitudo formalis parvulorũ non habet rationem præmij, & coronæ: ergo beatitudo formalis parvulorum non reſpicit Deum, vt bonum noſtrum. Maior eſt Gonet. Minor eſt communis Theologorum aſſerentiũ: parvulis baptizatis, & ante vſum rationis morientibus, dari gloriam per modum hæreditatis, & non per modum præmij, & coronæ. Conſequentia eſt legitima.

VLTIMA DIFFICVLTAS.

An amor amicitiæ, in quo ſita eſt eſſentialitèr beatitudo formalis, ſit propriè fruitio.

210 *Vltima difficultas.*

NOTTO.

NOtto, quod fruitio eſt actus voluntatis, qui aſſequitur finem, in ipſoque ſuavitate, & delectatione quieſcit. Vndè in fruitione triplex munus reperitur, ſcilicèt, conſecutio finis, complacentia in adquiſitione illius, & in ipſo, vel circà ipſum delectatio. Quare fruitio dicitur, & eſt propriè reſpectu vltimi finis; nam illa re fruimur (vt ait Auguſt. 11. *de Civitat. Dei, cap.* 25.) quæ non eſt ad aliam referenda, & qua adepta, quieſcimus. Ratio ſumitur ex ſignificatione verbi *fruor*, quod dicitur à *fructu*; ſicut enim fructus eſt in arbore vltimum, & quietem affert, ſic frui eſt reſpectu vltimi finis, qui quietem affert. Si tamen aliquando frui creaturis dicatur, eſt impropria locutio, quia frui propriè eſt tantum reſpectu Dei. Hoc notato.

211 *Difficultas reſolvitur.*

Reſpondeo: *Amor amicitiæ, in quo ſita eſt eſſentialitèr beatitudo formalis eſt propriè fruitio.* Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 49. *q.* 5. §. *Ad quæſt.* Et probatur: fruitio eſt actus voluntatis circà finẽ, in quo quieſcit; ſed talis eſt amor amicitiæ in quo ſita eſt eſſentialitèr beatitudo formalis: ergo amor amicitiæ, in quo ſita eſt eſſentialitèr beatitudo formalis, eſt propriè fruitio.

Probatur.

212 *Dices.*

Dices: intellectus quieſcit in Deo, vt vltimo fine; ſed eius actus non eſt fruitio: ergo nec actus voluntatis. *Reſpondet.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: intellectus quieſcit in Deo, apprehendo illum ſine delectatione, concedo maiorẽ; cum delectatione, nego maiorem; concedo minorem, & nego conſequentiam; nam ad frui requiritur quies cum delectatione, quod non reperitur in intellectu; nam ſicut manus apprehendit cibum, & ſolus guſtus delectatur; ſic intellectus apprehendit Deum, & ſola voluntas delectatur.

)(§)(

DIS-

DISPVTATIO SEXTA.

Utrùm voluntas diligentis Deum necessario illum diligat, & in eo delectetur?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1 *1. præsuppositum.*

IN hac disputatione primò tanquam certum apud omnes supponendum est: duplicem esse libertatem. Vna dicitur quoad specificationem, seu contrarietatis. Altera quoad exercitium, seu contradictionis. Libertas quoad specificationem est, qua voluntas potest velle, & nolle obiectum. Dicitur *quoad specificationem, & contrarietatis*, quia est ad actus contrarios specie distinctos. Libertas quoad exercitium est, qua voluntas potest velle, & non velle. Vocatur *contradictionis*, quia est ad actum, & ommissionem actus, inter quæ datur contradictio. Oppositio modo philosophandum est de necessitate.

2 *Secundum.*

Secundò cum Ill. Godoy supponendum est, vt certum etiam apud omnes; de facto voluntatem beati à prædictis actibus nunquam cessaturam, sivè id proveniat ab intrinseco, sivè ab extrinseca providentia Dei. Constat hoc ex illis verbis Ioannis *cap.* 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et *cap.* 15. *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Et Isaiæ *cap.* 65. *Gaudebitis, & exultabitis vsquè in Sempiternum, in his, quæ ego creo.* Et Apocalip. *cap.* 21. *Non erit Amplius nequè luctus, nequè clamor, nec vllus dolor*: & alibe Sæpè. Et ratio est manifesta: voluntas namque non diligens Deum, nec delectationem ex ipso percipiens, absquè dubio foret imperfecta; at omnis privativa imperfectio iure optimo relegari debet ab statu omnium bonorum aggregatione perfecto, qualis est beatificus: ergo de facto nunquam voluntas beati à prædictis actibus est cessatura.

3 *Tertium.*

Tertiò ait Ill. Godoy *num.* 2. apud omnes Theologos est certum, de potentia absoluta posse voluntatē beati ab illius operationibus cessare, contra Ægidium *quodlibet.* 5. *quæst.* 6. Et Henricum *quodlibet.* 12. *quæst.* 15 qui, vt referunt Recentiores in præsenti, adeò necessarium censebant amorem amicitiæ in beatis, vt nulla potentia possent ab illo cessare. Id autem, in quo omnes conveniunt, suadetur: nam visio præcedit amorem, & ab illo realitèr distinguitur: ergo nulla est implicatio, vt Deus cum intellectu ad visionem concurrat, & concursum cum voluntate ad elicientiam amoris suspendat.

His itaquè præmissis, prima sententia affirmat: amorem beatorum esse necessarium, nedum quoad specificationem, ita, vt non possint odio habere Deum clarè visum; verum etiam quoad exercitium, ita, vt non possint ex natura rei à prædicto amore cessare. Sic Ill. Godoy *num.* 3. cum omnibus, quos citat pro secunda sententia.

4 *1. Sententia.* *Ill. Godoy.*

Secunda, & vera sententia docet: amorem beatorum non esse necessarium ab intrinseco, & ex natura rei, sed liberum, & contingentem, etsi ab extrinseca Dei providentia semper sit duraturus. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Negativa*, ℣. *Item quod dicit.* Et *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 6. §. *Hic duo sunt*, & §. *Dico ergo.* Et *quæst.* 10. §. *Respondeo ergo.* Et *in Report.* Scotum secuntur omnes Scotistæ. Eandemq; sententiam tuentur Nominales, & probabilem reputat Salas *quæst.* 4. *tract.* 2. *disp.* 7. *Sect.* 2. Et *quæst* 10. *tract.* 5. *disp.* 4. *Sect.* 3. Hanc opinionem non obscurè insinuat D. Thom 1. 2. *quæst.* 10. *artic.* 1. *in fine*, & *artic.* 2. Et *quæst.* 22. *de veritate*, *art.* 6 *propè finem corporis*, ex quo etiam nostram conclusionem probabimus.

5 *2. Sententia.* *Scotus.* *Scotistæ.* *Nominales.* *D. Thomas.*

Licèt autem omnes Scotistæ in

hac ſecunda ſententia conveniant, eſt tamen inter illos differentia. Aliqui enim defendunt: amorem in patria eſſe liberum, non ſolum quoad ſpecificationem, quia tenent, quod voluntas poteſt velle malum ſub ratione mali, & nolle bonum ſub ratione boni, conſequenterque ſubſtinent: libertatem quoad ſpecificationē eſſe intrinſecam voluntati, nonque ſumi ab obiecto. Alij tuentur: amorem in Patri eſſe neceſſarium quoad ſpecificationem; liberum tamen quoad exercitium, quibus magis adhæreo, & pro quo. Sit.

§. II.

Statuitur concluſio, & authoritate D. Auguſtini probatur primò.

6 *Concluſio.* CONcluſio: *Amor beatorum eſt liber libertate ſaltim contradictionis, vel quoad exercitium.* Hæc concluſio eſt contra Ill. Godoy *citat.* & probatur primò ex Magno Auguſtino *in Enchiridione cap.* 105. dicente: *Voluntas non eſt, ſi libera dicenda non eſt.* Et *lib.* 3. *de Libero Arbit. cap.* 3. dicente: *Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* Et 5. *de Trinitate,* vbi ait: *Si aliquod eſt voluntarium, non eſt neceſſarium.* Ommitto alia plurima loca D. Auguſtini, & Anſelmi *lib. de Libero Arbit. cap.* 7. aliorumque Patrum, & ſuſſummo: atqui amor beatorum eſt voluntarius: ergo non eſt neceſſarius: ergo eſt liber, libertate ſaltim contradictionis, ſeu quoad exercitium.

7 Hoc eſt argumentum, ad quod facilitèr, & optimè reſponderet Ill. Godoy, ſi nobiſcum, & cum Scoto in voluntate concederet libertatem eſſentialem, de qua diximus *tom.* 3. *in* 1. *ſent. diſput.* 74. compatibilem eſſe cum neceſsitate contrarietatis, & contradictionis; difficilitèr tamen libertate eſſentiali negata, ad argumentum reſpondere valet, vt videbitur. *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet itaquè *num.* 18. voluntatem ſemper eſſe liberam à neceſsitate coactionis, quia in ſuis actibus vim pati non poteſt; non autem ſemper eſſe liberam à neceſsitate naturalis inclinationis, & primo libertatis genere, ſcilicèt, à neceſsitate coactionis gaudet amor beatificus, cum quo tamen compatitur, quod ſit neceſſarius quoad ſpecificationem, & exercitium.

8 *Reijcitur* 1 Hæc tamen ſolutio reijcitur primò: Solutio hæc omninò voluntaria, & abſquè fundamento eſt: ergo nulla. Probatur antecedens. Hæc ſolutio non fundatur in Auguſtino: ergo voluntaria, & ſine fundamento eſt. Antecedens patet ex ſolutione. Conſequentia probatur: ſolutio ad argumentum, in verbis Auguſtini innixum, omninò voluntaria, & abſq; fundamento eſt, ſi in Auguſtino non fundatur; ſed hæc ſolutio eſt ad argumentum, in verbis Auguſtini innixum, & in Auguſtino non fundatur; non enim fundat, Auguſtinum loqui de libertate à neceſsitate coactionis oppoſita: ergo ſolutio Ill. God. omninò voluntaria, & ſine fundamento eſt.

9 *Secundò.* Reijcitur ſecundò: prædicta Illuſt. Godoy ſolutio multum ſolvit: ergo nihil. Conſequentia claret: nam ſi argumentum multum probans, nihil probat, ſolutio multum ſolvens, nihil ſolvit. Antecedens probatur: ſolutio, qua defendi poteſt, voluntatem creatam, tàm in patria, quàm in via, nec quoad ſpecificationem, nec quoad exercitium eſſe liberam, multum ſolvit; atqui prædicta Ill. Godoy ſolutione defendi poteſt, voluntatem creatam, tàm in patria, quàm in via, nec quoad ſpecificationē, nec quoad exercitium eſſe liberam: ergo prædicta ſolutio multum ſolvit. Probatur minor: prædicta Ill. Godoy ſolutio adhiberi poteſt omnibus D. Auguſtini, aliorumque Patrum authoritatibus, loquentibus de volūtate creata in via, ſicut ad ſuprà poſitas, de hac voluntate loquentes, adhibet Ill. Godoy: ergo prædicta illius ſolutione defendi poteſt, voluntatem creatam, tàm in patria, quàm in via, nec quoad ſpecificationem, nec quoad exercitium eſſe liberam. Conſequentia eſt legitima. Antecedens autem patet, ex eo, quod prædicta ſolutio eſt merè voluntaria.

10 *Tertiò.* Reijcitur tertiò: ſolutio Ill. God. eſt expræſsè contra mentem D. Auguſtinij: ergo eſt nulla. Probatur antecedens: D. Auguſt. loquitur de libertate à neceſsitate naturalis inclinationis oppoſita: ergo ſolutio prædicta eſt contra mentem D. Auguſt. Probatur antecedens: Auguſt. aſſerit:

vo-

voluntatem in patria gaudere libero arbitrio: ergo loquitur Augustinus de libertate, à necessitate naturalis inclinationis opposita. Consequentia est notoria: nam liberum arbitrium non dicitur per oppositionem ad necessitatem coactionis, sic enim solum dicitur *spontaneum*, sed per oppositionem ad necessitatē naturalis inclinationis, vt loquitur Ill. God. & vt verius nos loquimur, per oppositionem ad necessitatē saltim quoad exercitiū.

11 *Probatur anteced. ex D. Augustin.*

Antecedens autem clarissimè apparet ex verbis D. Augustini quæ sunt hæc: *Oportebat prius hominem sic fieri, vt benè velle posset, & malè; postea verò* (ideſt in beatitudine) *sic erit, vt malè velle non possit, neque ideò libero carebit arbitrio, multo quippè liberius erit arbitrium, quod omninò servire non poterit peccato; neque enim culpanda est voluntas; aut voluntas non est, si libera dicenda non est, quia beati esse sic volumus, vt esse miseri, non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Hæc Augustinus, & nihil clarius. Tum, pro probatione antecedentis per illa verba: *Neque ideò libero carebit arbitrio.* Tum, contra solutionem Ill. Godoy per eadem verba. Tum denique: quia per reliqua solum aufert à beato libertatem contrarietatis, vt est per se notum.

12 *Quartò.*

Reijcitur quartò: liberum impropriè tantum sumitur, vt opponitur coactioni: ergo Augustinus non loquitur de libertate voluntatis, vt opponitur coactioni: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens est certum apud omnes. Primò: quia oppositum propriè coactioni est spontaneum. Secundò: quia libertas, vt opponitur coactioni, non solum competit voluntati, sed omni vniversalitèr enti, agenti iuxa suam inclinationem; omne enim tale ens agit spontaneè, & non coactè. Tertiò: quia liberum propriè sumitur duntaxat, vt opponitur determinationi intrinsicè ad vnum. Prima consequentia, in qua potest esse difficultas, probatur: incredibile est, quod D. Augustinus, cæterique Patres, qui voluntati in patria libertatem adstruunt, loquantur semper impropriè; atqui liberum impropriè tantum sumitur, vt opponitur coactioni: ergo Augustinus non loquitur de libertate voluntatis, vt opponitur coactioni.

13 *Quintò.*

Reijcitur quintò: Augustin. cæterique Patres non semel, aut iterum, sed Sæpè absolutè affirmant: *Quod aut voluntas non est, aut libera dicenda est*; atqui ea, quæ patres non semel, aut iterum, sed Sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est, quod aut voluntas non est, aut libera propria libertate dicenda est. Sussummo nunc: atqui libertas coactioni opposita non est propriè libertas, & solum vt opponitur intrinsicæ determinationi ad vnum, est propriè libertas: ergo de hac, & non de illa, sunt Patres intelligendi: ergo ruit solutio Illust. Godoy. Hæc consequentia est legitima. Sussumpta vera, & patet *ex num. præcedenti.* Prima consequentia infertur ex præmissis. Ex his autem maior est indubitabilis. Minor est Ill. God. pluribus in locis, quod vt appareat, manifestum facio.

14 *Minorem esse doctrinā Ill. God. ex varijs illius locis ostenditur.*

Ill. enim Godoy vt *tom. 1. in 3. part. disput. 10.* defendat: Personam Christi esse verè, & propriè compositam, vtitur *num. 4.* eadem ad litteram minori. Item: vt *tom. citat. disput. 7.* defendat: quod Deus acceptavit satisfactionem Christi ex Iustitia stricta, & speciali, vtitur *numer. 5.* eadem minori, etsi alijs terminis. Item: vt *tom. 3. in 3. part. disp. 40.* defendat: humanitatem Christi habuisse concursum physicum instrumentalem in effectus miraculosos, vtitur *num. 19.* eadem minori, imò adhuc strictiori modo illam sumit pro maiori suæ probationis. Ommitto alia plurima, quia relata sunt plusquā sufficientia.

§. III.

Secundo probatur conclusio authoritate D. Thomæ.

15 *Probat. 2. ex D. Thom.*

PRobatur secundò conclusio ex D. Thoma *quæst. 22. de Veritate, propè finem corporis.* Vbi postquam distinxerat triplicem libertatem, & quantum ad actum penes velle, & non velle, & quantum ad obiectum in quantum potest velle hoc, & illud, & eius oppositum, & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, & malum, sic ait: *Quantum ad primum: Inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ respectu cuiuslibet obiecti*: ergo etiam in statu beatifico voluntas est libera quantum ad actum per indifferentiam contra-

dictionis ad velle, & non velle, non ſolum reſpectu obiecti creati, ſed etiam reſpectu bonitatis Diuinæ; & conſequentèr amor beatificus neceſſarius non erit quoad exercitium, quod aſſerit noſtra concluſio.

16 NOTA. *Ill. Godoy. pro ſolutione.*

Vt Ill. Godoy reſpondeat ad hoc argumentum ex D. Thoma deductum, ommiſſa aliquorum ſolutione, evidentèr contextui repugnante, notat ex Caietano *infrà quæſt.* 10. *art.* 2. hoc eſſe diſcrimen inter neceſsitatem quoad ſpecificationē, & quoad exercitium, quod prima eſt circa obiectum, & ex obiecto provenit; ſecunda autem, etſi voluntati circà obiectum conveniat, non ex obiecto provenit, ſed ex propria voluntatis natura, quę, quia libera, & naturalis eſt, aliquando vt libera, aliquando vt naturalis potentia operatur. Primum ei convenit circà obiectum cum indifferentia propoſitum; ſecundum verò circà obiectum propoſitum ſine indifferentia iudicij: & ratio diſcriminis eſt: nam obiectum non movet quoad exercitium, ſed ſolum quoad ſpecificationem, & idcircò neceſsitas quoad ſpecificationem provenit ex ipſo, ſecus verò neceſsitas quoad exercitiū. Deindè animadvertit ex D. Thoma *loco allegato*, libertatem dici per excluſionem neceſsitatis.

17 *Reſpond.* 1.

Ex quibus reſpondet primò: quod quando D. Thomas aſſerit, quod voluntati ineſt libertas in quolibet ſtatu naturæ quoad exercitium, ſic debet intelligi: quod ineſt libertas exercitij per excluſionem neceſsitatis quoad exercitium provenientis ex obiecto, non tamen per excluſionem neceſsitatis ei convenientis ex ſe comparatione facta ad obiectum.

18

Hæc tamen ſolutio diſplicere debet omnibus illis Thomiſtis, qui cum ſuo Angelico Doctore ſentiunt, neceſsitatem quoad exercitium ab obiecto etiam provenire, eo, quod dicant, quod voluntas ſuaptè natura eſt ita ſummè inclinata in obiectum beatificum, vt quando tendit in illud clarè viſum, tanto impetu complacentiæ in illud rapitur, quod omnem libertatem amittat, tàm ſpecificationis, quàm exercitij. Vndè littigium eſt inter illos circà ſolutionem argumenti prædicti, quia in explicando D. Thomam diſconveniunt. Littigent ergo Thomiſtæ de mente Div. Thomæ exponenda, quia nobis ſolū incumbit, ſolutionem Ill. God. quæ plurima falſa includit, impugnare.

19 *Impugn.* 1.

Impugnatur primò: voluntas nequit agere naturalitèr, & liberè: ergo voluntas nequit aliquando vt libera, & aliquando vt naturalis operari: ergo ruit ſuppoſitum Ill. God. & conſequentèr ſolutio in ſupoſitione fundata. Probatur antecedens: principium actibum dividitur in liberum, & naturale, tanquam per differentias eſſentiales; atqui duæ differentiæ eſſentiales nequeunt eidem principio convenire; neque earum actus: ergo voluntas nequit agere naturalitèr, & liberè. Conſequentia eſt legitima. Minor patet in omnibus differentijs eſſentialibus, & claritatis gratia, in rationalitate, & irrationalitate, quæ quia eſſentiales ſunt, neque ipſæ, neque earum actus, convenire poſſunt eidem ſubiecto. Maior eſt diviſio, quam fecit Philoſophus 2. *Phiſicorum textu* 48. quod nihil certius in noſtra opinione.

20 *Secundò.*

Impugnatur ſecundo: libertas quoad exercitium, conveniens voluntati inquolibet ſtatu naturæ, vt ait D. Thomas, ineſt illi per excluſionem neceſsitatis, ei convenientis ex ſe comparatione facta ad obiectū: ergo ruit ſolutio. Antecedens vltrà hoc, quod à D. Thoma videtur inſinuari per illa verba: *Reſpectu cuiuslibet obiecti*, probatur: libertas quoad exercitium, conveniens voluntati in quolibet ſtatu naturæ, ineſt ipſi ex ſe, & ab intrinſeco: ergo & per excluſionem neceſsitatis, ei convènientis ex ſe comparatione facta ad obiectum. Probatur antecedens: voluntati ineſt ex ſe, & ab intrinſeco aliqua libertas; ſed nulla potiùs, quam libertas quoad exercitium, conveniens voluntati in quolibet ſtatu naturæ: ergo libertas quoad exercitium, conveniens voluntati in quolibet ſtatu naturæ, ineſt ipſi ex ſe, & ab intrinſeco. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem ex ſe notoria videtur, alioquin voluntas non eſſet membrum dividens principium activum, quod eſt contra Ariſtot. *citat. num. anteced.*

21 *Tertiò.*

Impugnatur tertiò: hæc ſolutio Ill. Godoy ſibi implicat: ergo nulla eſt. Probatur antecedens: ſolutio eſt, quod voluntati ineſt libertas in quolibet ſtatu naturæ quoad exercitium

per

per exclusionem necessitatis quoad exercitium provenientis ex obiecto; sed hæc solutio implicat cum suppositione, quam pro ipsa facit Ill. God. ergo solutio illius sibi implicat. Probatur minor: hæc solutio supponit, dari necessitatem quoad exercitium provenientem ex obiecto; sed nulla est necessitas quoad exercitium proveniens ex obiecto, vt supponit Ill. Godoy: ergo solutio implicat cum suppositione. Consequentia est legitima. Maior se ipsa apparet. Minor autem est id ipsum, quod suponit Ill. God. in illis verbis: *Necessitas quoad specificationem provenit ex obiecto; secus verò necessitas quoad exercitium.*

22 *Quartò.* Et ex hoc impugnatur quartò: voluntati inest iuxtà Div. Thomam aliqua libertas in quolibet statu naturæ respectu cuiuslibet obiecti; sed talis libertas non est libertas exercitij per exclusionem necessitatis quoad exercitium provenientis ex obiecto: ergo est libertas exercitij per exclusionem necessitatis, voluntati convenientis ex se, comparatione facta ad quodlibet obiectum: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Vtraque consequentia infertur. Maior est Div. Thomæ. Probatur minor: libertas exercitij per exclusionem necessitatis quoad exercitium, provenientis ex obiecto, non datur: ergo libertas, quæ ex D. Thoma inest voluntati, non est libertas exercitij per exclusionem necessitatis quoad exercitium provenientis ex obiecto. Probatur antecedens: libertas iuxtà Ill. Godoy, cuius verba transcripsimus *n.* 16. dicitur per exclusionem necessitatis; sed iuxta ipsum non datur necessitas exercitij proveniens ex obiecto: ergo libertas exercitij per exclusionem necessitatis quoad exercitium, provenientis ex obiecto non datur. Consequentia patet: quia semel, quod libertas dicatur per exclusionem necessitatis, tot tantum modis erit libertas, quod erit necessitas.

23 *Quintò.* Impugnatur quintò: propositio obiecti sine indifferentia iudicij, non infert in voluntate necessitatē quoad exercitium: ergo ruit, quod pro solutione notat Ill. Godoy, & consequentèr illius solutio. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem patet: nam quod supponit pro solutione, est, quod agere naturaliter voluntati convenit circà obiectum propositum sine indifferentia iudicij, & hoc est, quod apud ipsum tollit à voluntate libertatem quoad exercitium. Antecedens autem, in quo stat tota contra Ill. God. difficultas, probatur primò: posita determinatione in intellectu, stat libertas in voluntate: ergo propositio obiecti sine indifferentia iudicij, non infert in voluntate necessitatem quoad exercitium. Probatur antecedens: posita determinatione in intellectu Divino, stat libertas in Divina voluntate: ergo posita determinatione in intellectu, stat libertas in voluntate. Antecedens est certum; nam Divinus intellectus non proponit cum indifferentia; alioquin esset imperfectus. Consequentia certa videtur.

Antecedens probat. 1.

24 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: intellectum Divinum ob suam perfectionē, non posse proponere cum indifferentia. Optimè. Inferò: ergo libertas voluntatis non est ab indifferentia intellectus. Probatur consequentia: Divinus intellectus ob suam perfectionem nequit proponere cum indifferentia; atqui hoc non obstante, Divina voluntas est libera: ergo libertas voluntatis non est ab indifferentia intellectus. Item infero: ergo intellectus humanus ob suam imperfectionem proponit cum indifferentia: ergo indifferentia intellectus non est voluntatis libertas. Probatur hæc consequentia: voluntatis libertas est perfectior indifferentia intellectus, vtpotè, hæc (quia imperfectio) repugnat intellectui Divino, & illa (quia perfectio simpliciter simplex) Divinæ convenit voluntati; atqui repugnat, quod perfectior libertas sit effectus imperfectioris libertatis: ergo indifferentia intellectus non est voluntatis libertas. Probatur minor: quia Indifferentia intellectus, vel est causa vnivoca, vel equivoca? Si prima, adæquat effectum in perfectione. Si secunda, excedit, vel saltim adæquat in perfectione: ergo repugnat, quod perfectior libertas sit effectus imperfectioris libertatis.

Contra 1.

Contra 2.

25 *Probat. 2. antecedens, & impugn. 6.* Probatur secundò idem antecedens, & impugnatur sexto: Indifferentia iudicij non infert in voluntate libertatem quoad exercitium: ergo propositio obiecti sine indifferentia iudicij, non infert in voluntate ne-

ceſsitatem quoad exercitium. Probatur antecedens: Concilium Trident. *Seſſ. 6. cap. 5. & Canone 4.* diffinit contra Hæreticos Calviniſtas, Lutheranos, Janſeniſtas, efficatiam gratiæ non tollere à voluntate libertatem; ſed non ob indifferentiam iudicij: ergo indifferentia iudicij non infert in voluntate libertatem quoad exercitium. Probatur minor: Concilium ibi non memorat indifferentiam iudicij; ſed ſolum mentionem facit de indifferentia voluntatis, ratione cuius, ait Concilium, nos poſſe Divinæ gratiæ reſiſtere: ergo non ob indifferentiam iudicij definit Concilium, efficatiam gratiæ non tollere à voluntate libertatem. *Confirmat.* Confirmatur primò: ſi indifferentia iudicij eſſet radix libertatis vana eſſet Catholicorum diſputatio cum Hæreticis libertatem negantibus: ergo. Probatur antecedens primò: nam etiam ipſi Hæretici concedunt, per gratiæ efficatiam non tolli indifferentiam iudicij: ergo vana eſſet diſputatio Catholicorum cum Hæreticis libertatem negantibus, ſi indifferentia iudicij eſſet radix libertatis. Secundò: nam quando Catholici arguerent Hæreticos, poſſent hæretici reſpondere, voluntatem liberam manere, quia manebat indifferentia iudicij: ergo idem quod anteà.

26 *Impugn. 7.* Probatur tertiò dictum antecedens, & impugnatur ſeptimo: indifferentia iudicij non eſt radix libertatis quoad exercitium: ergo propoſitio obiecti ſine indifferentia iudicij non infert in voluntate neceſsitatē quoad exercitium. Probatur antecedens: ſi indifferentia iudicij eſſet ratio libertatis, nunquam eſſet indifferentia iudicij ſine libertatis vſu, ſed poteſt eſſe: ergo indifferentia iudicij non eſt radix libertatis quoad exercitium. Maior patet: nam quia rationalitas eſt radix riſsibilitatis, nunquam poteſt eſſe rationalitas ſine riſsibilitate. Probatur minor: iudicium rationis, & electio voluntatis ſunt duo actus diſtincti; ſed hoc ipſo poteſt Deus influere cum intellectu in actum iudicij ſuſpendendo influxum in actum electivū voluntatis: ergo indifferentia iudicij poteſt eſſe ſine libertatis vſu. Conſequentia eſt legitima. Præmiſſæ ſunt ipſius Ill. God. *numer.* 2. cuius verba nos retulimus *num.* 3.

Probatur quartò ſuprà poſitum antecedens, & impugnatur octavò ſolutio Ill. Godoy: determinatio iudicij non radicat determinationem voluntatis: ergo propoſitio obiecti ſine indifferentia iudicij, non infert in voluntate neceſsitatē quoad exercitium. Probatur antecedens: id dicitur radix alicuius, quo poſito, nunquam poteſt poni oppoſitum radicaliter radici; ſed ſtante determinatione iudicij, poteſt voluntas aliquando ponere oppoſitum determinationi iudicij: ergo determinatio iudicij non radicat determinationem voluntatis. Maior eſt certa, & explicari valet in quacumque radice, claritatis autem gratia, explicatur in rationalitate: nam quia hæc eſt radix riſsibilitatis, nunquam poteſt cum rationalitate poni inhibilitas, riſsibilitati oppoſita. Minor patet: nam ſaltim in via poſsita determinatione iudicij poteſt voluntas ommittere actum: ergo ſaltem huius libertatis non eſt radix determinatio iudicij. Conſequentia eſt legitima. 27 *Octavò.*

Probatur quintò antecedens prędictum, & impugnatur nono ſolutio Ill. Godoy: indifferentia iudicij non eſt radix noſtræ libertatis: ergo propoſitio obiecti ſine indifferentia iudicij, non infert in voluntate neceſsitatem quoad exercitium. Probatur antecedens: concurſus Dei generalis indifferens, & paratus ad vtrumlibet, non eſt radix noſtræ libertatis: ergo indifferentia iudicij non eſt radix noſtræ libertatis. Antecedens eſt generalis omnium ſententia: nullus namquè hucuſquè dixit: radicem noſtræ libertatis eſſe indifferentiam concurſus generalis Dei. Conſequentia verò probatur: concurſus generalis Dei indifferens, & paratus ad vtrūlibet, non minus, quin potiùs magis, requiritur ad liberè agendum, quam indifferentia iudicij; atqui iuxtà conceſſa concurſus Dei generalis indifferens, & paratus ad vtrumlibet, non eſt radix noſtræ libertatis: ergo nec indifferentia iudicij. Probatur maior: cum indifferentia concurſus generalis Dei, non eſt compoſsibilis neceſsitas actionis, vel ſuſpenſionis eius, ſi cætera requiſita adſint; atqui cum indifferentia iudicij eſt compoſsibilis neceſsitas actionis, & non ſuſpenſionis eius: ergo concurſus generalis 28 *Nono.*

Dei

Dei indifferens,& paratus ad vtrumlibet, non minus, quin potiùs magis, requiritur ad libere agendum, quam indifferentia iudicij. Maior est indubitata.

29 *Prob. min. quoad 1.p.*

Probatur minor quoad primam partem: posito iudicio indifferenti de amore, vel odio alicuius obiecti, potest Deus præstare concursum ad amorem, denegato concursu ad odium; sed in hoc casu voluntas necessitabitur quoad specificationem: ergo cum indifferentia iudicij est compossibilis necessitas actionis. Cõsequentia est legitima. Minor certa, quia in tali casu voluntas necessario amabit. Probatur maior: Deus non cogitur à iudicio indifferenti, vt præitet concursum indifferentem ad vtrumque paratum, vt est manifestum: ergo posito iudicio indifferenti de amore, vel odio alicuius obiecti, potest Deus præstare concursum ad amorem, denegato concursu ad odium. Probatur quoad secundam partem: posito tali iudicio indifferenti, & concursu Dei ad amorem, potest Deus continuare talem concursum; sed in hoc casu voluntas non posset desistere ab actu amoris: ergo cum indifferentia iudicij est compossibilis necessitas non suspensionis actus. Consequentia apparet,& præmissę constant ex probatione quo ad primam partem.

Probatur quoad 2.

30 *Decimò.*

Probatur sextò idem antecedens, & vltimo impugnatur solutio Illust. Godoy: libertas voluntatis non radicatur suprà indifferentiam iudicij: ergo propositio obiecti sine indifferentia iudicij, non infert in voluntate necessitatem quoad exercitium. Antecedens probatur: indifferentia libertatis non radicatur suprà indifferentiam iudicij: ergo libertas voluntatis non radicatur suprà indifferentiam iudicij. Probatur antecedens: indifferentia libertatis est modus, vel differentia voluntatis, ipsam distinguens à potentia naturali; sed modus, & differentia cuiuscumque rei non dimanat ab alio distincto à re; sed ab ipsa re: ergo indifferentia libertatis non radicatur suprà indifferentiam iudicij. Præmissæ sunt certæ. Consequentia patet: quia indifferentia iudicij est quid distinctum à voluntate.

31 Alia responsio ad authoritatem D. Thomæ traditur ab Ill. Godoy *numer.* 17. dicendo: in beatis duplicem esse cognitionem. Alteram visionis beatificæ; alteram per scientiam infusam, quarum vtraque regulare potest amorem amicitiæ, cum hoc tamen discrimine: quod prout regulatus per visionem beatificam, est necessarius; prout verò regulatus per scientia infusam, est liber: salvatur ergo vniversalis propositio D. Thomæ, quod, scilicèt, est libera voluntas libertate exercitij in quolibet statu respectu cuiuscumque obiecti, vt propositi per aliquam cognitionem, non tamen prout per omnem cognitionem proponitur; prout sic namq; necessarium esse amorem beatificũ, quatenus regulatum per visionem claram, satis apertè insinuat Div. Thomas loco in argumento allegato *artic. præced.* vbi multotiès repetit voluntatem aliquando operari, vt naturam, aliquando verò, vt liberam; quod si aliquando primo modo operatur, nunquam aptiùs,quam circà bonum infinitum per claram cognitionem propositum.

Alia responsio ad authorit. D. Thomæ.

32 Hæc solutio (inquit Ill. Godoy *numer. citat.*) non conguit his, quæ docuit *tom. 3. in 3. part. disput. 48. numer. 91.* vbi hanc solutionem reiecit. Vndè à nobis reijcienda non est; sed vt falsa supposita, ad secundam solutionem illius progredi debemus.

Responsio non placet Ill. Godoy.

33 Respondet itaquè secundò Ill. Godoy dicto *numer. 17. propè finem*, asserendo: D. Thomam accipiendum esse de libertate respectu cuiuslibet obiecti, non sub omni consideratione; sed sub aliqua. Sic autem amor beatificus liber est in ordine ad Deũ, vt explicuit *tom. & disput. citat. numer. 94.* Quod autem ibi docuit Ill. Godoy, impugnatum manet à nobis *tom. 3. in 3. sentent. disput. 48. à numer. 65. vsquè ad numer. 83.* Quibus superabundantèr manet illius solutio impugnata, quin aliquid de nobo hic sit additione dignum, nec necessarium.

Respond. 2. Ill. Godoy.

Impugnat.

§. IV.

Rationibus probatur conclusio.

34 PRobatur tertiò conclusio: voluntas viatoris est libera libertate exercitij in amore Dei: ergo etiam voluntas beati. Antecedens est certũ.

Probat. 3. concluſ.

Con-

Consequentia verò probatur: nam viatori proponitur obiectum diligendum per fidem, tanquam summum bonum, & hoc non obstante, amor regulatus est liber: ergo etiam si in patria proponatur, tanquam summum bonum per visinem beatificam, actus amoris per illam regulatus est liber.

35 *Respondet Ill. Godoy.*

Ill. Godoy relicta quadam Vasquij solutione, respondet *infr. num.* 20. concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam etsi vtrumque lumen Deum, vt summum bonum, repræsentet, alterum tamen clarè, & alterum obscurè tale bonum proponit. Vndè sicut intellectus cõvincitur ab infinito vero, clarè repræsentato in patria, non autem ab illo sub obscura revelatione proposito; ita voluntas ad infinitum bonum clarè propositum necessario propendit, secus autem ad illud obscurè propositum per fidem. Est etiam aliud discrimen: nam in exercitio amoris in via, fastidium, & fatigationem agnoscit, secus in amore beatifico.

36 *Reijcitur solutio, & discrimẽ* 1.

Primum discrimen ab Ill. Godoy assignatum reijcitur: quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, non tollit à voluntate libertatem exercitij: ergo nullum est discrimen. Probatur antecedens primò: quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, est, Deum proponi sine indifferentia iudicij; sed quod Deus proponatur sine indifferentia iudicij, non tollit à voluntate libertatem exercitij, vt probatum manet *à num.* 25 *vsquè ad* 31: ergo quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, non tollit à voluntate libertatem exercitij. *Probatur anteced.* 1.

Probatur secundò: visio beata, Deum in patria clarè proponens, non mutat intrinsecam essentiam voluntatis creatæ: ergo idem, quod anteà. Consequentia claret: nam libertas exercitij est de intrinseca essentia voluntatis creatæ, vt ex D. August. & D. Thom. diximus *num.* 6. & 15. *Secundò.*

37 *Tertiò.*

Probatur tertiò idem antecedens: quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, non infert, quod voluntas creata sit necessario propensa in illum; sed summè in illũ propensa, quod non tollit à voluntate libertatem exercitij; nam suma in obiectum propensio non est propensio necessaria in illum: ergo idem, quod priùs. Probatur maior: Deus in patria, vt summum bonum, clarè visum, est obiectum voluntatis creatæ; sed voluntas creata est libera libertate exercitij respectu cuiuslibet obiecti, vt cum D. Thoma dictum manet *num.* 15: ergo quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, non infert, quod voluntas creata sit necessario propensa in illum.

38 *Quartò.*

Probatur quartò ad hominem contra Ill. Godoy: quod Deus in patria, vt summum bonum clarè visum, sit obiectum voluntatis creatæ, solum tollit à voluntate libertatem quoad specificationem; sed quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, nihil aliud est, quã quod Deus in patria, vt summum bonum clarè visum, sit obiectum voluntatis creatæ: ergo quod Deus in patria, vt summum bonum, clarè proponatur, non tollit à voluntate libertatem exercitij. Probatur maior: sola libertas, quæ ab obiecto dependet, potest tolli ab obiecto; atqui sola libertas quoad specificationem dependet ab obiecto: ergo quod Deus in patria, vt summum bonum clarè visum, sit obiectum voluntatis creatæ, solum tollit à voluntate libertatem quoad specificationem. Maior, & consequentia sunt certæ. Minor autem est Ill. Godoy *num.* 16. cuius verba transcripsimus *numer. etiam* 16.

39 *Exemplum vim nõ habet.*

Ex his clarissimè apparet: exemplum de intellectu ab Ill. Godoy traditum, nullam habere vim. Primò: quia de intellectu ad voluntatem nequit fieri comparatio in modo operandi, cum modus operandi intellectus sit ex diametro oppositus modo operandi voluntatis. Secundò: quia in eo, quod intellectus convincatur ab infinito vero, clarè in patria repræsentato, non mutat modum intrinsecum, & proprium illius in operando; quod erat necessarium in voluntate, si ab obiecto, clarè in patria proposito, necessitaretur quoad exercitiũ. Tertiò: quia vt paritas aliquomodo teneat, sufficit, quod voluntas libera in via libertate quoad spe-

cificationem in ordine ad amandum summum bonum, sit in patria, vbi clarè proponitur, necessitata ad illius amorem, necessitate quoad specificationem, quæ necessitas tantum provenit ab obiecto; non verò requiritur, vt sit necessitata quoad exercitium, de quo est dubium in præsenti.

40 *2. discrimē Ill. Godoy. falsum supponit.*

Secundum discrimen adductum ab Ill. Godoy in solutione supponit falsum, scilicèt, quod omissio indigeat aliquo motivo, cuius falsitas apparet ex eo, quoad omissionem sufficit sola voluntatis intrinseca libertas. Et ratio est: nam hæc est differentia inter actum, & eius omissionem, quod actus est ordo, vel includit ordinem ad obiectum, ab eoque specificatur, ideòque illud respicit tanquam motivum; at omissio est carentia ordinis ad motivum, ideoque nullum postulat, si omissio est pura. Vndè licèt in exercitio amoris in via sit motivum ad illius omissionem, nempè, fastidium, & fatigatio, hoc non convincit, quod sine tali motivo non posset esse omissio; quarè etsi tale motivum deficiat in amore beatifico, non ob hoc erit impotens beatus ad omissionem illius.

41 *Probat. 4. concluſ.*

Probatur quartò conclusio: necessitas agendi debet provenire ex aliquo intrinseco principio activo: ex eodem namq; provenit, quod agens agat necessario, ex quo provenit, quod agat; at quod intellectus videat clarè obiectum in patria, quod in via obscurè cognoscebat, nihil intrinsecum ponit in principio intrinseco activo amoris, sed eodem modo manet immutata intrinsicè voluntas, ac erat in via: ergo si in via liberè diligit, eadem libertate debet in patria gaudere.

42 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *numer.* 11. concessa maiori distinguendo minorem: nihil intrinsecum ponit in voluntate effectivè, & realitèr distinctum à perfectione, quam anteà gaudebat, concedit minorem; distinctū distinctione rationis, occasionalitèr, vel obiectivè, negat minorem, & consequentiam. Itaquè tàm in voluntate, quàm in Charitate viatoris est duplex conceptus, & naturæ, & libertatis: primum exercet respectu obiecti infiniti clarè propositi: secundum respectu boni creati, & etiam respectu increati propositi obscurè, mutata tamen propositione, mutatur voluntas Charitate affecta in ratione operantis, non quidem mutatione reali, cum operetur ratione eiusdem formæ; benè tamen mutatione quo ad formalitatem in ratione operantis; quia quæ anteà operabatur sub conceptu liberæ, modo operatur sub conceptu naturæ; sicuti ex diversa propositione, cui assentitur intellectus; provenit, quod operetur quatenus discursivus, si conclusio sit, aut sine discursu, si propositio immediata est.

Confirmat. exemplo.

43 *Refutat. 1.*

Hæc solutio impugnata manet per ea, quæ diximus *num.* 36. & 37. & ad hominem contra Ill. Godoy per à nobis dicta *num.* 38. Vltrà quod refutatur primò: necessitas agendi debet provenire ex aliquo intrinseco principio activo iuxta Ill. Godoy; sed quod intellectus in patria Deum clarè videat, nihil intrinsecum ponit in principio intrinseco activo voluntatis: ergo manet libera, vt in via, & consequentèr nulla est solutio. Probatur minor: id, quod ponit, est quid rationis, occasionalitèr, vel obiectivè; atqui hoc non est quid intrinsecum voluntati, vt de se apparet, & si est aliquid intrinsecum, illud assignet Ill. Godoy: ergo quod intellectus in patria Deum clarè videat, nihil intrinsecum ponit in principio intrinseco activo voluntatis.

44 *Secundò.*

Refutatur secundò: quod intellectus in patria Deum clarè videat, non mutat voluntatem quoad formalitatem in ratione operantis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod intellectus in patria Deum clarè videat, non mutat verè, & realitèr intrinsecam essentiam voluntatis; sed de intrinseca essentia voluntatis quo ad formalitatem in ratione operantis est, quod sub conceptu liberæ operetur: ergo quod intellectus in patria Deum clarè videat, non mutat voluntatem quoad formalitatem in ratione operantis. Consequentia est legitima. Maior conceditur ab Ill. Godoy, & est omnibus manifesta. Minor verò, in qua potest esse difficultas, est D. Augustini, & D. Thomæ, vt diximus *num.* 6. & 15. probataque manet *num.* 19. vbi ostendimus, quod agere naturalitèr, & liberè nequeunt eidem convenire principio. Et ex hoc

Exemplum non eſt ad rem.

patet: exemplum non eſſe ad rem; nam operari, quatenus diſcurſivum, & ſine diſcurſu, non ſunt differentiæ eſſentiales principij operativi; ſed merè accidentales reſpectu intellectus, vt fateri debet Ill. God.

45 *Probat. 5. concluſ.*

Probatur quintò concluſio: diverſitas approximationis paſsi ad agens, non inducit neceſsitatem, ſed ſolum maiorem intenſionem actionis, vt patet in diverſa approximatione calefactibilium ad calefactivum; at diverſitas obiecti penes viſum, & non viſum, ſolum eſt penes diverſam approximationē paſsi, ſcilicèt, obiecti amandi, applicati in via per obſcuram fidei cognitionem, in patria autem per viſionem claram: ergo non inducit neceſsitatem, ſed ſolum maiorem intenſionem, & conſequentèr, ſi in via libertate gaudet voluntas in amore Divino, etiam in patria libertate gaudebit.

46 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *numer.* 22. veram eſſe maiorem, quando in operante ſolum invenitur vnus modus agendi; ſecus verò quando diverſus modus agendi invenitur in illo, tunc enim ex approximatione diverſa poteſt naſci neceſsitas; in voluntate autem duplex modus agendi invenitur. Vel ſecundo reſponderi poteſt, omiſſa maiori, negando minorem: nam viſio clara non ſolum approximat idem obiectum, ſed ob ſui claritatem adeò intellectum convincit de ſumma Dei bonitate, vt nec in illo aliquam rationem mali poſsit invenire, nec in illius amore aliquam rationem faſtidij: per fidem autem non ita convincitur; & idcircò, etſi idemmet bonum proponatur ab vtroque lumine, ab vno poteſt voluntas neceſsitari, non autem ab alio.

Secundò.

47 *Solutiones refutatæ manent.*

Vtraque hæc duplex ſolutio Ill. Godoy impugnata ex dictis manet. Prima namquè per dicta *num.* 6. 15. & 19. Secunda verò per dicta *numer.* 40. Nequè in hoc ampliùs eſt immorandum, quia moleſtum erit, dicta repetere.

48 *Probatur deniq; concluſio.*

Probatur deniquè concluſio: ſi voluntas, poſsita viſione, neceſsitaretur ad amorem, vel neceſsitaretur à ſe ipſa, vel ab habitu, vel à viſione, vel ab obiecto? Non à ſe ipſa; alioquin voluntas non eſſet libera. Non ab habitu; quia habitus inclinat; non neceſsitat. Non à viſione. Primò: quia viſio non operatur in voluntate. Secundò: quia licèt poſsita viſione non ſtet indifferentia iudicij, ſine tali indifferentia ſtat voluntatis libertas, vt demonſtratum eſt *à num.* 25. *vſquè ad* 31. Non deniquè ab obiecto: quia libertas quoad exercitiū non provenit ex obiecto, ſed ex propria voluntis natura, vt apud nos eſt evidens, & fatetur Ill. Godoy *num.* 16.

§. V.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

49 *Arguit. 1.*

ARguit primò Ill. God. *n.* 4. videns Deum non poteſt à viſione ceſſare; at viſione poſita, non poteſt odio habere Deum, vel ab illius amore deſiſtere: ergo amor beatificus eſt neceſſarius vtraque neceſsitate, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. Diſcurſus tenet. Præmiſſæ autem ſuadentur, & in primis maior: nam quod ceſſet viſio, vel provenit ex defectu potentiæ, vel ex defectu luminis gloriæ, vel quia voluntas vellet, ab illa deſiſtere; primum, & ſecundum non ſunt in poteſtate voluntatis noſtræ: Tertium eſt impoſsibile; quia nemo poteſt velle, non eſſe fœlicem; & conſequentèr nemo poteſt velle, à viſione ceſſare, in quo conſiſtit noſtra fœlicitas: ergo quod videns Deum à viſione deſiſtat, non ſubeſt poteſtati voluntatis creatæ.

50 *Probat minorem.*

Deindè probat minorem: nam viſione clara Divinæ Eſſentiæ ſuppoſita, non poteſt ex parte Dei viſi aliqua ratio mali apparere; cum per viſionem claram Deus repræſentetur, vt ſummum bonum clarè, & evidentèr cognitum, nec in illius amore aliqua ratio faſtidij, vel in ceſſatione ab illo aliqua ratio boni poteſt repræſentari: ergo perſeverante viſione beatifica, nequit voluntas beati odio habere Deum, in quo conſiſtit neceſsitas quoad ſpecificationē; nec ceſſare ab amore, in quo conſiſtit neceſsitas amoris quoad exercitium. Patet hæc conſequentia: nam voluntas non poteſt odio habere aliquid, niſi apprehenſum ſub ratione mali, nec poteſt velle, ab amore deſiſtere, niſi vel ratione faſtidij, quod in exercitio illius concipit, vel ratione bonitatis conceptæ in ceſſatione ab illo: ergo ſi videns Deum, nec poteſt in obiecto viſo aliquam ratio-

nem mali invenire, nec in amore fastidium, nec in cessatione ab illo aliquam bonitatem, nec poterit odio habere Deum, nec ab illius amore velle desistere.

51 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentũ ommissa maiori, negando minorem, ad cuius probationẽ nego antecedens quoad vltimam partem illius, scilicèt, quod in cessatione ab amore non potest repræsentari aliqua ratio boni; nam potest proponi cessatio ab amore, vt exercitium libertatis, quod est bonum ipsius. Deindè: posset quis putare: amorem Dei esse sibi incommodum, quod sufficeret, vt stante clara Dei visione, posset voluntas ab amore Dei cessare.

52 *Respond. 2.* Respondeo secundò ommisso antecedenti probationis, negando consequentiam quoad secundam partẽ, ad cuius probationem, ommitto antecedens, & consequens, & nihil contra nos, quia non probat consequentiam, quod sic ostendo: nam consequentia, quam Ill. Godoy probat, est hæc: *Perseverante visione beatifica, nequit voluntas cessare ab amore*, & pro illius probatione deducit hanc consequentiam: *Non poterit ab illius amore velle desistere*; atqui hoc non est probare consequentiam: ergo illam non probat. Probatur minor: *Non posse ab illius amore velle desistere*, quod est probatio consequentiæ, diversum est ab hoc, quod est, *non posse cessare ab amore*, quod est consequentia probanda: ergo non probat consequentiã. Probatur antecedens: *Non posse ab illius amore velle desistere*, includit necessario aliquem actum; atamen *non posse cessare ab amore*, non includit necessario actum; potest enim fieri per puram ommissionem; atqui hæc sunt diversa: ergo *non posse ab illius amore velle desistere*, diversum est ab hoc: *non posse cessare ab amore*. Patet hoc ex eo, quod consequentia probanda est de cessatione ab amore, quæ fieri potest per actum, & ommissionem; probatio autem procedit de cessatione per actum facienda, vt ex vtraque constat.

53 *Firmatur solutio.* Quare hoc argumento vnicè probat Ill. Godoy, quod perseverante visione beata, nequeat voluntas cessare ab amore per actum positivum, quo velit ab illo desistere, quia in tali cessatione nullam rationem boni apprehendit, quod gratis concedimus in hac solutione, negatum enim habemus in prima solutione, quod in cessatione ab amore non appareat aliqua ratio boni. Cæterum minimè probat, quod per puram ommissionem non possit voluntas, visione perseverante, cessare ab amore; cum ad hanc nullus requiratur actus, & consequentèr nec quod appareat ratio boni.

54 *Firmatur amplius.* Hæc est Scoti, & nostra doctrina, quæ satis declarata manet *num.* 40. & vltrà firmatur: nam libertas exercitij totalitèr se tenet ex parte principij operantis, & attenditur ex parte potentiæ, præscindendo ab eo, quod obiectum sit bonum, vel malum; vndè ad libertatem quoad exercitium, non est necessarium, quod in obiecto, aut in exercitio actus appareat aliqua ratio mali, aut defectus boni; cum possit voluntas pro sua libertate cessare ab exercitio actus circà quodcumque obiectum, etiam si nulla ratio mali reperiatur in obiecto, nulla ratio fastidij in amore, nec in cessatione ab illo aliqua ratio boni, per quod libertas exercitij distinguitur a libertate contrarietatis. Et ex his respondeo tertiò ad argumentum negando maiorem, ad cuius probationem nego maiorem quoad tertiam partem, quia quod cesset visio, proveniret ex eo, quod voluntas ommitteret amorem, vel ab amore cessaret, quod facere potest ob libertatem contradictionis. *Respond. 3. ad argum.*

55 *Impugnat Ill. Godoy. 2. solution.* Secundam solutionem prævidit Ill. Godoy *num.* 5. ipsamque impugnat *num.* 7. quia licèt possit in voluntate dari pura ommissio libera absq; actu formali, non tamen potest dari absquè actu interprætativo; at ille nequit esse, nisi sit possibilis actus formalis, nec formalis, & physicus actus possibilis est, nisi aliqua ratio boni apprehendatur: ergo de primo ad vltimum est impossibilis cessatio ab amore voluntaria, & libera, nisi in ea appareat aliqua ratio boni, & in exercitio actus aliqua ratio mali, aut fastidij.

56 *Respondet.* Hæc tamen impugnatio locum non habet in nostra opinione asserente: possibilem esse puram ommissionem liberam absquè omni actu, ideoque debebat Ill. Godoy, hac nostra sententia supposita, nostram respon-

sionem impugnare, & hoc non facere, clarissimè denotat duo. Primum est: hanc difficultatem reducere ad illam aliam: an sit dabilis pura omissio libera absquè omni actu. Secundum est: fateri Ill. Godoy, nostram opinionem de cessatione ab amore, adhuc visione beata perseverante, esse veram, suppositâ nostra sententia de libera omnissione absq; omni actu, quod non facimus nos, vt suam opinionem impugnemus; nam vltrà hanc secundam solutionem, quæ nititur in nostrâ doctrina de possibilitate puræ omnissionis, dedimus primam, quæ locum habet, admissâ opinione Ill. Godoy de impossibilitate puræ omnissionis.

57 *Arguit. 2.* Arguit secundò Ill. Godoy *numer.* 8. voluntas, & est libera, & obtinet conceptum naturæ, vel ad minus est libera libertate contingenti, & libertate necessaria, vt vtamur terminis Scoti; at conceptum naturæ, seu libertatis necessariæ respectu nullius obiecti potest exercere melius, quam respectu obiecti infiniti clarè, & evidentèr cogniti: ergo illud sic cognitum diligit necessario. Illatio est legitima. Minor manifesta videtur. Probatur maior. Tum ex principijs Scoti: nam licèt modus agendi per modum naturæ, & per modum libertatis in sententia illius sint incompatibiles in eadem potentia, modus tamen agendi liberè contingentèr, & liberè necessario, non sic incompatiuntur, cum ipse fateatur amorem, ex quo Spiritus Sanctus procedit, esse necessarium, etsi non sit per modum naturæ, sed liberè: ergo esto in voluntate compossibiles non sint modus agendi per modum naturæ, & per modum libertatis; modus tamen agendi liberè necessario, & liberè contingentèr compatientur in illa.

Maiorem probat. Primò. 58 *Secundò.* Secundò suadetur maior: in intellectu nostro invenitur ratio discursivi respectu conclusionum, & intellectionis sine discursu respectu primorum principiorum: ergo in voluntate creata poterunt inveniri ratio naturæ, & ratio libertatis; vel ad minus ratio libertatis necessariæ, & libertatis contingentiæ. *Tertiò.* Tertiò: in voluntate nostra invenitur modus agẽdi liberè libertate quoad specificationem, & necessario quoad specificationem: ergo etiam poterit libertas exercitij, & necessitatis quoad exercitium in illa inveniri. *Quartò.* Quartò: nam voluntas aliquando elicit actus primo primos, omninò expertes libertatis contingentis, alias defectu libertatis nunquam excusaremur à culpa, quod est absurdum: ergo non solum est libera libertate contingenti, sed etiam est libera libertate necessaria.

59 *Confirmat.* Confirmat hoc *num.* 9. nam ideò motus primo primi sunt necessarij, quia obiectum apprehenditur sub ratione boni, absquè eo, quod in illo aliqua ratio mali inveniatur ex defectu considerationis nostri intellectus; at obiectum infinitum clarè, & evidentèr cognitum talitèr apprehenditur sub ratione boni, quod in illo aliqua ratio mali non invenitur, nec inveniri potest: ergo voluntas necessario illum diligit necessitate quoad exercitium.

60 *Respondeo ad argum. & ad 1. prob. min.* Respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius primam probationem distinguo secundam partem antecedentis: modus agendi liberè contingentèr, & liberè necessario non incompatiuntur in eadem potentia infinita, concedo antecedens; finita, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Solutio clarebit solvendo tertium argumentum Ill. Godoy. Pro nunc autem sufficiat dicere: hoc esse duntaxat, quod probat Ill. Godoy exemplo amoris, ex quo procedit Spiritus Sanctus, de quo concedit Scotus esse liberum libertate essentiali, & esse necessarium quoad specificationem, & quoad exercitium, quod in actibus voluntatis creatæ est impossibile ob rationes nostræ conclusionis, & præsertim ob dandam *num.* 75. & 76.

61 *Ad 2. respond. 1.* Ad secundam maioris probationem respondeo primò, concesso antecedenti, negando consequentiam, cuius disparitas, attenta prima illius formalitate, assignata manet *num.* 44. scilicèt, quod ratio intellectivi, quatenus discursivi, & ratio intellectivi, quatenus non discursivi, sunt respectu intellectus differentiæ merè accidentales; at ratio operandi per modum naturæ, & ratio operandi liberè, sunt differentiæ essentiales principij operativi, vt ostensum est *num.* 19. & *alibi*. Attenta verò secunda consequentiæ formalitate, disparitas est: quod ratio discursivi, & non discursivi,

sivi, sumuntur ex obiectis, nempè, si est conclusio, vel si est primum principiū; at libertas quoad exercitiū sumitur ex propria volūtatis natura, vt fatetur Ill. God. & pluriès est repetitū.

62 *Secundò.* Respondeo secundò ad eandem probationem concesso antecedenti, negando consequentiam; cuius ratio est: quia de intellectu ad voluntatem nequit paritas formari in modo operandi, cum modus operandi intellectus sit contradictoriè oppositus modo operandi voluntatis. *Retorqueo.* Imò si aliqua paritas formari valet, est in nostrum faborem, & per ipsam retorqueo argumentum contra Ill. Godoy: modus operandi intellectus ita est per modum naturæ, vt non mutata intrinseca essentia intellectus, nequeat liberè operari: ergo modus operandi voluntatis ita est per modum libertatis, vt non mutata intrinseca essentia voluntatis, nequeat per modum naturæ operari, & vt vtamur terminis Ill. Godoy, nequeat operari necessariò necessitate quoad exercitium, seu quin liberè, saltim quoad exercitium operetur. Consequentia demonstratur: sicut modus operandi per modum naturæ sumitur à propria intellectus natura; ita modus operandi per modum libertatis quoad exercitium, sumitur ex propria voluntatis natura iuxtà Ill. Godoy; atqui modus operandi intellectus, ita est per modum naturæ, vt non mutata intrinseca essentia intellectus, nequeat liberè operari: ergo modus operandi voluntatis ita est per modum libertatis, vt non mutata intrinseca essentia voluntatis, nequeat per modum naturæ operari.

63 *Tertiò.* Respondeo tertiò ad prædictam probationem negando consequentiam; quia vt paritas præallata de intellectu ad voluntatem aliquo modo valeat, sufficit, quod voluntas, quæ in via est libera libertate quoad specificationem, vel contrarietatis, in ordine ad amandum summum bonum, sit in patria, vbi clarè proponitur, & repræsentatur, necessitata ad illius amorem, necessitate quoad specificationem, vel contrarietatis, vt diximus *num.* 39. non verò requiritur, quod sit necessitata quoad exercitiū.

64 *Retorqueo.* Ex quo retorqueo etiam contra Ill. Godoy: ideò ratio discursus, & non discursus invenitur in nostro intellectu, quia ratio discursus, & non discursus provenit ab obiectis, scilicèt, à conclusione, & à primis principijs; sed ratio libertatis, & non libertatis quoad specificationem provenit abiecto; non verò ratio libertatis, & non libertatis quoad exercitium: ergo paritas de intellectu in ratione discursus, & non discursus, facta ad voluntatem in ratione libertatis, & non libertatis, valet de libertate, & non libertate quoad specificationem; neutiquam verò de libertate, & non libertate quoad exercitium. Nihil ergo paritas contra nos convincit.

65 *Ad 3.* Ad tertiam probationem concesso antecedenti, nego consequentiam ob rationem totiès datam, & ab Ill. Godoy concessam, scilicèt, disparitatem esse: quod libertas, & necessitas quoad specificationē proveniunt ab obiecto; libertas autem, & necessitas quoad exercitium, non ab obiecto, sed à propria natura potentiæ provenit. Vndè vterque modus agendi, scilicèt, liberè, & necessario quoad specificationem, potest eidem principio convenire, sub diversa dispositione constituto, quia hi modi agendi solum accidentalitèr differunt; non verò modus agendi liberè, & necessario quoad exercitium, quia differunt essentialitèr.

66 *Alia disparitas.* Et hæc est alijs terminis disparitas ad probationem prædictam, nempè, quod modi agendi liberè, & necessario quoad specificationem, solum accidentalitèr differunt, ideòq; in nostra voluntate inveniri valent. Ast modi agendi liberè, & necessario quoad exercitium essentialitèr differunt, quarè nequeunt reperiri in voluntate nostra. Et vt hoc ad plures instantias solvendas deserviat, est distinguenda duplex libertas. Vna essentialis, & intrinseca, quæ provenit ex indifferentia potentiæ, & hæc semper adest. Alia, quæ provenit ex indifferentia obiecti, & hæc non semper adest, quia deficit deficiente obiecti indifferentia. Prima est libertas quoad exercitium. Secunda libertas quoad specificationem.

67 *Ad 4. respond. 1.* Ad quartam probationem respondeo primò distinguendo antecedens: voluntas aliquando elicit actus primo primos ex parte libertatis contingentis actualis, concedo antecedens; potentialis, nego antecedens, &

conſequentiam. Itaquè licèt actus primo primi careant libertate actuali, defectu cuius non imputantur ad culpam, quia ad hanc requiritur actualis libertas; habent tamen libertatem potentialem, & conſequentèr ſunt liberi libertate quoad exercitiũ. Alijs etiam terminis diſtinguo antecedens: voluntas elicit aliquando actus primo primos, expertes libertatis contingentis proximæ, concedo antecedens; remotæ, nego antecedens, & conſequentiam.

Declaratur ſolutio.

Declaratur ſolutio. Libertas remota eſt nuda voluntatis potentia, & aptitudinale dominium, quod habet ſuprà ſuum actum, vt eum eliciat, vel non eliceat, aut eliciat oppoſitum. Libertas proxima vltrà nativam potentiæ virtutem, connotat prærrequiſita ad agendum, vt ſunt concurſus Dei indifferens, cognitio prævia, & ſi quæ alia ſunt neceſſaria ad conſtituendam voluntatem in actu primo proximo, vt poſsit exire in actum cũ expedito libertatis vſu. Vndè licèt actus primo primi careant libertate proxima, quia fiunt ſine ſufficiente advertentia rationis; habent tamen libertatem remotam, & conſequentèr liberi ſunt libertate ſaltim quoad exercitium.

68 *Secundò, & eſt retorſio.*

Reſpondeo ſecundò retorquendo probationem: voluntas aliquando elicit actus primo primos, omninò expertes libertatis contingentis; ſed hos actus elicit in via: ergo voluntas in via non ſolum eſt libera libertate contingenti, ſed etiam eſt libera libertate neceſſaria: ergo aliquod eſt obiectum, quod in via neceſsitet voluntatem quoad exercitium. Hæc conſequentia eſt optimè illata ex probatione Ill. God. Suſſumo nunc: atqui falſum eſt, quod ſit obiectum, quod in via neceſsitet voluntatem quoad exercitium: ergo falſa eſt probatio Ill. God. Suſſumpta eſt omniũ Thomiſtarum cum D. Thom. 2. *part. quæſt.* 82. *art.* 2. Reſpondeat Ill. God. ad retorſionem, & erit noſtra ad eius probationem reſponſio.

69 *Reſpond. 3. etiam retorquendo.*

Reſpondeo tertiò alitèr retorquendo probationem: neceſsitas voluntatis quoad exercitium, vt opponitur libertati quoad exercitium, de qua in præſenti loquitur, eſt ſumma illius perfectio; ſed neceſsitas voluntatis creatæ in actibus primo primis non eſt ſumma illius perfectio: ergo neceſsitas voluntatis creatæ in actibus primo primis non eſt neceſsitas quoad exercitium, vt opponitur libertati quoad exercitium, de qua in præſenti loquitur. Conſequentia eſt legitima. Maior patet in neceſsitate voluntatis Divinæ quoad exercitium circà Dei amorem. Minor eſt apud omnes certa, & probatur: actus primo primus provenit ex fragilitate naturæ humanæ, vt non ſemper intellectus advertat rationem boni, vel mali, quæ eſt in obiecto, vt aliquando eliciat voluntas motum primo primum, ſed hoc cedere nequit in ſummam voluntatis creatæ perfectionem, vt eſt per ſe notum: ergo neceſsitas voluntatis creatæ in actibus primo primis non eſt ſumma illius perfectio.

70 *Reſpond. 4.*

Reſpondeo quartò alitèr diſtinguendo antecedens: voluntas aliquando elicit actus primo primos, omninò expertes libertatis contingentis quoad ſpecificationem, concedo antecedens; quoad exercitium, ſubdiſtinguo: libertatis moralis, concedo antecedens; libertatis phiſicæ, nego antecedens, & conſequentiam.

Quintò.

Deniquè diſtinguo alitèr antecedens: elicit aliquando actus primo primos, omninò expertès libertatis contingentis moralis, concedo antecedens; libertatis phiſicæ, nego antecedens, & conſequentiam. Et hoc eſt, quod vnicè probat Ill. Godoy; in tantum enim tollit ab actibus primo primis omnem libertatem, in quantum per illos defectu libertatis excuſamur à culpa: ergo tollit ſolum libertatem moralem.

71 *Sextò.*

Deniquè reſpondeo alitèr diſtinguendo antecedens: voluntas aliquãdo elicit actus primo primos, omninò expertes libertatis ab extrinſeco, concedo antecedens; ab intrinſeco, nego antecedens, & conſequentiam; nam actus primo primi in tantum ſunt neceſſarij, in quantum eis deficit conditio neceſſaria ad libertatem, ſcilicèt, cognitio cum advertentia operationis voluntatis circà tale obiectum; vndè ex defectu conſiderationis noſtri intellectus ſunt neceſſarij, quæ neceſsitas eſt tantum ab extrinſeco, & de qua non loquimur in præſenti.

72

Firmantur omnes prædictæ ſolu-

tio-

Firmantur solutiones retorsione efficaci ad hom. contra Ill. Godoy.

tiones hac retorsione contra Ill. Godoy: obiectum propositum à voluntate ad eliciendum actus primo primos, non est summum bonum clarè, & evidentèr repræsentatum: ergo voluntas illum non elicit necessario, necessitate quoad exercitium. Antecedens est manifestum, & de fide. Consequentia probatur: ideò iuxtà Ill. Godoy nostra voluntas in patria elicit necessario amorem circà Deũ, necessitate quoad exercitium, quia Deus repræsentatur vt summum bonũ clarè, & evidentèr; sed obiectum propositum voluntati ad eliciendum actus promo primos, non est summũ bonum clarè, & evidentèr repræsentatum: ergo voluntas illum non elicit necessario, necessitate quoad exercitium.

73 *Ad cõfirm.* Ex his ad confirmationem distinguo maiorem: ideò motus primo primi sunt necessarij quoad specificationem, quia obiectum apprehenditur sub ratione boni, absquè eo, quod in illo aliqua ratio mali inveniatur, ex defectu considerationis nostri intellectus, concedo maiorẽ; necessitate quoad exercitium, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia quod obiectũ proponatur sub ratione boni, absquè eo, quod in illo aliqua ratio mali inveniatur, solum tollit à voluntate libertatem quoad specificationem; non verò quoad exercitium, vt manet ostensum *numer.* 25. *vsquè ad* 31. 38. *& alibi.*

74 *Arguit 3.* Arguit tertiò Ill. Godoy *infrà num.* 9. voluntas Divina necessario diligit Dei bonitatem: ergo etiam voluntas creata illam necessariò diligit, si clarè, & evidentèr proponatur. Antecedens est certum etiam apud Scotum; aliàs posset Deus ab amore suæ bonitatis cessare, quod nullus admittit. Consequentia duplicitèr probatur. Tum: quia nulla est ratio, cur conceptus naturæ, seu libertatis necessariæ, quo volũtas Dei in propriam bonitatem propendit, non sit participabilis, & de facto participetur à voluntate creata. Tum etiam: nam etiam supposito, quod bonum infinitum necessitet obiectivè voluntatem Divinam, si clarè, & evidentèr cognitum voluntati nostræ proponatur, non desinet illam necessitare ratione perfectionis; cum voluntatem Divinam illam infinitè excedentem necessitet; nec ratione imperfectionis; non enim repugnat imperfectioni nostræ voluntatis ab infinito obiecto necessitari: ergo sicuti necessitat voluntatem Divinam, ita etiam necessitat voluntatem nostram.

Respondeo ad argumentum concesso antecedenti, negando consequentiam, pro cuius negatione assignant Scotistæ triplex discrimen. Primum est: quod voluntas Divina est infinitè recta, ideòque nequit cessare ab amore obiecti infiniti; voluntas autem creata non est infinitè recta, vndè ab amore obiecti infiniti cessare valet. Secundum est: quod amor, quo Deus se amat, est substantialis, improductus, & realitèr indistinctus ab Essentia Divina, ideòque est tantæ necessitatis, quantæ est ipsa Divina Essentia, & consequentèr nequit voluntas increata ab illo cessare. Ast amor, quo beati diligunt Deum, est accidens, productus, & realitèr à Deo distinctus, ideòque potest voluntas ab illo cessare.

75 *Respondet.* *1. discrimẽ.* *Secundum.*

Tertium est: quod cum summa Dei felicitas consistat in visione, & amore illius, nequit, quia infinitus simplicitèr, carere summa felicitate; cuius oppositum evenit in creatis; nam licèt beatitudo nostra in visione, & amore Dei consistat, potest voluntas, quia finita, carere beatitudine. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 10. *quæst. vnica.* Ecce triplicem disparitatem, quarum quælibet, & est probatio nostræ conclusionis, & est solutio, simulque retorsio ad argumentum Ill. Godoy, qui nullam ex his disparitatibus impugnat, vtpotè, nullam adducens.

76 *Tertium.* *Retorque.*

Arguit quartò Ill. Godoy *num.* 13. gratia excitans consistit in illustratione intellectus, & pia affectione voluntatis; sed iste actus piæ affectionis est actus elicitus voluntatis, non liber libertate contingentiæ: ergo datur actus à voluntate elicitus necessarius quoad exercitium, & consequentèr amor beatificus hac necessitate gaudebit. Aliquas solutiones pro Scotistis adducit Ill. Godoy; & quia eorum doctrina nobis non placet, illis ommissis. Respondeo ad argumentum ommissa maiori, distinguendo minorem quadruplici distinctione

77 *Arguit.* 4. *Respondeo.*

data *num.* 67. 70. 71. & retorquendo retorsionibus formalizatis *n.* 68. 69. & 72. quin aliud sit necessarium.

78 *Arguit. 5. ex doctrina Ill. Godoy.*

Arguitur quintò ex doctrina Ill. Godoy, illam adducentis *num.* 16. *in responsione*, illamque insinuantis *numer.* 8: voluntas, & est libera, & natura: ergo aliquando vt libera, & aliquando vt natura operatur: ergo convenit voluntati modus agendi liberè, & modus agendi naturalitèr; alioquin frustra voluntas creata esset natura. Atqui modum agendi naturalitèr circà nullum obiectum melius, quam circà obiectum infinitum clarè visum, potest exercere, vt est per se notum: ergo amor in patria elicitus à beato est necessarius quoad exercitium.

79 *Respond. 1.*

Respondeo primò ad argumentum distinguendo antecedens quoad secundam partem: voluntas est natura, prout opponitur supernaturali, concedo antecedens; prout opponitur libero, nego antecedens; & hac distinctione distinguo vtrumq; consequens pro secunda parte. Distinguo etiam sussumptam: si modus agendi naturalitèr, prout opponitur libero, convenit voluntati, concedo minorem; si voluntati non convenit talis modus agendi, nego minorem, & consequentiam. Itaquè natura (similitèr, & modus agendi naturalitèr) dupliciter summi potest. Primò: pro contento intra vires naturæ, quomodo omne, quod supernaturale non est, dicitur natura, & sic est voluntas creata. Secundò: pro eo, quod est determinatum ad vnum, quomodo intellectus, ignis, &c. sunt natura, quia intellectus est determinatus vnicè ad intellectionem, ignis ad ignem producendum, & sic voluntas non est natura, quia se determinat ad agendum, consequentèrque nec habet modum agendi naturalitèr, vt coincidit cum modo determinato ad agendum.

80 *Secundò.*

Respondeo secundò distinguendo alitèr secundam partem antecedentis: voluntas est natura, quæ est essentialitèr libera, concedo antecedens; est natura, quin sit essentialitèr libera, nego antecedens, & vtrumq; suppositum vtriusque consequentiæ; & sussumptæ; supponunt namquè, quod voluntas operetur, vt natura, quin sit essentialitèr libera, quod est falsum in nostra, & Scoti opinione, vt fatetur etiam Ill. Godoy *numer.* 8.

Tertiò.

Respondeo tertiò: argumentum multum probare: quia vltrà necessitatem quoad specificationē, & quoad exercitium, probat, voluntatem non esse essentialitèr liberam, quod nihil magis falsum in nostra opinione.

Quartò.

Respondeo quartò: probare etiam, quod duæ differentiæ essentiales, vti sunt principium liberum, & naturale, eidem principio conveniant, quod est apud omnes falsum, & pro quo recolantur dicta *num.* 19.

§. VI.

Solvuntur quædam specialia argumenta.

81 *Arguit. 1. specialitèr*

ARguitur primò specialitèr: indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ, oritur ab indifferentia intellectus proponentis; sed in patria intellectus non proponit Deum cum indifferentia: ergo in patria in ordine ad Deum amandum non stat indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ. Probatur maior: indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ, ita dependet ab indifferentia intellectus proponentis, vt si intellectus non esset indifferens in proponendo, nec voluntas esset contingens in amando: ergo indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ, oritur ab indifferentia intellectus proponentis. Probatur antecedens: ita voluntas in operando dependet à propositione obiecti per intellectum, vt si intellectus obiectum non proponat, voluntas non velit: ergo indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ, ita pendet ab indifferentia intellectus proponentis, vt si intellectus non esset indifferens in proponendo, nec voluntas esset contingens in amando.

82 *Antecedens certum est eo, quod voluntas non potest ferri in incognitum.*

Antecedens est in Schola D. Thomæ communis, & in Scoti Schola probabilius, idquè docet Magister *in* 1. *dist.* 10. *quæst. vnica ad vltimum* citans Div. August. 15. *de Trinitat. cap.* 27. Et *dist.* 12. §. *Quantum ad istum artic.* vbi ex intrinseco, & essentiali ordine harum potentiarum ad invicem, inquit, voluntatē non posse circà aliquod obiectum exire in actū secundum, nisi priùs circà illud idem intellectus in actum exierit. Docet etiam *in* 2. *dist.* 42. *quæst.* 4. §. *Quan-*

tum

tum ad primum, & V. Contra primum modum, vbi ait: *Impossibile est, voluntatem velle in actu, nisi sit actualis intellectio in intellectu, & quod aliqua intellectio, seu cognitio necessario præcedit omne velle.* Deinde idem habet Doctor *quodlib. 14. & 15. & alibi S. pè.*

83 *Probatur consequent.*

Consequentia verò probatur: ex eo, quod voluntas in operando ita dependeat à propositione per intellectum, vt si intellectus obiectum non proponat, voluntas non velit; optimè infertur, quod indifferentia voluntatis ita dependet ab indifferentia intellectus proponentis, vt si intellectus non esset indifferens in proponendo, nec voluntas esset contingens in amando; atqui iuxtà concessa ita voluntas in operando dependet à propositione obiecti per intellectum, vt si intellectus obiectum non proponat, voluntas non velit: ergo indifferentia voluntatis, seu libertas contingentiæ, ita dependet ab indifferentia intellectus proponentis, vt si intellectus non esset indifferens in proponendo, nec voluntas esset contingens in amando.

Probatur maior: ex eo, quod voluntas non possit agere, nisi moveatur ab intellectu, proponente obiectum, optimè infertur, quod non possit agere indifferenter, vel contingenter, nisi contingenter, vel indifferenter moveatur ab intellectu: ergo ex eo, quod voluntas in operando ita dependeat à propositione per intellectum, vt si intellectus obiectū non proponat, voluntas non velit; optimè infertur, quod indifferentia voluntatis ita dependet ab indifferentia intellectus proponentis, vt si intellectus non esset indifferens in proponendo, nec voluntas esset contingens in amando. Probatur antecedens: ex eo, quod causa secunda non possit agere, nisi mota à prima, optimè infertur, quod causa secunda non possit agere contingenter, nisi prima contingenter moveat: ergo paritèr. Antecedens est. Scotistarum sententia cum Scoto, quam contra Ill. Godoy propugnavimus *tom. 2. in 1. sent. disput. 54.* scilicèt, quod si causa prima ageret necessario; secunda agere libere non posset, & rationem dedimus *disput. citat. num. 10.* quia nempè, voluntas creata non agit, nisi mota à prima, quæ in data hypotesi necessario moveret. Consequentia videtur paritate legitima.

84 *Solutio ad argum. probabilis.*

Hoc argumentum facilimæ solutionis erat, si diceretur: voluntatem in operando non dependere à propositione intellectus, quia voluntas potest ferri in incognitum, vt de potentia ordinaria evenire posse, & interdum contingere, tenet D. Bonaventura *tom. 2. Opusc. tract. de Mistica Theolog. quæst. vnica in fine, & in Itinerario Animæ, cap. 7.* quam opinionem defendit Faber *disput. 9. de Pœnit. num. 171.* Carthus. *lib. de Laudib. vitæ solitariæ, artic. 36.* Et *lib. 2. de Vita solitar. artic. 8.* Gerson *Alphab. 69. lit. O.* Imò faciliùs solvi posset argumentum, si diceremus: saltim de potentia Dei absoluta posse voluntatem ferri in incognitum, vt tenet Vulpes *tom. 1. part. 2. disput. 14. artic. 3. num. 12. in solutione cuiusdam obiectionis.* Cavellus *disp. 3. de Anima, sect. 13. concluf. 1.* citans Palud. *in 4. dist. 49. quæst. 1. artic. 2.* Et Ferrar. *3. contra Gentes, cap. 89. §. Ad evidentiam.*

85 *Respond. 1. ad argum.*

Cœterum concesso, voluntatem per nullam potentiam posse ferri in incognitum, quod probabilius iudico. Respondeo primò ad argumentum, negatis negandis, negando vltimam consequentiam. Disparitatis est: quia libertas Divina est radix extrinseca libertatis creatæ, vt tenent omnes Scotistæ cum Magistro *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Ostenso esse de proprietatib.* Et *dist. 8. quæst. vltima.* Et *dist. 39. & dist. 42.* Et *in 2. dist. 1. quæst. 3. & alibi frequentèr.* Vndè deficiente libertate Divina, deficeret, & creata, quia deficiente radice, deficit radicatum, vt latè ostendimus *tom. 2. citat. in 1. sent. disp. 54. per totam,* & præsertim §. 4. Ast indifferentia intellectus in proponendo non est radix libertatis, vt probatum manet *à num. 25. vsquè ad 31. & num. 38.* sed est tantum conditio, & talis conditionis, quod illa non stante, stat indifferentia voluntatis vt *numer. citat.* est dictum.

86 *Secundò.*

Respondeo secundò ommissa maiori argumenti, distinguendo minorem: sed in patria intellectus non proponit Deum cum indifferentia contrarietatis, vel specificationis, concedo minorem; cum indifferentia contradictionis, vel exercitij, nego minorem; distinguo consequens: ergo in patria in ordine ad Deū aman-

dum, non ſtat indifferentia voluntatis contrarietatis, vel ſpecificationis, concedo conſequentiam; contradictionis, vel exercitij, nego conſequentiam. Et iuxtà hanc ſolutionem ad probationem maioris, concedo antecedens, & conſequentiam, & nihil contra nos. Itaquè licèt intellectus in patria non proponat Deum cum indifferentia contrarietatis, nempè, ad illum amandum, vel odio habendum; illum tamen proponit cum indifferentia contradictionis, ſcilicèt, ad illum amandum, vel non amandū, quia hoc eſt intrinſecum cuilibet enti proponibili per intellectum voluntati creatæ. Vndè in hac ſolutione nittendo, locum non habet paritas de cauſa prima, quia ſemper intellectus proponit obiectum cum prædicta contradictionis indifferentia, ideoque manebit in voluntate dicta indifferentia, & conſequenter libertas.

87 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: poſito concurſu Dei determinato ad amorem, neceſsitatur voluntas ad illum, neceſsitate quoad exercitium: ergo poſita determinatione in intellectu, neceſsitatur voluntas quoad exercitiū. Conſequentia paritate videtur certa; nam ita requiritur propoſitio intellectus, vt voluntas operetur, ſicut Dei concurſus requiritur. Antecedens probatur: ſine concurſu Dei indifferenti ad amandum, & non amandū, nequit voluntas eſſe potens ad amandum, & non amandum: ergo poſito concurſu Dei determinato ad amorem, neceſsitatur voluntas ad illum, neceſsitate quoad exercitium. Conſequentia eſt legitima. Antecedens videtur certum.

88 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò ad argumentum diſtinguendo antecedens: poſito concurſu Dei determinato ad amorem, proveniente omninò ab extrinſeco, neceſsitatur voluntas ad illum, neceſsitate quoad exercitium, concedo antecedens; proveniente ab intrinſeco, nego antecedens, & ommiſſa conſequentia in primo ſenſu, illam nego in ſecundo. Itaquè certum eſt, quod poſito concurſu Dei determinato ad amorem, v.g. voluntas neceſsitatur ad amorem, ita quod defectu concurſus indifferentis nec ommittet, nec ommittere poſsit amorem. Cœterum hæc neceſsitas ad amorem, & impotentia ad ommiſſionem non competunt voluntati ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ſcilicèt, ex defectu concurſus indifferentis, qui eſt vnum ex prærrequiſitis neceſſario ad agendum, vel non agendum ex dictis *num.* 28. & 29.

89 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò alitèr diſtinguendo antecedens: poſito concurſu Dei determinato ad amorem, neceſsitatur voluntas neceſsitate quoad exercitium proxima, concedo antecedens; remota, nego antecedens; & ommiſſa conſequentia in primo ſenſu; illam in ſecundo nego. *Tertiò.* Tertiò alijs terminis, diſtinguo antecedens: poſitò cōcurſu Dei determinato ad amorem, neceſsitatur voluntas quoad vſum libertatis, ſeu in actu ſecundo neceſsitate quoad exercitium, concedo antecedens; quoad libertatem, ſeu in actu primo, nego antecedens; & ommiſſa conſequentia in primo ſenſu, illam nego in ſecundo.

90 *Ratio vtriuſque ſolutionis.* Itaquè libertas dividitur in remotam, & proximam. Remota eſt nuda virtus potentiæ ex ſe, & intrinſicè indifferens ad agendum, vel non agendum. Proxima eſt, quæ præter nativam virtutē potentiæ connotat omnia prærrequiſita ad agendum, quæ ſunt extrinſeca potentiæ. Item: nulli dubium, quod libertas diſtinguatur ab vſu libertatis, ſicut nulli dubium, quod potentia diſtinguatur ab exercitio ſui. Deniquè certum eſt: quod libertas dividitur in libertatem in actu primo, & in actu ſecundo, quæ diviſio coincidit cum libertate, & vſu illius. Vndè licèt poſito concurſu Dei determinato ad amorem, impediatur ab extrinſeco libertas proxima, & in actu ſecundo, ſeu vſus libertatis, quia deeſt vnum, & ſanè, præcipuum, requiſitum ad agendum, vel ſuſpendendum actum; non ob hoc tollitur à voluntate libertas remota, & in actu primo, quæ eſt illi intrinſeca.

91 *Quartò.* Reſpondeo quartò negando antecedens, ad cuius probationem, nego etiam antecedens, & ratio eſt: nam poſito concurſu Dei determinato ad amorem, Deus liberè præbet prædictum concurſum: ergo non eſt vndè voluntas neceſsitetur ad amorem, & impotens ſit, ad illum ſuſpendendum. Antecedens eſt manifeſtum; nam Deus ad extrà liberè agit. Conſequentia probatur: id, quod Deus

præberet, necessario agendo, potiùs necessitaret voluntatem, quam id, quod Deus præbet, liberè agendo; sed concursus, quem Deus præberet, necessario agendo, non necessitaret voluntatem ad agendum, reddendo illam impotentem ad suspendendum actum: ergo non est vndè voluntas necessitetur ad amorem, & impotens sit, ad illum suspendendum. Consequentia videtur legitima. Minor est Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 54.* asserentis: quod si causa prima ex necessitate naturæ operaretur, posset nostra voluntas liberè operari. Maior verò patet ex dictis *num. 85.* & eam ostendimus contra ipsum *tom. 2. in 1. sent. disp. 54. per totam.*

92 *Quintò.* Denique: licèt verum esset antecedens, adhuc consequens esset falsum, quod vt appareat. Respondeo quintò ommisso antecedenti, negando suppositum consequentis; supponit namquè, quod intellectus possit proponere voluntati obiectum sine indifferentia contradictionis, quod esse falsum, diximus *num. 86.* eo, quod esse proponibile cum tali indifferentia est intrinsecum cuilibet obiecto. Et ex hac suppositi falsitate apparet disparitas: nam Dei concursus potest esse determinatus præcisè ad amorē; propositio autem intellectus nequit esse ita ad amorem determinata, vt non sit etiam ad suspendendum amorem; quarè dato adhuc gratis antecedenti, paritas non vrget.

93 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: voluntas creata non agit, nisi mota ab intellectu proponente obiectum: ergo si intellectus proponens obiectum, necessario movet voluntatem creatam; voluntas creata necessario aget. Antecedens est à nobis concessum *num. 85.* Consequentia probatur: ideò per nos causa secunda nequit liberè agere, si causa prima necessario ageret, quia causa secunda non agit, nisi mota à prima; sed iuxtà a nobis concessa, voluntas creata non agit, nisi mota ab intellectu proponente obiectum: ergo si intellectus proponens obiectum, necessario movet voluntatem creatam; voluntas creata necessario aget.

94 *Respond. 1.* Ad hoc argumentum iam ex dictis constat solutio. Respondeo primò concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo si intellectus proponens obiectum necessariò quoad specificationē, & quoad exercitium, movet voluntatem creatam, voluntas creata necessario aget, concedo consequentiam; necessariò præcisè quoad specificationem, subdistinguo: voluntas necessario quoad specificationem aget, concedo consequentiā; quoad exercitium, nego consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem; si causa prima necessario quoad specificationem, & exercitium ageret, concedo maiorem; si necessario præcisè quoad specificationem ageret, nego maiorē; & concessa minori, distinguendo consequens distinctione data. Solutio patet ex dictis *num. 86.* Respondeo secundò distinguendo antecedens: nisi mota ab intellectu proponente obiectum, tanquam à pura conditione ad agendum requisita, concedo antecedens; tanquam à radice agendi, nego antecedens; in hoc enim sensu est à nobis concessum antecedens. Distinguo etiā consequens: si modus proponendi obiectum esset radix modi agendi voluntatis, concedo consequentiam; si sit pura conditio, nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: nisi mota à prima, tanquam à radice modi agendi voluntatis creatæ, concedo maiorem; tanquam à pura conditione, nego maiorem; & distinguo minorem, & consequens, vt distinxi. Solutio claret ex dictis *n. 85.* *Secundò.*

95 *Replicabis.* Replicabis contra hanc secundam solutionem: quod modus agendi voluntatis dependeat à modo proponendi intellectus, tanquā à pura conditione, sufficit, vt non stante indifferentia propositionis, non stet indifferentia in voluntate: ergo etiam sufficit, vt à voluntate libertatem auferat; & consequentèr ruit nostra solutio. Probatur antecedens: quod voluntas in agendo dependeat ab intellectu proponente obiectum, tanquā à pura conditione, sufficit, vt non stante propositione obiecti, non stet potentia in voluntate ad agendum: ergo paritèr: quod modus agendi voluntatis dependeat à modo proponēdi intellectus, tanquam à pura conditione, sufficit, vt non stante indifferentia propositionis, non stet indifferentia in voluntate. Antecedens est à nobis concessum *num. 85.* vbi probabilius iudicavimus, quod voluntas per nullam potentiam potest ferri in incognitum. Consequentia bona à paritate videtur.

Res-

96 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens; quod voluntas in agendo dependeat ab intellectu proponente obiectum, tanquam à pura conditione absolutè, sufficit, vt nō stante propositione obiecti, non stet potentia in voluntate ad agendum, nego antecedens; tanquam à tali conditione, concedo antecedens, & nego consequentiam. Explico distinctionem, & disparitatem assigno. Voluntas itaq; in agendo dependet ab intellectu proponente obiectum, tanquam à conditione essentialitèr prærrequisita, sicut vnio partiū prærrequiritur essentialitèr ad esse totius; ita enim docetur ab opinantibus, voluntatem non posse ferri in incognitū. At modus agendi voluntatis non dependet à modo proponendi intellectus, tanquā à conditione essentialitèr prærrequisita; cū adhuc stante determinatione in modo proponendi intellectus, stet indifferentia in voluntate ex dictis *numer.* 85. & locis ibi citatis.

Disparitas.

97 *Explicatur disparitas.* Amplius etiam explico disparitatem: nam non mirum, quod voluntas in agendo dependeat ab intellectu proponente obiectū, tanquam à conditione essentialitèr prærrequisita, quia hoc adminùs dicere debent opinantes, voluntatē per nullam potentiam, etiam Divinam, posse ferri in incognitum, qua opinione suppositā, facta est replica. Cœterum obiecto semel proposito, est contra excellentiā, & nativam rationē voluntatis, quod in modo agendi dependeat à modo proponendi intellectus, tanquā à conditione prærrequita essentialitèr; quia eius potestas, & dominium stat in eo, quod obiecto semel proposito, possit pro suo libito agere, vel non agere circa illud, quomodocumque ab intellectu proponatur.

98 *Arguit.* 4. Arguitur quartò: non stante certitudine in intellectu, non stat securitas in voluntate, & non stante dubitatione in intellectu, non stat timor in voluntate: ergo non stante indifferētia in intellectu, non stat libertas in volūtate. *Respondeo.* Respondeo esse disparitatē; nam securitas non est actus, qui est pars fortitudinis, vt tenent Thomistę, sed est passio, quæ est in volūtate, opposita timori, & sic etiā timor est passio, quæ est in voluntate; at libertas non est passio, sed actus, & in hoc stat disparitas.

Ex dictis in discursu disputationis colligo primò: delectationem de bono Divino, vt convenienti Deo, & ab illo possessō, quæ ad amorē amicitiæ sequitur, esse liberum, eadem libertate, qua gaudet amor ipse amicabilis. Hoc corollarium est contra Ill. God. *n.* 26. & probatur eisdem rationibus, quibus amoris libertatē probavimus, sicut per oppositum facit ipse *num. cit.* 99 *1. Corollarium.*

Colligo secundò: amorem concupiscientiæ, quo Deum, vt bonum proprium, diligunt beati, & delectationē de illo, prout est bonū proprium, esse actus liberos, non minùs, quam amor amicabilis, & delectatio ad eum subsecuta. Hoc corollarium est etiam contra Ill. God. *num. cit.* & eisdem rationibus non minùs convincitur. *Secundum.*

Deniquè infero: delectationem de visione Dei, quatenus bona nobis, cadentem suprà illam, vt *quod*, esse etiā liberam, si visio, vt illius obiectum ab intellectu reflexè proponatur. Hoc corollariū est etiam contra Ill. God. *n. cit.* & probatur: nam libertas circà summum bonum, vt *quod*, est etiā circà summum bonū, vt *quo*; sed talis delectatio est iuxtà Ill. God. summū bonū, vt *quo*: ergo cū sit libertas in beato circà summum bonum, vt *quod*, est etiam libertas circà talem delectationem. Maior est manifesta: nam summum bonum, vt *quo*, nequit necessitare voluntatem modo, quo summum bonum, vt *quod*, illam non necessitat. Minor est certa, & ipsius Ill. God. Illatio apparet legitima. 100 *Tertium.*

Hic (ait Ill. God. in fine disputationis) disputari poterat primò: An amor concupiscientiæ, & amor amicitiæ, & delectatio subsequens vtrunq; inter se distinguantur? Secundò: An delectatio habeat pro obiecto visionem, aut Deum visum, aut vtrunq; simul? Tertiò: à quo principio amor concupiscientiæ, & illius delectatio elitiantur in patria? An à Charitate? An à virtute Spei? An ab alio habitu ab illis distincto? Primū pertinet ad 2. 2. *Tract. de Charit.* Secundum ad *quæst.* 11. *huius* 1. 2. vbi ex professo de fruitione, & illius obiecto tractatur. Tertium ad *Tract. de Spe*, vbi latè discutitur: An virtus Spei manet in beatis? Et idcircò ab illis examinandis supersedeo. Hæc Ill. Godoy. Et vestigia illius sequendo, à prædictis disputationibus examinandis etiam supersedeo. 101

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA.

Quæ sit causa impeccabilitatis Beatorum?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Num. 1 IN hac disputatione duo tanquam certa, & omnibus explorata, supponimus cum Ill. Godoy, & vnū in examen vocamus. Primum est: voluntatis rectitudinem, & munditiam à peccato supponi ad beatitudinem, & illam præcedere, sivè rectitudo sit actualis, vt contingit in adultis, qui per proprios actus se ad gratiam, vel illius augmentum disponunt; sivè sit habitualis, actum proprium non supponens, qualitèr contingit in parvulis. Quod esse de fide constat ex Sapientiæ 7. illis verbis: *Nihil inquinatum intrabit in eam.* Et Isaiæ 35. *Via Sancta vocabitur, & non transibit per eam polutus.* Ac deniquè ad Hebræos *cap.* 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et alibi sæpè.

2 Secundum quod supponimus est: Beatos de lege ordinaria esse impeccabiles, seu quod idem est, beatos nunquam de facto peccaturos, sivè id ab intrinseco, sivè ab extrinseco beatitudinis illis proveniat, in quo omnes disputantes, vt in re fidei conveniunt, constatque ex Psalmo 83. illis verbis: *Beati, qui habitant in Domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et 1. Petri *cap.* 1. *Regeneravit nos in hæreditatem incorrumptibilem, & incontaminatam*; si autem beati per culpam inficì possent, hæreditas incorruptibilis, & incontaminata non esset. Deindè suadetur: nam vel peccare possunt amissa beatitudine, & hoc non; aliàs beatitudo non esset vita æterna; vel perseverante beatitudine, & nec isto modo esset possibile; aliàs non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus, cum malum culpæ admitteret, quod est maximum malum; & malum etiam pœnæ, cuius condignitas, seu reatus ad culpam consequitur: ergo nullo modo possunt peccare.

His itaquè præmissis, quod in discrimen vertimus, est: quænam sit causa impeccabilitatis beatorum? An aliqua forma beatitudini intrinseca? An extrinseca aliqua providentia Dei, nempè, Dei manutenentia, seu decretum, quo Deus decrevit, semper cum beato ad actum bonum concurrere, illi denegando concursum indifferentem, seu ad vtrumlibet paratum? Quæ difficultas duplicitèr exagitari valet, scilicèt, in sensu diviso, & composito. In sensu diviso, idem est, ac inquirere: an beatus posset peccare, peccato destruente beatitudinem? In sensu composito, est idem, ac quærere: an beatus posit peccare, peccato non destruente beatitudinem, seu an beatitudo, & peccatum possint esse simul? Et licèt vtrumque tangat Ill. Godoy, hos sensus non explicavit, & valdè illos confundit, vt ex dicendis in disputatione clarebit.

3 *Punctus difficultatis.*

In qua duas reperio sententias. Prima docet: Beatos esse impeccabiles ab extrinseco per extrinsecam manutenentiam Dei, seu per decretum, quo Deus decrevit, semper cum illis ad actum bonum concurrere, illis negando concursum indifferentem. Vndè tenet: beatos, attentis causis intrinsecis, potentiam ad peccandum habere remotam; ab extrinseco tamen reddi impeccabiles, nempè, à manutenentia Dei, ratione cuius non sunt proximè potentes peccare, quia proxima potentia non solum importat intrinsecam virtutem potentiæ, sed etiam remotionem omnis impedimenti; possunt tamen peccare de potentia Dei absoluta in sensu diviso, & in sensu composito. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. §. *Dico ergo.* Doctorem secuntur omnes eius discipuli, & eam defendunt Nominales. Gabriel *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 6. Ocham *quæst.* 1. Gregorius *dist.* 7. *quæst.* 2. illamque probabi-

4 1. *Sentētia.*

Scotus. Scotistæ.

Gabriel. Ocham. Gregorius.

lem

Salas.

lem reputat Salas *tract.2.disp 7.sect.8.* dicens : non implicare, beatos peccare posse.

5

2.Sentẽtia.

Secunda ex diametro opposita tuetur: Beatos ab intrinseco impeccabiles esse, tàm in sensu diviſſo, quàm in sensu cõpoſsito. Sic omnes Thomistæ cum Angelico Præceptore; discordant tamen in assignando intrinsecam causam huius impeccabilitatis. Aliqui enim iudicant : causam proximam impeccabilitatis non esse visionem beatificam, sed amorem subsecutum ad illam; vndè si per impossibile amor non subsequeretur, posset cum visione actuale peccatum componi. Huius opinionis sunt Capreolus *in 1.dist.1.quæst.1.conclus.4.* Soto *in 4. dist.49.quæst.3.artic.4.conclus.4.* Suarez *in præsenti disput.10.solut.1.numer.9.* Illamque tenuisse Victoriam, refert Medina *in præsenti artic.4.* Expræsè illam tenet Ægidius de Præsentatione *lib.11.quæst.16.art.5 §.3.conclus.2.*

D.Thom. Thomistæ.

Capreol. Soto. Suarez.

Victoria.

Ægidius.

6

Alij autem defendunt: causam sufficientem impeccabilitatis beatorum esse visionem beatificam; vndè etsi de facto visione, & amore impeccabiles sint, vel constituantur; si tamen de possibili amor non sequeretur, ratione solius visionis peccare non possent. Ita Ill. Godoy *num.4. 13 & 33.* cum D. Thoma, & omnibus ab illo relatis, & citatis *num.3.* pro tertia sententia. Contra quem sit.

Ill. Godoy.

7

1.Cõclusio.

Prima conclusio : *Beati in sensu diviſſo non sunt impeccabiles ab intrinseco ex natura beatitudinis.* Est contra Ill. Godoy *numer.4.* & per oppositum ad illius pro sua sententia probationes probanda venit à nobis. Probatur primò: beatitudo non petit ab intrinseco omne bonum afferre, & omne malum excludere : ergo non postulat ab intrinseco excludere, vel inferre aliquid excludens actuale peccatum, & consequentèr beatus ex intrinsecis beatitudinis impeccabilis non est. Hæc per oppositum est prima ratio, qua probat Ill. Godoy conclusionem nobis oppositam, sed est notatu dignum, quod non probet antecedens, & ne nos in hoc incurramus, sic antecedens probamus: concursus Dei determinatus ad bonum, & negatus ad malum, est aliquod bonum beatitudinis; sed beatitudo non petit ab intrinseco hoc bonum: ergo beatitudo non petit ab intrinseco omne bonum afferre, & omne malum excludere. Consequentia est legitima. Maior ita certa, vt prædictus Dei concursus sit maximum beatitudinis bonum.

Probat. 1.

Probatur antecedens

Minor verò probatur : si beatitudo peteret ab intrinseco concursum Dei determinatum ad bonum, & negatum ad malum, beatitudo cogeret, & necessitaret Deum, ad talem concursum præbendum; sed beatitudo nequit cogere Deum, ad præbendum talem concursum : ergo beatitudo non petit ab intrinseco hoc bonum. Probatur minor primò : nihil creatum potest cogere Deum, ad talem concursum præbendum; sed beatitudo est aliquid creatum: ergo beatitudo nequit cogere Deum, ad præbendum talem concursum. Probatur secundò: Deus ad extrà liberè agit; sed talis concursus est operatio Dei ad extrà : ergo talis concursus debet esse liber : ergo beatitudo nequit cogere Deum, ad talẽ concursum præbendũ.

8

Prob. min.

Dices cum Ill. Godoy *num.5*; quod beatitudo petit connaturalitèr talem concursum, consequentèrque non potest Deus illum negare; aliàs peccatum, si sequeretur, refunderetur in ipsum; sicuti in Angelo, si ex defectu specierum, quas connaturalitèr petit, aliquis defectus sequeretur, talis defectus refunderetur in Deum, non conferentem species, quas Angelus naturalitèr petit.

9

Dices cum Ill. Godoy.

Hæc tamen solutio falsum supponit in nostra doctrina; tenemus namquè cum Scoto *in 2. dist.3. quæst.11.* species Angelo à Deo liberè infusas esse, quia talis infusio solum est Angelo debita debito congruentiæ, scilicèt, proptèr perfectionem naturę Angelicæ, ideòque absquè miraculo, aut violentia facta Angelo, potuisse Deũ, non infundere Angelo species. Vndè philosophando de concursu Dei respectu beatitudinis, sicut de speciebus infusis respectu Angeli, vt facit Ill. Godoy, negare nequit, quod in nostra doctrina liberè à Deo præstatur beato concursus determinatus ad bonũ, & negatus ad malum, sicut liberè à Deo species sunt Angelo infusæ. Vndè apparet : solutionem Ill. Godoy nullam vim in nostra habere sententia. Vltrà quod.

10

Solutio falsum supponit.

Impugnatur primò solutio Ill. Godoy ad hominem contra ipsum ex sententia Thomistarum : stat, Ange-

11

Impugn.1. solutio ad

lum

hom.contra Ill. Godoy.

lum pettere ab intrinseco specierum infusionem, quin beatitudo ab intrinseco petat concursum Dei determinatum ad bonum, & negatum ad malum: ergo non tenet paritas solutionis Ill.Godoy, consequentèrque ruit illius solutio. Probatur antecedens: concursus Dei determinatus ad bonum, & negatus ad malum, non convenit beatitudini, sicut infusio specierum convenit Angelo:ergo stat Angelum pettere ab intrinseco infusionem specierum,quin beatitudo ab intrinseco petat cõcursum Dei determinatum ad bonum, & negatum ad malum.Probatur antecedens:concursus Dei determinatus ad bonum, & negatus ad malum non convenit beatitudini, vt passio ab illa dimanans; sed sic convenit Angelo infusio specierum iuxtà Thomistas: ergo concursus Dei determinatus ad bonum, & negatus ad malum, non convenit beatitudini, sicut convenit Angelo infusio specierum. Consequentia est legitima. Præmissæ autem ostenduntur.

12 *Probatur maior.*

Probatur maior: nam quis vnquam dixit,aut dicere valet:decretum Dei,quo decrevit,semper cum beatis ad actum bonum concurrere,& numquam ad actum malum, esse passionem dimanantẽ à beatitudine? Nullus certè hoc dicere audebit; talè enim decretum est actus Dei, qui à nullo creato dimanare potest. Vera igitur est maior. Minor autem est opinio Thomistarum asserentium: infusionem specierum esse passionem dimanantem ab Angelo,vt apparet ex Caietano 1. 2. *quæst.*50.*artic.*6. dicente: *Species fuisse Angelo congenitas ab authore naturæ*, quod est idem, ac illas habere *naturali sequela ad propriam essentiam*, vt ipse se explicat *quæst.* 51. *articul.*1. *in fine.* Et ex Capreolo *in* 2. *dist.*3.*quæst.*2. *artic.*3. *Ad argumentum Aureoli contra* 3.*concluſ.* dicente: *Quod sicut noster intellectus fluit ab anima,ita intellectus Angeli speciebus formatus ab Angeli substantia promanat*: ergo infusio specierum convenit Angelo, vt passio ab illo dimanans iuxtà Thomistas.

Probatur minor.

13 *Impugn. 2. ad hom.etiã cõtra ipsum*

Impugnatur secundò: stat, quod beatitudo connaturalitèr petat concursum determinatum ad bonum, & quod Deus de potentia absoluta offerat concursum indifferentem ad bonum, & malum: ergo gratis dato, quod beatitudo petat connaturalitèr concursum ad bonum determinatum; beatitudo non reddit beatum proximè impotentem ad peccandũ, & consequentèr ruit solutio Ill. Godoy. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem est nottoria; nam posito ex parte Dei concursu indifferenti convenit beato potentia proxima ad peccandum. Antecedens, in quo est tota difficultas,probatur ad hominem contra ipsum ex communi Theologorum consensu: stat, quod sanctificatio infinita connaturalitèr petat concursum determinatum ad bonum,& quod Deus de absoluta potentia offerat concursum indifferentem ad bonum,& malum: ergo paritèr de beatitudine. Consequentia dubium non permittit. Antecedens probatur: Divinitas,vt sanctificans humanitatem Christi, petit connaturalitèr gratiam in summo,& beatificam visionem, vt habet Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 3.*part.disput.*41.*num.*306. sed hac exigentia non obstante, potest Deus de potentia absoluta non conferre humanitati prædicta dona, & semel collata auffere, vt docet communis Theologorum sententia: ergo stat, quod sanctificatio infinita connaturalitèr petat concursum determinatum ad bonum, & quod Deus de potentia absoluta offerat concursum indifferentem ad bonum,& malum.

14 *Respondet Ill. Godoy.*

Hanc replicam sibi fecit Ill. Godoy *tom.*3.*in* 3.*part. disp.*41. *num.*307. ad ipsamque respondet negando antecedens,ad cuius probationem negat antecedens, & ad huius probationem concessis præmissis negat consequentiam. Disparitas est: nam Deus visionem debitam negans, non efficitur author peccati; & aliàs in eo, quod illam neget de potentia absoluta,nulla alia repugnantia invenitur; sicut enim potest hominem creare, & suspendendo effluxum proprietatum, seu potentiarum, illi omnes suas proprietates,quamvis debitas,negare; ita poterit de potentia absoluta humanitatem assumere,& omni dono gratiæ nudam relinquere,quamvis talia dona debeantur ratione vnionis. Cæterum si Deus contra id,quod humanitati debetur ratione sanctitatis vnionis peccatum illi permitteret,& illam peccare sineret, esset author, & causa

spe-

ſpecialis peccati, eo, quod tunc non concurreret ad illud concurſu generali, ſed ſpeciali; nam concurſus generalis eſt, quo Deus concurrit iuxtà debitum, non contra debitum cauſæ ſecundæ; cum autem tunc non concurreret iuxtà debitum, ſed contra debitum humanitatis, concurreret ad peccatum, non generali, ſed ſpeciali concurſu, & conſequentèr eſſet cauſa ſpecialis peccati, & author illius, quod implicat; & ideò non poteſt Deus, etiam de potentia abſoluta permittere humanitati vnitæ peccatum, nec concurſum indifferentē offerre contra id, quod humanitati ex vi ſanctitatis præſtitæ à Divinitate debetur.

15 *Contra* 1. Contra primò: hæc ſolutio non eſt ad rem: ergo ruit. Probatur antecedens: hæc ſolutio non tollit à beato potentiam proximam ad peccandū; ſed de hac procedit noſtra impugnatio: ergo ſolutio Ill. Godoy non eſt ad rem. Probatur maior: ex eo, quod beatus haberet potentiam proximam ad peccandum, non ſequitur, Deum eſſe Authorem, aut cauſam ſpecialem peccati; ſed ſolutio eſt, quod Deus eſſet author, aut cauſa ſpecialis peccati: ergo ſolutio non tollit à beato potentiam proximam ad peccandum. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt ipſa ſolutio Ill. Godoy. Maior verò de ſe patet, & probatur primò: potentia proxima ad peccandum non eſt peccatum: ergo ex eo, quod beatus haberet potentiam proximam ad peccandum, non ſequitur, Deum eſſe Authorem, aut cauſam ſpecialem peccati. Secundò: potentia proxima ad peccandum poteſt ſtare, & ſtat, non ſolum ſine peccato, ſed etiam cum amore Dei ſuper omnia, & quolibet alio opere meritorio; alioquin nullum eſſet opus meritorium: ergo idem quod anteà.

16 *Contra* 2. Contra ſecundò: nam adhuc dato, quod beatus peccaret, Deus non eſſet Author, aut cauſa ſpecialis peccati: ergo omninò ruit ſolutio. Probatur antecedens: dato, quod beatus peccaret, Deus non concurreret concurſu ſpeciali ad commiſsionem peccati: ergo adhuc dato, quod beatus peccaret, Deus non eſſet Author, aut cauſa ſpecialis peccati. Probatur antecedens: dato, quod beatus peccaret, concurſus Dei ſpecialis eſſet duntaxat ad conſervationem beatitudinis, adveniente peccato: ergo dato, quod beatus peccaret, Deus non concurreret concurſu ſpeciali ad commiſsionem peccati. Probatur antecedens: ſemel, quod beatitudo conſervaretur, adveniente peccato, eſſet concurſus Dei ſpecialis; nequit namquè conſervari ſine tali concurſu: ergo dato, quod beatus peccaret, concurſus Dei ſpecialis eſſet duntaxat ad conſervationem beatitudinis, adveniente peccato. Probatur conſequentia: ſtante concurſu Dei ſpeciali circà conſervationem beatitudinis duntaxat, adveniente peccato, ſtat concurſus ſpecialis Dei, beato peccante; ſed ſemel, quod beatitudo conſervaretur, adveniente peccato, eſſet concurſus Dei ſpecialis: ergo dato, quod beatus peccaret, concurſus Dei ſpecialis eſſet duntaxat ad conſervationem beatitudinis, adveniente peccato.

17 *Contra* 3. Contra tertiò: prædicta ſolutio Ill. Godoy tollit de medio plures quæſtiones communes ſub hoc titulo propoſitas, ſcilicèt, an gratia, & peccatum poſsint ſimul eſſe de potentia Dei abſoluta? An vnio hypoſtatica poſsit eſſe cum peccato? Et alia huiuſmodi: ergo eſt nulla. Conſequentia eſt nota. Antecedens claret: nam cum ad opiniones affirmativas defendendas requiratur cōcurſus Dei ſpecialis, nulla eſſet probabilis, ſi ratio Ill. God. teneret, nempè, quod ex eo, quod Deus concurreret concurſu ſpeciali, eſſet Deus author, & cauſa ſpecialis peccati, quod dicendū non eſt, vtpotè contra omnes Theologos, prædictas quæſtiones diſputantes.

Declaratur nullitas ſolutionis Ill. Godoy. Vndè, vt præter Scotiſtas notavit optimè Cardinalis de Lugo, ſenſus communis prædictarum quæſtionum eſt: An Deus poſsit ſpecialitèr conſervare gratiam, & vnionem hypoſtaticam in præſentia peccati, ſeu coexiſtente peccato? An verò ſit tanta vis in peccato, vt omninò eſſentialitèr deſtruat gratiam, & vnionem hypoſtaticam. Sic ita paritèr in præſenti de beatitudine quæritur: an poſsit Divinitus conſervari, etiam in præſentia peccati? Non ergo requiritur potentior Dei concurſus ad peccandum, vt fiat ſtante gratia, ſed potentior Dei concurſus in gratiam, vt perſeveret, adveniente peccato; ſicut licèt ex natura rei repugnet paſsibilitas corporis cum beatitudine animæ,

non

non tamen intelligimus in Christo visionem beatam conservatam fuisse potentiori concursu propter corporis passibilitatem, sed potiùs è contra, passibilitatem corporis conservatam concursu potentiori saltim quoadmodum in præsentia beatæ visionis, quæ ex natura sua passibilitatem expelleret. Ex quo fiat retorsio.

18 *Alia probatio concl. & impugnatio solutionis Ill. Godoy.*

Reiectis solutionibus Ill. Godoy ad nostram probationem, vt eam formavimus; nunc alitèr, & fortè efficatiùs contra ipsum illam formo: etsi beatitudo petat ab intrinseco omne bonum afferre, & omne malum excludere, non ob hoc petit excludere potentiam remotam, vel proximam ad peccandum: ergo vtraque potentia stat cum ratione Ill. Godoy: ergo nulla est. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens verò pro potentia remota conceditur ab Ill. Godoy *tom. 3. in 3. part. disput. 41. numer. 301.* Pro proxima verò claret ex dictis *num. 15.* Et ex hoc apparet: Ill. Godoy in prædicta probatione confundere sensum compositum, in quo illius probatio procedit, cum sensu diviso, in quo hic loqui debebat. Et hæc erit vna ex solutionibus ad prædictam Ill. Godoy probationem.

19 *Probat. 2. concluſ.*

Secundò probatur conclusio: beatitudo non est inamissibilis ab intrinseco: ergo non petit ab intrinseco excludere, seu impedire omne id, ratione cuius potest amitti. Atqui peccatum, si de facto in beatis daretur, beatitudinem destrueret: ergo ab intrinseco non petit illud excludere, & impedire. Hæc est per oppositum secunda Ill. Godoy probatio, in qua tota difficultas stat in antecedenti, quod ipse non probat, sed pro illius veritate se remittit *ad disput. sequent.* nempè, *nonam*, ad quam etiam pro veritate nostri antecedentis nos remittimus, ibiquè contra Ill. Godoy amissibilem esse ab intrinseco, ostendemus, & vltrà contra ipsū alitèr probationem formo, data sua opinione.

Alitèr formatur probatio.

Beatitudo etsi ab intrinseco esset inamissibilis, non peteret excludere proximam potentiam ad peccandū: ergo ratione inamissibilitatis non probatur impeccabilitas ab intrinseco. Probatur antecedens: eo, quod beatitudo sit inamissibilis ab intrinseco, solum petit excludere id, ratio cuius potest amitti; sed etsi esset in beatis potentia proxima ad peccandum, non amitteretur beatitudo, quia talis potentia non est peccatum ex dictis *num. 15*: ergo etsi ab intrinseco beatitudo esset inamissibilis, non peteret excludere proximam potentiam ad peccandum. Vndè in hac etiam probatione confundit Ill. Godoy sensum compositum cum sensu diviso, vt dictum est *num. præced.* de prima illius probatione.

20 *Probat. 3. concluſ.*

Probatur tertiò conclusio: beatus est per gratiam, & non per naturam, impeccabilis: ergo non est ab intrinseco impeccabilis. Antecedens est Ill. Godoy *numer. 6. in 3. illius probatione.* Consequentia verò probatur: impeccabilitas ab intrinseco est impeccabilitas per naturam; sed beatus non est per naturam impeccabilis: ergo non est ab intrinseco impeccabilis. Probatur maior: impeccabilitas ab intrinseco est impeccabilitas per omnem impotentiam, tàm proximam, quàm remotam; sed impeccabilitas per omnem impotentiam est impeccabilitas per naturam: ergo impeccabilitas ab intrinseco est impeccabilitas per naturam. Consequentia est legitima. Maior est opinio Ill. Godoy. Minor apparet: nam impeccabilitas per naturam nihil addere valet vltrà omnem impotentiam ad peccandū.

21 *Alitèr formatur probatio.*

Alitèr formatur probatio: beatus iuxtà Ill. Godoy est impeccabilis solum per gratiā: ergo est solum ab extrinseco impeccabilis. Probatur consequentia: impeccabilitas per gratiam est solum impeccabilitas ab extrinseco; sed per te beatus est solum impeccabilis per gratiam: ergo est solum ab extrinseco impeccabilis. Probatur maior: impeccabilitas per gratiam alia est, & minor impeccabilitate per naturam; sed si impeccabilitas per gratiam non esset solum impeccabilitas ab extrinseco, impeccabilitas per gratiam nec esset alia, nec minor impeccabilitate per naturam: ergo impeccabilitas per gratiam est solum impeccabilitas ab extrinseco. Consequentia est legitima. Maior certa: alioquin impeccabilitas per gratiam esset incomposibilis cū conceptu creaturæ, vti impeccabilitas per naturam, quod est contra Ill. Godoy *citat.* Minor verò probatur: sola impeccabilitas ab extrinseco est alia, & minor impeccabilitate per na-

turam; vt de se claret, & patet ex *numer. præced*: ergo si impeccabilitas per gratiam non esset solum impeccabilitas ab extrinseco, impeccabilitas per gratiam nec esset alia, nec minor impeccabilitate per naturam.

22 *Confirmat. & vrgetur 1.* Confirmatur, & vrgetur primò: beatus est iuxtà Ill. Godoy impeccabilis ab intrinseco: ergo est impeccabilis per naturam. Probatur consequentia: quod convenit rei ab intrinseco, convenit illi per naturam; sed impeccabilitas convenit ab intrinseco beato iuxtà Ill. Godoy: ergo beatus est impeccabilis per naturam. Minor, & consequentia tenent. Maior probatur primò in opinione Thomistarum: nam incorruptibilitas, quę convenit Angelo ab intrinseco, illi convenit per naturam, scilicèt, quia caret principio corruptionis, nempè materia prima: ergo quod convenit rei ab intrinseco, convenit illi per naturam. Secundò probatur in omni opinione: nam risibilitas, hinibilitas, frigiditas, combustibilitas, &c. quæ ab intrinseco conveniunt homini, bruto, aquæ, & igni, ipsis convenit per naturam: ergo idem, quod anteà. Tertiò probatur ratione: quod convenit rei ab intrinseco, est illi naturale: ergo quod convenit rei ab intrinseco, convenit illi per naturam.

23 *Confirmat. & vrgetur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundò: beatus est impeccabilis per gratiam: ergo est impeccabilis ab extrinseco. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy *num.* 6. Consequentia probatur: impeccabilitas per gratiam convenit rei ab extrinseco; sed beatus est impeccabilis per gratiam: ergo ab extrinseco est impeccabilis. Probatur maior: incorruptibilitas per gratiam convenit rei ab extrinseco: ergo & impeccabilitas. Antecedens est certum in nostra opinione cum Scoto *in 2. dist. 14. quæst.* 1. asserente: Cœlum, quod est incorruptibile per gratiam, esse tantum ab extrinseco incorruptibile. Sed vltrà hoc probatur antecedens doctrina generali: corpus B. Virginis, quod est incorruptibile per gratiam, est tantum ab extrinseco incorruptibile: ergo incorruptibilitas per gratiam convenit rei ab extrinseco.

24 *Confirmat. & vrget. 3.* Confirmatur, & vrgetur tertiò: impeccabilitas aliter de Deo, & aliter de beato enuntiari debet; sed impeccabilitas ita enuntiatur de Deo, vt ipsi competat ab intrinseco: ergo aliter de beato enuntiari debet: ergo beatus non est ab intrinseco impeccabilis; alioquin non aliter enuntiaretur. Maior patet primò: quia impeccabilitas Deo conveniens, est increata, quæ beato nequit competere. Secundò: quia impeccabilitas Dei est per naturam; beati verò per gratiam, vt fatetur Ill. Godoy. Tertiò: quia impeccabilitas beati est inferioris ordinis respectu impeccabilitatis Dei. Minor est apud omnes evidens. Consequentiæ verò legitimè sunt illatæ.

25 *Respond. 1. pro Ill. God.* Respondebis primò pro Ill. God: aliam esse impeccabilitatem per gratiam, & aliam per naturam, etsi vtraque sit ab intrinseco; nam impeccabilitas per naturam est impeccabilitas imparticipata, & per essentiam; impeccabilitas verò per gratiam est impeccabilitas participata, minor impeccabilitate per essentiam. Vndè nunquam sequitur: est impeccabilitas ab intrinseco: ergo per naturam; nequè è contra: est impeccabilitas per gratiam: ergo ab extrinseco, consequentèrque ruit nostra probatio cum confirmationibus.

26 *Contra 1.* Contra primò: semel concessa impeccabilitate ab intrinseco per gratiam, talis impeccabilitas esset arguitivè impeccabilitas per naturam, seu per essentiam; sed hoc repugnat: ergo & solutio. Probatur maior: sic multotiès tàm Philosophi, quàm Theologi discurrunt, vt patet in infinito, & æterno; si enim daretur in creatis infinitum cathegorematicum, & æternum, nulli dubium, quod esset per gratiam, & participatum; sed ex eo arguunt, quod esset etiam per essentiam, & ideò possibilitatē vtriusq; negant communitèr philosophi, & Theologi: ergo semel data impeccabilitate ab intrinseco per gratiam, talis impeccabilitas esset arguitivè impeccabilitas per naturam, seu per essentiam.

27 *Contra 2.* Contra secundò: impeccabilitas per naturam non est impeccabilitas per essentiam: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: incorruptibilitas per naturam non est incorruptibilitas per essentiam: ergo paritèr. Antecedens patet in Angelis, vt diximus *num.* 22. Consequentia est paritate certa. Contra tertiò: repugnat, im-

Contra 3.

pec-

peccabilitatem esse ab intrinseco, & esse per gratiam: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: repugnat: incorruptibilitatem esse ab intrinseco, & esse per gratiam ex dictis: ergo similitèr. Contra quartò: impeccabilitas per naturam est, quæ ad distinctionem impeccabilitatis per gratiam, ab intrinseco connotat carentiam principij formalis peccabilitatis; sed hanc carentiam connotat impeccabilitas ab intrinseco: ergo impeccabilitas ab intrinseco est impeccabilitas per naturam, & consequentèr solutio ruit. Probatur maior: incorruptibilitas per naturam est, quæ ad distinctionem incorruptibilitatis per gratiam, ab intrinseco connotat carentiam principij formalis corruptionis, vt claret ex dictis *numer.* 22. & 23: ergo à simili. Eadem fit replica contra impeccabilitatem per gratiam, quæ eo ipso debet esse ab extrinseco, vt convincit paritas de incorruptibilitate per gratiam.

Contra 4.

28 *Respond.* 2. *pro eodem.*

Respondebis secundò pro eodem: quod impeccabilitas Deo propria est impeccabilitas ab intrinseco, & essentialitèr illi competens; impeccabilitas autem propria beato, est impeccabilitas ex dono intrinseco gratiosè communicato, in quo stat disparitas. Hæc est solutio, quam dedit Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 41. *num.* 353. & 354. ipsamque firmare connatur *num.* 356. faciendo quandam retorsionem contra nostram suprà positam conclusionem. Cæterum dicta Ill. Godoy responsio tria (ni fallor) claudit. Primum est: supponere falsum. Secundum est: falsam esse. Tertium est: quod ipsa data, firma manet opinio nostra, & quartum est, quod ex ipsa firmior apparet. Quod totum quadruplici clarebit impugnatione.

29 *Reijcitur* 1.

Reijcitur primò: solutio Ill. Godoy supponit, impeccabilitatem beati esse ab intrinseco, & esse per gratiam; sed hoc est falsum: ergo falsum supponit solutio Ill. God. Consequentia est legitima. Maior est ipsius solutio. Minor constat ex dictis *num.* 20. & præsertim paritate de incorruptibilitate, quæ nequit esse ab intrinseco, & per gratiam, vt demonstratum manet *à num.* 22.

30 *Secundò.*

Reijcitur secundo: semel, quod impeccabilitas conveniat ab intrinseco beato, illi convenit essentialitèr; sed iuxtà Ill. Godoy illi convenit ab intrinseco: ergo & essentialitèr: ergo impeccabilitas propria beato est impeccabilitas ab intrinseco essentialitèr, quod est contra ipsum in solutione. Probatur maior: semel, quod incorruptibilitas alicui conveniat ab intrinseco, illi convenit essentialitèr: ergo paritèr de impeccabilitate. Cõsequentia paritate tenet. Antecedens patet in Angelo ex dictis *num.* 22. & vltrà probatur: semel, quod impeccabilitas conveniat ab intrinseco beato, beatus est ab intrinseco omninò necessitatus ad bonum; sed illi, qui est ab intrinseco omninò necessitatus ad bonum, convenit essentialitèr impeccabilitas: ergo semel, quod impeccabilitas conveniat ab intrinseco beato, illi convenit essentialitèr. Probatur minor: illi, cui essentialitèr repugnat peccatum, convenit essentialitèr impeccabilitas; sed illi, qui ab intrinseco est omninò necessitatus ad bonum, repugnat essentialitèr peccatum: ergo illi, qui est ab intrinseco omninò necessitatus ad bonum, convenit essentialitèr impeccabilitas.

31 *Tertiò.*

Reijcitur tertiò: impeccabilitas Deo propria, scilicèt, impeccabilitas ab intrinseco essentialitèr, non est impeccabilitas conveniens beato: ergo alitèr de Deo, & alitèr de beato debet enuntiari. Sussummo: atqui ita impeccabilitas enuntiatur de Deo, vt ab intrinseco, essentialitèr, simpliciter, absolutè, & per omnem potentiam Deo repugnet peccabilitas: ergo nequit impeccabilitas sic de beato enuntiari. Infero nunc: ergo falsa est hæc propositio: *Beato repugnat peccabilitas ab intrinseco, essentialitèr, simpliciter, absolutè, & per omnem potentiam*: ergo solum restat, vt prædicta propositio sit de facto vera, & secundum potentiam Dei ordinariam.

32 *Quartò.*

Reijcitur quartò: impeccabilitas propria beato est impeccabilitas ex dono intrinseco gratiosè communicato; sed hæc est impeccabilitas ab extrinseco: ergo sola impeccabilitas ab extrinseco est propria beato. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy. Minor probatur: sanctitas propria homini est sanctitas ex dono intrinseco gratiosè communicato: sed hæc sanctitas est ab extrinseco: ergo similitèr de impeccabilitate

propria beato. Consequentia est paritate nottoria. Maior est doctrina Ill. Godoy, omniumque Thomistarum, vno ore dicentium: hominem esse sanctum per gratiam, quæ est donum intrinsecum, gratiosè communicatum. Minor autem est apud omnes vera; quia homo non est ab intrinseco sanctus; licèt sit sanctus per gratiam, intrinsicè inhærentem.

Plurimæ contra Ill. Godoy retorsiones.

Vndè, re benè inspecta, Ill. Godoy magnam æquivocationem patitur in hac solutione; nam aliud est, beatum esse impeccabilem per donum intrinsecum gratiosè communicatum; & aliud est, esse ab intrinseco impeccabilem, vt patet de sanctitate; quarè dato, quod beatus sit impeccabilis per donum intrinsecum gratiosè communicatum, quod est illius solutio, nullatenus sequitur, esse ab intrinseco impeccabilem, quin potiùs, illo dato, firmior apparet nostra opinio de impeccabilitate ab extrinseco, vt convincit in eius doctrina paritas de sanctitate, & in omnium opinione paritas de quacunque forma, intrinsicè subiecto inhærente, v.g. albedine; nam licèt homo dicatur intrinsicè albus; nullatenus tamen potest dici ab intrinseco albus. Et ex hoc fiat cum sanctitate retorsio, & tot fiant retorsiones, quot sunt formæ intrinsicè inhærētes subiectis.

33 *Respond. 3. pro ipso.*

Respondebis tertiò pro Ill. God. prædictam nostram rationem probare tantum in beato potentiam remotam ad peccandum, quod non negat Ill. Godoy, & quod sufficit, vt alitèr de Deo, & alitèr de beato enuntietur illa propositio; non verò probare potentiam proximam ad peccandum, quam vnicè negat ipse. Hæc est solutio, quam dedit Ill. God. *tom. 3. in 3. part. disp. 41. num. 349. & 350.*

Contra 1.

Fateor: hanc solutionem genuinam esse, vt impeccabilitas beati sit alia ab impeccabilitate Dei, eo, quod Deus proximè, & remotè est impeccabilis; beatus tamen proximè solum. Cœterum solutio non est ad rem. Primò: quia difficultas non est de impotentia proxima ad peccandum; hanc enim omnes concedimus beatis, vt *num. 2.* supposuimus, sed de modo, quo illis talis impotentia conveniat, & quod ab intrinseco illis non competat, omnes nostræ rationes ostendunt. Secundò: quia semel statuto, quod impotentia proxima peccandi conveniat ab intrinseco beatis, vt statuit Ill. Godoy, intulimus, & inferremus per dicenda in disputatione, quod illis etiam conveniat impotentia remota ad peccandum; vndè impeccabilitas beatorum nec erit per gratiam contra Patres, & ipsum Ill. Godoy; nec alitèr de ipsis, & alitèr de Deo enuntiari valebit, vt patet ex solutione Ill. God.

Secundò.

34 *Probat. 4. concluſ.*

Probatur quartò conclusio: visio beata, in qua iuxtà Ill. Godoy formalis beatitudo consistit, vt vidimus *disput. 5.* ex se non infert necessario amorem actualem Dei super omnia: ergo non petit ex se, seu ab intrinseco omne bonum afferre, & omne malum excludere. Consequentia infertur, & est contra Ill. Godoy in prima illius probatione *num. 4.* Antecedens est per oppositum ad quartam illius probationem, & sicut ipse illud vnicè probat per ab ipso dicta disputatione præcedenti; ita nos contra ipsum per dicta disputatione precedenti probamus.

Cœterum, quia in hac etiam probatione sensum compositum cum sensu diviso confundit Ill. Godoy, alitèr formetur nostra probatio, vt formata est *num. 18.* Ill. Godoy hac quadruplici ratione per oppositum probat suam conclusionem, nobis oppositam, qua quadruplici nos contra ipsum probamus, alias, & plures, & speciales omittendo ad §. 4.

35 *Probatur deniq; concluſio.*

Probatur denique conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: posita in beatis impeccabilitate ab extrinseco, salvātur omnes rationes Ill. God: ergo hæc impeccabilitas ponenda est in beatis. Consequentia patet: si enim sufficit impeccabilitas ab extrinseco, ad quid statuenda in illis est impeccabilitas ab intrinseco? Antecedens verò probatur: posita in beatis impeccabilitate ab extrinseco, beati nunquam peccabunt: ergo illa posita in beatis, salvantur omnes illius rationes. Antecedens est ipsius *num. 1.* & cum illo à nobis suppositū *num. 2.* Consequentia probatur: posito, quod beati nunquam peccabunt, beatitudo excluderet omne malum, nunquam amittetur, semper Deum diligent super omnia, & beatus esset per gratiam impeccabilis; atqui hæ sunt rationes Ill. Godoy: ergo posi-

ta in beatis impeccabilitate ab extrinseco, salvantur omnes illius rationes.

Confirmat. in Scoti opinione. Et in nostra, & Ill. Godoy opinione confirmatur: si enim beatitudo ratione sui, vel ratione ipsam consequentium, inferret infallibiliter, & non necessario, omne bonum, & exclusionem omnis mali, ad modum quo auxilium efficax ad amorem Dei illum infert non necessario, sed infallibiliter, vt nos asserimus, certè beatitudo excludet omne malum, nunquam amittetur, semper beati Deum super omnia diligent, & erunt per gratiam impeccabiles. *Confirmat. in sentent. Ill. Godoy.* Idem est in sententia Ill. Godoy: si enim beatitudo inferret necessario amorem Dei super omnia, impediendo odium, & carentiam amoris, licèt non impediret potentiam ad vtrumque, vt asserit ipse *num.* 10. excluderet absquè dubio beatitudo omne malum, nunquam amitteretur, semper beati Deum super omnia diligerent, & essent per gratiam impeccabiles. Si enim totum hoc salvatur cum impeccabilitate ab extrinseco, ad quid omnia hæc adducit Ill. Godoy, ad impeccabilitatem ab intrinseco defendendam?

§. II.

Obiectionibus Ill. God. occurritur.

36 *Arguit. 1.* ARguit primò Ill. Godoy *num.* 4: nam beatitudo petit ab intrinseco, vel per se, vel ratione consequentium ipsam, omne bonũ afferre, & omne malũ excludere; ac proindè peccatum excludere: ergo postulat ab intrinseco, vel ratione sui, excludere, vel inferre aliquid excludens actuale peccatum, & consequentèr beatus ex intrinsecis beatitudinis impeccabilis erit. *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, quod non probat Ill. God. & cuius oppositum nos probavimus *num.* 7. & 8. eo, quod beatitudo non petit ab intrinseco concursum Dei determinatum ad bonum, & negatum ad malum, idemque est de inamissibilitate, quæ est maximum bonum beatitudinis, & quam beatitudo non petit ab intrinseco, vt diximus *num.* 19. & latiùs ostendemus *disput.* 9. Licèt autem hæc erat sufficiens pro argumento solutio, alitèr est argumento occurrendum.

37 Respondeo secundò: omisso antecedenti, cum prima consequentia negando secundam, imò, & consequens illius, quia malè infertur. Ratio est: nam antecedens, & prima cõsequentia probant exclusionem actualis peccati, vt ex ipsis patet; at secunda consequentia probat exclusionem potentiæ peccabilis, qui modus arguendi non valet; est enim arguere ab inferiori ad supperius negativè, quod est procedere contra legem bonæ argumentationis, vt diximus in summulis. Quod autem Ill. Godoy sic arguat, est manifestum, & hoc nottoriatur exemplo: *Non est actuale peccatum: ergo non est potentia peccabilis*, est mala argumentatio, sicut hæc: *Non est motus actualis: ergo non est potentia movilis*, quia arguitur ab inferiori ad supperius negativè; ideòque hæc est vera: *Est peccatum actuale: ergo est potentia ad peccandum*, sicut hæc: *Est motus actualis: ergo est potentia ad movendum*, quia arguitur ab inferiori ad supperius affirmativè.

38 *Tertiò.* Respondeo tertiò negando idem consequens secundæ consequentiæ, quia malè deducitur ob aliam legem bonæ argumentationis; nam Ill. Godoy arguit de actu ad potentiam negativè, v. g. *Non est actuale peccatum: ergo non est potentia ad peccandũ*, quod est contravenire legi bonæ argumentationis, quæ docet: *Non valere consequentiam ab actu ad potentiam negativè*, vt patet in hac: *Non currit: ergo non potest currere*, quæ falsa est; benè verò affirmativè, vt patet in ista: *Currit: ergo potest currere*; è contra verò de potentia ad actum negativè valet consequentia, v. g. *Non potest currere: ergo non currit*; non autem affirmativè, nempè: *Potest currere: ergo currit.* *Quartò.* Respondeo quartò: procedere argumentum de sensu cõposito ad sensum divisum, quod est contra legem bonæ argumentationis arguere, & de quo diximus *num.* 18.

39 *Quintò.* Respondeo quintò ad prædictum Ill. Godoy argumentum, distinguendo antecedens: beatitudo petit ab intrinseco, vel per se, vel ratione subsequentium ipsam, omne bonum afferre, & omne peccatum excludere actualitèr præcisè ommitto antecedens; actualitèr, & potentialitèr, nego antecedens; ommitto primum consequens, & nego consequentiam ex illo illatam. Alijs terminis, distin-

guo antecedens : beatitudo petit ab intrinseco, vel per se, vel ratione ipsam subsequentium, omne bonum afferre, & omne peccatum excludere absquè exclusione potentiæ ad peccatum, concedo antecedens ; cum exclusione potentiæ ad peccatum, nego antecedens, & hoc modo intellecta prima consequentia, ipsam concedo, & nego secundam.

40 *Explicatur solutio.*

Explicatur solutio. Itaquè aliud, & valdè diversum est : beatitudinem ab intrinseco, vel ratione sui, vel ratione ipsam subsequentium, excludere omne peccatum ; aliud autem est, excludere potentiam ad peccandum. Primum ommittimus, & hoc non ob beatitudinem ratione sui ; nam hæc, sivè in sola visione consistat, sivè in solo amore, sivè in vtroq; simul, non habet ratione sui excludere omne peccatum ; cum peccatū, vt infrà dicemus, sit cum visione, & cum amore compatibile ; sed id ommittimus, quia excludit omne peccatum ratione decreti Divini, quo Deus decrevit, semper cum beatis ad bonum concurrere, illis negando concursum indifferentem, quem cōcursum adhuc non petit beatitudo ab intrinseco, vt dictum manet *numer. 7. & 8.* idemque de inamisibilitate ostendimus *num. 19.* Secundum autem negamus. Primò : quia beatitudo nec auffert à beato, nec aufferre potest potentiam ad peccandū ; alioquin voluntas in patria mutaretur ab intrinseco, & perderet id, per quod essentialitèr constituitur, & distinguitur ab alijs potentijs, quod est falsum, vt constat ex dictis *disputatione præcedenti*, & ex dicendis in hac clarebit. Secundò : quia si beatitudo ab intrinseco excludit omne malum, scilicèt, peccatum, non ob hoc excludit potentiam peccandi ; hæc enim nec est mala, nec peccatum. Ex quo

Retorqueo.

retorqueo contra Ill. Godoy argumentum : beatitudo ab intrinseco excludit omne peccatum ; sed potentia peccandi non est peccatum : ergo beatitudo ab intrinseco non excludit potentiam peccandi.

41 *Respondeo deniquè.*

Respondeo deniquè ad prædictum argumentum, ne fortè in æquivoco laboremus, ommitto antecedens, & distinguo primum consequens : ergo beatitudo extensiva postulat ab intrinseco, vel ratione sui excludere, vel inferre aliquid excludens actuale peccatum, ommitto cōsequens ; beatitudo intensiva, nego consequentiam ; & distinguo similitèr secundum consequens. Itaquè Ill. Godoy in antecedenti videtur, manifestè loqui de beatitudine extensiva ; hoc enim declarant illa verba : *vel ratione consequentium ipsam.* Si enim de hac loquitur, argumentum non est ad rem. Primò : quia hic loquimur de beatitudine intensiva, quę vel in visione tantum, vel tantum infruitione, vel in vtroque simul iuxtà varias opiniones consistit. Secundò : quia de hac loquitur Ill. Godoy in discursu disputationis, asserendo : sola visione, amore non subsecuto, beatos esse ab intrinseco impeccabiles, eo, quod apud ipsum in sola visione beatitudo intensiva consistit. Tertiò : quia de beatitudine extensiva nulli dubium, quod includit essentialitèr omne bonum, & carentiam omnis mali, cum hæc sit eius diffinitio, vt diximus *disput. 1. num. 6.* Si autem loquitur de beatitudine intensiva, improriè loquitur in antecedente, & inconsequentèr in discursu disputationis ; manetque ad argumentum responsio.

Explicatur

42 *Arguit. 2.*

Arguit secundò Ill. God. *num. 6.* beatitudo est inamisibilis ab intrinseco : ergo petit ab intrinseco excludere, seu impedire omne id, ratione cuius potest amitti ; at peccatum, si de facto in beatis daretur, beatitudinem destrueret : ergo ab intrinseco petit illud excludere, & impedire.

Respond. 1.

Respondeo primò negando maiorem ob dicta *num. 19.*

Secundò.

Respondeo secundò ommittendo totum argumentum, quia solum probat : peccatum non componi cum beatitudine, quod est tantum probare in sensu composito, de quo in præsenti non loquimur ; vndè ad tollendam proximam potentiam, debet transire ad sensum divisum, quod non valet ex dictis *numer. 37. & 38.*

3. Retorq.

Tertiò retorquendo argumentum : beatitudo petit ab intrinseco excludere, seu impedire omne id, ratione cuius potest amitti ; atqui potentia remota, & proxima peccandi non destruit beatitudinem ; quia hæc non amitteretur, etsi talis potentia in beatis concedatur, vt est manifestum : ergo beatitudo non excludit talem potentiam.

Ar-

43 *Arguit. 3.* Arguit tertiò *num. citat.* nam licèt esse impeccabilem per naturam non compatiatur cum conceptu creaturæ, esse tamen per gratiam impeccabilem non incompatitur cum prædicto conceptu; at nulla alia gratia aptior est dabilis ad istam impeccabilitatem præstandam, quam gratia consummata per beatitudinem: ergo beati ab intrinseco ex natura beatitudinis impeccabiles sunt. Maior suadetur: nam eo ipso, quod sit impeccabilis solum per gratiam, necessario est creatura: ergo dicta impeccabilitas non est incomposibilis cum conceptu creaturæ, imò illam exposcit.

Respondeo. Respondeo ad argumentum concessis præmissis, negando consequentiam, quia ex illis solum sequitur: beatos esse impeccabiles per gratiam, vt ex argumento apparet. Cum ergo esse impeccabiles per gratiam sit omninò idem, ac esse impeccabiles ab extrinseco, vt demonstratum manet *à num. 20. vsquè ad 33.* hinc est, quod prædictum Ill. Godoy argumentum est pro nostra conclusione probatio, & contra ipsum retorqueatur cum dictis à dicto *num. 20. vsquè ad 33.*

Retorqueo.

44 *Arguit. 4.* Arguit quartò *num. citat.* visio beata ex se infert necessario in voluntate amorem actualem Dei super omnia; sed cum tali amore incompatibile est actuale peccatum: ergo beati ex intrinsecis beatitudinis sunt impeccabiles. Minor cum consequentia (inquit Ill. Godoy) apud Scotum tenet. Maior autem, quam (ait) negat Scotus, ostensa satis supponitur ab ipso *disput. præcedent.* Vndè restat (inquit) minorem argumenti probare, vt evidentèr constet veritas suæ conclusionis, quam sic suadet: per peccatum homo avertitur à Deo, vt vltimo fine, & in creaturam, vt in vltimum finem, convertitur; atqui aversio à Deo, vt fine vltimo, & conversio in illum, vt in vltimum finem, simul esse non possunt: ergo cum amore Dei super omnia stare nequit actuale peccatum.

45 *Triplex responsio.* Respondeo primò ad argumentum, ommissis præmissis, negando consequentiam, quia facit transitum de sensu composito ad sensum divisum contra legem bonæ argumentationis ex dictis *numer. 37. & 38.* Respondeo secundò retorquendo argumentum cum dictis *num. 42.* Respondeo tertiò negando maiorem, quam satis contra Ill. Godoy ostendimus *disp. præced.* Et licèt eam gratis pro nunc concedamus, argumentũ nihil contra nostram, & Scoti opinionem probat, quia falsa est minor apud Scotum, in quo deceptus fuit Ill. Godoy dicens: minorem apud Scotum tenere. Illius autem probatio exigit resolutionem illius difficultatis, an, scilicèt, cum amore beatifico stare possit actuale peccatum? Quam examinabimus à §. 9. vsquè ad finem disputationis, vbi non solum ad prędictam minoris probationem, verum & ad alia, quæ pro amore tradi possunt, occurremus.

§. III.

Visionem beatificam se sola impeccabilitatem ab intrinseco non præstare, probatur authoritate Patrum, & rationibus fundamentalibus.

46 *2. Concluſ.* SEcunda conclusio: *Sola visio beatifica, non subsecuto amore in voluntate, non redderet beatum ab intrinseco impeccabilem in sensu diviso.* Sic Authores primæ sententiæ, & citati pro secunda *num. 5.* Probatur ex Div. Augustino contra Maximum *lib. 3 cap. 13.* dicente: *Cuicumque rationali creaturæ præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed gratiæ Dei.* Necnon ex D. Hyeronimo *tract. de filio Prodigo*, dicente: *Solus Deus est, in quem non potest cadere peccatum.* Denique ex D. Ambrosio *lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19.* vbi hæc habet verba: *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est; sola autem est à peccato immunis, & immaculata, sempiterna Divinitas*: ergo ex mente istorũ Patrum, si peccandi potestas à creatura aufferatur, vel impediatur, id per aliquod extrinsecum fieri debet: ergo cum beatus sit creatura, nequit beatus esse ab intrinseco impeccabilis: ergo nec ratione solus visionis, nec alterius cuiuscumque, beatus est ab intrinseco impeccabilis. Nullam ex his authoritatibus adducit Ill. Godoy, sicque non est locus impugnandi. Si autem pro ipso dicas: prædictas authoritates solum probare potentiam remotam, quam non negat Ill. God. Contra ipsum probabimus potentiam proximam.

Prob. authorit. P. P.

47 *1. ratio fundamentalis.*

Prima ratio fundamentalis ſupponit contra Ill. Godoy, & Thomiſtas, quod poteſt eſſe in voluntate peccatum, quin in intellectu error, ignorantia, aut inconſideratio, præcedat. Quod fuſsè oſtenditur ab Scoto *in 3. diſt. 36. §. Contra hoc arguitur*; quam ſententiam præter vniverſos Scotiſtas ſubſtinent Beccan. 2. *part. Theologiæ tract. 1. cap. 1. quæſt. 5.* Onuphus *tract. 2. de Anim. diſp. 2. part. 3. dub. 3.* Hurtadus *diſput. 14. de Anim. ſect. 8.* Henricus *quodlib. 1. quæſt. 16. & 17. quodlib. 10. quæſt. 10.* Ocham. *in 3. quæſt. 12. art. 3.* Gabriel *ibi cap. 15. quæſt. vnica, art. 3.* Marſilius *quæſt. 16. artic. 2.* Ricardus *in 2. diſt. 28. artic. 2. quæſt. 4.* Maior *quæſt. vnica.* Almain. *tract. 3. Moral. cap. 2. & 3.* Eſtque communis apud Recentiores extrà Thomiſticam Scholam.

48 *Poteſt eſſe peccatũ in voluntate, quin ſit error in intellectu.*

Illamque docuerunt Ariſtoteles 3. *Ethic. cap. 2.* dicens: *Nonnulli opinantur quidem melius, ſed propter pravitatem eligunt, quæ non oportet.* Et *cap. 14.* vbi ait: *Voluntas incontinentis appetit id, quod non putat eſſe faciendum.* Et 7. *Ethic. cap. 3. & 5.* vbi ait: Quod ſtante ratione vniverſali, & particulari in anima, eſt in poteſtate noſtra, vt ſequatur, vel non ſequatur actio, quod etiam ſanxerunt tres articuli Pariſienſes, quorum primum refert Doctor D. Auguſtinus in illud Pſalm. 123. vbi poſtquam dixit: *Sæpè quid ſit agendum, videmus, nec agimus, quia non delectat.* Subdit paulo infrà: *Ecce videmus, quid agendum, & tamen nolumus agere.* D. Bernard. *de Libero Arbitrio*, his verbis: *Voluntas licèt non ſit ſine ratione, tamen contra rationem poteſt eligere minus bonum.* Job *cap. 4.* dicens: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt.* Et denique D. Lucas *cap. 12.* ſic alloquens: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit*: ergo iuxtà Philoſophum, Patres, & Scripturam poteſt eſſe peccatum in voluntate, quin in intellectu ſit error, ignorantia, vel inconſideratio.

49 Paretque ſententia prædicta in Angelis, & Adamo: nam peccata Angelorum, & primi Parentis, non fuerunt ex ignorantia, vel alio defectu conſiderationis in intellectu, cum pœna non præceſſerit culpam. Denique ratione claret: nam aliquod eſt peccatum ex pura malitia, quod patet ex eo, quod hoc peccatum diſtinguunt Patres, præſertim Auguſtin. *lib. 83. quæſtionum, quæſt. 27.* à peccato ex infirmitate, & ignorantia, quia peccatum ex infirmitate oritur occaſionaliter ex inclinatione appetitus ſenſitivi in ſuum delectabile; peccatum ex ignorantia oritur ex ratione errante; peccatum verò ex pura malitia fit, cum ipſa voluntas ſecundum ſe, neque illecta ab appetitu ſenſitivo, neque decepta à ratione errante, vult pro ſuo libito contra rationem agere. Poteſt ergo eſſe peccatum in voluntate, quin in intellectu ſit error, ignorantia, vel inconſideratio.

50 *Formatur probatio.*

Hac itaque ſententia pro vera ſuppoſita, ſic formatur probatio: ideò iuxtà Ill. Godoy *num. 19.* & omnes Thomiſtas, ex vi viſionis beati ſunt ab intrinſeco impeccabiles, quia non poteſt eſſe peccatum in voluntate, quin præcedat in intellectu error, ignorantia, vel inconſideratio; ſed hoc eſt falſum, vt ſupponimus: ergo beati non ſunt ex vi viſionis ab intrinſeco impeccabiles. Confirmatur: viſio beata poteſt ad ſummum ex vi ſua excludere ab intellectu beati omnem errorem, ignorantiam, ſeu inconſiderationem circà obiecta agibilia; ſed excluſo ab intellectu omni errore, ignorantia, ſeu inconſideratione circà obiecta agibilia poteſt voluntas peccare: ergo ex vi viſionis non ſunt beati ab intrinſeco impeccabiles. Maior, & conſequentia tenent. Minor autem eſt ſententia, quã vt veram ſupponimus, & aliquomodo probavimus, alias, & plures probationes relinquendo videndas apud Scotiſtas, tum *in tract. de Anima*; tum etiam de *Actibus humanis*, vbi diſputant: An voluntas determinetur ab vltimo iudicio practico intellectus?

Confirmat.

51 *2. ratio fundamentalis.*

Secunda ratio fundamentalis ſupponit contra Ill. Godoy, & Thomiſtas: intellectum non radicare libertatem, nec viſionem radicare amorẽ, conſequenterque viſionem non opponi radicaliter cum peccato, ſicut rationalitas opponitur cum hinibilitate, cuius oppoſitum tenet Ill. Godoy cum Thomiſtis, dicentibus, quod ſicut rationalitas radicat riſibilitatem, quæ formaliter opponitur hinibilitati, ita viſio radicat amorem, qui formaliter opponitur peccato. Opinionem prædictam habet Scotus *in 1. diſt. 2. quæſt. 2. §. Oſtenſo eſſe de proprie-*

tatibus, & *dist.* 8. *quæst. vltima.* Et *dist.* 39. *&* 42. *quæst. vnica.* Et *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. quem præter Scotistas omnes, secuntur Suarez *lib.* 1. *de Auxilijs, cap.* 2. Et *disp.* 29. *Methaph. sect.* 3. Hurtadus *disp.* 15. *de Anima, sect.* 5. Arriaga *disp.* 8. *de Anima, sect.* 2. alios citans. Et Beccanus 2. *part. Theol. tract.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 4. putat: longè probabiliorem esse hanc Scoti opinionem.

52 *Formatur probatio.*

Hac itaquè sententia pro vera supposita, sic rationem formo: intellectus non radicat libertatem: ergo visio non opponitur radicalitèr peccato: ergo ex se, & ex ratione sui non habet, beatum constituere ab intrinseco impeccabilem. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens autem est, quod supponimus, & probatum manet *disput. anteced. à numer.* 23. *vsquè ad num.* 31. vbi illius probationes videndas relinquo, & alias plures apud Scotistas, tum *in tract. de Anima*; tum etiam *de Actibus humanis*, vbi disputant: An prima radix intrinseca libertatis nostræ sit indifferentia iudicij.

53 3. *ratio fundamentalis.*

Tertia ratio fundamentalis supponit contra Ill. Godoy, quod contra ipsum demonstravimus *disput. præcedent.* nempè, visionem beatam non necessitare voluntatem beati ad amorem Dei, necessitate saltim, quo ad exercitium. Quam opinionem esse omnium Scotistarum cum Scoto, eamque tueri Nominales, & non obscurè insinuasse D. Thomam, diximus *disp. præced. num.* 5. Esseque expressam D. August. §. 2. *per totum.* Hac itaquè sententia pro vera supposita, sic probationem formo: Amor beatorum, secutus ad visionem beatam, est liber, libertate saltim contradictionis, seu quoad exercitium: ergo ex vi visionis non sunt beati ab intrinseco impeccabiles. Antecedens, vt verum supponimus, & latè probatum habemus contra Ill. God. *disput. præced.* Consequentia autem claret: repugnat namquè, quod amor beatorum, secutus ad visionem beatam, sit liber, libertate prædicta, & quod beati non sint ab intrinseco peccabiles, vt est notorium.

Formatur probatio.

54 *Duplex motivum prædictarũ probationum.*

Nec mirum sit, nos conclusionem probare, triplici supradicta sententia pro vera supposita. Duplex namquè adest motivum, & vtrumq; efficax. Primum est: quia veritas præsentis conclusionis fundamentalitèr dependet à veritate trium prædictarum sententiarum. Secundum est: quia Ill. Godoy, vt oppositam nobis conclusionem probet, sumit *num.* 19. primam rationem, supposita pro vera sententia Thomistarum, nempè; non posse esse in voluntate peccatum, quin in intellectu error, ignorantia, aut inconsideratio præcedat. Si ergo ipse sic probat conclusionem nobis ex diametro oppositam; nulli mirum, quod nos, qui vestigia illius sequimur, probemus conclusionem illi ex diametro oppositam modo, quo ipse nos probare docuit.

55 *Probat. 4. concluſ.*

Cæterum ne fugere videatur, solutiones Ill. Godoy impugnare. Probatur quartò conclusio: stante in intellectu iudicio perfecto, quo iudicat, *hic, & nunc furandum non esse*, potest voluntas eligere furtum, & illud omittere; sed in hoc casu nullus error, aut inconsideratio præcedit in intellectu: ergo potest esse in voluntate peccatum, quin in intellectu error, aut inconsideratio præcedat: ergo licèt visio beata ratione sui omnem defectum intellectus excludat, voluntas beati peccare poterit; & consequentèr nostra prima ratio fundamentalis in verissima nititur opinione; & in falsa sententia prima Ill. Godoy probatio. Probatur maior: adhuc supposito prædicto iudicio, voluntas est libera quoad exercitium, & specificationem: ergo stante in intellectu iudicio perfecto, quo iudicat, *hic, & nunc furandum non esse*, potest voluntas eligere furtum, & illud omittere.

56 *Respond. 1. Ill. Godoy.*

Respondet primò Ill. Godoy *numer.* 24. negando maiorem de potentia expedita ab omni necessitate ex suppositione; nam supposito illo iudicio practico intellectus, quo vltimatè iudicat hic, & nunc furandum non esse, non potest voluntas electionem furti cum prædicto iudicio componere; absolutè tamen potest eligere furtum, quia potest movere intellectum, vt oppositum iudicet, nempè, hic, & nunc esse furandum, quo posito, poterit eligere furtum, & quia hoc sufficit, vt libera sit, absolutè est dicendum, gaudere libertate, nedum exercitij, quatenùs potest omnem actum suspendere, sed etiam specifica-

tio-

tionis, quatenùs potest eligere furtū, & eius negationem, cum hoc tamen discrimine, quod suspensionem actus potest cum prædicto iudicio componere, secùs verò electionem furti.

57 *Contra.1* Solutionem admitto, & infero contra ipsum: ergo supposito iudicio practico, quo intellectus iudicat, *hic, & nunc furandum non esse*, potest voluntas suspensionem furti cum prædicto iudicio componere: ergo stante in intellectu hoc practico iudicio: *hic, & nunc audiendum est sacrum*, potest voluntas omittere auditionem sacri: ergo & peccare, nullo errore in intellectu præexistente. Infero denique: ergo stante in intellectu beati iudicio perfecto, & consummato, quo iudicet: *Omnia esse referenda in Deum, vt vltimum finem*, poterit voluntas aliquid non referre, & consequentèr peccare peccato omissionis. Omnes consequentiæ patent, & ipsa solutione Ill. Godoy ostenduntur: iudicium practicum intellectus non necessitat voluntatem quoad exercitium: ergo omnes consequentiæ tenent.

58 *Replicat Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 26. admissa triplici consequentia, negando vltimam: nam sicut iudicio, quo beatus iudicat Deum esse diligendum super omnia, necessitatur voluntas ad amoris exercitium; viator autem non necessitatur ex simili iudicio per fidem habito in via, ex eo, quod primū est necessarium; & proponit bonitatem Dei clarè, & prout est in se ipsa; ita paritèr: iudicium, quo beatus iudicat, hic, & nunc esse eliciendum aliquem actum cadentem sub præcepto, quia necessarium est, præcepto supposito, & proponat elicientiam actus, vt necessariam ad conservationem finis, quam necessario diligit, aut diligeret, si non impediretur, necessitat voluntatem beati ad exercitium actus, etsi iudicium simile non necessitet voluntatem viatoris, opposita de causa, videlicèt, quia nec est necessarium, nec proponit elicientiam actus, vt necessariam ad finem, cui necessario adhæreat in via.

59 *Impugnat.* Hæc tamen solutio impugnatur: iudicium perfectum, & consummatum, quo beatus iudicat: *Omnia esse referenda in Deum, vt vltimum finem*, non necessitat voluntatem quoad exercitium: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: iudicium perfectum, & consummatum, quo beatus iudicat, *Deum esse diligendum super omnia*, non necessitat voluntatem quoad exercitium: ergo nec iudicium perfectum, & consummatum, quo beatus iudicat: *Omnia esse referenda in Deum, vt vltimum finem.* Consequentia patet ex ipsa solutione Ill. Godoy. Antecedens verò multiplicitèr manet probatum contra ipsum *disput. præced. à num.* 23. *vsquè ad* 31. *à num.* 36. *vsquè ad* 39. *& num.* 43. *&* 44.

60 *Respond.2. Ill. Godoy.* Respondet secundò Ill. Godoy *num.* 17. ad nostram probationem: defectum in intellectu ad peccatum præexactum, esse defectum efficatiæ in movendo, & excitando voluntatis consensum, & iste semper supponitur: vndè quando in casu posito, scilicèt, quod intellectus iudicaret, hic, & nunc furandum non esse, voluntas appeteret furtum, præcederet in prædicto iudicio defectus efficatiæ præ alio in intellectu existente, quod iudicaret esse furandum, & quia talis defectus nequit inveniri in intellectu beati, qui ratione claræ visionis Divinæ Essentiæ iudicat, Deum esse super omnia diligendum, & omnia in ipsum ordinari debere, ratione cuius, sicut necessitat voluntatem ad primum, ita etiam ad secundum; consequens fit, quod non compatiatur secum actuale peccatum, estò simile iudicium habitum in via cum actuali peccato compati possit. Huic solutioni videtur magis quiescere Ill. Godoy; ait enim in initio illius: *Vel secundo, vt ab his argumentis liberemur, potest ad argumentum factum responderi, defectum, &c.* Sed (nifallor) non magis, quin potiùs minus, & multo minus, illi acquiescere debebat.

61 *Solutio hæc videtur infirmior.* Ratio est: nam hęc solutio Ill. Godoy supponit, quod vt voluntas obiectum amplectetur, requiritur efficatior propositio vnius boni præ alio, ita, vt ex duobus bonis æqualitèr propositis ab intellectu, neutrum possit amare voluntas, & ex duobus inæqualitèr propositis, nequeat minus efficacitèr propositum amplecti. Hæc fuit (etsi id taceat Ill. Godoy) sententia Bazquez *part.* 2. *disput.* 43. *cap.* 2. contra quam stat Scotus *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *§. Ad argumenta*, dicens: quod non bonitas aliqua obiecti causat necessario assensum voluntatis, sicut veritas causat assensum in intellectu, sed vo-

lun-

luntas liberè assentit cuilibet bono, & ita liberè assentit maiori bono, sicut & minori. Idem docet *in* 3. *dist.* 36. §. *Contra hoc*, & hæc est contra Bazquez communis opinio. Vndè si hanc sententiam, vt veram, supponamus, vt suam supponit Ill. Godoy, convincens est nostra prædicta probatio.

62 *Reijcitur* 1

Cœterum in hoc non sistendo, reijcitur primò Ill. Godoy solutio per dicta *num.* 48. vbi authoritatibus Philosophi, Patrum, & Scripturæ ostendimus, posse esse peccatum in voluntate absquè vllo defectu in intellectu.

Secundò.

Secundò per dicta *numer.* 49. vbi diximus: nec Luciferum, nec Adamum peccasse ex defectu in intellectu.

Tertiò.

Tertiò ex ibi dictis, vbi ex D. August. manet probatum, esse peccatum ex pura malitia, quod sine defectu aliquo in intellectu procedit à voluntate, pro suo libito contra rationem agente: ergo falsum est, quod ad peccatum sem per præsupponatur defectus efficatiæ in movendo, & excitando voluntatis consensum, in quo nititur solutio Ill. Godoy.

63 *Quartò.*

Reijcitur quartò: vt voluntas amplectetur obiectum, non requiritur efficatior motio vnius obiecti præ alio: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ex duobus æqualitèr corpore, & anima affectis, videntibus pulchritudinem alicuius corporis, vnum potest illicitè concupiscere, & alter in casta voluntate permanere: ergo vt voluntas amplectetur obiectum, non requiritur efficatior motio vnius obiecti præ alio. Consequentia patet; alioquim non essent animo æquales, vt supponitur in antecedenti. Antecedens autem est D. Augustini 12. *de Civitat. cap.* 6. & reddens rationē illius differentiæ, ait: esse, quia vnus voluit, & alter noluit à castitate deficere.

Quintò.

Ex quo reijcitur quintò: si causa illius illicitè concupiscentis ab altero, in casta voluntate permanente, esset efficatior intellectus motio, sequeretur primò: quod non essent æquales animo contra August. Secundò: quod malè Augustin. refundisset totalem causam illius differentiæ in velle, & nolle; debuisset enim prædictam causam refundere in scire, & nescire, seu in efficatiorem motionem intellectus in vno præ alio; atqui totum hoc est contra D. Augustin: ergo vt voluntas obiectum amplectetur, non requiritur efficatior motio vnius obiecti præ alio.

64 *Sextò.*

Sextò: si ad peccandum requiritur semper, quod obiectum malum efficatiùs proponatur, voluntas erit necessitata quoad specificationem, & quoad exercitium: ergo stante tali propositione, nunquam poterit peccare voluntas; atqui hoc est contra Ill. Godoy, & omnes: ergo nulla est solutio tradita. Probatur antecedens: nam vel duo obiecta, nempè, bonum, & malum, proponuntur æqualitèr, vel inæqualitèr? Sed quocumque modo erit voluntas necessitata quoad specificationem, & quoad exercitium: ergo si ad peccandum semper requiritur, quod obiectum malum efficatiùs proponatur, voluntas erit necessitata quoad specificationem, & quoad exercitium. Probatur minor supposita æquali propositione: si duo obiecta æqualitèr proponantur, voluntas neutrum amplecti potest: ergo voluntas erit necessitata quoad specificationē, & quoad exercitium. Antecedens est certum; quia iuxtà opinionem Ill. Godoy, vt voluntas amplectetur obiectum, requiritur, quod efficatiùs vnum præ alio proponatur. Consequentia est manifesta; nam in illo casu voluntas, nec velle, nec nolle posset, & necessario esset suspensa.

Probatur minor pro 1. *part.*

Supposita verò inæquali propositione, probatur dicta minor: si duo obiecta inæqualitèr proponantur, v. g. si bonum efficatiùs proponatur, quam malum, & abstinentia à bono, tunc voluntas nec potest velle malum, nec omittere bonum: ergo voluntas erit necessitata quoad specificationem, & quoad exercitium. Antecedens patet: nam iuxtà opinionem prædictam, quod minus efficacitèr proponitur, nequit amplecti volūtas. Consequentia est legitima, quia in casu dato vtraque libertas includitur.

Probatur pro 2.

65 *Reijcitur vltimo.*

Denique reijcitur: intellectus nulla motione, quantumcumque efficaci, necessitat voluntatem quoad exercitium: ergo maior, vel minor efficatia intellectus in movendo, & excitando voluntatis consensum, inutilis est: ergo & solutio Ill. Godoy. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens autem patet ex locis citatis *numer.* 59. & probatur brevitèr: intellectus nulla motione, quantumcumque efficaci, destruit; quod est intrinse-

cum,

cum,& eſſentiale voluntati;ſed libertas ſaltim quoad exercitium eſt intrinſeca,& eſſentialis voluntati: ergo intellectus nulla motione, quantumcumque efficaci, neceſsitat voluntatem quoad exercitium.

66 *Probat. 5. concluſ. ex D.Thom.*

Probatur quintò concluſio ex D. Thoma:nam 1. 2. *artic.* 4. *&* 1. *part. quæſt.*62. *artic.*8. hæc habet: Sic ſe habet reſpectu videntis Deum bonitas viſſa,ſicut reſpectu viatoris bonitas in communi;atqui bonitas in communi non neceſsitat voluntatem viatoris quoad exercitium: ergo nec bonitas viſſa neceſsitat voluntatem videntis Deum quoad exercitium, & conſequentèr videns Deum non eſt vi viſionis ab intrinſeco impeccabilis.Hæc ratio magnam vim habere videtur, attentis verbis D.Thomæ,quibus vtitur Ill.Godoy ad ſuam ſententiam firmandam,ſed benè inſpectis,& paritate Angelici Doctoris currente, potiùs, & clariùs noſtram opinionem demonſtrant. Et hoc conſonat valdè cum ab eo dictis *quæſt.*22. *de Veritate, artic.*6.*propè finem corporis,quantum ad* 1.*Ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cuiuslibet obiecti.* Quæ verba adduximus *diſput. præced. num.* 15. ad probandum,voluntatem beati non neceſsitari per viſionem ad amorem, neceſsitate quoad exercitium.

67 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *numer.* 31. conceſsis præmiſsis, negando conſequentiam; nam hoc ipſo, quod proponatur voluntati beati obiectum præceptum, vt proſequendum in ordine ad Deum, cum talis propoſitio neceſſaria ſit, & obiectum proponat, vt neceſſarium ad finem,cui voluntas ex ſe neceſſario adhæret, non ſolum neceſsitatur quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium.

68 *Contra* 1.

Hæc tamen ſolutio nec tollit, nec minuit efficatiam noſtræ probationis, in Div. Thoma fundatam, vt duplici replica apparebit. Contra primò: voluntas beati neceſsitatur qnoad exercitium à propoſitione obiecti præcepti iuxtà ſolutionem Ill.Godoy: ergo falſa eſt doctrina D.Thomæ. Conſequentia eſt clara: nam data ſolutione Ill. Godoy, non ſic ſe habet reſpectu videntis Deum bonitas viſa,ſicut reſpectu viatoris bonitas in communi ob dicta in probatione.

69

Contra ſecundò: vi propoſitionis D.Thomæ infert Ill.Godoy *num.* 20: quod videns Deum nihil poteſt appettere,niſi ratione bonitatis Divinę, & per ordinem ad illam, quod eſt,eſſe neceſsitatum quoad ſpecificationem: ergo vi eiuſdem propoſitionis debet inferre: quod videns Deum poteſt omittere actum præceptum,quod eſt, eſſe liberum quoad exercitium. Probatur conſequentia:ideò ex vi propoſitionis D.Thomæ infert Ill. Godoy, quod videns Deum nihil poteſt appettere,niſi ratione bonitatis Divinæ, & per ordinem ad illam,quia bonitas in communi neceſsitat voluntatem viatoris, vt nihil poſsit appettere, niſi ratione boni in communi, & in ordine ad illud; atqui bonitas in communi non neceſsitat voluntatem viatoris,vt non poſsit omittere actum præceptum: ergo vi eiuſdem propoſitionis debet inferre:quod videns Deum poteſt omittere actum præceptum, quod eſt eſſe liberum quoad exercitium. Et certè ita hoc videtur manifeſtum, vt vel propoſitio D. Thomæ ſit falſa,vel falſa ſit ſolutio Ill.Godoy, & illius opinio. *Contra* 2.

§. IV.

Specialibus rationibus probatur concluſio.

70 1.*ratio ſpecialis.*

ULtrà rationes fundamentales, iam declaratas, non deſſunt ſpeciales rationes pro veritate noſtræ concluſionis; ex quibus prima eſt: in beato non eſt impotentia remota ad peccandum: ergo ei ab intrinſeco non repugnat potentia proxima ad peccandum, conſequentèrque beatus non eſt ab intrinſeco impeccabilis. Antecedens patet primò ex dictis *num.* 32. Secundò: quia potentia remota peccandi eſt liberũ arbitrium finitum, & defectibile; ſed hoc manet in beato; eſt enim omninò eiuſdem rationis in omnibus hominibus: ergo in beato non eſt impotentia remota ad peccandum. Tertiò: potentia remota ad peccandum non eſt culpabilis; eſt enim naturalis, & à ſolo Deo producta ante omnem conſenſum liberum voluntatis. Quartò: non repugnat beato phiſica capacitas ad peccandum, quæ nunquam ſit in actu reducenda;ſed hæc eſt potentia remota ad peccandum: ergo in beato non fuit talis impotentia ad peccandum.

Con-

71 *Consequentia prob.* 1.

Consequentia probatur primò: posita impotentia remota ad peccandum, necessario ponitur aliquid, ob quod repugnet proxima potentia ad peccandum; sed per te in beato non est impotentia remota ad peccandum: ergo essentialitèr ei non repugnat potentia proxima ad peccandum. Probatur maior: posita essentiali repugnantia potentiæ proximæ ad peccandum, necessario ponitur impotentia remota ad peccandum: ergo posita impotentia remota ad peccandum, necessario ponitur aliquid, ob quod repugnet potentia proxima ad peccandum. Antecedens probatur primò: ablata essentiali repugnantia potentiæ proximæ ad peccandum, necessario auffertur impotentia remota ad peccandum: ergo similitèr è contra. Secundò: impossibilitas formalis alicuius actus secundi supponit impossibilitatem in actu primo, seu radicem talis impossibilitatis: ergo, &c. Tertiò: essentialis repugnantia potentiæ proximæ cuiuscumque rei supponit radicem, ex qua oriatur; sed radix illa impotentia remota est: ergo posita essentiali repugnantia potentiæ proximæ ad peccandum, necessariò ponitur impotentia remota ad peccandum. Maior probatur à simili: essentialis formalis non repugnantia, seu potentia proxima cuiuscumque effectus, supponit radicem, seu potentiam remotam, ex qua oriatur: ergo paritèr.

72 *Secundò.*

Probatur secundò dicta consequentia: simplex potentia proxima ad peccandum repugnat ex negatione concursus Dei ad vtrumlibet parati; sed hæc non est repugnantia ab intrinseco: ergo beato ab intrinseco non repugnat potentia proxima ad peccandum. Maior patet: nam posito tali concursu, potentia remota fieret proxima. Minor est certa; nam concursus Dei est quid extrinsecum beato. Probatur tertiò: simplex potentia proxima ad peccandum non est culpabilis; est enim à Deo absquè vllo libero consensu nostræ voluntatis; sed ob hoc non repugnat potentia remota: ergo similitèr. Quartò: proxima potentia tantum extrinsicè differt à remota; sed à differentia extrinseca nequit provenire repugnantia ab intrinseco: ergo si beato convenit potentia remota ad peccandum, ei ab intrinseco non repugnat potentia proxima. Maior patet in quacumque potentia proxima, & remota. Minor claret in omni differentia extrinsecâ, cuius affirmatio, vel negatio de subiecto non infert in illo aliquam repugnantiam ab intrinseco. Consequentia legitima est.

Tertiò.

Quartò.

Si autem ad hanc nostram spetialem probationem responderet aliquis pro Ill. Godoy quod ipse adducit *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 41. *num.* 360. solvendo quandam replicam, quam sibi fecit *num.* 358. & similem certè nostræ probationi, ipsa solutio est contra ipsum impugnatio, vt patet ex à nobis dictis *tom.* 3. *in* 3. *sent. disp.* 41. *num.* 280. vbi videri valet.

73 *Respondeb. cũ doctrina Ill. Godoy.*

Contra.

Secunda ratio specialis est: nam non minus est Deo essentialis ratio causæ primæ, ac est voluntati essentialis potentia remota peccandi; sed quia potentia remota peccandi est voluntati essentialis, nequit ab ea tolli, nisi destructa voluntatis essentia: ergo sicut nequit tolli à voluntate id, quod habet ratione potentiæ remotæ ad peccandum, scilicèt, *quod sit potens remotè ad peccandũ*, ita nequit à Deo tolli id, quod Deus habet ratione causæ primæ. Atqui ratione causæ primæ habet Deus ius afferendi concursum indifferentem omni creaturæ: ergo nequit à Deo tolli, quod possit afferre talem concursum. Tunc sic, sed hoc ipso, quod possit Deus afferre concursum indifferentẽ omni creaturæ, nulli creaturæ repugnat potentia proxima ad peccandũ, cum hæc constituatur ex potentia remota, & concursu Dei indifferenti: ergo nulli creaturæ, quanta cumque visione beatifica ornatæ, repugnare potest potentia proxima ad peccandum.

74 *2. ratio specialis.*

Ex hac ratione apparet, quod licèt potentia remota peccandi sit voluntati essentialis; non verò proxima, vt fatetur Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 41. *num.* 301. & nos etiam cum ipso fatemur; ob quod possit de facto tolli à creatura potentia proxima peccandi, vt contingit in beatis, & quod duntaxat asserit Scotus; tamen ex hoc non valet inferre, quod creaturæ possit repugnare potentia proxima peccandi; nam sicut creaturæ est essentialis potentia remota ad peccandum, ita est Deo essentiale, quod hæc potentia remota fiat proxima.

75 *Declaratur ratio.*

Vndè non repugnantia potentiæ remotæ ſumitur ab eo, quod eſt eſſentiale creaturæ; & non repugnantia potentiæ proximæ ſumitur ab eo, quod eſt eſſentiale Deo. Si ergo nequit tolli à creatura potentia remota peccandi, quia eſt creaturæ eſſentialis, nec poteſt à Deo tolli, quod potentiam remotam faciat proximam, quia hoc eſt eſſentiale Deo, & conſequentèr nunquam poteſt repugnare creaturæ potentia proxima ad peccandum, quod eſt noſtrum intentum.

76 *3 ſpecialis ratio.* Tertia ſpecialis ratio proponitur: in nullo eventu actus vnius ſpeciei poteſt participare differentiam actus alterius ſpeciei; ſed ſi ex vi viſionis voluntas beati eſſet ab intrinſeco impeccabilis, actus vnius ſpeciei participaret differentiam actus alterius ſpeciei: ergo ex vi viſionis voluntas beati non eſt ab intrinſeco impeccabilis. Maior patet: nam vna ſpecies nequit participare differentiam alterius ſpeciei: ſimilitèr ergo de actu. Probatur minor: ſi voluntas beati ex vi viſionis eſſet ab intrinſeco impeccabilis, voluntas beati eſſet ab intrinſeco neceſsitata ad amandum Deum; ſed ſi voluntas beati eſſet ſic neceſsitata, actus vnius ſpeciei participaret differentiam actus alterius ſpeciei: ergo ſi ex vi viſionis voluntas beati eſſet ab intrinſeco impeccabilis, actus vnius ſpeciei participaret differentiam actus alterius ſpeciei.

Probatur minor: ſi voluntas beati eſſet ſic neceſsitata, fruirio beati participaret neceſsitatem; ſed ſi fruitio beati participaret neceſsitatē, actus vnius ſpeciei participaret differentiā actus alterius ſpeciei: ergo ſi voluntas beati eſſet ſic neceſsitata, actus vnius ſpeciei participaret differentiā actus alterius ſpeciei. Antecedens conſtat ex diviſione entis in liberum, & neceſſarium, tamquam in differentias oppoſitas, præſertim in ſententia Thomiſtarum aſſerentium, libertatē non compati cum neceſsitate. Conſequentia patet: fruitio beati, & viatoris in ſententia D. Thomæ, & probabili Scoti, eſt eiuſdem ſpeciei: ergo ſi volitio viatoris, participando neceſsitatem, actus vnius ſpeciei participaret differentiam actus alterius ſpeciei, ſimilitèr fruitio.

77 *4. ratio ſpecialis.* Quarta ratio ſpecialis eſt: propoſitio obiecti ex parte intellectus eſt ſimplicitèr neceſſario, & indiſpenſabilitèr requiſita ad actum voluntatis; ſed propoſitio obiecti cum indifferentia ex parte intellectus eſt ſimplicitèr neceſſario, & indiſpenſabiliter requiſita ad actum liberum voluntatis: ergo eodem modo requiritur propoſitio obiecti ex parte intellectus ad actum voluntatis, ac propoſitio obiecti cum indifferentia ad actum liberum voluntatis. Maior patet: quia nihil volitum, quin prȩcognitum. Minor eſt Thomiſtarum. Conſequentia videtur certa.

Suſſummo: atqui ex non propoſitione obiecti ex parte intellectus, non ſtat impoſsibilitas ab intrinſeco in voluntate ad habendum actum; habet enim voluntas principium volitivum: ergo ex non propoſitione obiecti cum indifferentia ex parte intellectus, non ſtat impoſsibilitas ab intrinſeco in voluntate, ad habendum actum liberum: ergo non ſtante indifferentia ex parte intellectus, ſtat poſsibilitas ab intrinſeco in voluntate ab actum liberum: ergo ex vi viſionis non ſtat impoſsibilitas ab intrinſeco in voluntate beati, ad liberè amandum: ergo nec impoſsibilitas ab intrinſeco in voluntate beati ad non peccandum: ergo ex vi viſionis non ſunt beati ab intrinſeco impeccabiles.

78 *5. ratio ſpecialis.* Quinta ratio ſpecialis ſub hac forma proponitur: ex incompatibilitate omnis mali moralitèr cum viſione beatifica, non ſequitur, beatum vi viſionis eſſe formalitèr ab intrinſeco impeccabilem: ergo, &c. Probatur antecedens: ex incompatibilitate omnis mali phiſicè, & moralitèr cum Deo, qua Deo, non ſequitur Deum, qua Deum, eſſe formalitèr ab intrinſeco verum: ergo ſimilitèr. Probatur antecedens: ſi ex incompatibilitate prædicti mali cum Deo, qua Deo, Deus, qua Deus, eſſet formalitèr ab intrinſeco verus, Deus, qua Deus, eſſet obiectum formale fidei; atqui Deus, qua Deus, non eſt apud Thomiſtas obiectum formale fidei: ergo ex incompatibilitate omnis mali phiſicè, & moralitèr cum Deo, qua Deo, non ſequitur, Deum, qua Deum, eſſe formalitèr ab intrinſeco verum.

79 *6. ratio.* Sexta ſpecialis ratio ad hanc formam redducitur: cum potentia radicali ad peccandum non ſtat proxi-

ma impeccabilitas absquè aliquo subsecuto: ergo cum potentia radicali ad non peccandum, non stat proxima impeccabilitas absquè aliquo subsecuto. Antecedens constat in beatis, qui, vtpotè, creatutæ, habent potentiam radicalem ad peccandum, & vt proximæ sint impeccabiles, ponitur in eis aliquod donum. Cōsequentia paritate tenet. Infero: ergo beati vi visionis, amore non secuto, non sunt proximè impeccabiles. Probatur consequentia: per visionē tantum radicalitèr sunt beati impeccabiles; sed per te cum potentia radicali ad non peccandum, non stat proxima impeccabilitas absquè aliquo subsecuto: ergo cum potentiaradicali ad non peccandum, non stat proxima impeccabilitas absquè aliquo subsecuto.

80 *Vltima ratio ad hom. contra Ill. God.*

Vltima specialis ratio ad hominem contra Ill. Godoy sic formatur: visio beata non necessitat voluntatē ad non peccandum: ergo visio se sola non reddit beatum ab intrinseco impeccabilem. Probatur antecedens: visio beata non necessitat voluntatem ad amorem creaturarum: ergo nec ad non peccandum. Consequentia est evidens apud Ill. Godoy: nam ideò iuxtà ipsum nequit beatus peccare, quia visio beata necessitat illum ad amandum Deum: ergo si visio beata non necessitat voluntatem beati ad amandum creaturas, poterit circà illas peccare. Antecedens autem probatur: datur in beatis amor regulatus visione beata, qui vt terminatur ad Deum, prout est ratio diligendi creaturas, est liber, etsi vt terminatur ad Deum, prout est ratio diligendi ipsum Deum, sit necessarius: ergo visio beata non necessitat volūtatem ad amorē creaturarum. Consequentia est legitima. Antecedens verò est Ill. Godoy *tom. 3. in 3. part. disp. 48. num. 94.* vbi in Christo ponit talem amorem.

Hinc se se aperit: nostram suprà positam conclusionem debere defendere, non solum Ill. Godoy ob opinionem prædictam; verum etiam cæteros Thomistas concedentes in beatis duplicem amorem. Vnum necessarium, regulatum visione beata; & alterum liberum, regulatum scientia infusa. Imò, & omnes Theologos, qui vniformitèr asserunt duos amores in beatis. Vnum necessarium, regulatum cognitione beata, seu in Verbo, vel matutina, & alterum liberum, regulatum cognitione in proprio genere, seu extrà Verbum, & vespertina, vt dicemus *§. 7. num. 107. & 109.* de quibus omnibus rationes pro amoris bertifici cum peccato actuali cōpossibilitate formabimus *§ 9.*

§. V.

Solvuntur argumenta Ill. God.

81 *Arguit 1.*

ARguit primò *num. 18.* ex D. Isidoro *lib. 1. de Summo bono cap. 12.* illis verbis: *Quamvis beati sint mutabiles natura, non tamen sinit eos contemplatio mutari Divina.* Necnon ex Div. Anselmo *de Casu Diaboli, cap. 7.* ibi: *Angeli boni sunt adepti, quidquid potuerunt velle, nec plus vident, quod plus velle possint, & ideò peccare non possunt*; at etiam si non subsequatur amor in voluntate, perseverat Divina contēplatio, cui vt causæ tribuit Isidorus immutabilitatem beatorum, & ex vi illius nequeunt plus videre, quod plus possint velle, ex quo arguit Anselmus: ergo ex mente istorum Patrum, visio se ipsa est sufficiens, amore in voluntate adhuc non subsecuto, constituere beatos immutabiles in malum.

Respond. 1. Respondeo primò ommittendo totum argumentum, quia solum probat: beatos esse impeccabiles ex vi visionis; non verò probat: esse ab intrinseco impeccabiles ex vi visionis, quod probare debebat Ill. God. vt contra Scotum procederet. *Secundò.* Respondeo secundò: Patres loqui de visione, & contemplatione, non præcisè, & formalitèr sumptis; sed accipiendo pro ipsis omnia alia dona cōsequentia ad visionem, vel contemplationem, nempè, manutenentiam Dei, ex quo nihil in faborem Ill. Godoy, & contra nos nihil. *Tertiò.* Respondeo tertiò: Authoritates prædictas debere intelligi de lege communi, & ordinaria; non verò de possibili, de quo Patres non curarunt. *Quartò.* Respondeo quartò: prædictas authoritates ad summum probare: beatos non posse peccare peccato commissionis; non verò tollunt, quod peccato ommissionis peccare possint. Ex hac quadruplici solutione quælibet est ad argumentum sufficiens, & nullam tradit Ill. Godoy.

82 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num. 19.* suppo-

nendo ex D. Thoma, non posse esse in voluntate peccatum, quin in intellectu error, ignorantia, aut inconsideratio præcedat. Cæterum, quia hoc est falsum in nostra opinione ex dictis *num.* 47. idque valdè firmum manet per dicta *à num* 48. *vsq*; *ad* 51. *& à num.* 55. *vsquè ad* 66. ideò argumentum non propono, quia negando suppositum, stat ad illud solutio. Adverto tamen, quod dixit Ægidius *lib.* 11. *quæst.* 16. *art.* 4. *num.* 11. ex Durando, nempè, quod cum beatus aliqua cognoscat proprijs speciebus, quando ad hæc convertitur, aliqua erit inconsideratio levis in illo, quæ sufficiet, vt peccare possit. Vndè iuxtà hanc opinionem falsa est maior argumenti Ill. Godoy, scilicèt, visio beatifica ratione sui excludit ab intellectu omnem errorem, ignorantiam, seu inconsiderationem circà obiecta agibilia. Ex quo retorqueo argumentum: cum visione clara Dei compatitur aliqua inconsideratio circà obiecta secundaria, scilicèt, possibilia, & futura, visione illa non manifestata: ergo adhuc stante visione, poterit peccare beatus. Consequentia est legitima. Antecedens constabit ex dicendis §. 8.

Respondeo.

Retorqueo.

83 Arguit tertiò *numer.* 10: videns Deum nihil potest appetere, nisi ratione bonitatis Divinæ, & in ordine ad illam: ergo etiam si in voluntate amor non subsequatur, ex vi solius visionis redditur impeccabilis. Consequentia est bona: nam peccans appetit obiectum, absquè ordine ad bonum Divinum: ergo si videns Deum posset peccare, posset aliquid appetere non ratione bonitatis Divinæ, nec in ordine ad illam. Antecedens autem probatur: sic se habet respectu videntis Deum bonitas visa, sicut respectu viatoris bonitas in communi; at viator nihil potest appetere, nisi ratione boni in communi, & in ordine ad illud: ergo nec videns Deum potest aliquid appetere, nisi ratione bonitatis Divinæ, & per ordinem ad illam. Hoc est argumentum, in quo maximè fidit Ill. God. ideòque multiplicitèr est ei satisfaciendum.

Arguit. 3.

84 Respondeo primò negando antecedens, & maiorem probationis, cuius disparitas est: nam bonitas in communi est obiectum adæquatum motivum voluntatis viatoris, & finis cuius gratia omnia viator operatur; ideòque nequit viator aliquid appetere, nisi ratione bonitatis in communi, & in ordine ad illam; at bonitas Divina non est obiectum motivum adæquatum voluntatis beati, neque finis cuius gratia beatus omnia operatur, ideòque potest beatus aliquid appetere, & non ratione bonitatis Divinæ, nec in ordine ad illam; quia cum omnia in Deum referre, debeat fieri per actum voluntatis beati, qui, adhuc posita visione, est liber, potest non referre, & poterit velle obiectum creatum, in quo peccet, vel saltim peccare poterit.

Respond. 1.

85 Bazquez etiam hanc viam sequendo, negat antecedens, & maiorem probationis, aliam disparitatem assignando, scilicèt, quod bonum in communi comparatur ad cætera bona, vt prædicatum essentiale in illis inclusum, & idcircò nihil potest vt bonum voluntati proponi, nec appeti ab ipsa, nisi sub ratione boni in communi; cæterum bonitas Divina, quamvis clarè, & prout est in se ipsa videatur, non est de essentia bonorum à voluntate appetibilium, & ideò dispar est inter vtrumque ratio, nec est necessarium, quod videnti clarè Divinam Essentiam debeat proponi omne bonum, vt appetibile ratione bonitatis Divinæ.

86 Contra has solutiones, & præcipuè adversus Bazquez, replicat primo Ill. Godoy *num.* 21: etsi bonum Divinum non includatur in alijs bonis, vt essentialitèr superius, non minus efficacitèr movet voluntatem beati, quam bonum in communi voluntatem viatoris, imò efficaciùs movet; cum bonum Divinum necessitet voluntatem beati quoad exercitium; bonum autem in communi solum necessitat voluntatem viatoris quoad specificationem; at propter efficatiam, qua gaudet bonum in communi respectu voluntatis viatoris, nihil potest vt bonum proponi, nisi vt stat sub bono in communi: ergo ob maiorem efficatiam bonitatis Divinæ respectu voluntatis beati, nihil poterit illi vt bonum proponi, nisi vt stat sub ordine ad bonitatem Divinam.

Replicat 1. Ill. Godoy.

87 Replicat secundò *num.* 22: ideò viatori nihil potest, vt bonum proponi, nisi vt stat sub bono in com-

Replicat 2.

mu-

muni, quia evidenter iudicat, nihil esse bonum, nisi claudat bonum in communi, & in ordine ad illud, cum quo iudicio stare nequit aliud, quo proponat aliquid, vt bonum, nisi vt cadens sub ipso; at videns Deum, necessario, & evidenter iudicat, nihil esse amandum, nisi in ordine ad Deum, cum quo iudicio stare nequit iudicium, quo vt bonum proponat obiectum subterfugiens bonitatem Divinam, quale est obiectum peccati: ergo sicut nihil potest proponi viatori vt bonum, nisi vt stat sub ratione boni in communi; ita nequit beato aliquid vt bonum proponi, nisi ratione bonitatis Divinæ. Probatur minor: videns Deum, necessario iudicat esse summum bonum super omnia diligendum; at summè diligi est, quod nihil diligatur, nisi in ordine ad ipsum: ergo evidenter iudicat, nihil esse diligendum, nisi in ordine ad ipsum.

88 *Replicat 3.* Replicat tertiò *num. citat*: intellectus beati necessario iudicat, bonitatē visſam plenè satiare proprium appetitum: ergo necessario etiam iudicat, nihil extra ipsum, & sine ordine ad illud, esse ab illo appetibile. Patet cōsequentia: nam id, extra quod aliquid desiderandum restat, non plenè satiat appetitū; at cum hoc iudicio nequit stare aliud, quo iudicet, esse bonum appetere, id quod avertit, au divertit à Deo, & non est appetibile ratione illius: ergo nihil potest videnti Deū proponi, vt appetibili, nisi ratione bonitatis Divinæ, sicut nec viatori, nisi ratione boni in communi.

89 *Respond. ad 1. replicam.* Hæc tamen non obstant contra Basquij solutionem. Ad primam namquè (vltrà suppositum falsum de necessitate quoad exercitium) distinguo maiorem: non minus efficacitèr, & necessario movet voluntatem beati, quam bonum in communi voluntatem viatoris, nego maiorem; & minus necessario, ommitto maiorem, & nego minorem, cuius ratio data est in solutione argumenti. *Ad 2.* Ad secundam, nego maiorem ob rationem datam in solutione argumenti; scilicèt, quia bonum in communi est obiectum adæquatum motivum voluntatis viatoris, vel vt ait Bazquez, quia comparatur ad cætera bona, vt *Ad 3.* prædicatum essentiale. Ad tertiam, distinguo antecedens: intellectus beati necessario iudicat, bonitatem visſam plenè satiare appetitum naturalem, concedo antecedens; liberum, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Hæc solutio patebit ex infrà dicendis *num. 92.*

90 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundò ad argumentum ommisso antecedenti, negando consequentiam, vel claritatis gratia, distinguo: ergo ex vi visionis redditur impeccabilis peccato commissionis, ommitto consequens; peccato ommissionis, nego consequentiam. Et hoc est, quod vnicè probat argumentum ex D. Thoma deductum, vt patet ex dictis *num. 66.* vbi prædictis verbis D. Thomæ nostram probavimus conclusionem, & per sequentia solutionem Ill. Godoy impugnavimus. Imò quæ adducit ipse, impugnando solutionem primam, nihil aliud convincunt, vt legenti luce clarius apparebit.

91 *Respond. 3.* Respondeò tertiò aliter distinguendo antecedens: videns Deum nihil potest appetere appetitu naturali, nisi ratione bonitatis Divinæ, & in ordine ad illam, ommitto antecedens; appetitu libero, nego antecedens, ad cuius probationem, ommissa maiori, distinguo minorem, & consequens distinctione data. *Ad 1. replicam.* Et iuxtà hanc solutionem ad primam replicā Ill. Godoy, nego, quod bonum Divinum necessitet voluntatē beati quoad exercitium, vt diximus *disp. præc.* & claret ex in hac dictis *num. 59.* Imò nego suppositum; supponit enim, quod motio efficatior necessitet voluntatem, cuius falsitatem ostendimus *à num. 61. vsquè ad 66.* *Ad 2. & 3.* Ad secundam replicam patet solutio ex prima responsione. Ad tertiam, distinguo antecedens: intellectus beati necessario iudicat, bonitatem visſam plenè satiare appetitum naturalem, concedo antecedens; appetitum liberum, nego antecedens, & cætera hac distinctione sunt distinguenda.

92 *Explicatur solutio.* Itaquè appetitus ex Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 10. §. Respondeo*, duplex est in voluntate. Vnus naturalis, & alius liber. Appetitus naturalis est illa naturalis inclinatio, vel propensio, quam habet ad suam propriam perfectionem; in quo convenit voluntas cum omnibus potentijs creatis, quarum vnaquęque habet appetitum naturalem ad propriam perfectionem.

Appetitus liber est velle liberum, omnino indeterminatum ex se, & indeterminabile à quolibet alio. Licèt ergo videns Deum nihil valeat appetere appetitu naturali, nisi ratione bonitatis Divinæ, & in ordine ad illam ad modum, quo materia prima, si haberet formam, æquivalentèr continentē omnes, nihil posset appetere; attamen appetitu libero potest appetere minus bonum, imò, & destructionem formæ habitæ; alioquin appetitus liber non distingueretur essentialitèr à naturali.

93 *Quartò.* Respondeo quartò ad argumentum distinguendo alitèr antecedens: nihil potest appere appetitu regulato per visionem beatam, seu per cognitionem in Verbo, vel matutinam, ommito antecedens; appetitu regulato per cognitionem vespertinam, seu in proprio genere, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo similiter maiorem, & consequens. Et iuxtà hanc solutionem ad primam replicam Ill. Godoy (vltrà suppositum falsum, quod habet, de quo diximus *num.* 89.) distinguo maiorem distinctione data, & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Ad secundam, ommissa maiori, distinguo minorem: iudicio, quæ sit cognitio in Verbo, ommitto minorem; quæ sit cognitio in proprio genere, nego minorem, cuius probationem similitèr distinguo. Hæc solutio clarebit ex dicendis §. 7. *& seqquentibus.* Ad tertiam patet solutio ex dictis *numer.* 91. *&* 92. Ex iuxtà hanc solutionem retorque argumentum per dicta *num.* 80.

Ad replic. Ill. Godoy.

94 *Rspond. 5.* Respondeo quintò alitèr distinguendo antecedens: videns Deum nihil potest appetere, appetitu efficaci, nisi ratione bonitatis Divinæ, & in ordine ad illam, ommitto antecedens; appetitu inefficaci, nego antecedens. Et pro declaratione huius solutionis notto primo: quod licèt voluntas ad suos actus efficaces requirat iudicium practicum, à quo moveatur, ad actus verò inefficaces, & simplicis complacentiæ sufficit simplex apprehensio, vt tenet Scotus *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *& dist.* 22. Et *in* 3. *dist.* 34. *quæst. vnic. §. Appetibilium.* Imò *in* 2. *citat. quæst.* 2. asserit: inordinatum amorem Angelorum ex simplici apprehensione æqualitatis Dei ortum fuisse. Notto secundò: quod cum iudicio practico dictante prosecutionem alicuius boni, vel fugam mali, reperitur in intellectu notitia apprehensiva, saltim confusa sui oppositi, quod etiam docuit Scotus *in* 2. *citat.* Et ratio est: quia iudicium supponit actum collativum, divisivum, vel compositivum in ordine ad oppositum. His notatis.

95 *Declaratur solutio.* Declaratur solutio: licèt enim videns Deum nihil possit appetere efficaciter, nisi ratione bonitatis Divinę, & in ordine ad illam, quia stat iudicium practicum dictans, nihil esse amandum, nisi in ordine ad Deum, cum quo non stat iudicium practicū oppositum; stat tamen cum illo simplex apprehensio in ordine ad oppositum; & cum hæc sufficiat, vt moveat voluntatem ad actus inefficaces, seu simplicis complacentiæ, potest videns Deum appetere inefficacitèr aliquid, quin illud appetat ratione bonitatis Divinæ, nec in ordine ad illam, sed solum sub ratione boni in communi. Et per hoc patet falsitas probationis; nam bonitas visa movet solum ad actus efficaces voluntatis beati; bonitas verò in communi movet voluntatem viatoris ad actus efficaces, & inefficaces. Non ergo ita se habent.

96 *Ad 1. replicam.* Ex hac solutione constat etiam ad replicas solutio. Ad primam distinguo maiorem: bonum Divinum non minus efficacitèr movet voluntatem beati ad actus efficaces, quam bonum in communi voluntatem viatoris, ommitto maiorem; ad actus efficaces, & inefficaces, nego maiorem, imò, & suppositum; & concessa minori, nego consequentiam. Ad secundam, nego causalem maioris; quia ratio, cur viatori nihil potest vt bonum proponi, nisi vt stat sub bono in communi, est, quia bonum in communi est obiectum adæquatum voluntatis viatoris, ideòque neque per iudicium practicum, neque per simplicem apprehensionem potest moveri voluntas, nisi ratione boni in communi, ex quo distinguo secundā partem minoris: nequit stare iudicium, quo, vt bonum proponat obiectum subterfugiens bonitatem Divinam, concedo minorem; nequit stare simplex apprehensio oppositа

Ad 2.

iu-

iudicio, nego minorem, & consequentiam. Ad tertiam, distinguo antecedens: necessariò iudicat, bonitatem visſam plenè satiare proprium appetitum, iudicio claudente simplicem apprehensionem illi oppositam, concedo antecedens; non claudente, nego antecedens, & distinguo similiter consequens. Totum patet ex dictis *num.* 94. & 95.

Ad 3.

97 *Retorqueo argum.*

Denique retorqueo argumentum: sic se habet respectu videntis Deum bonitas visſa, sicut respectu viatoris bonitas in communi; atqui viator non necessitatur quoad exercitium à bonitate in communi: ergo nec videns Deus necessitatur quoad exercitium à bonitate visſa. Vel è contra; atqui beatus necessitatur quoad exercitium à bonitate visſa: ergo quoad exercitium necessitatur viator à bonitate in communi, quorum vtrumque est contra Ill. Godoy.

98 *Respondet Ill. Godoy.*

Quod ad hanc retortionem respondet Ill. Godoy, impugnatum manet *numer.* 68. & 69. & quidquid respondere velit, hac ratione reijcitur: stante necessitate quoad exercitium in beato, à bonitate visſa proveniente, & hac necessitate non stante in viatore, à bonitate in communi proveniente, falsa absolutè est hæc propositio D. Thom: *Sic se habet respectu videntis Deum bonitas visſa, sicut respectu viatoris bonitas in communi*: ergo nulla est. Probatur antecedens primò: stante prædicta necessitate in beato, & non in viatore, non sic se habet respectu videntis Deum bonitas visſa, sicut respectu viatoris bonitas in communi, vt est manifestum: ergo, &c. Secundo probatur: stante prædicta necessitate in beato, & non in viatore, propositio D. Thomæ est aliquomodo falsa: ergo absolutè est falsa. Antecedens est per se notum. Consequentia claret ex eo, quod malum est ex quocumque defectu.

Reijcitur.

§. VI.

Amorem beatificum impecabilitatem ab intrinseco non præstare, probatur.

99 *3. Cõclusio.*

TErtia conclusio: *Amor beatificus non constituit beatum ab intrinseco impeccabilem in sensu diviso.* Ita Authores primæ sententiæ, & probatur primò: amor beatorum est liber libertate saltim quoad exercitium: ergo beatus saltim in sensu diviso peccare potest: ergo amor beatificus non constituit beatum ab intrinseco impeccabilem in sensu diviso. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens autem propugnatũ habemus contra Ill. Godoy, *disput. præced. per totam.* Vltra quæ probatur, secundò ratione posita *num.* 76. Probatur tertio ratione posita *n.* 80.

Triplex prob. concl.

100 *Probat. 4. conclus.*

Quarto specialiter probatur conclusio: potest Deus de sua potentia absoluta ligare voluntatem beati voluntati viatoris, vt ea vtatur quomodo voluerit; sed in tali casu beatus esset peccabilis: ergo amor beatificus non constituit beatum ab intrinseco impeccabilem in sensu diviso. Minor patet; nam in tali casu viator posset peccare, & consequenter beatus. Probatur maior: ideo Deus sua potentia absoluta potuit ligare voluntates parvulorum voluntati Adami, vt eis vteretur quomodo voluerit, quia supræmus Dominus erat; sed etiam nunc supræmus est Dominus: ergo potest Deus de sua potentia absoluta ligare voluntatem beati voluntati viatoris, vt ea vtatur quomodo voluerit. Respondebis negando maiorem, & distinguendo probationem: quia erat supræmus Dominus, & non includebat contradictionem, concedo; & includebat, nego; similiter distingunt minorem, & negant consequentiam. Contra: ita implicat, vt Deus liget voluntates parvulorum voluntati Adami, vt hoc peccante, & cæteri peccent, sicut implicat, Deum ligare voluntatem beati voluntati viatoris, vt hoc peccante, & peccet beatus; sed illud potest facere Deus ob suum supræmum dominiũ: ergo, & hoc. Probatur maior: ita implicat peccatum sine libertate in via, sicut peccatum sine privatione amoris in Patria; sed non obstante carentia libertatis in parvulis, parvulorum libertates ligavit Deus, ob suum supræmum dominium voluntati Adami, vt hoc peccante, & ceteri peccent: ergo non obstante continuatione amoris in Patria, potest Deus ligare voluntatem beati voluntati viatoris, vt hoc peccante, & peccet beatus: ergo ita implicat.

Respondeb.

Contra.

101 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy *num.* 8. ex Div. Gregorio *lib.* 5. *Moralium, cap.* 27. illis

ver-

verbis: *Angelica natura in ſe ipſa mutabilis eſt, quam mutabilitatem vincit per hoc, quod ei, qui ſemper idem eſt, vinculis amoris colligatur.* Auguſtinus *lib.* 14. *de Civitat. Dei, cap.* 9. illis verbis: *Amor beati immutabilis eſt, profecto ſi dici poteſt mali cavendi timor ſecurus eſt.* Idem docet Anſelmus *de Caſu Diaboli, cap.* 6: ergo vi amoris
Reſpondeo. beatifici beati ſunt impeccabiles. Reſpondeo ad has Authoritates quadruplici ſolutione, qua *num.* 81. ſolvimus authoritates pro beatifica viſione. Ill. God. aliud non adducit contra noſtram concluſionē; quia quod tradit, militat ſolum in ſenſu compoſito. Pro quo ſit.

§. VII.

Oppoſitio peccati actualis cum viſione, & fruitione beata, explicatur.

102 HÆc eſt illa difficultas, quam *numer.* 45. examinare promiſimus, An, ſcilicèt, beati ſint impeccabiles in ſenſu compoſito? Quod idē eſt, ac an beati peccare poſſint peccato, non deſtruente beatitudinem? Alijs etiam terminis ſolet hæc difficultas proponi, ſcilicèt, An caſu, quo per viſionem neceſſitarentur beati ad amandum Deum, redderentur impeccabiles per talem amorem? Ill. Godoy eam proponit terminis in titulo §. declaratis, quod idem eſt, ac inquirere: An poſsit cum viſione, & fruitione beata, peccatum actuale cōponi? Quæ difficultas ſolum de potentia Dei abſoluta procedit, & pro illius reſolutione, quæ eſt vtiquè præcedenti difficilior.

103 Notto primò: actum charitatis in via, & in Patria, eſſe eiuſdem ſpeciei. Ita communitèr Thomiſtæ; & licèt Scotus oppoſitum iudicet probabilius, hoc tamen probabilitèr tenet *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 5. his verbis:
Notto 1. *Alitèr poteſt dici, & probabilius, quod fruitio beata, & nō beata differūt ſpecie.*

104 Notto ſecundò: actum charitatis in via non opponi ex natura rei cum peccato actuali circà proximū, ſed tantum demeritoriè. Sic Scotus *in* 3. *diſt.* 28. §. *de ſecundo dico*, & probatur: ex negatione concluſionis, quę non ſequitur neceſſariò ex principio, non arguitur neceſſariò negatio principij; ſed ex dilectione boni infiniti
Notto 2. non ſequitur neceſſario dilectio boni finiti: ergo ex negatione dilectionis boni finiti non ſequitur neceſſariò negatio dilectionis boni infiniti. Cōſequentia eſt legitima. Maior patet: nam poteſt eſſe error erga concluſionem, & non erga principium, ſi concluſio non ſequitur neceſſariò ex principio. Minor eſt Scoti firmitèr aſſerentis: quod ex dilectione Dei non ſequitur neceſſariò dilectio proximi, quia dilectio non opponitur ex natura rei cum odio proximi, & vltrà probatur hac paritate.

105 Amor amicitiæ erga Deum non opponitur ex natura rei cum odio
Prob. min. Dei, vt vindicantis: ergo ſimilitèr. Antecedens probatur primò: talis amor, & tale odium reſpitiunt Deum ſub diverſis rationibus formalibus: ergo amor amicitiæ erga Deum non opponitur ex natura rei cum odio Dei, vt vindicantis. Secundò: amor amicitiæ, ex natura rei ſolum opponitur odio inimicitiæ; ſed odium Dei, vt vindicantis, non eſt odium inimicitiæ, ſed odium abominationis, ratione cuius nollit homo pœnam à Deo inflictam ſibi: ergo idem, quod anteà. Concluditur ergo, quod amor charitatis ex natura rei ſolum opponitur contrariè cum odio formali Dei, & cum omniſsione illius contradictoriè.

106 Ex hoc apparet evidentèr: beatos vi amoris beatifici eſſe in ſenſu compoſito impeccabiles peccato odij formalis Dei, & ommiſsione illius, conſequentèrque cum amore beatifico repugnare adhuc de potentia Dei abſoluta peccatum odij formalis Dei, amoriſquè ommiſsio. Secunda pars eſt nottoria: quia amor, & illius ommiſsio ſunt incompatibiles per omnem potentiam. Prima verò eſt mihi certa; ſentio enim, contraria in ſummo repugnare in eodem ſubiecto, vt dixi in Phiſica, & tenet communior opinio cum Scoto *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. §. *Argumenta*, ℣. *Ad* 3. Et *in* 4. *diſt.* 49. §. *Ad argum.* 1. ℣. *Ad* 2.

107 Notto tertiò: beatum duplicitèr cognoſcere creaturas. Primò in Verbo, & hoc modo illas cognoſcit ex
Notto 3. motione Divinæ Eſſentiæ. Secundò in proprio genere, & hoc modo cognoſcit illas per proprias ſpecies, per quas ipſæ creaturæ movent ad talem cognitionem. In hoc conveniunt

om-

omnes Theologi, etiam Chriſto Domino has cognitiones, ſeu ſcientias tribuentes, vt diximus *tom. 2. in 3. ſent. diſput. 32. num. 8.*

108 *Duplicitèr poteſt beatus amare creaturas.*

Hinc ſe ſe apperit primò: beatum duplicitèr poſſe amare creaturas. Primò: ex motione Divinæ bonitatis. Secundò: ex motione bonitatis creaturarum. Et ratio eſt: quia non eſt minus infinita Divina Eſſentia in movendo intellectum creatum, quā in movendo voluntatem creatam; ſed intellectus creatus poteſt moveri à creaturis, vt illas in proprio genere cognoſcat: ergo etiam voluntas, vt illas amet. Se ſe apperit ſecundò: voluntatem beati duplici cognitione regulari poſſe, ſcilicèt, viſione beata, quæ eſt cognitio creaturarum in Verbo, ſeu matutina, & cognitione in proprio genere, quæ eſt cognitio extra Verbum, ſeu veſpertina, & vtraque eſt ſufficiens ad amorem creaturarum, vt plures Thomiſtæ, quos citat Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. diſput. 48. num 2.* pro ſecunda ſententia, aſſerunt de Chriſto Domino, in quo duplicem ſtatuunt amorem Eſſentiæ Divinæ. Vnum neceſſarium, quia regulatur per ſcientiam beatam; & alium liberum, & contingentem, quia regulatur per ſcientiā infuſam.

Voluntas beati dupliciter cognitione poteſt regulari.

109

Et licèt Ill. Godoy nequeat hos amores concedere, nequit negare, dari in beatis amorem regulatum viſione beata, qui vt terminatum ad Deum, prout eſt ratio diligendi ipſum Deum, eſt neceſſarius, & vt terminatus ad Deum, prout eſt ratio diligendi creaturas, eſt liber. Ratio eſt: quia talem amorem fatetur Ill. God. in Chriſto *dict. tom. 2. in 3. part. diſput. 48. num. 94.*

110 *Noto 4.*

Noto quartò: duplicem eſſe amorem Dei ſuper omnia. Intenſivum vnum, & extenſivum, ſeu apretiativum alium. Primus excedit intenſione, & perfectione graduali amorem alterius cuiuſcumque obiecti, quomodo tenemur diligere Deum ſuper omnia ex vi Charitatis. Secundus eſt, quo plus diliguntur bona Dei, quam bona cuiuſcumque creaturæ; & quia hæc bona Dei alia ſunt intrinſeca, ſcilicèt, formales Dei perfectiones, & alia extrinſeca, vt honor, extrinſeca gloria, & adimpletio voluntatis illius in rebus præceptis; ideò duplex eſt amor extenſivus. Alius, quo plus velimus bona Dei eſſe, quam alia bona creata. Alia, quo plus velimus honorem, cultum, &c. quam alia bona creata.

111

Hi autem amores realitèr inter ſe diſtinguntur; nam amor intenſivus eſt amor amicitiæ; illo enim Deum propter ſe diligimus; amor verò extenſivus, ſeu apretiativus eſt amor concupiſcentiæ, qui realitèr diſtinguitur ab amore amicitiæ, vtpotè, hic poteſt eſſe ſine illo.

112 *Noto 5.*

Noto quintò: quod ille, qui mortaliter peccat, nullo modo vult, Deū non eſſe, ex Scoto *in 1. diſt. 50. q. 2. §. Contra 1. opinionem, & §. Præterea*, vbi ait: *Qui peccat, non ita facit contra Deum, quod vellit Deum non eſſe, ſed tantum facit contra præceptum Dei, & ſic non facit contra eſſe Dei.* Ex quibus patet: quod per peccatum mortale non tollitur aliqua perfectio intrinſeca Dei; alioquin non poſſet Deus peccatum permittere; ſed ſolū tollitur honor extrinſecus, quia deſtruitur duntaxat debita ſubiectio ad legē Dei.

113 *Dices.*

Dices: qui peccat mortaliter, tollit à Deo affectivè intrinſecam perfectionem, quia deſtruit in Deo rationem vltimi finis. Nego antecedens; quia qui mortalitèr peccat, non tollit affectivè rationem intrinſecam vltimi finis, ſed tantum reſpectū rationis. Quod duplici ratione ſuadetur. Prima: nam ratio finis eſt relatio; ſed obiectum fruitionis non eſt finis ſub aliquo reſpectu, ſed ſub ratione abſoluta, ſcilicèt, ſub ratione ſummi boni, ex Scoto *in 1. diſt. 1. q. 1.*: ergo qui mortalitèr peccat, non tollit à Deo affectivè rationem intrinſecam vltimi finis, ſed tantum reſpectum rationis. Secunda: reſpectus, quem dicit finis, eſt ens rationis; ſed obiectum fruitionis, vt eſt finis intrinſicè, non eſt ens rationis: ergo idem, quod anteà.

Reſpondeo.

114 *Dices.*

Dices: qui peccat mortalitèr conſtituit vltimum finem in creatura: ergo affectivè deſtruit in Deo rationē vltimi finis. Concedo antecedens cum Scoto *in 1. diſt. 1.* dicente: Quod peccator ſe ipſum conſtituit vltimū finem *cui*, & obiectum actus peccaminoſi, vltimum finem *qui*. Nego tamen conſequentiam; quia ex hoc ſolum ſequitur, quod peccator non ſe referat in Deum, quod non eſt deſtruere à Deo rationem vltimi finis.

Reſpondeo.

No-

115 *Noto 6.*

Noto sextò: peccatum esse aversionem à Deo, multiplicitèr intelligi posse, ex Scoto *in 2. dist. 27. quæst. 1. §. Ex ista obiectione*, dicente: *Ad primum dico: Quod aversio à fine vltimo potest intelligi duplicitèr; vel formalitèr, vel virtualitèr. Formalitèr, contrariè, vel negative.* Aversio formalis contraria est odium formale Dei, quo quis odit Deum. Negativa est non dilectio Dei, quando instat præceptum diligendi. Aversio virtualis, seu implicita reperitur in alijs peccatis mortalibus; nam eo ipso, quo quis mortalitèr peccat, avertitur ab aliquo, quod est necessarium ad consecutionem vltimi finis, consequentèrque avertitur virtualitèr ab vltimo fine; sicut intellectus negans conclusionem, avertitur virtualitèr à principio; & sicut infirmus virtualitèr avertitur à sanitate, quando avertitur à medicina.

116 Est etiam omne peccatum aversio à rectitudine debita in esse actui, quia in illius privatione consistit. Est quoque aversio à Deo, vt legislatore, dato, quod omne peccatum sit malum, quia prohibitum. Est denique omne peccatum mortale aversio à Deo, vt vltimo fine, virtualitèr, & implicitè. Nihil autem ex his habet peccatum ex natura rei, sed ex pacto, & ordinatione Divina, & ratio est: quia eatenus peccatum est aversio à Deo, vt vltimo fine, quatenus est aversio à coniunctione cum illo, quæ coniunctio fit per gratiam, & Charitatem; sed peccatum mortale solum ex ordinatione Divina est aversio à gratia, & Charitate: ergo solum ex ordinatione Divina, vel ex pacto habet prædicta munera peccatum; non verò ex natura rei.

117 *Noto 7.*

Noto septimò: quod rectitudo moralis cadens sub præcepto, in cuius privatione consistit formalitèr peccatum, non est necessaria simplicitèr ex natura rei ad consequendū vltimum finem; sed solum ex pacto, & Divina ordinatione. Ratio est: quia vt communitèr conceditur, potest Deus rapere ad visionem, & fruitionem hominem existentem in peccato absquè electione alicuius actus boni moralitèr: ergo predicta rectitudo nō est necessaria simplicitèr ex natura rei ad consequendū vltimū finem, sed solū ex pacto, & Divina ordinatione.

Noto denique: quod beatus, quamtumvis necessitatus sit ex vi visionis ad amandum Deum; non ob hoc est necessitatus ad amandas creaturas; sicut Deus, licèt se necessariò amet, non ideò necessariò amat creaturas, vt omnes tenent Theologi. Ad quod accedit, quod diximus *num.* 109. ex Ill. God. His itaque notatis.

118 *Noto denique.*

§. VIII.

Pro visione beata statuitur quarta conclusio, & argumenta Ill. God. solvuntur.

QVarta conclusio: *De potentia absoluta potest cum visione beata peccatum actuale componi.* Ita Authores primæ sententiæ, & est cōtra Ill. Godoy *num.* 33. Hæc conclusio probatur primò ratione posita *num.* 80. & rationibus, quas assignabimus §. 9. quæ omnes sunt ad hominem contra Ill. Godoy, & cæteros Thomistas, destruuntque omnem doctrinam illorum. Vltrà quæ, probatur secundò: de potentia absoluta potest cum visione beata peccatum habituale componi: ergo & actuale. Consequentia est legitima apud Ill. Godoy, qui *tom. 3. in 3. part. disp. 41. num.* 138. vt veram statuit hanc propositionem: *Cui repugnat peccatum habituale, repugnat etiam actuale, & eadem repugnantia*, quam etiam ibi probat multiplicitèr: ergo cui non repugnat peccatum habituale, nec actuale repugnat, vt multiplicitèr nos ostendimus *tom. 3. in 3. sentent. disput. 41. num. 119.*

119 *4. Cōclusio.* *Probat. 1.* *Secundò.*

120 Antecedens autem, in quo est difficultas, concedunt Suarez *de Beatitudine, disput. 10. sect. 1. num. 21.* Lorca *memb. 3.* Ægidius *art. 5. num. 10.* Salas, & alij, consonatque cum dictis *num.* 117. Imò, & conforme opinioni illorum Thomistarum, qui asserunt: actum scientiæ compati posse cum habitu fidei. Contra Ill. Godoy autem probatur: peccatum habituale importat privationem gratiæ, aversionem à Deo vt vltimo fine, & quod talis privatio sit voluntaria, seu ex præcedenti actu voluntatis causata; sed visio beata nec formalitèr, nec virtualitèr hæc tria excludit: ergo de potentia absoluta potest cum visione beata peccatum habituale componi. Maior est Thomistarum, vt videre

Probatur antecedens.

est

est apud Gonet *tom. 3. disp. 4. de Proprietatib. Beatitud. art. 5. §. 2. num. 85.* Minor, quoad primam partem est certa; nam privationi gratiæ formalitèr tantum opponitur gratia; aversioni à Deo, vtpotè, actus voluntatis, alius voluntatis actus formalitèr tantum opponitur, & voluntario in peccato habituali incluso, etiam voluntatis actus tantum formalitèr opponitur.

121 *Probatur 2. pars minoris.*

Quoad secundam partem probatur: si visio beatifica hæc tria virtualitèr excluderet, esset, quia virtualitèr contineret formas, quæ formalitèr hæc tria excluderent; sed ex hoc sequitur, quod visio beatifica formalitèr excludit hæc tria: ergo cum formalitèr non excludat, nec virtualitèr hæc tria excludit. Maior patet: quia forma virtualitèr non continens aliquid, eius effectus præstare non potest. Probatur minor: forma virtualitèr continens alias formas, formalitèr præstat suos effectus; sed per te visio beatifica virtualitèr contineret formas, quæ formalitèr hæc tria excluderent: ergo ex hoc sequitur, quod visio beatifica formalitèr excludit hæc tria. Probatur maior: nam forma rationalis virtualitèr continens sensitivam, & vegetativam formam, formalitèr præstat suos effectus. Item in sententia Thomistarum, quia forma rationalis virtualitèr continet formam corporeitatis, formalitèr præstat esse corporeum: ergo forma virtualitèr continens alias formas, formalitèr præstat suos effectus.

122 *Probat. 3. concluſ.*

Probatur tertiò conclusio: visio beatifica non opponitur nec directè, nec indirectè cum peccato: ergo de potentia absoluta potest peccatum actuale cum visione beata componi. Antecedens quoad primam partem est Thomistarum; quoad secundam probatur: illud opponitur indirectè cum alio, quod ponit intrinsecum directè oppositum; sed visio beatifica non ponit intrinsecum directè oppositum cum peccato: ergo visio beatifica non opponitur indirectè cū peccato. Probatur minor: visio beatifica nihil intrinsecum ponit in voluntate: ergo visio beatifica non ponit intrinsecum directè oppositum cum peccato. Probatur antecedens: visio beata solum ponit quid intrinsecum in intellectu: ergo nihil intrinsecum ponit in voluntate. Probatur antecedens: visio beata solum ponit quid intrinsecum in subiecto, in quo adæquatè recipitur; sed solum in intellectu adæquatè recipitur: ergo solum in intellectu ponit quid intrinsecum. Probatur maior: visio beata, vtpotè, forma, solum ponit quid intrinsecum in subiecto, in quo adæquatè se communicat: ergo visio beata solum ponit quid intrinsecum in subiecto, in quo adæquatè recipitur.

123 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices.

Dices pro Ill. Godoy: visionem ponere quid intrinsecum in intellectu formalitèr, & in voluntate causalitèr. Contra: nam implicat, formā ponere quid intrinsecum causalitèr in subiecto, in quo non se communicat forma; nam intrinsecum causatum à forma est ipsa forma communicata: ergo vel visio communicatur voluntati, quod est falsum, alioquin accidens de subiecto in subiecto migraret; vel solum ponit quid extrinsecum in voluntate, & sic solutio est nulla.

124 *Probat. 4. concl.*

Probatur quartò conclusio per oppositum ad probationem Ill. Godoy: quando aliquæ formæ non repugnant ex natura rei, possunt simul esse de potentia Dei absoluta; sed visio beata, & actuale peccatum, non sunt formæ ex natura rei repugnantes: ergo de potentia Dei absoluta potest cum visione beata peccatum actuale componi. Consequentia est legitima. Maior certa; ideò namquè simultatem negat Ill. Godoy *num. 33.* quia ex natura rei repugnare, supponit. Minor verò apparet ex dictis *numer. 116.* estque in nostra opinione indubitabilis; tenemus namquè cum Scoto *in 1. dist. 17. in solut. quæst. primæ.* Et *in 2. dist. 28. & 35. quæst. 1.* Et *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 5. & quæst. 6.* Et *dist. 14. quæst. 2. ab initio.* Et *dist. 16.* alibique frequentèr: gratiam, & peccatum non opponi physicè, & ex natura rei, sed duntaxat demeritoriè, & oppositione morali, seu ex ordinatione Divina, quod latè contra Ill. Godoy propugnavimus *tom. 3. in 3. sent. disput. 41. §. 2. & 3.*

125 *Probat. 5.*

Probatur quintò conclusio: peccatum immediatè, & per se, solum est incompatibile cum illo, quod habet vim expellendi, & iustificandi; atqui visio ex se nec habet vim iustifi-

can-

candi formaliter; nec expellendi formaliter peccatum: ergo cum visione stare potest peccatum. Consequentia infertur. Maior est certa; quia peccatum solum est incompatibile per se, & immediatè cum suo contrario. Minor pro iustificatione est certa; quia in nulla sententrentia visio est forma iustificans; nam in sententia Thomistarũ talis forma est gratia sine aliquo Dei explicito pacto, & in sententia Scotistarum cum pacto explicito. Pro expulsione autem probatur: illa mutuò se expellunt, quæ sunt contraria; sed visio, & peccatum non sunt contraria: ergo visio ex se non habet vim expellendi formaliter peccatum. Probatur minor: contraria sunt, quæ in eodem subiecto phisicè pugnant, & ab eodem subiecto se excludunt; sed non sic se habent visio, & peccatum, quia visio est in intellectu, & peccatum in voluntate: ergo visio, & peccatum non sunt contraria.

126 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: quod visio habet annexam relationem tentionis, quæ est in voluntate, & hæc expellit peccatum. *Contra* 1. Contra primò: ergo iam peccatum non expellitur immediatè per visionem: ergo visio, & peccatum non sunt immediatè oppositа, vti sunt calor, & frigus, in quibus Ill. Godoy ponit exemplum. *Contra* 2. Contra secundò: in tantum relatio illa expellet peccatum, in quantum inferat amorem oppositum peccato; quia relatio ex se contrariè opposita non est; cum rigurosa contrarietas stet solum inter qualitates: ergo idem, quod anteà.

127 *Dices iterũ pro ipso.* Iterum dices: visio eminentiori modo est sanctitas, quam gratia habitualis; sed sanctitas ex se formaliter immediatè pugnat cum peccato: ergo etiam visio. *Respondeo.* Nego maiorem: quia sanctitas formalis creata est participatio sanctitatis Divinæ, quæ non est de linea intellectus, sed de linea naturæ iuxtà Thomistas, vel voluntatis iuxtà Scotistas.

128 *Arguit.* 1. *Ill. Godoy.* Arguit primò Ill. Godoy *num.* 33: quando formæ repugnant ex natura rei, non possunt simul esse, nisi Deus speciali concursu ad vtriusque simultatem concurrat, vt patet in calore, & frigore in gradibus intensis, & in alijs exemplis; at Deus nequit speciali concursu simultatem peccati, & visionis beatificæ conservare: ergo si pugnat peccatum actuale cũ illa ex natura rei, nec de potentia absoluta possunt simul componi. Probat minorem: nam conservans simultatem duorum speciali concursu, eodem attingit vtriusque existentiam; at Deo repugnat speciali concursu attingere existentiam peccati, nec in fieri, nec in conservari; aliàs peccatum illi attribueretur, vel vt producenti, vel vt conservanti: ergo omninò repugnat Deo, ad coexistentiam peccati cum visione specialiter concurrere.

129 *Respond.* 1. Respondeo primò hoc argumentum Ill. Godoy, & falsum supponere, & in principijs summularum deficere. Primum patet: supponit namq; quod visio, & peccatum repugnent ex natura rei, quod esse falsum diximus *num.* 124. Item: supponit, (& falsum est ex dictis *num.* 106.) quod formæ, quæ ex natura rei repugnant, vt calor, & frigus in gradibus intensis, speciali concursu Dei possint simul conservari. Secundum claret: nam ad probandum, quod visio, & peccatum nequeant simul componi, sumit pro medio repugnantiam formarum ex natura rei, quin talis repugnantia in minori inveniatur, quod est, deficere in arte inveniendi medium, vt dicitur in summulis.

130 *Secundò.* Respondeo secundò in forma ad prædictum argumentum negando minorem, ad cuius probationem, nego maiorem; quia vt Deus speciali concursu conservet simultatem visionis beatæ, & peccati, sufficit, quod Deus speciali concursu conservet continuationem visionis beatæ duntaxat, adveniente peccato, vt ostensum manet *num.* 16. *Tertiò.* Respondeo tertiò: argumentum multum probare; tollit enim de medio plures quæstiones communes sub hoc titulo propositas, vt diximus *num.* 17. ex quo fiat contra ipsum retorsio.

131 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: si beatus de potentia Dei absoluta peccaret, Deus esset specialis causa peccati: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: beatus de potentia ordinaria nequit peccare: ergo si peccaret de potentia Dei absoluta, Deus esset causa specialis peccati. Probatur consequentia: Deus est causa specialis rerum, quæ cum non possint fieri de potentia ordina-

ria, fiunt de potentia absoluta: ergo si beatus de potentia Dei absoluta peccaret, Deus esset specialis causa peccati. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationē, nego consequentiam, & distinguo antecedens probationis: Deus est causa specialis rerum, quæ cū non possint fieri ab ipso de potentia ordinaria, fiunt ab illo de potentia absoluta, concedo antecedens; quæ cum non possint fieri ab alio de potentia ordinaria, ab ipso fieri possunt de potentia absoluta, nego antecedens, & consequentiam.

132 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num.* 36: visio est perfectum iudicium, quo beatus iudicat, Deum, vt summum bonum, esse super omnia diligendum, & omnia ad ipsum esse ordinanda; at cum hoc iudicio stare nequit aliud de potentia absoluta, quo iudicetur, hic, & nunc aliquid esse appetendum, quod ad Deum non sit ordinabile: ergo peccatum actuale nequit cum visione componi adhuc de potentia absoluta. Consequentia est bona: nam peccatum actuale requirit in intellectu prædictum iudicium; & consequentèr si esse nequit cum visione beata, nec cum illa simul esse poterit actuale peccatum. Maior constat ex dictis. Minor autem probatur: non minus pugnant in intellectu illa duo iudicia, quam in voluntate affectus regulati per illa; sicut namquè repugnat, voluntatem habere duos vltimos fines actualitèr, ita repugnat, intellectum simul iudicare, duos vltimos fines esse appetendos; at affectus illi nulla potentia valent in voluntate simul coexistere: ergo nec in intellectu prædicta iudicia.

133 *Confirmat.* Confirmat Ill. Godoy *num. citat.* estò in voluntate non sequeretur amor beatificus, ex vi solius visionis implicaret odium Dei in illa: ergo paritèr: repugnaret quodvis aliud peccatum actuale. Probat consequentiam: nam ideò adhuc non subsecuto amore, repugnaret odium, quia stante visione, non potest voluntati proponi Deus sub ratione mali; cum per illam cognoscatur Deus, vt summum bonum; at etiam repugnat ratione visionis, quod proponatur voluntati beati, vt bonum apparens, obiectum avertens, aut divertens à Deo, cum evidentèr iudicet, per illam nihil esse bonum, nisi in ordine ad Deum: ergo repugnat quodvis aliud peccatum, non minus, quam odium cum visione beatifica.

134 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentum, omnissis præmissis, distinguendo consequens: ergo peccatum actuale commissionis nequit cum visione componi, ommitto cōsequens; peccatum actuale ommissionis, nego cōsequentiam. Et hoc duntaxat probat argumentum, vt diximus *numer.* 90. & ratio est: nam iudicium perfectum, quo beatus iudicat, Deū, vt summum bonum, esse super omnia diligendum, & omnia ad ipsum esse ordinanda, non necessitat voluntatem quoad exercicium, etsi pro nunc ommittamus, illam quoad specificationem necessitare. Solutio claret ex dictis *num.* 57. & 59. ex quibus argumentum retorqueatur, & ad confirmationem distinguo consequens distinctione data. *Retorque.*

135 *Respond. 2.* Respondeo secundò: concessa maiori, distinguendo minorem: cum hoc iudicio stare nequit de potentia absoluta aliud eiusdem scientiæ, quo iudicetur, hic, & nunc, aliquid esse appetendum, quod ad Deum non sit ordinabile, concedo minorem; nequit stare aliud diversæ scientiæ, nego minorem, & consequentiam. Et iuxtà han solutionem, ommisso antecedenti confirmationis, nego consequentiam, ad cuius probationem, ommissa maiori, distinguo minorem: repugnat ratione visionis, & cuiuscumque aliæ scientiæ, quod proponatur voluntati beati, vt bonum apparens, &c. nego minorem; ratione solius visionis, ommitto minorem, & nego consequentiam. Itaquè licèt duo iudicia perfecta eiusdem scientiæ opposita repugnent; non tamen repugnant duo iudicia perfecta opposita diversæ scientiæ, quorum vnū sit scientiæ visionis, & alterum scientiæ in proprio genere; alioquin non esset in beatis hæc duplex cognitio, quod est contra omnes Theologos, vt assertum manet *num.* 80. Ex quo retorqueatur argumentum. Et iuxtà hanc solutionem ad probationem minoris, nego suppositum maioris; supponit namquè, quod repugnēt illa duo iudicia, & affectus regulati per illa, quod est falsum; nec obest imbibita probatio; licèt enim repugnet, voluntatem habere duos fines vlti- *Ad cōfirm.*

mos ſimpliciter ; non tamen repugnat, habere duos fines vltimos, quorum vnus ſit vltimus ſimpliciter, & alius ſecundum quid ; de quo §. *ſequenti*. Sic ſimiliter de intellectu reſpectu iudiciorum.

136 *Reſpond. 3.* Reſpondeo tertiò diſtinguendo maiorem : viſio, vt terminata ad Deum, prout eſt ratio cognoſcendi ipſum Deum, eſt perfectum iudiciū, quo beatus iudicat, Deum, vt ſummum bonum, eſſe ſuper omnia diligendum, & omnia ad ipſum eſſe ordinanda, concedo maiorem ; viſio, vt terminata ad Deum, prout eſt ratio cognoſcendi creaturas, nego maiorem ; & diſtinguo minorem : cum hoc iudicio ſtare nequit aliud ſub eadem terminatione, quo iudicetur, hic, & nunc aliquid eſſe appetendū, quod ad Deum non ſit ordinabile, concedo minorem ; ſub diverſa terminatione, nego minorem, & conſequentiam. Hæc ſolutio conſtat ex dictis *num.* 109. Ex quibus ſic ad hominem contra Ill. God. retorqueo.

Retorqueo ad hom. cõtra Ill. God. In beatis idem numero amor, regulatus viſione beata, eſt liber, vt terminatus ad Deum, prout eſt ratio diligendi creaturas, & neceſſarius, vt terminatus ad Deum, prout eſt ratio diligendi ipſum Deum : ergo eadem viſio beata ſub hac duplici terminatione, ſcilicèt, vt terminata ad Deum, prout eſt ratio cognoſcendi ipſum Deum, & terminata ad Deum, prout eſt ratio cognoſcendi creaturas, poterit eſſe iudicium perfectum, quo beatus iudicet, Deum, vt ſummum bonum, eſſe, & non eſſe ſuper omnia diligendum, & omnia ad ipſum eſſe, & non eſſe ordinanda. Conſequentia eſt paritate notoria. Antecedens eſt Ill. Godoy, qui *tom. 3. in 3. part. diſp. 48. num. 94.* talem amorem ponit in Chriſto.

137 *Reſpond. 4.* Reſpondeo quartò : ommiſsis præmiſsis, negando conſequentiā, & illius probationem, quia ad peccatū actuale ſufficit in intellectu ſimplex apprehenſio ; cum hæc ſufficiat ad movendam voluntatem ad actus ſaltim inefficaces, & ſimplicis complacentiæ, & ex ſimplici apprehenſione æqualitatis Dei, tenet Scotus, ortum fuiſſe amorem inordinatum Angelorum, vt diximus *num.* 94. ex ibique dictis, ſimul cum *num.* 95. hæc ſolutio claret, & ad confirmationem, nego antecedens, quia ſtante iudicio practico prædicto, ſeu viſione, poteſt ſimplici apprehēſione proponi Deus ſub ratione mali, ideòque diximus *num.* 55. quod iudicium practicum, nec quoad exercitium, nec quoad ſpecificationem voluntatē neceſsitat.

138 *Poteſt reſponderi.* His itaquè ſolutionibus ad argumentum Ill. Godoy ſtatutis, poteſt etiam argumento tribui duplex ſolutio, quam tradit Ill. Godoy, eo, quod nullæ ſunt reſponſiones illius. Prima eſt : dabilem eſſet viſionē beatificam, quæ non iudicet, Deum eſſe ſumum bonum, cuius ratio eſt : nam ſumma bonitas, & diligibilitas ſuper omnia, eſt Dei attributum ; ſed poteſt beatus Deum videre, non viſis attributis, vt docuimus *tom. 1. in 1. ſent. diſput. 19.* taliſque viſio eſſet beata, vt oſtendimus *in præſenti diſput. 2. §. 15* : ergo dabilis eſt viſio beatifica, quæ non iudicet, Deum eſſe ſummū bonum. Et per hoc patet nullitas duplicis ſolutionis Ill. Godoy, quam ſimul cum noſtra reſponſione adducit *num. 37.*

139 Secunda eſt : non repugnare de potentia Dei abſoluta viſionem claram Dei, quæ non extendatur ad iudicandum, omnia debere ad Deum ordinari ; cum hæc extenſio ſit ad creaturas infrà rationem communem poſsibilis. Nec obſtat, quod tale iudicium ſit debitum viſioni beatæ ; quia hoc debito non obſtante, poteſt Deus negare concurſum intellectui ad illius elicientiam, vt apparet ex dictis *à num. 11. vſquè ad numer. 18.* Nec etiam obſtat, quod talis viſio inferret per evidentem, & neceſſariā conſequentiā prædictum iudicium ; quia ad hoc ſatisfit quadruplici ſolutione ad argumentum data. Et per hoc apparet : vim non habere duplicem replicam, quam ipſe tradit *numer. 38.* Ex hiſquè ad confirmationem negatur antecedens, & ratio ſumitur ex hac duplici ſolutione. *Ad cõfirm.*

§. IX.

Pro amore beatifico ſtatuitur quinta concluſio, & argumentis occurritur.

140 *5. Cõcluſio.* QVinta concluſio : *De potentia abſoluta poteſt cum amore beatifico peccatum actuale componi, peccato odij formalis Dei excluſſo.* Hæc

con-

conclusio est contra Ill. Godoy, & quoad secundam partem constat ex dictis *num.* 106. Quoad primam verò eam tuentur Authores primæ sententiæ, & expræsè Scotus *in 3. dist. 28. §. De secundo dico*, vbi ait: *Nec in actibus dilectionis sequitur ex natura rei destructio dilectionis Dei ex destructione dilectionis proximi.* Deindè est conformis principijs Scoti: nam *in 2. dist. 7. §. De secundo*, tenet, quod obstinatio mali Angeli in malo provenit ex substractione Divini concursus ad bonum, consequens est, dicere, quod confirmatio beatorum in bono provenit ex substractione concursus ad malum. Colligitur etiam ex Scoto *in 2. dist. 23. §. Dico igitur ad quæst. ℣. Ad aliud dico, sicut dixi in 1. dist. 1. quæst. 3. Quod voluntas creata non tendit necessario in finem sibi ostensum, nec in vniversali, nec in particulari; tenendo tamen communem viam potest dici, quod non sequitur: tendit necessario in bonum infinitum: ergo & in quodlibet, quod est in illud ordinatum.* Ex quibus sic.

141 *Probat. 1. concluſ.* Probatur primò conclusio: voluntas creata, quantumvis necessitata ad Deum amandum, potest peccare circa aliud obiectum creatum; sed dato, quod peccaret, peccatum, & amor beatificus simul stare possent de potentia Dei: ergo de potentia Dei potest cum amore beatifico peccatum actuale componi. Consequentia est legitima. Minor patet ex dictis *num.* 104. & 105. Maior autem probatur: voluntas creata, quantumvis necessitata ad Deum amandum, potest inordinatè velle obiecta creata: ergo & peccare circà aliud obiectum creatum. Consequentia infertur.

142 *Probatur anteced. 1.* Antecedens autem, in quo est tota difficultas, est doctrina expressa Scoti *proximè cit.* asserentis, quod voluntas creata, quantūvis necessitata ad Deū amandum, potest tendere in obiecta creata modo indebito. Vltrà quod probatur primo paritate Dei posita *num.* 118. Probatur secundò: voluntas creata non est infinitè recta: ergo quantumvis necessitata ad amandum Deum clarè visum, potest inordinatè velle obiecta creata. Probatur consequentia: ideò Divina voluntas nequit velle inordinatè obiecta creata, quia est infinita, recta, & prima regula; sed voluntas creata per te, non est infinitè recta: ergo voluntas creata, quantumvis necessitata ad amandū Deum clare visum, potest inordinatè velle obiecta creata.

Secundò. Probatur tertiò: voluntas creata, quantumvis necessitata ad Deum amandum, non est necessitata ad volitionem ordinatam creaturarum: ergo idem, quod anteà. Probatur antecedens: ideò voluntas esset necessitata ad Deum amandum, quia talis amor est obiecti infiniti clarè visi; sed volitio ordinata creaturarum nō est obiecti infiniti: ergo voluntas creata, quantumvis necessitata ad amandum Deum, non est necessitata ad volitionem ordinatam creaturarum. *Tertiò.* Quartò: voluntas creata, quantumvis necessitata ad amandum Deū, non est necessitata ad velle conformationem actualem cum Divina voluntate: ergo idem, quod priùs. Probatur antecedens: talis conformatio est quid finitum: ergo, &c. *Quartò.*

143 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundò conclusio: amor beatificus potest esse simul cum aliquo peccato mortali: ergo de potentia absoluta potest cum amore beatifico peccatum actuale componi. Probatur antecedens: fruitio in via potest esse simul cum ommissione peccaminosa dilectionis proximi: ergo amor beatificus potest simul esse cū aliquo peccato mortali. Antecedens constat ex *num.* 104. & 105. Consequentia ex *num.* 103. vbi dixi, quod fruitio in via, & in patria sunt eiusdem speciei.

144 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy, esse disparitatem: nam fruitio in Patria est necessaria; in via verò libera. Contra primò: oppositio fruitionis cum peccato non oritur ex necessitate, vel libertate illius, sed ex ratione formali specifica fruitionis: ergo si fruitio in via potest esse simul cum ommissione peccaminosa dilectionis proximi, amor etiam beatificus poterit esse simul cum aliquo peccato mortali, & consequenter ruit solutio. *Contra 1.* Contra secundo: fruitio viæ, vtpotè, libera, est actus bonus moraliter, & meritorius; non verò fruitio Patriæ, vtpotè, necessaria: ergo maiorem oppositionem cum peccato debet habere, quam fruitio Patriæ: si ergo fruitio viæ potest esse simul cum ommissione peccaminosa dilectionis proximi, amor etiam beatificus *Contra 2.*

poterit esse simul cum aliquo peccato mortali.

145 *Probat. 3. ad hom. cōtra Ill. God.*

Probatur tertiò conclusio specialitèr ad hominem contra Ill. Godoy: beatus liberè amat creaturas in sensu composito amoris erga Deum: ergo in sensu composito amoris erga Deū potest beatus peccare, & consequentèr cum amore beatifico stare potest de potentia Dei absoluta peccatum actuale. Consequentia est apud omnes evidens. Primò: quia si liberè amat creaturas, potest non amare, ac per consequens peccare, si staret præceptum de amore. Secundò: nam ideò iuxtà Ill. Godoy, beatus nequit peccare, quia liber non est ad Deum amandum: ergo si est liber in amando creaturas, poterit circà illas peccare. Antecedens autem probatur: datur in beatis amor regulatus visione beata, qui vt terminatur ad Deū, prout est ratio diligendi creaturas, est liber, & vt terminatur ad Deū, prout est ratio diligendi ipsum Deum, est necessarius: ergo beatus nequit peccare, iuxtà Ill. Godoy, quia liber non est ad Deum amandum. Consequentia est legitima. Antecedens verò est ipsius Ill. Godoy *tom. 3. in 3. p. disp. 48. num. 94.* fatentis, dari in Christo talem amorem.

146 *Alitèr formatur probatio.*

Ex quo alitèr formo contra ipsum probationem: cum amore ordinato erga Deum, regulato visione beata, simul stare potest amor inordinatus erga creaturas, regulatus visione beata: ergo cum amore Dei stare potest actuale peccatum. Probatur antecedens: cum amore necessariò erga Deum, regulato visione beata, stat simul amor liber erga creaturas, regulatus visione beata: ergo paritèr. Antecedens est opinio Ill. God. *citat.* Consequentia est paritate notoria.

147 *Probat. 4. ad hom. cōtra Thom.*

Probatur quartò conclusio ad hominem contra cæteros Thomistas: cum amore ordinato erga Deū, regulato scientia beata, potest simul stare amor inordinatus erga creaturas, regulatus scientia infusa: ergo cum amore Dei stare potest in beatis peccatum actuale. Consequentia est legitima. Probatur antecedens: cum amore necessariò erga Deum, regulato scientia beata, stat simul amor liber erga creaturas, regulatus scientia infusa: ergo paritèr. Antecedens est omnium illorum Thomistarum, qui duplicem amorem cognoscunt in beatis. Vnum necessarium, qui regulatur per scientiam beatam; & aliū liberum, & contingentem, qui regulatur per scientiam infusam, vt diximus *num.* 108. Consequentia paritate videtur manifesta.

148 *Probat. 5. ex doctrina omniū Theologorum.*

Probatur quintò ex doctrina omnium Theologorum: cum amore ordinato erga creaturas, regulato cognitione beata, seu in Verbo, vel matutina, potest simul stare amor inordinatus erga ipsas creaturas, regulatus cognitione in proprio genere, seu extrà Verbum, vel vespertina: ergo cum amore beatifico stare potest actuale peccatum. Probatur antecedens: cum amore necessariò erga creaturas, regulato cognitione beata, stat simul amor liber erga ipsas creaturas, regulatus cognitione in proprio genere: ergo similitèr. Consequentia certa vi paritatis apparet. antecedens autē est omnium Theologorum, hos duos amores, regulatos hac duplici cognitione, statuentium in beatis, vt dictum manet *numer.* 107. & 108.

149 *Probat. 6. per oppositum ad rationem Ill. God.*

Probatur sextò conclusio per oppositum ad rationem Ill. God: quando aliquæ formæ non repugnant ex natura rei, possunt simul esse de potentia Dei absoluta; sed amor beatificus, & actuale peccatum, non sunt formæ ex natura rei repugnantes: ergo de potentia Dei absoluta amor beatificus, & actuale peccatum possunt esse simul. Consequentia infertur. Maior est certa: nam ideò simultatem negat Ill. Godoy *num.* 33. quia repugnantiam ex natura rei supponit. Minor patet. Tum: ex dictis *numer.* 124. Tum etiam: quia amor Dei non opponitur ex natura rei cum odio proximi ex dixis *num.* 104. Tum deniquè: quia amor amicitiæ erga Deum non opponitur ex natura rei cum odio Dei, vt vindicantis iuxtà dicta *num.* 105. vbi totum sufficientèr manet probatum.

150 *Prob. deniquè concl.*

Deniquè probari potest conclusio argumento tradito ab Ill. Godoy *num.* 39. & ad hanc formam reddacto: potest Deus præceptum imponere beato de aliquo actu libero exercendo, v. g. custodiendi hominem; at tali præcepto supposito, potest beatus peccare: ergo peccatum est compatibile cum statu beati. Probatur minor:

nor: beatus adhuc suppositio præcepto liberè custodiret; ergo posset illum non custodire; at posse non custodire, est posse peccare: ergo tali præcepto suppositio, potest beatus peccare. Probatur minor: actu non custodire, est actu peccare, suppositio præcepto: ergo posse non custodire, suppositio præcepto, est posse peccare; sic namque se habet potentia ad potentiam, sicuti actus ad actum.

151 *Respondet. Ill. Godoy.* Ad hanc rationem, quæ vt fatetur Ill. Godoy *num.* 40. ob sui difficultatem malè torquet Theologorū ingenia, opinionē Scoti negantium, & in tot sententias, quot capita, dividit, respondet ipse dicto *num.* 40. & responsionem reducit ad sensum cōpositum, & divisum, quod anteà fecit *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 49. *à num.* 179. *vsquè ad* 183. Et fecerat etiam *tom.* 2. *in* 1 *part. disp.* 36. *&* 67. Hæc tamen solutio fusè à nobis impugnata manet *tom.* 2. *in* 1. *sent. disp.* 36. §. 7. & *disp.* 67. vbi videndum relinquo.

Reijcitur.

152 *Arguit.* 1. *Ill. Godoy.* Contra nostram prædictam conclusionem arguit Ill. Godoy argumento posito *num.* 44. quod sic se habebat: per peccatum homo avertitur à Deo, vt vltimo fine, & in creaturam, vt vltimum finem, convertitur; atqui aversio à Deo, vt fine vltimo, & conversio in illum, vt in vltimum finem, simul esse non possunt: ergo cum amore Dei super omnia stare nequit actuale peccatum. Hoc argumentum repetit *num.* 35. *in fine*, vndè eadem est ad vtrumque solutio. Respondeo distinguendo maiorem: per peccatum homo avertitur à Deo formaliter, vel virtualiter, concedo maiorem; formaliter præcisè, nego maiorem; & distinguo minorem: aversio formalis à Deo, & conversio formalis in illum simul esse non possunt, concedo minorem; aversio virtualis à Deo, & conversio formalis in illum simul esse non possunt, nego minorem, & distinguo consequens: ergo cum amore Dei super omnia nequit stare actuale peccatū, quod sit aversio formalis à Deo, vt est odium Dei, & ommissio amoris, concedo consequentiam; quod sit aversio tantum virtualis à Deo, vt est peccatum ex volitione inordinata creaturarum, nego consequentiam. Solutio patet ex dictis *numer.* 105. *&* 115. & infrà explicabitur.

Respondeo.

153 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: peccatum mortale ex volitione inordinata creaturarum est saltim aversio virtualis à Deo; sed amor Dei super omnia, vt potè, conversio formalis perfectissima ad Deum, nequit esse simul cum aversione virtuali: ergo amor Dei super omnia nequit esse simul cum volitione inordinata creaturarum. Respondeo primò negando minorem, vt claret in calori formali, qui potest esse cum frigiditate virtuali, & è contra. Respondeo secundò distinguendo maiorem: peccatum mortale ex volitione inordinata creaturarum est aversio virtualis ex ordinatione Divina, concedo maiorem; ex natura rei, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Respondeo tertiò alitèr distinguendo minorem, distinctione maioris suppositā: conversio formalis perfectissima ad Deum nequit esse simul cum aversione virtuali eiusdem rationis, & ordinis, concedo minorem; diversæ rationis, & ordinis, nego minorem, & consequentiam. Solutio hæc simul, & præcedens, claret ex dictis *num.* 116. *&* 117. Et vtraque explicatur.

Triplex responsio.

154 *Explicantur solutiones.* Itaquè certum est, quod amor Dei super omnia, vti est beatificus amor, est phisica, & realis conversio ad Deum, vtpote, realis, & phisica cū Deo coniunctio. Insuper certum est, quod peccatum mortale, quodcumq; sit (odio formali Dei, & Dei amoris ommissione exceptis) est tantum moralis aversio à Deo ex dictis *num.* 116. Vndè licèt cū conversione phisica, & reali ad Deum, nequeat stare phisica, & realis aversio ab eo, quia sunt eiusdem ordinis, & rationis, qua de causa diximus *num.* 106. amorem beatificum repugnare cum odio formali Dei, & cum ommissione amoris ipsius Dei; atamen cum conversione phisica, & reali ad Deum, stare potest aversio moralis tantum, quia sunt diversæ rationis, & ordinis, & consequentèr simul stare valent amor Dei super omnia, & peccatum mortale ex volitione inordinata creaturarum.

155 *Retorqueo ad hom. cōtra Ill. God.* Deniquè retorqueo argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: cum amore necessariò erga Deum in patria stat simul amor liber erga creaturas: ergo cum amore Dei super omnia stare simul potest peccatum ac-

tuale erga creaturas. Consequentia paritate constat. Antecedens autem est opinio expressa Ill. Godoy, omniumque Thomistarum, & omnium Theologorum, vt liquet ex dictis *num* 146. 147. & 148. licèt differant in eo, an talis amor sit idem, vel distinctus.

156 *Arguit 2. ex doctrina Ill. Godoy.*

Ill. Godoy aliud non adducit contra nostram conclusionem pro amore beatifico; cæterum adimplendo, quæ diximus *num.* 45. arguitur secundò ex doctrina ipsius *num.* 36: implicat, quod homo habeat duos fines vltimos; sed si cum amore beatifico staret simul actuale peccatum, homo haberet duos vltimos fines: ergo cū amore beatifico nequit simul stare actuale peccatum. Probatur minor: per amorem beatum tenderet homo in Deum, vt finem vltimum; sed per peccatum tenderet in se ipsum, vt talem finem: ergo si cum amore beatifico staret simul actuale peccatum, homo haberet duos vltimos fines.

157 *Respondeo.*

Respondeo distinguendo maiorem: implicat, quod homo habeat duos fines vltimos simpliciter, concedo maiorem; vnum vltimum simpliciter, & alium secundum quid in determinato genere, nego maiorem; distinguo similiter minorem cū probatione illius, & nego consequentiā; quia homo per peccatum solum respicit creaturam, vt finem vltimum secundum quid in determinato genere. *Explicatur solutio.* Explicatur hoc: finis vltimus simpliciter est ille, qui nullo modo est reducibilis ad alium. Finis vltimus secundum quid, seu in determinato genere, est aliquod bonum creatum ex natura sua ordinabile, & referibile in Deum, vt finem vltimum simpliciter. Ille est solus Deus. Hic est creatura, quam peccans mortaliter respicit, vt finem vltimum secundum quid, quia creatura est ex natura sua ad Deum ordinata.

158 *NOTA.*

Adverto tamen discrimen inter peccans mortaliter, & venialiter; quia licèt vtrumq; ponat vltimum finem in creatura, peccans mortaliter ponit vltimum finem secundum quid contrariè, quia peccatum mortale opponitur consecutioni vltimi finis simpliciter saltim ex ordinatione Divina; peccans verò venialiter solum ponit vltimum finem secundum quid in creatura negativè, quia peccatum veniale non opponitur consecutioni vltimi finis simpliciter, sed solum habet, quod sit irreferibile in Deum.

159 *Dices.*

Dices: de ratione vltimi finis simpliciter est, vt, qui illum intendit, dirigat ad illum omnia sua opera: ergo non potest alium finem adhuc partialem intendere. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens. Primò: quia ad rationem vltimi finis simpliciter sufficit, vt homo illum præ omnibus absolutè vellit, plus ſtimet, vel apræciet secundum se; non verò requiritur, quod omnia ad illum actu dirigat, vel referat. Secundò: quia ad rationem vltimi finis simpliciter sufficit, quod omnia bona sint ad illum ordinabilia, & dirigibilia; non verò requiritur, quod omnia bona ad illum actu dirigantur; alioquin nullus peccaret.

160 *Arguit. 3.*

Arguitur tertiò: implicat, amorem beatificum esse simul cum peccato mortali: ergo nequit cum amore beatifico peccatum actuale componi. Probatur antecedens: implicat beatum simul diligere Deum apræciativè super omnia, & creaturam apræciativè suprà Deum; sed amor beatificus est amor Dei apræciativus super omnia, & peccatum mortale est amor creaturæ apræciativus suprà Deum: ergo implicat, amorem beatificum esse simul cum peccato mortali. Hoc argumentum nullam vim habet in sententia illorum, asserentium, duo contraria in summo posse simul esse de potentia Dei absoluta, Sed quia oppositum iudico certius ex dictis *num.* 106.

161 *Respond. 1.*

Respondeo primò negando antecedens, ad probationem nego minorem; quia amor beatificus est amor Dei super omnia intensivè, qui est amor amicitiæ ex dictis *numer.* 110. & 111. Vndè potest esse sine amore apræciativo, qui est amor concupiscientiæ ex *ibi* dictis. Ex hoc patet: quod amor apræciativus creaturæ suprà Deum, non opponitur cum amore intensivo Dei super omnia, consequentèrque possunt esse simul. *Secundò.* Respondeo secundò negando antecedens, ad cuius probationem distinguo minorem: amor beatificus est amor Dei apræciativus super omnia quantum ad perfectiones intrinsecas Dei, concedo minorem; quantum ad bona extrinseca, nego minorem;

distin-

distinguo è contra secundam partem minoris, & nego consequentiam; quia cum peccatum solum sit amor apreciativus creaturæ suprà Deum quantum ad bona extrinseca, non opponitur cum amore beato, qui tantum est amor apræciativus Dei super omnia quantum ad bona intrinseca, vt claret ex dictis *num. citat.*

162 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: amor beatificus est summa fælicitas; sed peccatum mortale est summa miseria: ergo nequeunt esse simul. *Respondeo.* Respondeo: quod amor beatificus est physica fælicitas; peccatum verò moralis miseria, vndè non repugnarent inter se.

163 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: hoc ipso, quod beatus sit necessitatus ad amandum Deum, necessitatus manet ad amandas creaturas propter Deum ex suppositione, quod illas amet: ergo amor beatificus, & peccatum actuale nequeunt esse simul. Probatur antecedens: hoc ipso, quod beatus sit necessitatus ad amandum Deum, non potest amare creaturas, nisi ex motione Divinæ voluntatis: ergo hoc ipso, quod beatus sit necessitatus ad amandum Deum, necessitatus manet ad amandas creaturas propter Deum. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: amore regulato per visionem beatam, seu per cognitionem in Verbo, vel matutinam, concedo antecedens; amore regulato per cognitionem vespertinam, seu in proprio genere; nego antecedens, & consequentiam. Responsio patet ex dictis *num.* 107. & 108. *Quadruplex retorsio.* Ex quibus retorqueo primò argumentum exemplo de Christo Domino eisdem numeris posito. Retorqueo secundo: licèt Deus se necessariò amet, non tamen necessariò amat creaturas: ergo licèt creatura ex vi visionis necessitetur ad amandum Deum, non necessitatur ad amandas creaturas. Tertiò: beatus ex vi visionis nullam creaturam videt: ergo ex vi amoris nullam creaturam amat. Quartò ex dictis *n.* 155.

164 *Arguit. 6.* Arguitur sextò ex Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. §. *Dico ergo*, dicente: *Beatum esse impeccabilem in sensu composito beatitudinis*; sed beatitudo consistit formaliter in amore beatifico: ergo cum amore beatifico nequit simul peccatum actuale componi. Antecedens patet: nam hæc sunt Scoti verba: *Beatus non potest simul esse beatus, & peccare.* *Duplex responsio.* Respondeo primò: Scotum loqui de facto; non verò de potentia Dei absoluta. Respondeo secundò: Scotum loqui de beatitudine extensiva, quæ cum sit status omnium bonorum, includit essentialiter omne bonum, & carentiam omnis mali; non verò loquitur de beatitudine intensiva, quæ consistit formaliter in fruitione.

165 *Dices.* Dices: Scotus *citat.* expræsè asserit: amorem beatificum esse actum oppositum peccato: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ibi Scotus expræsè asserit: beatum reddi impotentem proximè ad peccandum per decretum continuandi amorem beatificum; sed si amor beatificus non esset actus oppositus peccato, per decretum continuandi illud non redderetur impeccabilis proximè: Scotus ergo asserit: amorem beatificum esse actum oppositum peccato.

166 *Duplex responsio.* Respondeo primò: Scotum loqui de facto, & de potentia ordinaria, ad quod sufficit, quod amor, & peccatum opponantur demeritoriè, quæ oppotio saltim virtualiter manet in amore beato. Respondeo secundò: Scotum loqui in illa sententia, quod amor Patriæ, & viæ sunt specie distincti, & consequenter fruitionem esse ex natura rei oppositam peccato propter suam excellentiam; nos verò probabiliter cum ipso Scoto asserimus, prædictos amores esse eiusdem speciei ex dictis *num.* 103. & consequenter fruitionem non esse ex natura rei oppositam peccato; quare in hac sententia beatus non redditur impeccabilis proximè per solum decretum continuandi amorem, sed etiam per decretum non concurrendi ad materiale peccati, & non permittendi formale.

167 *Vrgebis deniquè.* Vrgebis deniquè Scotum *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta principalia*, dicentem: *Dico, quod sicut habens lumen gloriæ, & Charitatem consumatam non potest peccare; non quia ista formaliter repugnent peccato; sicut neque actus primus repugnat oppositio actus secundi, contingenter causabilis, sed quia de potentia ordinata Deus non potest non coagere ad actus secundos perpetuæ visionis, & fruitionis, qui actus repugnant peccato.* Ex quibus verbis sic replicam formo: Scotus concedit actui fruitionis repugnantiam,

quam

quam negat lumini gloriæ, & habitui Charitatis; atqui peccatum, & habitus Charitatis ſolum pugnant ex pacto Dei, & ordinatione Divina iuxta Scotum *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. §. *Sed tunc eſt*: ergo fruitio, & peccatum magis pugnant. Tunc ſic, ſed peccatum, & habitus Charitatis ad ſummum poſſunt eſſe ſimul de potentia Dei abſoluta: ergo fruitio, & peccatum nec de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe ſimul. Hæc conſequentia claret; alioquin non magis pugnarent fruitio, & peccatum, quam peccatum, & habitus Charitatis, quod eſt contra Scotum.

168 *Reſpondeo.*

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Scotus concedit actui fruitionis repugnantiam, quam negat lumini gloriæ, & habitui Charitatis, intra eandem ſpeciem, vel eundem ordinem, concedo maiorem; extra eandem ſpeciem, vel ordinem, nego maiorem; & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: fruitio, & peccatum magis pugnant intra repugnantiam ex pacto Dei, concedo conſequentiam; extrà talem repugnantiam, nego conſequentiã. Concedo ſuſſumptam, & nego conſequentiam, cuius probationem, diſtinguo diſtinctione data. Itaquè fatetur, Scotus in verbis allegatis, maiorem oppoſitionem eſſe inter fruitionem, & peccatum actuale, quam inter hoc peccatum, & habitum Charitatis, quia inter actum, & actum ſemper eſt maior oppoſito, quam inter actum, & habitum; cæterum non vult Scotus, quod ſi oppoſitio inter peccatum actuale, & habitum Charitatis eſt ex pacto Dei, & ordinatione Divina, oppoſitio inter actuale peccatum, & fruitionem ſit ex natura rei, quod nunquam dixit Scotus, & eſt intentum argumenti.

Explicatur ſolutio.

Ex hoc liquet ſolutio, quam in forma argumento tribuimus; aſſerit namquè Scotus: tàm habitum Charitatis, quàm fruitionem, repugnare cum peccato actuali ex pacto Dei, & ordinatione Divina, ſeu moraliter, & intra hunc ordinem, vel intra hanc ſpeciem repugnantiæ magis repugnare peccrtum actuale cum fruitione, quam cum habitu Charitatis ob dicta; nullatenus tamen vult, quod exceſſus oppoſitionis peccati actualis cum fruitione ſit extrà ordinem, vel ſpeciem repugnantiæ moralis, ex pacto Dei, & Divina ordinatione.

169 *Amplius declaratur.*

Et quod hæc ſit puriſsima Scoti mens, verbis eiuſdem pro argumento traditis, pro ſolutione firmatur. Scotus in verbis *citat.* eodem omninò modo loquitur de fruitione, ac de viſione; atqui viſio opponitur cum peccato actuali moraliter tantum, ex pacto Dei, & Divina ordinatione iuxtà Scotum: ergo iuxtà eundem moraliter tantum ex pacto Dei, & Divina ordinatione opponitur fruitio cum peccato actuali. Conſequentia eſt legitima. Minor patet ex dictis *numer.* 127. eſtque apud Scotum, & Scotiſtas inconcuſum. Maior claret ex illis Scoti verbis: *Ad actus ſecundos perpetuæ viſionis, & fruitionis, qui actus repugnant peccato.* Ex quo manifeſta ſit contra arguentes retorſio.

170 *Firmatur ſolutio.*

Retorque.

)(§)(

DISPVTATIO OCTAVA.

Quæ dotes conferantur Animæ beati, & qualitèr inter ſe diſtinguantur?

§. I.

Reſolvitur difficultas.

Num. 1 *Dos propriè diffinitur.*

NOtto primò: quod nomen *Dos*, relicta generali acceptione, in qua quodlibet donum *Dos* nuncupari ſolet, ſumitur propriè pro dono, quo Sponſa dotatur; & licèt inter Iuriſtas ſit circà illius diffinitionem non parva difficultas, ſic à Theologis diffinitur: *Dos*

eſt

est, quod ex parte Sponsæ datur marito ad sublstinenda onera matrimonij, à quo sumpta methaphora, dotes sumunt Theologi pro illis, quibus dotatur corpus in Resurrectione, & Anima beati in ingressu Cœli, vbi matrimonium spirituale fit indissolubile, & consummatum ad distinctionem matrimonij in via, quod tantum est ratum, & per peccatum dissolvitur, donaque Iustis concessa habent rationem arrharum duntaxat.

2 *Tria ad rationem dotis requiruntur.*

Notto secundò: ad rationem Dotis tria requiri. Primum est: vt sit perfectio reperta solum in Patria. Ratio est: quia cum dos detur ratione matrimonij consummati, & hoc solum sit in Patria, in illa sola debet dari dos. Secundum est: vt dos immediatè terminetur ad Sponsum. Et ratio est: quia hoc matrimonium efficit, vt Sponsa sit vnus Spiritus con Sponso: ergo debet fieri per aliquid attingens immediatè Sponsum. Tertium: quod dos correspondeat aliquibus ex virtutibus Theologalibus viæ. Ratio est: quia per has virtutes contrahitur matrimonium ratum in via: ergo & consumatum debet fieri per aliquid correspondens illis.

3 *In Angelis, & in Christo non sunt propriè dotes.*

Notto tertiò: quatuor esse apud Theologos communia. Conveniunt primò in eo, quod in Angelis non sunt propriè dotes. Probatur: dos propriè respicit matrimonium inter Sponsum, & Sponsam; sed Angelus non est Sponsus Christi, nec Dei, quia matrimoniũ est inter personas eiusdem speciei: ergo in Angelis non sunt propriè dotes. Conveniunt secundò in eo, quod in Christo Domino non sunt propriè dotes. Probatur: ad matrimonium requiritur convenientia specifica naturarum, earumque numerica distinctio, & personalis; sed Christus, vt homo non est idem specificè cum natura Patris, & vt Deus est idem numero cum illo: ergo in Christo Domino non sun propriè dotes. Tertiò conveniunt in eo, quod in omnibus alijs beatis sunt propriè dotes. Probatur: quælibet anima beata est Sponsa Christi: ergo in ea sunt propriè dotes. Quartò deniquè conveniunt in eo, quod tres tantum, & non plures, nec pauciores sint dotes in patria. Probatur: tres tantum sunt virtutes, quibus contrahitur matrimonium ratum in via: ergo tres tantum sunt dotes, quibus contrahitur matrimonium consummatum in patria. Quæ autem sint istæ dotes? Et an sint actus, vel habitus? Et quid sit dos comprehensionis? Est dubium, quod triplici conclusione, vt facit Ill. Godoy, ostendam.

In beatis sunt propriè dotes.

Tres tantũ sunt dotes.

4 1. *Cõclusio.*

Prima conclusio: *Tres dotes sunt: Visio, Comprehensio, & Fruitio.* Conclusio pro visione, & comprehensione est inter Theologos communis. Pro fruitione autem est contra Ill. Godoy *num.* 5. loco fruitionis delectationem assignantẽ. Est tamen Scoti *in* 4 *dist.* 49. *à quæst.* 13. *vsquè ad* 16. & probatur: Conditiones dotis *numer.* 2. relatæ conveniunt visioni, cõprehensioni, & fruitioni: ergo sunt dotes. Probatur antecedens: visio est solum in patria, vt patet, terminatur ad Sponsum, nempè, Deum, & correspondet fidei. Similitèr comprehensiõ est solum in patria, cum in sola patria Deus possideri valeat, terminatur ad Deum, qui est possessus, & correspondet spei. Deniquè fruitio solum est in patria, terminatur ad Deum, & correspondet Charitati; atqui istæ sunt conditiones dotis: ergo conditiones dotis conveniunt visioni, comprehensioni, & fruitioni.

Probatur.

5 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 6. negando, fruitionem solum esse in patria; quia dilectio eiusdem speciei reperitur in via. Hæc solutio ruit, tenendo: actum Charitatis in patria esse diversæ speciei ab actu Charitatis in via, quod probabilius iudicat Scotus, vt diximus *disp. præced. num.* 103. Cæterum hoc dato, impugnatur solutio primò: quod fruitio, vel actio Charitatis eiusdem speciei reperiatur in via, non obest, vt dicatur, fruitionem esse solum in patria: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: vt dicatur, fruitionem solum esse in patria, sufficit, quod fruitio, seu actus Charitatis in via, non habeat differentiam accidentalem, & perfectionem quam habet in patria, scilicèt, quod sequatur ad visionem, & quod sit firma, & immobilis: ergo quod fruitio, vel actus Charitatis eiusdem speciei reperiatur in via, non obest, vt dicatur, fruitionem solum esse in patria. Probatur antecedens: vt dicatur, habitum Charitatis esse solum in patria, sufficit, quod vt principians delecta-

Impugn. 1.

tio-

tionem, non reperiatur in via, vt tenet Ill. Godoy *numer. 9. in fine*: ergo similitèr.

6 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: quod actus Charitatis, vel fruitio sit eiusdem speciei in patria, & in via, non tollit, quod fruitio solum sit in patria: ergo defectu huius conditionis non debet excludi à ratione dotis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod habitus Charitatis sit eiusdem speciei in patria, & in via, non tollit, quod habitus Charitatis sit solum in patria: ergo paritèr. Antecedens est doctrina Ill. Godoy *num. 9. in fine*. Consequentia paritate videtur notoria. *Impugn. 3.* Tertiò: ideò tollit Ill. Godoy à fruitione, vel Charitate rationem dotis eo, quod in patria, & in via sit eiusdem speciei, quia de ratione dotis est, quod nec secundum speciem inveniatur in via; atqui hoc est apud ipsum falsum, & manifestè contra ipsum probat: habitum charitatis in patria non esse dotem: ergo & falsa, & inconsequens est solutio illius. Maior est expressa Ill. Godoy *num. 6.* Minor est ipsius *num. 9. cit.* Consequentia est legitima. Ex quo retorqueo contra ipsum, demonstrando inconsequentiam illius: de ratione dotis iuxtà ipsum *num. 6.* est, quod nec secundum speciem inveniatur in via; sed iuxtà ipsum *num. 9.* habitus Charitatis patriæ invenitur secundum speciem in via: ergo habitus Charitatis patriæ non est dos contra ipsum. *Retorqueo.*

7 *1. Corollar.* Ex dictis colligo primò contra Ill. Godoy: delectationem concupiscientiæ non esse dotem. Ratio est primò: nam dos vel debet esse actus, vel habitus, vt fert omnium Theologorum sententia; atqui delectatio concupiscientiæ nec est actus, neque habitus: ergo delectatio concupiscentiæ non est dos. Probatur minor: delectatio concupiscentiæ est passio, vel quasi accidens connaturale amoris, vt diximus *disp. 5. num. 199*: ergo delectatio concupiscentiæ nec est actus, neque habitus. Secundò: quia dos debet alicui virtuti Theologicæ correspondere; sed hoc non habet delectatio concupiscentiæ, quia nulla est Theologica virtus, cui correspondeat, quia Charitati correspondet fruitio: ergo talis delectatio non est dos. Colligo secundò: securitas non esse dotem. Primò: quia nec est habitus, neque actus, sed passio, vt dicam *disp. 9.* Secundò: quia conditiones dotis non conveniunt securitati. Colligo tertiò: cætera omnia præter prædictas perfectiones, quæ beatos perficiunt, dotes non esse; quia vel non competunt in solo statu patriæ, vel ad Deum immediatè non terminantur, vel nulli virtuti Theologicæ correspondet. *Secundum.* *Tertium.*

8 *2. Conclus.* Secunda conclusio: *Dotes consistunt in actibus.* Est contra Ill. Godoy *num. 7.* Sed docet Scotus *in 4. citat.* Et probatur primò: dotes succedunt virtutibus Theologis; sed tres sunt Theologicæ virtutes: ergo tres sunt dotes: ergo consistunt in actibus. Probatur hæc consequentia: in patria ad summum sunt iuxtà Ill. God. duo habitus, nempè, lumen, & Charitas: ergo non in ipsis consistunt dotes: ergo in actibus. Probatur secundò: dotes succedunt virtutibus Theologicis in via, tollentes imperfectiones illarum; sed hoc non convenit habitibus patriæ, sed actibus: ergo in actibus collocandæ sunt. Probatur minor primò: in patria non est habitus novus correspondens Charitati, imò nec spei in sententia Scoti probabili: ergo tollere imperfectiones harum virtutum in via, non convenit habitibus patriæ. Secundò: nam lumen gloriæ formalitèr, & ex natura rei, nec habitum, nec actum fidei expellit; benè verò visio: ergo tollere imperfectiones virtutis fidei, non convenit habitui. *Probat. 1.* *Secundò.*

9 *Quædam quæsitum.* Si autem quæras: quas imperfectiones virtutum Theologicarum tollant in patria dotes? Respondeo: quod visio tollit obscuritatem fidei. Comprehensio, vel tentio tollit inquietudinem causatam à desiderio boni absentis, vt bonum sibi, quia est amor concupiscientiæ. Fruitio denique tollit inquietudinem causatam à desiderio boni absentis, vt bonum in se, quia est amor amicitiæ.

10 *Respond. 1. Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num. 9.* ad nostram primam probationem: vnũ ex prædictis habitibus esse duplicem virtualitèr. Ad secundam rationem negat minorem, ad cuius primam probationem ait: quod licèt Charitas, vt principium amoris, inveniatur in via; vt principians tamen delectationem, quæ specie ab amore distinguitur, solum invenitur in patria, *Secundò.*

tria, & vt sic habet rationem dotis. Istæ autem solutiones nullæ sunt, & vtraque est reijcienda.

11 *Reijcitur 1 solutio.*

Reijcitur prima solutio: dotes correspondent virtutibus Theologicis; sed virtutes Theologicæ sunt tres, quin aliqua sit duplex virtualitèr: ergo dotes debent esse tres, quin aliqua sit virtualitèr duplex: ergo cum non sint tres habitus, quin aliquis sit duplex virtualitèr, non in habitibus consistunt dotes, & consequentèr ruit solutio. *Vrgetur.* Confirmatur, & vrgetur: dotes correspondent virtutibus Theologicis; sed istæ sunt tres realitèr distinctæ: ergo dotes debent esse tres realitèr distinctæ. Atqui iuxtà Ill. Godoy non sunt in patria tres habitus realitèr distincti: ergo non consistunt in habitibus. Ex hac replica claret veritas nostræ opinionis, replicamque esse optimam nostræ conclusionis probationem eo, quod in patria sint tres actus realitèr distincti, correspondentes tribus virtutibus Theologicis; non verò tres habitus; ex quo clara fit contra Ill. Godoy retortio. *Retorque.*

12 *2. solutio reijcitur triplicitèr.*

Secunda illius solutio reijcitur primo, ex eo, quod falsum supponit, scilicèt, quod delectatio specie distinguatur ab amore, cuius falsitatem ostendimus *num.* 7. vbi diximus; quod est passio, vel quasi accidens connaturale amoris. Secundò: quia prædicta solutio est inconsequens ad suam doctrinam ex dictis *num.* 6. Tertiò: quia reiecta manet per nostram primam probationem, & per tertiam, quarum vtraque tollit ab habitibus rationem dotis.

13 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

Arguit primò Ill. Godoy *num.* 7: Dotes exornant, & disponunt animã ad coniunctionem spiritualem cum Deo; at visio, & fruitio, vt sunt operationes, non disponunt illam ad talem coniunctionem, sed sunt ipsa coniunctio: ergo ratio dotis non competit actibus, sed habitibus. *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem; quia dotes licèt exornent animam beati; non tamen disponunt illam ad coniunctionem spiritualem cum Deo, quia disponere dicit antecedentiam, quam non habet dos ad spiritualem coniunctionem, vt constat ex diffinitione Dotis *num.* 1. assignata, quæ prædictam coniunctionem, seu matrimonium supponit.

14 *Secundò.*

Respondeo secundò distinguendo maiorem: dotes disponunt antecedenter, vel concomitantèr ad ipsam coniunctionem spiritualem cum Deo, concedo maiorem; antecedentèr præcisè, nego maiorem; & supposita hac doctrina, quam habet Ill. Godoy *num.* 9. nego minorem; quia visio, & fruitio vtrumque faciunt: nam visio, & fruitio habent duo. Primum est: vt sit vnio, & consecutio summi boni, & sic sunt ipsa coniunctio spiritualis cum Deo, seu ipsum matrimonium. Secundum est: vt excludant imperfectiones virtutũ Theologicarum, v. g. visio obscuritatem fidei, & fruitio inquietudinem causatam à desiderio boni absentis, vt est in se, & hoc modo sunt dotes, quæ subsequuntur ad prædictam coniunctionem, vel matrimonium.

15 *Arguit. 2.*

Arguit secundò *num. citat.* nam ratio dotis transfertur à Theologis ex propria significatione muneris dati Sponsæ in carnali matrimonio ad significanda ornamenta, quæ animã beatam exornant in matrimonio spirituali; at in prima, & propria significatione non actum, sed habitum importat: ergo etiam in secunda habitum, & non actum debent significare; & ad summum actus talium habituum de connotato. *Respondeo.* Respondeo concessis præmissis, negando consequentiam; quia ista matrimonia non sunt in omnibus similia; nam actus in matrimonio carnali, sunt transeuntes, & non sunt corporeæ divitiæ, istæ namque sunt dos; at in matrimonio spirituali actus, qui sunt dotes, sunt permanentes, & veræ divitiæ animæ, & in hoc, quod dotes, sint divitiæ, habent similitudinem.

16 *3. Cõclusio.*

Tertia conclusio: *Dos comprehensionis, vel tentionis est actus voluntatis, pertinens ad concupiscibilem, & correspondentem spei.* Sic Scotus *in 3. dist. 26. §. Ad quæst.* Et expræssiùs *dist. 31. §. Respondeo.* Et *in 4. dist. 49. quæst. 6. §. De secundo principali.* Conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 11. Et probatur primò ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 4. art. 3. Ad 2. argum.* dicente: *Sicut ad voluntatem pertinet spes, & amor, quia eiusdem est amare aliquid, & tendere in illud non habitum, ita etiam ad voluntatem pertinet comprehensio, & delectatio, quia eiusdem est habere aliquid, & quiescere in illo*: ergo iuxta D. Tho- *Prob. ex D. Thom. 1.*

mam

mam ad voluntatem ſpectat comprehenſio.

17 *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *num.* 15: ſimilitudinem à D. Thoma intentam, non tenere quoad omnia: tenet ergo quoad hoc, quod vtrumque ad voluntatem ſpectat, non tamen quoad modum quo ſpectat: nam comprehenſio ſpectat ad illam terminativè, quia intellectus in tantum comprehendit obiectum, in quantum illud tenet voluntati, vt amet; delectatio autem, amor, & ſpes ad illam ſpectant ſubiectivè.

18 *Impugnat.* Hæc tamen ſolutio videtur omninò voluntaria, & menti Angelici Præceptoris oppoſita, ſicque impugnatur: ſpes, & amor pertinent ad voluntatem eodem modo, nempè, ſubiectivè: ergo etiam comprehenſio, & delectatio. Probatur conſequentia: ideò ſpes, & amor pertinent ad voluntatem eodem modo, quia eiuſdē eſt amare aliquid, & tendere in illud non habitum; ſed etiam eſt eiuſdem habere aliquid, & quieſcere in illo, quæ ſunt comprehenſio, & delectatio: ergo comprehenſio, & delectatio pertinent ad voluntatem eodem modo. Impugnatio formata eſt ad litteram verborum D. Thomæ, iuxtà quæ alitèr formatur: delectatio pertinet ad voluntatem ſubiectivè: ergo & comprehenſio. Probatur conſequentia: ideò delectatio pertinet ad voluntatem ſubiectivè, quia voluntatis eſt, quieſcere; ſed etiam eſt voluntatis habere: ergo ſi delectatio pertinet ad voluntatem ſubiectivè, etiã comprehenſio. Conſequentia patet: quia quieſcere eſt delectatio, & habere eſt comprehenſio.

19 *Probat. 2. concl.* Probatur ſecundò concluſio: comprehendere, ſeu tenere Deum, convenit, cui ſperare competit; ſed ſperare ſpectat ad voluntatem: ergo & comprehendere. Atqui ſperare eſt actus concupiſcientiæ: ergo & comprehendere: ergo dos comprehenſionis eſt actus voluntatis pertinens ad concupiſcibilem.

20 *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *num.* 16. duplicitèr diſtinguendo maiorem: comprehendere, ſeu tenere Deum, convenit ſuppoſito, cui ſperare competit, concedit maiorem; potentiæ, cui ſperare competit, negat maiorem, & conceſſa minori, negat conſequentiam. Secundò diſtinguit maiorem: eodem modo comprehendere, ſeu tenere Deum, convenit, cui ſperare competit, negat maiorem; diverſo modo, concedit maiorem; & conceſſa minori, negat conſequentiam iuxtà ab eo dicta interprætando D. Thomam. Ex hac duplici ſolutione, ſecunda reiecta manet *num.* 18. iuxtà mentem D. Thomæ. Prima autem reijcitur: Dos comprehenſionis, ſeu tentionis convenit potentiæ, cui cõpetit ſperare, ſeu virtus ſpei: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: Dos viſionis convenit potentiæ, cui competit credere, ſeu virtus fidei: ergo ſimilitèr.

Impugnat.

21 *Arguit Ill. Godoy.* Contra noſtram concluſionem arguit Ill. Godoy *num.* 11: comprehenſio idem eſt, quod tentio, & aſſecutio; ſed aſſequi, & tenere obiectũ, ad voluntatem non ſpectat, quia aſſecutiva non eſt, vt docuit D. Thomas *ſuprà quæſt.* 3. *art.* 4: ergo comprehenſio actus voluntatis non eſt. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando minorem; quia voluntas eſt aſſecutiva, vt docuimus *diſp.* 5. *per totam*, & præſertim §. 4. non ſolum cum Doctore ſubtili, ſed etiã cum Maximo Auguſtino, & cum Angelico, vt claret ex ibi dictis *à num.* 38. *vſquè ad* 43.

§. II.

Aliqua ſcitu digna declarantur.

22 ILl. Godoy in hac diſputatione nihil adducit de Aureolis Animæ beatæ, de Dotibus corporis glorioſi, de Potentijs eiuſdem corporis, & vſibus earum. Hoc tamen non obſtante, liceat brevitèr, & ſine controverſia hæc dèclarare, vt hæ beatorum perfectiones ad eorum ſtatum conſequendum, efficacitèr nos moveant.

De Aureolis Animæ beatæ.

23 *Quid ſit Aureola.* AVreola eſt diminutivum ab Aurea, ſeu Corona auri. Hæc ſignificat præmium eſſentiale, quia vt Corona denotat Regni hæreditatẽ, quæ filijs debetur; vt rotunda æternitatem, & vt aurea incorruptibilitatem. Illa verò, ſcilicèt, Aureola, denotat præmium accidentale, quod ſpecialitèr confertur beatis propter opera excellentis cuiuſdam victoriæ in hac vita exercita. Hoc præmium in anima eſt quodam gaudium de hoſtibus ſuperatis, vel quædam qualitas,

aut

aut relatio extrinsecus adveniens exis-tens in voluntate, ad modum quo de Caractere Sacramentali dicitur. Ex hoc gaudio resultat in corpore decus splendoris in signum Laureolæ, Animæ.

24 *Tres sunt Aureolæ.* Tres assignantur Aureolæ correspondentes tribus principalibus victorijs, quibus in hac vita triumphant Martires de mundo contempto, Virgines de Carne, & Doctores de Dæmone in eruditione hominum. Per *Explicatur* Martires intellige, qui subierunt aut mortem, aut pœnam, vndè mors sequi poterat pro defensione fidei, aut alterius virtutis. Colligitur ex Apocalips. 2. *Vincenti dabo Mana absconditum, &c.* Hæc Aureola distincta erit ab splendore, quo nitebuntur cicatrices Martirum; nam Aureola erit in omnibus Martiribus, & fortè in capite; splendor autem cicatricum solum in illis, in quibus cicatrices fuerint.

25 Per Virgines intellige, qui sponte integritatem corporis vsquè ad mortem propter Deum servarunt. Colligitur ex Isaia 56. *Dabo eis, &c.* Dixi integritatem corporis, quia per voluntatem non deperditur, dummodo non sequatur effectus. Per effectum autem pollutionis aufertur. Dixi sponte, quia si coactè perderetur virginitas, non perditur meritum. Dixi vsquè ad mortem, quia virgines ad tempus non habent. Per Doctores intellige, non solum, qui titulum consecuntur in vniversitatibus, sed etiã qui alios docent ad Iustitiam, non tantum ratione status, aut officij, vt Episcopi; sed & pietatis, & misericordiæ modo cum vtilitate faciant, & propter Deum, vt Lectores Theologiæ, Prædicatores, & Confessores. *Quæres.* Vndè de Seraphico canitur officio ordinis: *Meruit Aureolam, dum docuit.* *Respond.* Quæres: An Angeli habeant has Aureolas? Respondeo negativè; quia cũ non sint corporei, non sunt experti stimulos carnis, quia pro Christo non sunt mortui, & quia non docuerunt cum labore.

De Dotibus Corporis glorioſi.

26 *Dotes corporis glorioſi sunt quatuor.* QVatuor sunt Dotes Corporis glorioſi, scilicèt, Impassibilitas, Agibilitas, Subtilitas, & claritas, vt communitèr docent Theologi ex Scriptura. De singulis agendum est.

De Impaſsibilitate.

COrpora Beatorum esse Impassibilia, est de fide, vt claret ex 1. *ad Corinth. 15. Mortale hoc induet immortalitatem*; quæ verò sit causa huius Impassibilitatis, est dubium. Thomistæ aliqui dicunt: esse qualitatem intrinsecam corpori beato inhærentẽ. Impugnatur: quia hæc qualitas, vel esset materialis; vel spiritualis? Non secunda: quia huius corpus est incapax. Nec sufficit, illam in anima ponere; quia adhuc posita in anima, non tolleret à corpore capacitatem alterationis; sicut nec nunc anima ipsa, quia spiritualis, & incorruptibilis, tollit à corpore corruptibilitatẽ. Non prima: quia vel Cœlestis, vel elementalis, vel mixta? Non Cœlestis, quia non est lumen, nec perspicuitas, & alterius capax non est corpus mixtum. Non elementalis, nec mixta, quia istæ nequeunt impedire actionem agentis extrinseci; ergo impassibilitas dicta non est qualitas intrinseca corpori beato inhærens.

27 *Corpora Beatorum sunt Impassibilia.* *Impassibilitas nõ provenit ab intrinseco.*

Dico ergo: causam Impassibilitatis corporis glorioſi esse negationem concursus Dei cum omnibus causis internis, & externis, sivè corruptivis, sivè affectivis. Hic est modus clarior, facilis, & sufficiens ad salvandam perfectam Impassibilitatem, nec illum impugnare valent contrarij. Sic Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 13.*

28 *Est quid extrinsecum.*

Dices primò: Dos Impassibilitatis debet esse quid intrinsecum corpori glorioso, sicut dos animæ ex dictis est quid intrinsecum animæ; sed Impassibilitas, vt à nobis ponitur, est ab extrinseco: ergo perperam causam illius assignamus. Repondeo primò cum Scoto negando maiorem. Disparitas est: quia hoc ipso, quod dos sit corporeum, debet esse extrinsecũ. Secundò: quod ad impassibilitatem perfectam corporis sufficit, quod ius ad illam ratione meritorum, & gloriæ animæ, sit intrinsecum ob intrinsecam vnionem cum anima glorioſa, quæ vnio exigit talem protectionem à Deo, licèt Dos sit extrinsecum, vt patet in Sponsa, in qua ius ad dotem est intrinsecum; Dos verò quid extrinsecum.

29 *Dices 1.* *Duplex responsio.*

30 *Dices 2.*

Dices ſecundò: Adam erat hoc modo Impaſsibilis: ergo ruit ſolutio.

Reſpondeo.

Reſpondeo negando antecedens. Primo: quia Adam poterat alterari ab intrinſeco per nutritionem, augmentationem, &c. non verò beatus. Secundò: quia vt ait D. Auguſtinus *Epiſt.* 56. Adam erat paſsibilis ab extrinſeco, vt ſi in ignem fuiſſet proiectus; non ſic beatus. Tertiò: quia Impaſsibilitas Adami erat amiſsibilis, vt de facto fuit amiſſa; non autem impaſsibilitas beatorum. Quartò: quia Adam ratione vnionis cum anima nullum ius habebat ad Impaſsibilitatem; benè verò corpus beati.

De Agilitate.

31 *Eſt dos ab extrinſeco cõueniens.*

CErtum eſt, corpora beata moveri abſquè vlla difficultate, & fatigatione verſus omnem loci differentiam; non ſolum motu progreſsivo, vt ait Iſaias 4. *Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*; ſed etiam motu ſimplici, & inorganico, movendo totum corpus ſimul inſtar ſagittæ, & in inſtanti, breviſsimo tamen tempore propter agilitatem. Cauſa huius agilitatis non eſt ablatio gravitatis; quia gravitas non impedit velocitatem motus, niſi quia eſt effectiva contrarij, quod tunc non erit; nec aliqua qualitas intrinſeca; ſed eſt ablatio humorum terreſtriũ, & ſpirituum groſſorum; vel negatio concurſus Dei ad motum gravitatis.

De Subtilitate.

32 *Eſt dos corporis glorioſi ab extrinſeco illi cõpetens.*

SVbtilitas eſt facilitas in corpore glorioſo penetrandi alia corpora etiam denſiſsima. Hæc facilitas non provenit ex eo, quod non habeat quantitatem, aut ſitum; nec ex eo, quod locum per extenſionem non repleat, cum totum hoc habeat corpus glorioſum. Provenit autem ex voluntate Dei, qui paratus eſt, concurrere cum illis, vt coexiſtant ſimul cum alio corpore ſine expulſione illius. Hoc vt poſsibile ab omnibus affirmatur: quia expulſio corporis à loco eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui poteſt à Deo ſuſpendi, & hoc exigit vnio corporis beati cum anima glorioſa.

De Claritate.

33 *Claritas eſt dos corporis glorioſi.*

CLaritas eſt quædam refulgentia, addens ſuprà lucem, & colorem, manifeſtationem ſui. Hanc habent corpora beatorum; vnde erunt lucida, colorata, & clara, ideſt, manifeſtata, ſplendida, perſpicua, & tranſparentia ſic, quod caro, & oſſa, membra, & viſcera oculis patere poterunt.

Quæres.

Inquires: An iſti dotes ſint in omnibus æquales? Reſpondeo affirmativè, ſumpta Impaſsibilitate pro præſervatione à corruptione; Agilitate pro facilitate movendi ſe; Subtilitate pro poſsibilitate exiſtendi cum alio corpore; & Claritate pro facilitate ſe manifeſtandi. Cœterum ſi attendatur ad gloriam Animæ, negativè reſpondeo; quia ſic erunt inæquales, pro inæqualitate meritorum.

Reſpondeo.

De Potentijs eiuſdem corporis, & vſibus potentiarum.

34 *Potentia vegetativa, ſenſitiva, & loco motiva sũt in corp. beato.*

POtentiæ, quæ in corpore humano reſident, ſunt vegetativa, ſenſitiva, & loco motiva. Hæ potentiæ manent in corpore beato; quia ex Scoto realiter cum Anima identificantur. De vſu verò harum potentiarum eſt dubium.

35 *In beatis nõ eſt vſus potentiæ vegetativæ. Eſt vſus 5. ſenſuum. Probatur.*

Dico: in beatis non eſſe vſum potentiæ vegetativæ; benè verò vſum potentiæ viſivę, auditus, odoratus, guſtus, & tactus. Primum probatur: vſus potentiæ vegetativæ ſunt pulſatio, generatio, augmentatio, & nutritio; ſed nulla ex his eſt in beatis, vt apparet: ergo in beatis non eſt vſus potentiæ vegetativæ. Adverte tamen in beatis non implicare manducationem, vt de Chriſto poſt Reſurrectionẽ in Scriptura aſſeritur. Secundũ claret: quia videbunt Chriſtum Dominum, Beatiſsimam Virginem Mariam, cæteros beatos Aureolis decoratos, omniaque corpora, niſi ſint minima, & valdè diſtantia, quia etiã in beatis eſt determinata ſphera videndi, eiuſque viſio fiet, ſicut in via, per ſpecies intentionales receptas in pupilla.

36

Tertium patet: quia audient laudes Deo à beatis ab invicem decantatas; ſonos verò, qui in terra fiunt, & voces Damnatorum non audient, quia ſunt extra ſpheram naturalem

au-

auditus beati. Quartum claret: quia ipsa corpora suavissimum odorem emitent, quem quilibet percipiet. Quintum: quia licèt non habeant vsum gustus, cuius obiectum sit potus, vel cibus; habent tamen vsum gustus, cuius obiectum erit humor à Deo productus, habens saporem continentem omnes suavitates saporum. Sextum denique apparet: quia tangent corpora beata.

DISPVTATIO NONA.

Vtrùm Beatitudo formalis sit inamissibilis ab intrinseco?

§. I.

Aliquibus suppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1 *De fide est beatitudinẽ fore de facto perpetuã*

VT sensus disputationis clarescat, certaque ab incertis secernantur, certum est primo apud omnes Theologos: Beatitudinem fore de facto perpetuam, quod esse de fide, constat ex illis verbis Matthæi *cap.* 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec erugo, neque tinea demolitur.* Et *cap.* 25. *Ibunt Iusti in vitam æternam. Cap.* 5. *Iusti autem in perpetum vivent.* Isaiæ 33. Psalm. 38. 2. Corinth. 5. 1. ad Thessalonicenses 4. *cap.* 1. Ecclesiast. 24. Quibus in locis, & plurib⁹ alijs beatitudo vita æterna, perpetua, & incorruptibilis appellatur.

2 *Beatitudo est corruptibilis de potentia Dei absoluta.*

Secundò certum est apud omnes: visinem beatam, seu amorem, in quorum altero, vel in vtroque, beatitudo consistit, non esse incorruptibiles de potentia absoluta, ita, vt à Deo corrumpi non possint. Quod patet: nam de fide est, omnem rem creatam à Deo in conservari dependere, sicut dependet in esse, consequentèrque, sicut Deus illam ponit in esse, ita potest eam in nihilum reddere per subtractionem concursus conservativi, sivè per corruptionem, sivè per anihilationem, vt constat ex illo Sapientiæ *cap.* 11. ℣. 26. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?*

3 *Beatitudo est incorruptibilis per ablationem formæ à materia.*

Pro quo certum est tertiò: quod si incorruptibile sumatur prout excludit tantum phisicam corruptionẽ, quæ fit per ablationem formæ à materia, beatitudo incorruptibilis est ex natura sua, tàm in ordine ad causas creatas, quàm ad potentiam Dei; quia nec visio, nec fruitio constant materia, & forma; & dato, quod his constarent, non essent affectæ dispositionibus alterativis, quo in casu essent incorruptibiles in ordine ad causas creatas, & potentiam Dei ordinariã; non verò absolutam, quia posset Deus in tali casu separare formam à materia, quod esset beatitutidis destructio.

nem formæ à materia.

4 *Explicatur sensus disputationis.*

Vndè, vt certum quartò colligitur: disputationem non procedere de corruptibilitate, vt est passio, vel modus materiæ, sicut sumitur corruptibilitas in lapide constante materia corruptibili; & incorruptibilitas in Cœlo, constante materia incorruptibili, seu materia non affecta qualitatibus alterativis; sed vt est passio, aut modus essentiæ, ita, vt idem sit, ac quærere: An essentia beatitudinis formalis sit de sua natura corruptibilis, vel anihilabilis? An verò inanihilabilis, vel incorruptibilis? Et hoc modo sumitur in præsenti corruptibilitas, & incorruptibilitas.

5 *Difficultas aperitur.*

His igitur, vt certis suppositis, quod in discrimen vertimus (ait Ill. Godoy *num.* 2.) est: An licèt à Deo possit beatitudo corrumpi, tamen ex natura sua petat perpetuo conservari in esse, talitèr, quod suspensio Divini concursus illam conservantis, esset miraculosa, & contra illius particularem exigentiam, seu inclinationem, vel non ita, sed quod omninò ab extrinseco illi perpetua conserva-

tio proveniat. Alijs etiam terminis (& fortè clarioribus) explicatur controverſia. Suppoſito namque, beatitudinem eſſe à Deo corruptibilem, examinatur: An hæc corruptibilitas ſit ſic extrinſeca eſſentiæ beatitudinis, vt nullam potentiam paſsivam dicat beatitudo ex natura ſua ad corruptionem, quin potiùs dicat potentiam paſsivam, & naturalem exigentiam ad ſemper eſſe, ſolumque habeat non repugnantiam, ſeu obedientialē ſubiectionem ad corruptionem, ſi Deus voluerit illam deſtruere. Vel an prædicta corruptio ſumenda ſit ex intrinſeca eſſentia beatitudinis, dicente naturalem potentiam ad non eſſe, vel ſaltim poſitivam indifferentiam ſic, quod adveniens corruptio non ſit contra exigentiam naturalem illius.

6 Si primum: beatitudo erit incorruptibilis ab intrinſeco, nec poterit deſinere eſſe iuxtà intrinſecam ſuam potentiam realem, quam habeat ad deſitionem, ſed tantum per extrinſecam denominationem ſumptam ab Omnipotentia Dei. Si ſecundum: erit beatitudo corruptibilis ab inirinſeco, & ex natura ſua, poteritque deficere iuxtà potentiam realem, quam includit in ſua eſſentia ad non eſſe, ſeu iuxtà potentiam realem non magis inclinatam de ſe ad eſſe, quam ad non eſſe. Hæc eſt in præſenti controverſia, quæ vt ſic propoſita eſt de re, & non tantum nominalis, vt fuit ab aliquibus iudicata.

7 NOTA. Sed ante illius reſolutionem (ait Ill.Godoy *num.* 3.) advertendum eſt: formalem beatitudinem poſſe conſiderari dupliciter. Primò: ſecundum ſuam eſſentiam, prout quædam operatio eſt. Secundò: prout eſt formalis beatitudo. V. g. viſio, vel fruitio, in qua noſtra formalis beatitudo cōſiſtit, poteſt conſiderari prout eſt viſio, aut fruitio; vel prout eſt beatitudo, & ſub vtraque conſideratione procedit dubitatio. Deindè advertendum eſt: incorruptibilitatem poſſe ſummi reſpectivè ad duo. Primò reſpectivè ad cauſam ſecundam. Secundò reſpectivè ad cauſam primam, & vtroque modo reſolvenda eſt diſputatio. His ita præmiſsis.

8 1. Sentētia. Prima ſententia docet: Beatitudinem, tàm ſub ratione operationis, quàm ſub ratione beatitudinis, eſſe ab intrinſeco, ſeu ex propria natura incorruptibilem, ſivè reſpectu cauſæ ſecundæ, ſivè reſpectu cauſæ primæ. Sic Ill.Godoy *num.* 4. cum Thomiſtis ab ipſo citatis conſequentèr ad propriam ſententiam, iuxtà quam formalis beatitudo conſiſtit in viſione, voluntatem omninò neceſsitante ad amorem. Secunda per oppoſitum affirmat: ſub vtraque ratione eſſe ab extrinſeco ſolum incorruptibilem ratione Divini decreti, illam perpetuo conſervantis. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. conſequentèr ad propriam ſententiam, iuxtà quam formalis beatitudo conſiſtit in actu voluntatis, qui eſt liber, libertate ſaltim quoad exercitium. Scotum ſecuntur omnes eius diſcipuli, & partim ſabent Salas, Curiel, & Bazquez, quos citat Ill.Godoy *num.* 3. & Caietanus etiam ab aliquibus citatur. Sit ergo.

Ill.Godoy. 2. Sentētia. Scotus.

§. II.

Reſolvitur difficultas reſpectivè ad cauſam ſecundam.

9 1. Cōcluſio. PRima concluſio: *Beatitudo, prout eſt operatio, & prout eſt beatitudo, eſt ab intrinſeco corruptibilis reſpectu cauſæ ſecundæ.* Hæc eſt noſtra concluſio contra Ill.Godoy, & probatur primò: beatitudo conſiſtit in actu voluntatis, qui liber eſt, libertate ſaltim contradictionis: ergo poteſt deficere: ergo eſt corruptibilis ab intrinſeco. Atqui hoc provenit à cauſa ſecunda: ergo beatitudo eſt ab intrinſeco corruptibilis reſpectu cauſæ ſecundæ. Antecedens, in quo ſtat tota difficultas, fuſè contra Ill. God. propugnatum manet *diſput.* 6.

Probat. 1.

10 Probat. 2. Sed quia Ill.Godoy in tota diſputatione loquitur de viſione conſequentèr ad ſuam ſententiam, dato, quod in viſione formalitèr conſiſtat beatitudo, de viſione loquemur, & de ipſa probatur ſecundo concluſio: beatus non eſt ab intrinſeco impeccabilis reſpectu cauſæ ſecundæ: ergo viſio non eſt ab intrinſeco incorruptibilis reſpectu cauſæ ſecundæ. Conſequentia eſt legitima: nam ſi beatus peccaret, ſicut poteſt, peccatum deſtrueret naturalitèr viſionem, vt apud omnes eſt certum. Antecedens, ad quod devoluitur tota difficultas, latè, & latiſsimè oſtenſum manet contra Ill. God. *diſput.* 7.

11 Probat. 3. Tertiò probatur concluſio: intellectus lumine gloriæ elevatus, infor-

ma-

matusque Divina Essentia, tanquam specie intelligibili, & prout applicatus per voluntatem ad Deum, est principium visionis beatæ; sed intellectus, prout informatus Divina Essentia, tanquam specie intelligibili, & prout ad Deum per voluntatem applicatus, non est ab intrinseco incorruptibilis: ergo nec visio respectu sui principij, & consequentèr respectu causæ secundæ. Consequentia est notoria: nam talis est visio, quale est principium, à quo procedit. Maior patet pro Essentia Divina, quia hæc gerit vicem speciei impressæ, vt fatetur Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 11. num. 91.* Patet etiam pro voluntate: nam stante lumine gloriæ, intellectus non producit visionem, nisi vellit voluntas, sicut posito habitu fidei, intellectus non credit, nisi voluntas vellit. Et hoc est, quod dixit Scotus *citatus* ℣. *Præterea Beata Virgo*, nempè, quod visio quoad exercitium pendet à voluntate, quatenus liberè potest applicare memoriæ illud obiectum, scilicèt, Deum, quem liberè amat. Minor autem pro Essentia Divina patet: quia liberè movet, & consequentèr potest non movere. Pro applicatione verò voluntatis est certa. Primò: quia talis applicatio est à voluntate, & potest intellectum ab illo obiecto removere. Secundò: quia talis applicatio est contingens. Tertiò: quia tali applicatione supposita, potest voluntas peccare, & cum peccato non staret nec visio, nec fruitio.

12 *Probat. 4.* Probatur quartò conclusio: visio beata terminatur ad Divinam Essentiam, tanquam ad eius terminum, vel obiectum; sed Essentia Divina in ratione termini, vel obiecti non est ab intrinseco incorruptibilis: ergo nec visio. Consequentia claret: nam talis est operatio, qualis est terminus, vel obiectum, ad quod tendit. Maior est manifesta. Probatur minor: Essentia Divina, quatenus manifestata, vel applicata beato per Divinam voluntatem, est terminus, vel obiectum visionis beatæ; atqui Essentia Divina, quatenus est manifestata, aut applicata beato, non est ab intrinseco incorruptibilis: ergo Essentia Divina in ratione termini, vel obiecti, non est ab intrinseco incorruptibilis. Consequentia infertur. Maior est certa: nam Divina Essentia potest non videri ab intellectu lumine gloriæ elevato; est namquè obiectum liberum, quod si vult, videtur; si non vult non videtur, vt ex D. Ambrosio dixit Scotus, & nos cum ipso *tom. 1. in 1. sentent. disput. 6. numer. 46.* quin hoc valeat negare Ill. Godoy, & per quod patet minor.

13 *Probat. 5.* Ex hisque probatur quintò conclusio, destruendo fundamentum Ill. Godoy: visionem esse ab intrinseco corrutibilem respectu causæ secundæ, est, causas visionis posse suspendere concursum; sed causæ visionis valent suspendere concursum: ergo visio est ab intrinseco corruptibilis respectu causæ secundæ. Maior est ratio, quam pro sua conclusione tradit Ill. Godoy *num. 4.* Minor probatur: causæ visionis sunt potentia, & obiectum; sed istæ valent concursum suspendere: ergo causæ visionis valent suspendere concursum. Maior est certa: quia ab obiecto, & potentia paritur notitia. Minor probatur: potentia, quę est causa visionis, est intellectus elevatus lumine gloriæ, prout applicatus per voluntatem ad Deum; & obiectum est essentia gerens munus speciei impressæ; sed vtrumque valet, concursum suspendere: ergo potentia, & obiectum valent suspendere concursum. Consequentia infertur. Præmissæ autem ex *num. 11.* manifestè patent.

14 *Probatur denique.* Probatur denique conclusio: visio communicata D. Paulo in raptu fuit eiusdem speciei cum visione Beatorum; sed talis visio non fuit ab intrinseco incorruptibilis: ergo nec visio Beatorum. Probatur minor primò: talis visio fuit amissa de facto, vt est certum, & constat ex eo, quod solum in rapto fuit illi communicata: ergo talis visio non fuit ab intrinseco incorruptibilis. Secundò: si talis visio esset ab intrinseco incorruptibilis, essent duo miracula, vnū, quod Paulus in via viderit Divinam Essentiam. Alterum, quod illius visio ad tempus duraverit; sed nulla est necessitas ad hæc miracula multiplicanda: ergo talis visio non fuit ab intrinseco incorruptibilis.

15 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *numer. 22:* omissis aliorum solutionibus, concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem concedit seque-

lam, & negat minorem; quia non ſunt miracula non ſubordinata, ſed vnum incluſum in alio, & ſecutum ex illo, quia nempè, eo ipſo, quod viatori communicetur viſio clara Dei, non niſi ad tempus debet communicari præter quam in Chriſto, qui ſpecialiſſima quàdam diſpenſatione fuit ſimul viator, & comprehenſor; vel ſi ſunt duo non ſubordinata, multiplicantur cum vrgenti neceſsitate, orta ex natura viſionis beatificæ. Ex quo ad primam probationem neceſsariò reſpondebit: talem viſionem fuiſſe amiſſam per miraculum, & de potentia abſoluta; quia ipſa exigebat durationem æternam, ſicut ſi Deus de potentia abſoluta deſtrueret Angelum, qui ab intrinſeco exigit, in æternum durare.

16 *Reijcitur* 1

Hæc tamen ſolutio reijcitur primò: amiſsio viſionis in Paulo nullo modo fuit miraculum: ergo nec ſubordinatum, nec non ſubordinatum: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: non amiſsio viſionis in Paulo eſſet miraculum: ergo amiſsio viſionis non fuit miraculum. Probatur conſequentia: quod viſio beata non amittatur in viatore eſt miraculum; ſed Paulus erat viator; ergo amiſsio viſionis in Paulo nullo modo fuit miraculum. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem probatur: quod viſio beata nō fuiſſet amiſſa in Chriſto viatore, fuit miraculū: ergo quod viſio beata non amittatur in viatore, eſt miraculum. Conſequentia eſt legitima. Antecedens verò eſt doctrina Ill. Godoy in ſolutione, cùm ipſaque probatur: quod eſt ex ſpecialiſsima quadam Divina diſpenſatione eſt miraculum; ſed quod viſio beata non fuerit amiſſa in Chriſto viatore, eſt ex ſpecialiſsima quadam Divina diſpenſatione: ergo quod viſio beata non fuerit amiſſa in Chriſto viatore, fuit miraculum. Probatur minor: quod viſio beata non fuerit ad tempus communicata Chriſto viatori, eſt ex ſpecialiſsima quadam Divina diſpenſatione; ſed quod viſio beata non fuerit amiſſa in Chriſto viatore, idem eſt, ac non eſſe illi ad tempus communicata: ergo quod viſio beata non fuerit amiſſa in Chriſto viatore, eſt ex ſpecialiſsima quadam Divina diſpenſatione.

17

Reijcitur ſecundò: communicatio viſionis Paulo fuit miraculum: ergo amiſsio illius nullo modo fuit miraculum. Probatur conſequentia: miraculum non ceſſat per miraculū; ſed communicatio viſionis Paulo fuit miraculum: ergo amiſsio illius non fuit miraculum. Conſequentia patet: nam amiſsio viſionis in Paulo fuit ceſſatio miraculi. Probatur maior: ignem non comburere in fornace fuit miraculum; ſed hoc miraculū non ceſſavit per miraculum: ergo miraculum non ceſſat per miraculum. Maior, & conſequentia tenent. Minor eſt certa: nam ignem comburere, in quo ſtat ceſſatio miraculi ignis in fornace, eſt ipſi omninò naturale. Et ex hoc ſic probo intentum contra Ill. God: ideò ceſſatio miraculi ignis in fornace non eſt miraculum, quia ignem comburere, in quo ſtat ceſſatio miraculi, eſt igni omninò connaturale; atqui non videre Deum, ſeu amiſsio viſionis, in quo ſtat ceſſatio miraculi in Paulo viatore, eſt ipſi omninò connaturale: ergo amiſsio viſionis in Paulo non eſt miraculum.

Reijcitur 2

18 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy *num.* 4. viſio beatifica à nulla cauſa creata, præterquam ab intellectu lumine gloriæ elevato, dependet: ergo à nulla cauſa creata, præterquam ab intellectu ſuſpendente concurſum, poteſt corrumpi. Tenet conſequentia: nam idcircò Angelus, & anima rationalis ſunt incorruptibiles ſecundum fidem per reſpectum ad cauſam creatam; quia quoad ſuum eſſe à nulla cauſa creata dependent; tunc vltrà, ſed intellectus non poteſt concurſum ad viſionem ſuſpendere: ergo reſpectu omnis cauſæ creatæ eſt viſio beatifica ab intrinſeco incorruptibilis. Minor oſtenditur primò: nam intellectus, non liberè, ſed neceſſariò influit in viſionem beatificam; at quia ignis applicatus, & vndequaque expeditus, calefacit naturaliter, non poteſt à calefaciendo ceſſare, niſi Deo ſuſpendente ſuprà naturas rerum concurſum, quo cum igne concurrit: ergo eadē ratione intellectus neceſſariò influens in viſionem beatificam, non poteſt ab influxu ceſſare, niſi Deo ſuſpendente concurſum.

Minorem prob. 1.

19 *Secundò.*

Probat ſecundò minorem *num.* 5. forma replens ſubiecti capacitatem, non poteſt deſinere eſſe ex defectu concurſus ſubiecti, vt conſtat in for-

ma

ma Cœli, quæ quia replet capacitatem materiæ, non potest ex defectu concursus illius ab essendo desinere; at visio beatifica intellectus capacitatem, & inclinationem replet, iuxtà illud Psalmi *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et Sapientiæ 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, ideſt, vt explicat D. Thomas *in præsenti, art. 4. cum contemplatione Sapientiæ*: ergo ex defectu concursus illius non potest desinere esse.

20 *Respond. 1. ad argum.*

Respondeo primò ad argumentum distinguendo antecedens: visio beatifica à nulla causa creata, præter quam ab intellectu lumine gloriæ elevato, & per voluntatem aplicato ad Deum, dependet, concedo antecedens; sine applicatione ad Deum per voluntatem, nego antecedens. Vel distinguo his terminis: à nulla causa creata per modum virtutis, vel influxus, concedo antecedens; per modũ applicationis, nego antecedens, & consequentiam, cuius ratio formata est *num. 11. & 13.* Respondeo secundò alitèr distinguendo antecedens: ex parte potentiæ, ommitto antecedens; ex parte obiecti, tàm motivi, quàm terminativi, nego antecedens, & consequentiam, cuius ratio etiam declarata manet *num. 11. 12. & 13.* hacque duplici solutione cessant cætera in argumento adducta, & prima minoris probatio. Ad secundam respondebimus *infrà.*

Secundò.

Ad 1. prob. minoris.

21 *Contra 1. solutionem replicat Ill. Godoy 1.*

Replicat Ill. God. contrà primam solutionem *num. 5.* dupliciter. Primo: multi sunt actus, in quibus intellectus voluntati non subditur, sed agit necessario, & per modum naturæ, vt constat in primo actu intellectus, præveniente omnem actum voluntatis, in assensu primorum principiorum terminis explicatis: ergo à fortiori in visione Divinæ Essentiæ vnitæ intellectui per modum speciei, clarè, & intuitivè se ipsam repræsentantis voluntati non subditur. Secundò: nam voluntas non potest velle à visione cessare, vt constat ex dictis *disp. præc.*: ergo intellectus ex imperio illius non potest à visione desistere.

22 *Respondeo ad 1.*

Respondeo ad primam ommisso antecedenti, negando consequentiã, quam non probat Ill. God; est enim mala, sicut hæc: multi sunt actus, in quibus intellectus non subditur voluntati: ergo nullus est actus, in quo intellectus voluntati subdatur; nam ex vi antecedentis non est ratio, cur inferatur potiùs de visione, quam de quolibet alio actu intellectus; ex quo fiat retorsio contra replicam. Ad secundam, nego antecedens, vt constat ex dictis *disp. 6. & 7.* & in præsenti tactum est *num. 9. & 10.* Deniquè ad vtramque potest responderi, quod etsi visio non subdatur volũtati beati, intellectum illius ad Deum applicanti, subditur tamen Divinæ voluntati, vt applicanti Essentiam Divinam beato, vt illum moveat ad visionem producendam, & vt illam terminet, quod sufficit, vt visio sit ab intrinseco amissibilis, vt diximus in secunda argumenti solutione, consequentèrque ad tertiam, quartam, & quintam probationem.

Ad 2.

Ad vtramque.

23 *Respond. 3. ad argum.*

Respondeo tertiò ad prædictum argumentum, alitèr distinguendo antecedens: visio beata à nulla causa creata, præter quam ab intellectu lumine gloriæ elevato, dependet, vt effectiva illius, concedo antecedens; vt destructiva illius, nego antecedens, & consequentiam, cuius probationem distinguo: ideò Angelus, & anima rationalis sunt incorruptibiles per respectum ad causam creatam, quia quoad suum esse, & simul ad sui dationem, à nulla causa creata dependent, concedo; quoad suum esse præcisè, nego. Solutionem explico, & argumentum retorqueam.

24 *Declaratur solutio.*

Aliud enim est dependere ab aliquo, tanquam à causa effectiva. Et aliud dependere ab aliquo, tanquam à causa destructiva. Homo enim non dependet ab igne, tanquam à causa effectiva illius; dependet tamen ab igne, tanquam à causa illius destructiva; quia ad hanc dependentiam sufficit, quod ignis producat formam incompatibilem cum forma hominis. Sic paritèr in præsenti: licèt enim visio beata non dependeat effectivè à voluntate; dependet tamen ab illa, tanquam à causa destructiva illius, quia potest ponere formam, nempè, peccatum, quod est incompatibile cum visione.

Retorqueo.

Ex quo retorqueo probationem: si Angelus, & anima rationalis dependerent ab allqua causa creata, vt destructiva illorum, licèt à nulla quoad suum esse dependerent, Angelus, & anima rationalis non essent incor-

rup-

ruptibiles per reſpectum ad cauſam creatam: ergo independentia à cauſa creata quoad eſſe, inſufficiens eſt ad incorruptibilitatem per reſpectum ad cauſam creatam: ergo nulla eſt probatio Ill. Godoy, nullumque illius argumentum. Ex hac retorſione infinitè valent fieri adverſus Ill. God.

25 *Ad probat. minor. reſpond. 1.*

Ad ſecundam minoris probationem, poſitam *num.* 19. Reſpondeo primò, totum ommittendo, & nihil contra nos; quia ſolum probat, viſionem non poſſe deficere ex defectu concurſus intellectus; non verò probat, deficere non poſſe defectu applicationis per voluntatem ad Deum, & Divinæ voluntatis ad beatum, vt dictum manet. Vndè argumentum eſt valdè diminutum, ex qua diminutione vrgens poteſt formari retorſio.

Secundò.

Reſpõdeo ſecundò diſtinguendo maiorem: ſi ſubiectum eſt naturale, ommitto maiorem; ſi eſt liberum, nego maiorem; diſtinguo minorem: viſio beata intellectus tantum capacitatẽ, & inclinationem replet, concedo minorem; intellectus, & voluntatis, nego minorem, & diſtinguo ſimiliter conſequens. Vndè licèt argumentum probet, vt diximus, viſionem non poſſe deficere ex defectu concurſus intellectus, qui eſt ſubiectum naturale viſionis; nullatenus probat, non poſſe deficere ex defectu concurſus beati, qui eſt ſubiectum liberum.

26 *Declaratur ſolutio.*

Et vt magis hæc clareſcat ſolutio, neceſſariò advertenda eſt differentia ſubiecti naturalis, à ſubiecto libero, ex qua manifeſtè apietur, quod vt maior adducta ab Ill. Godoy in probatione prædicta eſſet vera, requirebatur, quod ſubiectum eſſet naturale, & non liberum, vt eſt intellectus reſpectu viſionis, de quo vera eſt maior, ſed nihil probat, vt iam diximus, quia reſtat, quod beatus, qui eſt vltimum ſubiectum, & *quod* viſionis, eſſet naturale, & non liberum, quod eſt falſum, & ob quod eſt viſio ab intrinſeco amiſſibilis, vt manet à nobis probatum. Neque exemplum de forma Cœli poteſt contra nos adduci; propugnamus namquè cum Scoto, eſſe ab intrinſeco corruptibilem, & eductam de potentia materiæ, ex qua Cœli conſtant, vt habet *in* 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 1.

)(§)(

§. III.

Reſpectivè ad cauſam primam reſolvitur difficultas.

27 *2. Concluſ.*

SEcunda concluſio: *Viſio beata, tàm vt viſio, quàm vt beatitudo, eſt ab intrinſeco corruptibilis reſpectu cauſæ primæ.* Eſt contrà Ill. Godoy *citat.* & probari poteſt ex duplici capite. Primò: ex eo, quod beatitudo ex natura ſua non dicat naturalem exigentiam ad durationem in æternum. Secundò ex eo, quod habeat potentiam realem intrinſecam paſſivam, qua poſſitivè indifferens ſit ad hanc, & illam durationem. Et ex vtroque capite probanda eſt contra Ill. Godoy noſtra concluſio.

Probari poteſt ex duplici capite.

28 *Ex 1. cap. Probat. 1.*

Ex primò capite probatur primò concluſio ratione Scoti: nihil creatum eſt ab intrinſeco, vel ex natura ſua indefectibile; alioquin eſſet ab intrinſeco ens neceſſarium, quod repugnat: ergo omne creatum eſt ab intrinſeco defectibile: ergo nihil creatum ad perpetuitatem dicit exigentiam naturalem. Probatur hæc conſequentia: ex natura de ſe defectibili nequit oriri exigentia indefectibilitatis; ſed omne creatum per te eſt ab intrinſeco defectibile: ergo nihil creatum ad perpetuitatem dicit exigentiam naturalem. Probatur maior primò: ex natura de ſe indefectibili nequit oriri exigentia defectibilitatis: ergo paritèr è contra. Probatur ſecundò eadem maior: ex naturali nequit oriri libertas, neque è contra: ergo ex natura de ſe defectibili nequit oriri exigentia indefectibilitatis. Antecedens patet. Conſequentia infertur: nam ita contradictoriè opponuntur defectibilitas, & indefectibilitas, ac naturale, & liberum; atqui ex naturali nequit oriri libertas; ergo nec ex natura de ſe defectibili poteſt oriri exigentia indefectibilitatis.

29 *Probat. 2.*

Probatur ſecundò: antequam viſio habeat eſſe per productionem, vel eius natura exigebat eſſe extra cauſas, vel non? Si primum: ergo violenta fuit viſio ab æterno vſquè ad ſui productionem ſub non eſſe, quod non concedit Ill. Godoy; alioquin æternam, & perpetuam violentiam concederet in poſsibilibus, quod conſonum non apparet. Si ſecundum: ergo modo viſio ex ſe, & ex ſua natura non exigit ſemper conſervari, & ſem-

per

per esse, consequenterque non est ab intrinseco indefectibilis. Hæc consequentia infertur ex præcedenti. Præcedens autem probatur: eo modo se habet natura visionis ad conservari, quo se habuit ad esse, vel produci; sed iuxtà concessa natura visionis non exigebat esse extrà causas: ergo nec nunc exigit ex natura sua semper esse, & semper conservari.

30 *Probat. 3.* Probatur tertiò: visio beata nec exigit, nec exigere valet æternitatem à parte ante: ergo nec exigit, nec exigere valet æternitatem à parte post, & consequenter non est ab intrinseco incorruptibilis. Antecedens est certum, & est communis opinio, nempè, quod etsi Deus creasset visionem ab æterno, talis æternitas non esset visioni connaturalis, sed ex mera Dei gratia, quia visio, vtpotè, finita, nequit exigere esse ab æterno, sed vel exigit esse in tempore, vel ad summum est indifferens ad esse in tempore, & ad esse ab æterno. Consequentia paritate videtur certa, & debere dici, quod licèt Deus conservet visionem in æternum, hanc durationem non exigit visio ex natura sua, sed est donum Dei liberale, & gratuita concessio, quia visio, vtpotè, finita, vel exigit tantum durare per tempus, vel ad summum est indifferens ad durationem per tempus, & ad æternam durationem.

31 *Respondebis pro Ill. God.* Respondebis cum doctrina, quam tradit Ill. Godoy *numer.* 8. & 17. esse disparitatem: nam æternitas à parte post supponit in visione liberalem creationem, qua posita, potest esse illi connaturalis æternitas à parte post. Ast æternitas à parte ante non supponit in re creata liberalem creationem, ideòque nequit esse illi connaturalis talis æternitas. Ratio huius est: quia licèt repugnet visioni connaturalitas ad aliquid, nullo supposito dono gratuito; non tamen repugnat, quod posito vno dono gratuito in visione, sit illi connaturale alterum, habens cum primo dono gratuito naturalem connexionem, quia tunc connaturalitas, & exigentia non fundatur in natura visionis, sed in ipso dono liberalitèr collato, ratione cuius fit ei connaturale, quod antea connaturale non erat. Vndè cum æternitas à parte ante non supponat in visione donum liberalis productionis, ratione cuius fiat ei connaturalis talis æternitas, non potest esse naturæ visionis connaturale; cum verò æternitas à parte post supponat in visione gratuitam productionem, potest ei esse connaturalis talis æternitas.

32 *Impugn. 1. solutio.* Hæc tamen solutio impugnatur primò: donum gratuitum, quod ponitur pro fundamento æternitatis à parte post, refunditur in liberam Dei creationem visionis beatæ; sed hæc libera Dei creatio daretur etiam in visione creata ab æterno; cum merè gratis, & liberalitèr crearetur ab æterno: ergo vel dicendum est, posse visionem creari cum exigentia ad æternitatem à parte ante; vel non posse habere exigentiam ad æternitatem à parte post.

33 *Secundò.* Secundò: æternitas à parte post nequit fundari in natura visionis iuxtà solutionem: ergo nec in eius libera productione. Probatur consequentia: libera visionis productio est minus idonea ad fundandam exigentiã æternæ durationis, quam ipsa natura visionis; sed per te æternitas à parte post nequit fundari in natura visionis: ergo nec in eius libera productione. Probatur maior: libera visionis productio est magis contingens, quam ipsa natura visionis: ergo libera visionis productio est minus idonea ad fundandam exigentiam æternæ durationis, quam ipsa natura visionis. Antecedens patet: nam licèt visio non esset producta, esset natura visionis, saltim possibilis. Consequentia probatur: quod est magis contingens, est minus idoneum ad fundandam exigentiam æternæ durationis; sed libera visionis productio est magis contingens, quam ipsa natura visionis: ergo libera visionis productio est minus idonea ad fundandam exigentiam æternæ durationis, quam ipsa natura visionis.

34 *Tertiò.* Tertio: talis exigentia in natura visionis ad semper esse, vel est semper benè composibilis cum limitatione essendi naturæ visionis, & libera dependentia eius à Deo in essendo; vel non? Si secundum: ergo non exigit visio ex natura sua æternitatẽ, & incorruptibilitatem. Probatur hęc consequentia: quia vt supponitur, pro illo tunc esset incomposibilis talis exigentia cum limitatione visio-

nis,

nis, & libera eius à Deo dependentia: ergo in data hypoteſi non exigit viſio ex natura ſua æternitatem, & incorruptibilitatem. Si primum: ergo ſi talis viſio produceretur ab æterno, eſſet ab æterno iuxtà eius exigentiam. Patet conſequentia: nam in nullo inſtanti poſſet conſiderari natura viſionis, quin conſideraretur, vt compoſſibilis cum tali exigentia: ergo ſi eſſet ab æterno, æternitas eſſet iuxtà exigentiam eius.

35 *Quartò.* Quartò: ſi Deus ab æterno produceret viſionem, Deus in illius productione exerceret duplicem gratiam, & liberalitatem, vnam terminatam ad productionem viſionis, & aliam terminatam ad æternitatem: ergo etiam circà viſionem in tempore productam exercet Deus hanc duplicem gratiam, & liberalitatem, vnam terminatam ad productionem viſionis, & aliam terminatam ad durationem, & conſervationē in æternum. Antecedens eſt doctrina adverſariorum, & patet pro prima parte: nam ſicut nunc viſio liberè producitur, liberè etiam tunc produceretur. Pro ſecunda conſtat: nam ſi æternitas, in qua viſio produceretur, non eſſet liberalis, & gratioſa, eſſet iuxtà exigentiam viſionis, quod negant adverſarij, negando viſionem exigere æternitatem à parte ante. Conſequentia eſt paritate certa, & vltrà hoc, quod eadem eſt de vtraque ratio, patet ex eo, quod conſervatio eſt continuata rei productio: ergo ſi productio eſt liberalis, & gratuita, gratuita, & liberalis debet eſſe conſervatio.

36 *Infero.* Infero nunc: ergo viſio in tempore producta ex natura ſua non exigit conſervationem in æternum. Hæc conſequentia probatur primò: ſi viſio eſſet producta ab æterno, non exigeret durationem ab æterno: ergo viſio in tempore producta ex natura ſua non exigit conſervationem in æternum. Secundò: illa duplex liberalitas Dei in productione viſionis in tempore, & ab æterno, melius diſtinguitur in productione viſionis in tēpore, quam in productione illius ab æterno; ſed ſi viſio eſſet producta ab æterno, non exigeret durationem ab æterno: ergo idem, quod anteà. Probatur maior: in productione viſionis in tempore prima liberalitas ſtat in ipſa viſionis productione, & ſecunda in conſervatione illius æterna à parte poſt; in productione verò viſionis ab æterno prima liberalitas ſtat in productione viſionis, & ſecunda in duratione ab æterno, ſeu æterna à parte ante; atqui in productione viſionis in tempore prima liberalitas eſt ſeparabilis à ſecunda; non autē in productione illius ab æterno: ergo illa duplex liberalitas Dei in productione viſionis in tempore, & ab æterno, melius diſtinguitur in productione viſionis in tempore, quam in productione illius ab æterno. Maior, & conſequentia tenent. Minor autem patet: nam productio in tempore ſeparabilis eſt à duratione in æternum, vt in tot millibus experimur; productio verò ab æterno inſeparabilis eſt à duratione ab æterno.

37 *Quintò.* Quintò: ſuppoſita viſionis productione, viſio non habet ex natura ſua exigentiam ad incorruptibilitatem: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: viſio ante ſui productionē non habet ex natura ſua talem exigentiam: ergo nec ſuppoſita illius productione. Probatur conſequentia: ſi talis exigentia eſſet in viſione ſuppoſita illius productione, aliqua proprietas, ſeu paſsio, neceſſariò conſequens eſſentiam, conveniret viſioni poſt productionem, quin illi ante productionem conveniret; ſed hoc eſt falſum, & impoſsibile: ergo ſuppoſita viſionis productione, viſio non habet ex natura ſua exigentiam ad incorruptibilitatem. Minor patet in riſibilitate, & quacumque alia paſſione. Maior probatur: exigentia rei ex natura ſua eſt proprietas, ſeu paſſio illius rei, neceſſariò conſequens eſſentiam: ergo ſi talis exigentia eſſet in viſione ſuppoſita illius productione, aliqua proprietas, ſeu paſsio, neceſſariò conſequens eſſentiam, conveniret viſioni poſt productionem, quin illi ante productionem conveniret.

38 *Vltimo impugnatur.* Deniquè: ideò iuxtà ſolutionem viſio beata exigit ex natura ſua æternitatem à parte poſt, quia ſuppoſita illius libera, & gratuita productione, poteſt eſſe illi connaturalis talis æternitas; atqui hoc evidenter probat: quamcumque naturam à Deo productam, præcipuè, permanentem, exigere ex natura ſua æternitatem à

par-

parte post; quod est manifestè falsum: ergo falsa est solutio prædicta. Minor, in qua potest esse difficultas, si aliqua imaginatur, patet ex ipsa ratione solutionis; quia supposita libera, & gratuita productione cuiuscumque naturæ, potest esse illi connaturalis æternitas à parte post: ergo de quacumque probat. Est itaquè nimis ampla prædicta solutio, & ob hoc falsa, quando aliud non addesset, quod illius falsitatem non convinceret.

39 *Probatur concluſ. ex 2. capite.* Probatur iam conclusio ex secundo capite: visio beatifica habet potentiam intrinsecam, vt à Deo destruatur: ergo ab intrinseco est destruibilis à Deo: ergo non est ab intrinseco incorruptibilis respectu causæ primæ. Probatur antecedens: visio beatifica est destruibilis à Deo suspendente concursum; at non est destruibilis per denominationem extrinsecam à potentia destructiva Dei: ergo est destruibilis per potentiam intrinsecam sibi. Probatur minor: si solum esset destruibilis per denominationem extrinsecam, hæc esset vera causalis: *Ideò est destruibilis, quia Deus potest illam destruere*, rursus hæc est vera: *Deus potest illam destruere, quia ipsa destruibilis est*: ergo committeretur circulus vicioſus, quem D. Thomas 1. *part. quæst.* 25. *art.* 3. vitare contendit in obiecto Omnipotentiæ Dei.

40 *Confirmat.* Confirmatur amplius: ideò D. Thomas *citat.* docet, res omnes possibiles esse producibiles ab intrinseco, & non ab extrinseca Omnipotentia Dei, quia ex oppositio sequitur circulatio vitiosa; nempè, Deum esse Omnipotentem ad producendum, quia potest omnia producere: ergo pariter: si visio beatifica esset destruibilis solum ab extrinseca Omnipotentia Dei, inferretur similis circulatio, nempè, Deum posse illam destruere, quia potest. Patet consequentia: nam ideò potest illam destruere; quia ipsa est destruibilis; at ideò est destruibilis, quia Deus potest illam destruere: ergo de primo ad vltimum, ideò Deus potest illam destruere, quia potest destruere, quod est committere vitiosum circulum in Omnipotentia, quatenus destructiva.

41 Hanc rationem, simul, & confirmationem, sibi ex Vasquio obiecit Ill. Godoy *num.* 13. & vtraque vtor duplici motivo. Primum est: quia solutio, quam tribuit, est principalissima doctrina, qua nititur ad suam opinionem propugnandam, & hæc est, quæ à nobis est impugnanda, vt principalissima doctrina illius invalida appareat, & Scoti doctrina firma maneat, & firmior. Secundum est: vt advertatur: Ill. Godoy non meminisse probationis minoris, nec confirmationis; nihil enim in tota solutione videò, quod sit solutio ad circulũ vitiosum, per prædictam probationem minoris, simul, & confirmationem illatum, & fortè convictum.

42 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet itaquè Ill. Godoy *numer.* 14. distinguendo primum antecedens: habet potentiam physicam intrinsecam, vt destruatur à Deo, negat antecedens; potentiam intrinsecam logicam, & obedientialem, consistentem in non repugnantia, vt destruatur à Deo, operante suprà leges communes, & contra peculiarem sui inclinationem, concedit antecedens, & negat consequentiam; quia vt aliquid dicatur ab intrinseco destruibile per respectum ad Deum, non sufficit non repugnantia intrinseca, vt ab illo destruatur, vt non operãte, seu operante suprà leges naturis rerũ debitas, sed exigitur potentia physica inclinata secundariò ad non esse.

Solutio duo habet impugnanda. Hæc Ill. Godoy solutio duo habet. Primum est: quod visio non habet potentiam physicam intrinsecam, vt destruatur à Deo, sed tantum logicam. Secundum est: quod potentia intrinseca, quam habet, vt à Deo destruatur, est in ordine solum ad Deum, vt operantem miraculosè, seu suprà leges naturis rerum debitas, & contra peculiarem inclinationem visionis. Hæc duo sunt (omissis replicis ab Ill. Godoy traditis) suo ordine impugnanda, & ni fallor, nisi Philosophiæ adversetur, opinionem Scoti, vt veram, debet reputare.

43 *Impugn. 1. potentia tãtum logica.* Impugnatur primò: sine potentia intrinseca physica, exigente secundariò corruptibilitatem, potest stare in visione potentia physica intrinseca, vt destruatur à Deo: ergo solutio ruit. Probatur antecedens: sine potentia physica intrinseca, exigente secundariò corruptibilitatem, potest stare in visione potentia physica intrinseca neutra, vt destruatur à Deo: ergo. Probatur antecedens: sine potentia physica intrinseca, exigente se

cun-

cundariò corruptionem huius formæ, v.g. ligni, ſtat in materia prima potentia phiſica intrinſeca neutra ad corruptionem illius formæ: ergo paritèr. Conſequentia eſt paritate notoria. Antecedens eſt doctrina communis inter Philoſophos aſſerentes: in materia prima eſſe potentiam phiſicam intrinſecam paſsivam neutram ad hanc, vel illam formam, quin ad aliquam ex illis habeat exigentiam, ſeu quin determinatè inclinata ſit ad aliquam ex illis, & conſequentèr quin exigat ſecundariò corruptionem alicuius. Et ratio obitèr eſt: quia illa potentia materiæ, vel eſt purè naturalis, vel violenta, vel neutra. Non purè naturalis; quia tunc eſſet ſub oppoſita violenta, ſicut aqua eſt cum calore violenta, quia potentiam purè naturalem habet ad frigus. Non violenta; quia ſub quacumque quieſcit naturalitèr iuxtà omnes: ergo eſt neutra.

44 *Impugn. 2.* Hinque impugnatur ſecundò, & argumentum reſtauro: viſio beatifica habet potentiam intrinſecam phiſicam, vt à Deo deſtruatur; ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: viſio beatifica habet potentiam neutram, vt à Deo deſtruatur; ſed potentia neutra eſt phiſica, & intrinſeca: ergo habet potentiam phiſicam intrinſecam, vt à Deo deſtruatur. Conſequentia eſt legitima. Minor patet in potentia neutra, quam habet materia prima ad hanc, vel illam formam. Probatur maior: viſio beatifica, & eſt à Deo conſervabilis, & eſt à Deo deſtruibilis: ergo habet potentiam neutram, vt à Deo deſtruatur. Probatur conſequentia: ideò materia prima habet potentiam neutram ad hanc, vel illam formam, quia poteſt eſſe ſub vtraque; ſed per te viſio beatifica eſt à Deo conſervabilis, & à Deo deſtruibilis: ergo habet potentiam neutram, vt à Deo deſtruatur.

45 *Quidam recurſus præcluditur.* Nec valet recurrere ad id, quod viſio beatifica habeat exigentiam ad incorruptibilitatẽ. Tum primò: quia ex hoc capite iam concluſionem noſtram probavimus, & ſolutionem impugnavimus. Tum ſecundò: quia hic tantum littigamus, an potentia ad corruptibilitatem ſit phiſica, vel tantum logica. Tum tertiò: quia ſi eſt potentia neutra in materia ad hanc, vel illam formam iuxtà conſenſum vniverſalem Philoſophorum; cur non erit in viſione beata potentia neutra ad hanc, vel illam conſervationem, ſcilicèt, ad conſervationem temporalem, vel æternam: Certè hoc videtur rationabilius, & magis Deo propicium, nempè, quod poſsit viſionem deſtruere abſquè vlla viſionis violentia, per quod ſpecialitèr probabimus noſtrã concluſionẽ §. 4.

46 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò: viſio beata ante ſui productionem habet potentiam intrinſecam ex parte ſui realem, in eius quidditate fundatam, ad produci, & corrumpi: ergo iam producta habet potentiam phiſicam intrinſecam, vt à Deo deſtruatur. Conſequentia claret: quia potentia intrinſeca, quam dicit viſio ante ſui productionem ad corrumpi ex parte ſui realem, in eius quidditate fundatam, habita productione fit phiſica, vt eſt notorium. Antecedens verò probatur: viſio beata ante ſui productionem eſt poſsibilis ex ſe ad produci, & corrumpi: ergo viſio beata ante ſui productionem habet potentiam intrinſecam ex parte ſui realem, in eius quidditate fundatam, ad produci, & corrumpi. Probatur conſequentia: poſsibilitas rei eſt formalitèr ex parte rei realis, in eius quidditate fundata; ſed viſio beata ante ſui productionẽ iuxtà conceſſa eſt poſsibilis ex ſe ad produci, & corrumpi: ergo ante ſui productionem habet potentiam intrinſecam ex parte ſui realem, in eius quidditate fundatam, ad produci, & corrumpi.

47 *Impugn. 4.* Impugnatur quartò: viſio beata iam producta habet potentiam intrinſecam, & non tantum logicam, vt à Deo deſtruatur: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: viſio beata ante ſui productionem habet potentiam intrinſecam non tantum logicam ad produci: ergo idem habet iam producta. Conſequentia patet: nam ita viſio producta eſt verè corruptibilis, ſicut ante productionem eſt verè producibilis. Antecedens probatur: viſio beata ante ſui productionem eſt verè producibilis: ergo ante ſui productionem habet potentiam intrinſecam non tantum logicam ad produci. Probatur conſequentia: potentia intrinſeca logica tantum, non eſt ſufficiens, vt dicatur viſio beata verè producibilis; ſed per

te

te visio beata ante sui productionem est verè producibilis: ergo ante sui productionem habet potentiam intrinsecam non tantum logicam ad produci. Minor cum consequentia tenet. Maior verò lucet in Deo, in qua est potentia logica ad existendum, quin sit verè producibilis, vel potens existere.

48 *Impugn. 5.* Impugnatur quintò: sola non repugnantia, vel logica potentia ad corruptibilitatem, non sufficit, vt visio sit verè corruptibilis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: sola non repugnantia, vel logica potentia ad corruptibilitatē esset etiam in visione iam corrupta; sed visio iam corrupta, non est verè corruptibilis: ergo sola non repugnantia, vel logica potentia ad corruptibilitatem, non sufficit, vt visio sit verè corruptibilis. Secundò: sola non repugnantia, vel logica potentia ad existentiam non est sufficiens, vt visio sit verè potens existere: ergo nec sufficit, vt visio sit verè corruptibilis, sola non repugnantia, vel logica potentia ad corruptibilitatem. Consequentia est legitima, & ancedens patet in Deo, & quocumque existente; est enim in quolibet potentia logica ad existendum, & nullum tale est verè potens existere. Hæc replica fundatur in hoc, nempè, quod non eodem modo dicitur res producibilis ante sui productionem, ac post productionem; nam ante productionem dicitur, & est verè producibilis; post productionem verò non dicitur, nec est verè producibilis: ergo cum post productionem habeat potentiam logicam ad produci; non eadem tantum potentia, sed alia distincta gaudet ante productionem. Similitèr ergo de potentia ad corruptibilitatem ante, & post corruptionem.

49 *Principalis quædā doctrinam Ill. Godoy præcluditur.* Ex his itaquè impugnationibus impugnata manet alia principalis doctrina, qua vtitur Ill. Godoy *num.* 16. concedit namquè: visionem beatam esse intrinsicè destruibilem; non tamen ab intrinseco; quia aliud est (inquit) esse intrinsicè destruibilem, & aliud esse destruibilem ab intrinseco per respectum ad Deum, quia ad hoc secundum requiritur, quod res habeat aliquod principium intrinsecū, non solum repugnans destructioni à Deo, sed etiam ad illam secundariò inclinans; sicut forma separata à materia intrinsicè est reunibilis illi; non tamen ab intrinseco, quia nullum est in illa principium intrinsecum naturale petens reunionem. Hæc namquè doctrina per impugnationes præcedentes, ostendentes, dari in visione potentiam intrinsecam, nempè, potentiam neutram, inclinantem ad destructionem, non solum secundariò, sed immediatè, vt diximus *in solutione primi argumenti* Ill. Godoy. Nequè exemplum obest; quia etiam in forma separata est principium intrinsecum naturale petens reunionē; nam cum naturalis appetitus sit inclinatio, sicut convenit materiæ in ordine ad suam perfectionem, ita convenit formæ in ordine ad suum perfectibile, vt docuit Scotus *quodlib.* 13.

50 *Reijcitur operatio miraculosa.* Secundum, quod ait in solutione Ill. God. scilicèt, si Deus destrueret visionem beatam, operaretur contra peculiarem inclinationem visionis, & consequentèr suprà leges communes, & miraculosè, facilitèr ex dictis reijcitur: Deus in corruptione visionis beatæ non operaretur contra aliquam peculiarem inclinationem visionis: ergo non operaretur miraculosè, seu suprà leges communes. Antecedens patet ex dictis, & sic probatur: Deus operans iuxtà potentiam intrinsecam phisicam neutram alicuius rei, non operatur contra aliquam peculiarem inclinationem illius; sed visio beata habet potentiam intrinsecam, phisicam neutram ad corruptibilitatem: ergo Deus in corruptione visionis beatæ non operatur contra aliquam peculiarem inclinationem visionis. Maior est evidens. Minor satis apparet ex dictis. Consequentia infertur.

51 *Destructio visionis beatæ esset absolutè naturalis, vt opponitur violento.* Et vt hoc magis clarescat, hoc ità explico. Si Deus destrueret visionem beatam, licèt illius destructio esset violenta latè, sumpto violento pro carentia perfectionis, quam visio posset habere in linea totali essendi; non verò esset violenta rigorosè, sumpto violento pro eo, quod est contra naturalem exigentiam, debitum quasi iustitiæ, & naturalem inclinationem, quia visio beata non habet talem exigentiam ad oppositum destructioni, scilicèt, ad semper conservari. Nec esset violenta, sumpto violento, prout opponitur neutro, quia visio beata

habet potentiam neutram, vel indifferentem ad esse temporaliter, & ad esse æternum. Vndè licèt non esset naturalis rigorosè, sumpto naturali prout opponitur violento, & neutro, quia non est determinata ad hanc, vel illam durationem; esset naturalis, prout naturale opponitur violento rigorosè, & prout coincidit cum neutro; quarè talis destructio nec esset rigorosè violenta, nec rigorosè naturalis, quia est neutra, de cuius ratione est, esse absolutè naturalem, & non absolutè violentam, vt claret ex dictis *num.* 43. in quo omnes Philosophi conveniunt.

52 *Est etiã absolutè naturalis, vt opponitur supernaturali, & miraculoso.*

Si autem fiat comparatio de naturali, vt opponitur supernaturali, destructio visionis esset naturalis, sumpto supernaturali per ordinem ad agens operans vltrà activitatem agentium naturalium, quia talis destructio, non solum à Deo, verum etiam per ordinem ad causas secundas, fieri valet ex dictis §. 2. Si autem supernaturale sumatur pro eo, quod fit à Deo iuxtà meram potentiam obedientialem, & logicam capacitatem rei, talis destructio esset etiam naturalis, quia visio beata, non solum habet potentiam logicam, verũ, & physicam ad destructionem. Si denique sumatur supernaturale pro eo, quod fit à Deo operante suprà leges communes, & contra peculiarem rei inclinationem, quod est miraculosè operari, prædicta destructio esset etiã naturalis, quia visio beata nullam dicit peculiarem inclinationẽ ad æternam durationem. Vndè absolutè talis destructio dicenda est naturalis, prout opponitur supernaturali, & miraculoso.

§. IV.

Quibusdam paritatibus, & rationibus specialibus, probatur conclusio.

53 *1. paritas.*

PRima paritas sub hac forma proponitur: nulla res temporalis potest ab intrinseco exigere æternitatem; sed visio beata est res temporalis; in tempore namquè producitur: ergo visio beata non exigit ab intrinseco æternitatem: ergo est ab intrinseco corruptibilis. Probatur maior: nulla res finita potest ab intrinseco exigere infinitatem. Item: nullum dependens potest ab intrinseco exigere aseitatem. Item: nulla res naturalis potest exigere ab intrinseco supernaturalitatem: ergo pariter: nulla res temporalis potest ab intrinseco exigere æternitatem. Antecedens est certum. Consequentia videtur paritate legitima; quia non minus distat tempus ab æternitate, quam finitas ab infinitate, dependentia ab aseitate, & naturalitas à supernaturalitate.

54 *2. paritas.*

Secunda paritas hoc modo formatur: illud est ab intrinseco incorruptibile per respectum ad causam creatam, quod à nulla causa creata dependet quoad suum esse: ergo illud est incorruptibile ab intrinseco per respectum ad causam primam, quod à causa prima non dependet quoad suum esse. Atqui visio beata dependet quoad suum esse à causa prima: ergo visio beata non est ab intrinseco incorruptibilis per respectum ad causam primam. Antecedens, in quo poterat esse difficultas, est Ill. Godoy *numer.* 4. his verbis: *Idcircò Angelus, & Anima rationalis sunt incorruptibiles per respectum ad causam creatam, quia quoad suum esse à nulla causa creata dependent.*

55 *3. paritas.*

Tertia paritas ad hanc formam reducitur: id est ab intrinseco corruptibile, sumpta corruptibilitate, vt est passio, vel modus materiæ, quod habet principium intrinsecum talis corruptibilitatis, nempè, materiam primam: ergo id est ab intrinseco corruptibile, corruptibilitate sumpta, vt est passio, vel modus essentiæ, quod habet principium intrinsecum talis corruptibilitatis. Atqui visio beata habet principium intrinsecum corruptibilitatis, vt est passio, vel modus essentiæ; licèt non vt est passio, vel modus materiæ: ergo licèt visio beata non sit ab intrinseco corruptibilis, vt corruptibilitas est passio materiæ; ab intrinseco tamen est corruptibilis, vt corruptibilitas est passio essentiæ. Minor pro secunda parte est certa, quia caret materia prima. Pro prima probatur: principium intrinsecum corruptibilitatis, vt est passio essentiæ, est contingentia in essendo, quæ communis est omnibus rebus creatis, vt absquè dubio docetur in Methaphisica; sed visio beata est res creata: ergo habet principium intrin-

se-

secum corruptibilitatis, vt est passio, vel modus essentiæ.

56 *4. paritas.* Quarta paritas hoc modo procedit: quod est incorruptibile ab intrinseco, incorruptibilitate opposita corruptibilitati, quæ est passio materiæ, caret omni principio intrinseco corruptionis: ergo paritèr: quod est incorruptibile ab intrinseco, incorruptibilitate opposita corruptibilitati, quæ est passio essentiæ, caret omni principio intrinseco corruptionis. Antecedens patet in Angelo evidentèr, & constat ex dictis *numer.* 3. Consequentia est paritate notoria. Tunc vltra; sed visio beata non caret omni principio intrinseco corruptionis, quæ est passio essentiæ: ergo visio beata non est ab intrinseco incorruptibilis, incorruptibilitate, quæ est passio essentiæ. Minor est Ill. Godoy *numer.* 16. claretque ex dictis *num. præc.* Consequentia est legitima.

57 *5. paritas.* Quinta paritas: incorruptibile ab intrinseco, incorruptibilitate propriè sumpta, seu oppositа corruptibilitati, quæ est passio materiæ, est incorruptibile per naturam in hoc genere corruptionis: ergo similitèr: incorruptibile ab intrinseco, incorruptibilitate oppositа corruptibilitati, quæ est passio essentiæ, est incorruptibile per naturam in hoc genere corruptionis. Antecedens patet in Angelo, qui quia est ab intrinseco incorruptibilis, vt opponitur corruptioni, quæ est passio materiæ, nec de potentia Dei absoluta est corruptibilis illo genere corruptionis; si enim Deus illum destrueret, non esset per corruptionem, sed per anihilationem: ergo quia in hoc genere corruptionis est incorruptibilis per naturam. Consequentia paritate constat: sussummo nunc: atqui omninò repugnat creatura per naturam incorruptibilis, vt opponitur corruptioni, quæ est passio essentiæ, vt ex terminis liquet: ergo omninò repugnat visionem beatam esse ab intrinseco incorruptibilem hoc genere corruptionis.

58 *Vltima paritas.* Vltima paritas est ad hominem contra Ill. Godoy: in beato est potentia intrinseca physica ad peccandum: ergo est etiam potentia intrinseca physica ad beatiduninem amittendā: ergo beatitudo non est ab intrinseco inamissibilis. Hæc consequentia est Ill. Godoy *num.* 14. ideò negantis, visionem esse ab intrinseco corrutibilem, quia ad sui corruptionem solum habet potentiam logicam; non verò physicam. Prima consequentia est etiam eiusdem, qui *disp.* 7. *numer.* 6. eodem modo discurrit de inamissibilitate beatitudinis, ac de impeccabilitate beatorum; hanc probando paritate inamissibilitatis. Antecedens est doctrina, quam ipse adducit *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 41. *num.* 301. Vbi fatetur: potentiam remotam peccandi, quæ absquè dubio est physica, esse voluntati essentialem. Tenet ergo paritas apud ipsum.

59 *1. ratio specialis ad homin. contra Ill. Godoy.* Sic paritatibus nostra conclusio probata, suadenda etiam est quibusdam rationibus specialibus; quarum prima est ad hominem contra Ill. Godoy: visio beata iuxtà ipsum est ab intrinseco incorruptibilis: ergo est incorruptibilis per naturam contra ipsum. Probatur consequentia: quod convenit rei ab intrinseco, illi convenit per naturam; sed incorruptibilitas ab intrinseco convenit visioni beatæ: ergo visio beata est incorruptibilis per naturam. Probatur maior primò in opinione Ill. Godoy, & Thomistarum: incorruptibilitas, quę convenit Angelo ab intrinseco, illi convenit per naturam, scilicèt, quia est spiritualis, & consequentèr carens materia prima, quæ est principium corruptionis: ergo quod convenit rei ab intrinseco, illi convenit per naturam. Secundò in omnium opinione probatur: risibilitas, & hinibilitas, frigiditas, combustibilitas, &c. quę ab intrinseco conveniunt homini, bruto, aquæ, & igni, ipsi conveniunt per naturam: ergo idem, quod antea. Tertiò probatur ratione: quod convenit rei ab intrinseco, est illi naturale: ergo quod convenit rei ab intrinseco, illi convenit per naturam.

60 *Secunda ratio.* Secunda est: incorruptibilitas convenit visioni beatæ per gratiam: ergo illi non convenit ab intrinseco. Antecedens conceditur ab Ill. God. *num.* 8. & 17. & concessum habet *disput.* 7. *infrà num.* 6. vbi eodem modo discurrit de impeccabilitate beatorū, ac de inamissibilitate visionis. Consequentia probatur primò: repugnat, incorruptibilitatem esse ab intrinseco, & esse per gratiam; sed per te incorruptibilitas convenit visioni beatę per gratiam: ergo illi non convenit

ab intrinseco. Maior patet ex totiès dictis, & præsertim *num.* 57. Minor, & consequentia tenent. Probatur secundo: incorruptibilitas ab intrinseco est incorruptibilitas per naturam, & non per gratiam; sed per te incorruptibilitas convenit visioni beatæ per gratiam: ergo illi non convenit ab intrinseco. Probatur maior: incorruptibilitas ab intrinseco connotat carentiam omnis principij corruptionis in illo genere, vt diximus sæpè, præsertim *num.* 56; sed hanc carentiam connotat incorruptibilitas per naturam; non verò incorruptibilitas per gratiam, alioquin nulla esset inter illas differentia: ergo incorruptibilitas ab intrinseco est incorruptibilitas per naturam, & non per gratiam.

Confirmatur, & declaratur.

Confirmatur hoc duplici exemplo. Primum est in Angelo, & corpore B.V.Mariæ. Ille enim, qui est ab intrinseco incorruptibilis, connotat carentiam omnis principij corruptionis in illo genere. Istud autem, quod est incorruptibile per gratiam, non connotat talem carentiam; habet enim materiam primam, quæ est principium corruptionis in illo genere. Secundum est in Cœlo; hoc enim, quod in opinione Thomistarum est ab intrinseco incorruptibile, caret omni principio corruptionis in illo genere; caret enim materia prima; at in opinione nostra, iuxtà quam est incorruptibile ab extrinseco duntaxat, nullatenus connotat talem carentiam; dicimus namquè, constare materia prima: ergo verum est quod incorruptibilitas per naturam, & non incorruptibilitas per gratiam, connotet carentiam omnis principij corruptionis in illo genere. Cum ergo hanc carentiam connotet etiam incorruptibilitas ab intrinseco, hæc erit incorruptibilitas per naturam, consequentèrque vel visioni beatæ non convenit incorruptibilitas ab intrinseco, vel illi convenit incorruptibilitas per naturam, quorum vtrũque est contra Ill.Godoy, & vtrumq; est nostræ probationis intentum.

61 *Tertia ratio.*

Tertia ratio est: vel visio beatifica conservatur à Deo, quia ab intrinseco, & ex sua natura amissibilis, & defectibilis est; vel quia ab intrinseco, & ex sua natura est inamissibilis, & indefectibilis? Si primum, hoc est nostrum, & Scoti assertum, à quo nequit recedere Ill.Godoy, nisi vellit litigare de nomine, & in solis verbis à sententia Scotica disidere. Si secũdum. Infero primo: ergo visio beata non indiget Deo, vt sui conservativo, quod aures offendit. Probatur consequentia: quod ab intrinseco, & ex natura sua est inamissibile, & indefectibile, non indiget extrinseco conservante: ergo si visio beata ab intrinseco, & ex natura sua est inamissibilis, & indefectibilis, non indiget Deo, vt sui conservativo. Infero secundò: ergo superfluit omninò Divinum decretum de conservando visionem in æternum, quod est etiam aurium offensivum. Hæc consequentia est ita certa, ac præcedens.

62 *Vltima ratio.*

Vltima ratio specialis est: opinio, quæ sine aliquo inconveniente Deo magis sabet, potiùs, quam opposita, est Catholicè, & Theologicè defendenda; sed opinio de amissibilitate, & defectibilitate visionis beatæ ab intrinseco, & ex natura sua, magis Deo sabet absquè vllo inconveniente, quam opposita: ergo hæc, & non opposita, debet defendi. Probatur minor: prædicta opinio agnoscit in Deo absquè vllo incoveniente dominium destruendi visionem beatam absquè nulla visionis violentia; atqui hoc absquè vllo inconveniente Deo magis sabet, quam destruere visionem cum aliqua illius violentia, quod tenet opposita: ergo opinio de amissibilitate, & defectibilitate visionis beatæ ab intrinseco, & ex natura sua, magis Deo sabet absquè vllo inconveniente, quam opposita. Minor, in qua potest esse difficultas, patet primò: quia illud dominium est suavius, dulcius, nobilius, & magis conforme, & attemperatum naturis rerum. Secundò: quia in destructione visionis, nostra sententia supposita, nulla posset esse ex parte visionis in Deum querela; benè verò in opposita sententia; poterat enim dicere visio: cur à me auffers, quod meum est, & ita meum, vt ab intrinseco, & ex mea natura habeo?

§. V.

Diluuntur argumenta Ill.God.

ARguit primò Ill.Godoy *num.* 6: id namquè dicitur ab intrinseco incorruptibile, quod caret intrin-

63 *Arguit.* 1.

seca

seca potentia ad non esse, aut exigente suspensionem concursus conservantis sub esse; sicuti è contra: id ab intrinseco dicitur corruptibile, quod in se habet potentiam ad non esse, tendentem, & exigentem suspensionem concursus, quo agens illud esse conservat, quo circa homo corruptibilis dicitur ab intrinseco, quia materia, ex qua componitur, propendit ad non esse illius, & consequenter petit concursum agentis introducentem oppositam formam, qua posita, desinit esse informatio animæ rationalis, hominem constituentis; at visio beatifica caret potentia intrinseca, tendente ad non esse, aut exigente suspensionem concursus Divini, quo illam sub esse conservat: ergo est ab intrinseco incorruptibilis, etiam respectu agentis increati.

64 *Respond.* 1. Respondeo primò ommissa maiori, negando minorem; quia visio beata dependet in sui esse, & conservari ab intellectu lumine gloriæ elevato; tum, vt informatus Divina Essentia, tanquam specie intelligibili; tum etiam, vt applicatus per voluntatem ad Deum, quorum vtrumque valet concursum suspendere, vt claret ex dictis §. 2. Respondeo secundò distinguendo maiorem: id dicitur ab intrinseco incorruptibile, quod caret intrinseca potentia neutra ad non esse, concedo maiorem; potentia intrinseca exigente non esse, nego suppositum; quia repugnat potentia intrinseca exigens non esse; alioquin esset violenta cum sui esse; distinguoque minorem: visio beatifica caret potentia intrinseca exigente non esse, concedo minorem, cum falsitate suppositi; caret potentia intrinseca neutra ad non esse, nego minorem, & consequentiam; & hac distinctione distinguitur imbibita maioris probatio. Solutio patet ex dictis *n.* 43. & 44.

Secundò.

65 *Declaratur solutio.* Itaquè: alia est potentia exigitiva; & alia potentia neutra. Potentia exigitiva, quæ dicitur, & est purè naturalis, seu naturalis determinata, solum reperitur in illo, quod determinatè inclinatur ad vnum, v. g. grave ad deorsum, leve ad sursum, aqua ad frigus, ignis ad calorem, & materia prima ad formam in communi. Ex quo apparet, quod repugnat potentia exigitiva ad non esse adhuc secundariò, vt patet, v. g. in gravi, in quo nequit esse exigentia adhuc secundariò ad non esse deorsum. Primo: quia nequit esse in illo exigentia ad sursum, quod erat necessarium, vt esset in illo exigentia ad non esse deorsum secundariò. Secundò: quia si esset exigentia secundariò ad non esse deorsum, esset exigentia primariò ad esse sursum, & consequenter grave esset violentum cum esse deorsum, sicut nunc est violentum cum esse sursum, quia exigit esse deorsum.

66 Potentia neutra, quæ dicitur, & est non purè naturalis, seu naturalis indeterminata, est; quando indeterminatè inclinatur ad plura, v. g. potentia passiva materiæ primæ ad hanc numero formam, vel illam. Ex quo apparet, quod sit potentia neutra ad non esse secundariò, vt apparet in materia prima, quæ affecta hac numero forma, habet potentiam neutrā ad aliam, & cum nequeat hac informari sine corruptione præexistentis, habet potentiam secundariò tendentem ad non esse formæ habitæ, quin sub nulla sit violenta, vt diximus *numer.* 43. Etiam est potentia neutra ad non esse primariò; vt quando potentia neutra versatur immediatè inter esse, & non esse. Ratio est: nam ideò in materia prima datur potentia neutra secundariò tendens ad non esse formæ habitæ, quia potentia neutra illius versatur mediatè inter formam habitam, & non esse huius formæ; immediatè namquè versatur inter hanc, & illam formam: ergo quando potentia neutra versatur immediatè inter esse, & non esse, dabitur potentia neutra tendens primariò ad non esse, ideſt, immediatè tendens, Hac doctrina, quæ apud bonam Philosophiam vera est, ruit argumentum Ill. Godoy.

67 *Arguit.* 2. Arguit secundò *infrà num.* 8: visio beatifica petit ab intrinseco perpetuò conservari à Deo, ita, vt Deum suspendere suum concursum conservativum, foret miraculosum, & contra propriam eius inclinationem: ergo ab intrinseco est incorruptibilis per respectum etiam ad Deum. Probatur antecedens. Tum: quia petere, ex suppositione, quod sit, perpetuò conservari, non opponitur cum conceptu creaturæ: ergo id petit visio beatifica. Tum etiam: nam forma carens contrario, à quo connatura-

Probat. 1. *antecedens.*

Secundò.

litèr posit corrumpi, non est maior ratio, cur petat conservari pro hoc, vel illo tempore determinato, quam conservari perpetuò; at visio beatifica caret contrario, à quo connaturalitèr posit à subiecto expelli: ergo vel non petit aliquam sui conservationem, vel perpetuam poscit.

68 *Tertiò.* Tum deniquè: nam si ob aliquam causam id non exposceret, esset, quia potest, Deo suspendente concursum, desinere esse; sed stat benè cum hoc, quod ipsa ab intrinseco petat sui perpetuam conservationem: ergo ab intrinseco est incorruptibilis. Probat minorem: ignis ab intrinseco petit concursum Divinum, quo in combustionem influat, si debitè applicetur materiæ combustibili, & homo naturalitèr petit influxum suarum proprietatum; & tamen potest Deus igni applicato debitè concursum negare, & homine extrà causas producto, effluxum suarum proprietatum suspendere: ergo cum hoc, quod est, Deum posse concursum conservantem visionem suspendere, benè compatitur, quod ipsa ab intrinseco petat sui conservationem.

69 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando antecedens. Ad primam probationem primò distinguo antecedens: non opponitur cum conceptu creaturæ, & opponitur, concedo antecedens; non opponitur, quin opponatur, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè petere, ex suppositione, quod sit, perpetuò conservari, vtrumque habet, quia non opponitur cum conceptu creaturæ, suppositione facta, scilicèt, quod sit; quia hoc supponit esse à Deo, quod conceptui creaturæ non repugnat; habet etiam quod opponatur cum conceptu creaturæ, quia nihil creatum potest esse ab intrinseco ens necessarium, quod sequeretur ex eo, quod ab intrinseco peteret perpetuò conservari, vt ostendimus *num.* 28. & idem convincunt omnia tradita §. 3. & 4. & præsertim contra argumentum stant dicta *à num.* 32. *vsquè ad num.* 39. Respondeo secundò distinguendo antecedens: petere potentia neutra, concedo antecedens; potentia exigente perpetuò conservari, nego antecedens, & consequentiam ob dicta *numer.* 43. & 44. Tertiò retorqueo argumentum: petere ex suppositione, quod sit, perpetuò conservari, non opponitur cum conceptu creaturæ: ergo quælibet natura ex tali suppositione petit perpetuò conservari, & consequenter erit ab intrinseco incorruptibilis, quod est contra Ill. Godoy, & omnes.

70 *Ad 2. respondeo 1.* Ad secundam probationem respondeo primò distinguendo maiorem: forma carens contrario extrinseco, & intrinseco, concedo maiorem; extrinseco tantum, nego maiorem; distinguoque minorem: visio beatifica caret contrario extrinseco, ommitto minorem; intrinseco, nego minorem, & consequentiam; quia vt aliquid non petat ab intrinseco perpetuam conservationem, sufficit, quod habeat potentiam intrinsecam phisicam, vt destruatur à Deo, vt concedit Ill. Godoy *num.* 14. Vndè licèt visio beata nullam formã creatam haberet contrariam, quæ ipsam expelleret, imò nec agentem creatũ, illam potentem efficienter destruere; non ob hoc erit ab intrinseco incorruptibilis, quia habet potentiam intrinsecam phisicam, scilicèt, neutram, vt à Deo destruatur, vt totiès dixi. *Secundò.* Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: forma carens contrario phisico, & morali, ommitto maiorem; phisico tantum, nego maiorem; & hac distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam; quia licèt visio beata careat contrario phisico, à quo connaturalitèr posit corrumpi; non tamen caret contrario morali, nempè, peccatum, quod committere potest voluntas beati, vt diximus *disp.* 7. quod saltim naturalitèr destrueret visionem.

71 *Tertiò.* Respondeo tertiò alitèr distinguendo maiorem: per respectum, vel ordinem ad causam creatam, ommitto maiorem; per respectum, vel ordinem ad Deum, nego maiorem; ommitto minorem, & distinguo similitèr consequens. Itaquè licèt visio beata eo, quod careret contrario, à quo connaturalitèr posit corrumpi, haberet aliquam rationem ad petendam conservationem æternam respectivè ad causam creatam; hanc non haberet respectivè ad Deũ; quia potest visio beata habere exigentiam ad æternam durationem respectivè ad causam creatam, vti habet materia prima respectivè ad formam in

Secundò.

3. & est retorsio.

com-

communi; & illam non habere respectivè ad Deum, vti illam non habet materia prima ad hanc numero formam, vel illam. Vndè adhuc hoc ommisso, argumentum non concludit, quia procedit de duratione perpetua respectivè ad Deum.

Quartò. Deniquè respondeo negando maiorem; quia ratio, cur forma carens contrario, à quo connaturalitèr possit corrumpi, petat pro hoc, vel illo tempore conservari, imò, & magis conservari, quam forma non carens contrario, potest esse nobilitas, excellentia, & superioritas naturæ, vt patet. Tum primò in Cœlo, quod licèt sit ab intrinseco corruptibile, potest appetere ob nobilitatem suæ naturæ maiorem conservationem, quam quælibet alia natura non carens contrario, à quo connaturalitèr possit corrumpi. Tum secundò in natura permanente, quæ ob sui nobilitatem respectu naturæ successivæ, potest maiorem conservationem appetere, in quo nec est aliqua repugnantia, nec inconveniens aliquod. Ast, vt natura creata, quæcumque sit, appetat æternam durationem, & est inconveniens, vt patet ex rationibus traditis *num.* 59. *& seqq.* & est repugnantia, vt claret ex ratione Scoti posita *num.* 28.

72 *Ad 3.* Ad tertiam distinguo maiorem: si ob aliquam causam id non exposceret, esset, quia potest, Deo suspendente concursum, desinere esse, iuxtà leges communes, & iuxtà potentiam naturalem visionis, concedo maiorem; suprà leges communes, seu per miraculum, & contra potentiam naturalem visionis, seu violentèr, nego maiorem; qua distinctione suppositа, nego minorem, ad cuius probationem distinguo secundam partem antecedentis: potest concursum negare, & effluxum suspendere (hoc est falsum, sed id gratis pro nunc admitto) suprà leges communes, seu per miraculum, & contra potentiam naturalem ignis, & hominis, seu violentèr, concedo; iuxtà leges communes, & iuxtà potentias naturales eorum, nego. Solutio apparet ex dictis *numer.* 50. quæ declarata manet *numer.* 51. *& 52.*

73 *Arguit 3.* Arguit tertiò *numer.* 10: si visio beatifica nō esset perpetua, & inamissibilis ab intrinseco, non satiaret perfectè appetitum beati; at hoc est contra rationem formalis beatitudinis: ergo visio beata est perpetua, & inamissibilis. Probat minorem: nam vnum ex illis, quæ beatus exoptat, est perpetuitas boni, quod possidet; vndè maximè anxiaretur, si verè existimaret talem bonum non fore perpetuum: ergo si beatitudo non foret perpetua ab intrinseco, non satiaret, nec quietaret perfectè appetitum beati.

74 *Respond. 1.* Respondeo ad argumentum. Primò negando suppositum; supponi enim, quod beatitudo debeat excludere timorem de illius amissione quod est falsum; nam sicut nec beatitudo, nec vnio hypostatica excludit alios timores à Christo Domino, vt dixi *tom. 2. in 3. sent. disp. 25. & ibi* fatetur Ill. Godoy, ita neque hunc excludet. Vndè nego etiā, quod beatus maximè anxiaretur, quia eadem videtur esse de vtroque ratio. *Secundò.* Respondeo secundò negando minorem, ad cuius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam; quia vt appetitus beati circà perpetuitatē boni, quod possidet, sit perfectè satiatus, & nulla anxietate laboret, nullatenus requiritur, quod perpetuitas beatitudini competat ab intrinseco; sed sufficit, quod beatus certò sciat, vt certò scit, quod Deus decrevit, beatitudinem perpetuò conservare, & quod voluntas Dei, vtpotè, infallibilis, illam perpetuò conserbabit, ex qua oritur in voluntate securitas de perpetuitate, quod in nostra opinione satiat formalitèr prædictum appetitum. Si ergo certus est, & securus de perpetuitate beatitudinis; ad quid erit anxius beatus? Quid tollit à perpetuitate, quod perpetuitas non sit ab intrinseco beatitudinis?

75 *Replicat Ill. Godoy.* Hæc solutio (ait Ill. Godoy *infrà num.* 10.) ex non penetrata rationis efficatia procedit, quam in hunc modum explicat, & solutionem reijcit: de ratione formæ, in qua formalis beatitudo quoad essentiam consistit, est, quod vel ratione sui, vel ratione illorum, quæ ad ipsam consecuntur, & illi debentur, satiet appetitum beati, & omnem eius anxietatem excludat; at perpetuitas visionis cognita exigitur ad tollendam anxietatem beati, & illius appetitum quietandum, vel adminùs, quod non cog-

cog-

noſcatur aliquando fore ceſſaturam: ergo iſta perpetuitas debita eſt formali beatitudini, & ab illa dimanat.

Confirmat. Explicatur hoc amplius: quia amor beatificus neceſſariò exigitur ad ſatiandum appetitum beati, quo propendit in bonum, debitus eſt viſioni beatificæ, & ad illam neceſſariò conſequitur, & ſi ita non eſſet, non ſatiaret formalis beatitudo cauſalitèr omnem appetitum beati: ergo ſi viſionis duratio neceſſariò requiritur ad tollendam anxietatem beati, & illius appetitum quietandum, conſequi debet ad illam ab intrinſeco, & conſequentèr ab intrinſeco debet eſſe perpetua, & exigere ſui perpetuitatem.

76 Hæc replica eſt argumentum, quod pro impeccabilitate ab intrinſeco beatorum contra nos fecit Ill. Godoy *diſp.* 7. ad quod plures dedimus ſolutiones *à num.* 36. *vſq; ad* 42. ex quibus plura hic accommodari valent. Sed vltrà ibi dicta.

Reſpondeo. Reſpondeo ad replicam diſtinguendo maiorem: de ratione formæ, in qua formalis beatitudo quoad eſſentiam cõſiſtit, eſt, quod vel ratione ſui, vel ratione illorum, quæ ad ipſam conſecuntur, tamquam propriæ paſsiones, & illi debentur, debito iuſtitiæ, ſatiet appetitum beati, & omnem eius anxietatem excludat, concedo maiorem; quæ ad ipſam conſecuntur, tanquam accidentia, & illi debentur, debito tantum congruentiæ, nego maiorem; & conceſſa minori, diſtinguo ſimilitèr conſequens: ergo perpetuitas debito congruentiæ debita eſt formali beatitudini, & ab illa dimanat, ideſt, ad illam conſequitur, tanquam accidens illius, concedo conſequentiam; eſt debita, debito iuſtitiæ, & ab illa dimanat, tanquam paſsio illius, nego conſequentiam.

Falſitas replicæ oſtenditur. Itaque duplicem falſitatem continet replica Ill. Godoy. Prima eſt, quod perpetuitas dimanet à forma, in qua ponitur eſſentialis beatitudo, tanquam paſsio illius. Secundum eſt: quod perpetuitas debito connaturalitatis, ſeu quaſi iuſtitiæ debeatur eſſentiali beatitudini, quorum vtrumque fundatur in eo, quod *numer.* 28. ait, ſcilicèt, viſionem beatam ſatiare formalitèr appetitum videndi, & radicalitèr omnes alios appetitus, & cũ vnus ex illis ſit, perpetuitatem exoptare, illum radicalitèr ſatiat viſio, & conſequentèr exigit perpetuitatem. Hæc in replica Ill. Godoy continentur; ſed omnia falſa ſunt. Falſum namquè eſt, quod perpetuitas dimanet a viſione, tanquam paſsio illius, & quod illi ſit debita, debito quaſi iuſtitiæ, vt de concurſu Dei determinato ad bonum, & negato ad malum, oſtendimus contra Ill. Godoy *diſp.* 7. 10. 11. & 12. ex quo falſum apparet illius fundamentum, ſcilicèt, quod viſio radicalitèr ſatiet appetitus prædictos, & quod viſio exigat perpetuitatem, vt omnia hucuſquè dicta ſatis convincunt.

77 Et (ni fallor) dicere valeo de replica Ill. Godoy, quod ipſe de noſtra ſolutione dixit, ſcilicèt, quod replica illius ex non penetrata ſolutionis efficacia, procedit, quod in hunc modum explico, & replicam traditam retorqueo: magis, & perfectiùs ſatiatur appetitus beati circà perpetuitatem beatitudinis per hoc, quod certò beato innoteſcat, Deum decreviſſe perpetuitatem ſuæ beatitudinis, quam per hoc, quod perpetuitas ſit ab intrinſeco exacta à viſione: ergo ex ſatietate appetitus beati circà perpetuitatem ſuæ beatitudinis, nullatenus infertur, quod perpetuitas ſit ab intrinſeco exacta à viſione. Probatur antecedens: per id magis, & perfectiùs ſatiatur prædictus appetitus beati, per quod magis ſecurus eſt de perpetuitate ſuæ beatitudinis; ſed magis ſecurus eſt de tali perpetuitate per hoc, quod beato innoteſcat, Deũ decreviſſe perpetuitatem ſuæ beatitudinis, quam per hoc, quod perpetuitas ſit ab intrinſeco exacta à viſione: ergo magis, & perfectiùs ſatiatur appetitus beati circà perpetuitatem beatitudinis per hoc, quod certò beato innoteſcat Deum decreviſſe perpetuitatem ſuæ beatitudinis, quam per hoc, quod perpetuitas ſit ab intrinſeco exacta à viſione. Maior cum conſequentia tenet.

Retorqueo.

78 Minor autem probatur: magis ſecurus eſt beatus de perpetuitate ſuę beatitudinis per id, quo poſsito, per nullam potentiam poteſt amittere beatitudinem, quam per id, quo poſsito, illam amittere valet; ſed poſsito, quod beato certò innoteſcat, Deum decreviſſe perpetuitatem ſuæ beatitudinis, ſcit certò, quod per nullam

Probatur minor.

po-

potentiam potest illam amittere, & posito, quod perpetuitas sit ab intrinseco exacta à visione, scit certò, quod potest per aliquam potentiam illam amittere: ergo magis securus est de tali perpetuitate per hoc, quod beato innotescat, Deum decrevisse perpetuitatem suę beatitudinis, quam per hoc, quod perpetuitas sit ab intrinseco exacta à visione. Probatur minor: posito decreto Dei de perpetuitate beatitudinis, per nullam potentiam in sensu composito decreti potest amitti beatitudo, & posita in visione exigentia ab intrinseco perpetuitatis, beatitudo potest amitti in sensu composito talis exigentiæ; sed hoc scit certò beatus: ergo & illud. Consequentia est legitima. Minor nota. Maior autem quo ad primam partem est apud omnes certa; alioquin esset fallibile Divinum decretum. Quoad secundam autem est ita certa apud Ill. Godoy asserentem: quod posita in visione exigentia ab intrinseco perpetuitatis, stat in sensu composito talis exigentiæ, tum potentia intrinseca logica, & obedientialis, seu non repugnantia, vt destruatur à Deo, etsi operante suprà leges communes, vt habet *num.* 14; tum intrinseca amissibilitas per respectum ad Deum sic operantē, vt habet *num.* 16. & 18: ergo in sensu composito exigentiæ ab intrinseco perpetuitatis potest amitti beatitudo.

79 *Formatur retorsio.*

Ex hoc iam se se manifestè apperit: appetitum beati circà perpetuitatem suæ beatitudinis magis, & perfectiùs satiari per notitiam certam de decreto Dei in æternum conservativo, quam per exigentiam ab intrinseco, quam dicat visio ad perpetuitatem illius. (loquor iuxtà opinionem Ill. Godoy; nam iuxtà nostram per securitatem satiatur) Tum: quia per notitiam certam talis decreti stat in beato securitas de non amissione; præcisa autem hac notitia, vbinam potest esse talis securitas, cum beatus certò sciat, suam beatitudinem esse intrinsicè, etsi no ab intrinseco, amissibilem? Tum etiam: quia stante prædicta notitia decreti, nullus in beato remaneret locus anxietatis circà conservationem perpetuam; præcisa verò hac notitia, manet locus anxietatis; potest enim timere, vel dubitare, an Deus, vt potest, suam destruat beatitudinem. Tum denique: nam ad perpetuitatem suæ beatitudinis, inquiro: in quo magis confidere valet? In exigentia ab intrinseco, quam habeat visio ad perpetuitatem? Minimè. In Dei decreto, quod est Verbum Dei infallibile? Vtiquam. Magis ergo, & perfectiùs per notitiam prædictam, quam per exigentiam, satiabitur appetitus beati. Ad confirmationem satis, & fusè patet illius falsitas ex dictis *disp.* 6. & 7. *Ad cõfirm.*

80 *Arguit.* 4.

Arguit quartò *num.* 8: nam ideircò humanitas terminata per subsistentiam Verbi Divini non expetit propriam subsistentiam, quia per Divinam, illius appetitus plenè, & perfectè satiatur, quo circà compositū ex illa, & subsistentia Verbi resultans, est incorruptibile: ergo si beatifica visio replet, & satiat appetitum nostri intellectus, quo propendit in verum, non relinquit in illo potentiam proximam inclinatam ad formam oppositam; & consequentèr compositum ex visione, lumine, & intellectu resultans, erit incorruptibile per respectum ad quodcumque agens, tàm primum, quàm secundum.

81 *Respondeo.*

Respondeo ad argumentum omissis pluribus solutionibus, & aliquibus disparitatibus, negando suppositū antecedentis; supponit enim, quod in humanitate Christi non sit appetitus innatus ad propriam subsistentiam, quod est falsum, & contra Ill. Godoy ostendimus *tom.* 2. *in* 1. *sent. disp.* 45. *num.* 97. & 98. Et *tom.* 2. *in* 3. *sent. disp.* 19. *num.* 119. & *seqq.* Nego etiam suppositum consequentis, quia supponit, quod visio satiet totalitèr appetitum intellectus, quod est falsum; nam licèt visio satiet intensivè appetitū intellectus, ad quod sufficit visio terminata ad Deum, vt vnum, qui est obiectum essentiale beatitudinis ex dictis *disp.* 2; non tamen illum satiat extensivè, vt *ibi* fusè propugnavimus *à num.* 101. *vsquè ad num.* 120. Nec hæc intensiva satiatio est visioni debita debito iustitiæ, vt dictum habemus *num.* 76.

§. VI.

Alia argumenta, & quædam specialia solvuntur.

ILl. Godoy aliud contra nos non adducit; pro ipso tamen arguitur quintò: omnis res creata eo ipso, 82 *Arguit.* 5.

quod

quod eſt, naturali appetitu inclinatur ad ſuum eſſe: ergo viſio beatifica eo ipſo, quod ſit, inclinatur naturaliter ad ſuum eſſe: ergo non eſſe eſt contra naturalem inclinationem viſionis, & conſequenter ruunt omnia a nobis dicta. Reſpondeo primò retorquendo ad litteram argumentū: omnis res creata eo ipſo, quod eſt, naturali appetitu inclinatur ad ſuum eſſe: ergo omnis res creata eo ipſo, quod ſit, inclinatur naturaliter ad ſuum eſſe: ergo non eſſe eſt contra naturalem inclinationem cuiuſcumque rei creatæ: ergo quælibet res creata exigit æternam durationem, quod eſt apud omnes falſum. Vndè argumentum ad ſummum probare valet, quod ſicut quælibet res creata eo ipſo, quod ſit, naturali appetitu inclinatur ad aliquam durationem, & non ad æternam; ſic viſio beata, vtpotè, res creata.

Reſpond. 1.

83 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò in forma diſtinguendo antecedens: ly naturaliter, vt opponitur violento latè, ſcilicèt, pro carentia perfectionis, quam res poteſt habere, concedo antecedens; vt opponitur violento ſtrictè, & ſupernaturali, vel miraculoſo, nego antecedens, & diſtinguo ſimiliter vtrumque conſequens, negoque ſubillatum. Solutio conſtat ex dictis *numer.* 51. & 52. Tertiò aliter diſtinguo antecedens: naturali appetitu, orto ex exiſtentia rei, ommitto antecedens; orto ab eſſentia rei, vel quidditate illius, nego antecedens, & diſtinguo vtrumque conſequens, negoque ſubillatum. Licèt enim concedatur, quod viſio exiſtens, reduplicando exiſtentiam, appetat naturali appetitu ſuum eſſe; non tamen ex hoc deducitur, quod viſio ex propria natura, eſſentia, & quidditate, exigat ſuum eſſe. Tum, vt patet in qualibet re; tum etiam, quia violenta fuiſſet ab æterno ſub non eſſe vſquè ad tempus exiſtentiæ.

Tertiò.

84 *Ratio ſolutionis.* Ratio huius ſolutio eſt: quia illa naturalis inclinatio ad eſſe ineſt primo, & per ſe exiſtentiæ; non verò quidditati exiſtenti. Nec quidditas exiſtens amittit per determinationem exiſtentiæ ad eſſe, ſuam intrinſecam neutram potentiam ad eſſe, & non eſſe, ſicut, quia natura de ſe eſt communicabilis, licèt coniungatur cum individuatione, quæ eſt incommunicabilis, non amittit ſuam communicabilitatem, quia ſemper manet ſecundum ſe communicabilis. Denique: licèt quælibet natura creata per exiſtentiam determinetur ad eſſe; non tamen determinatur ad ſemper eſſe, quia per exiſtentiam finitam, & limitatam, nequit determinari ad illimitatam, & infinitam durationem; alioquin exiſtentia vltrà capacitatem ipſius determinaret naturam ad exiſtere, ſiquidem eam determinaret ad exiſtere ſine limitatione.

85 *Dices 1.* Dices primò contra has ſolutiones: licèt res ante ſui productionem ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe; ſemel producta, non eſt ſic indifferens: ergo nullæ ſunt ſolutiones allatæ. *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non eſt ſic indifferens ab intrinſeco, ſeu inſpecta quidditate rei, nego antecedens; ab extrinſeco, ſeu attenta determinatione ad eſſe, orta ab exiſtentia, concedo antecedens, & conſequentiam, & ratio ſumitur ex paritate communicabilitatis. *Replicabis.* Replicabis: ergo res eſſet indifferens ad eſſe, & non eſſe, & ſimul non indifferens, quia eſſet determinata ad eſſe; ſed hæc eſt contradictio: ergo contradictoria eſt noſtra ſolutio. *Reſpondeo.* Nego minorem; quia vtrumque verificatur de qualibet re creata ſecundum diverſa prædicata, ſicut verificatur, quod ſit communicabilis, & ſimul incommunicabilis ſecundum prædicata diverſa.

86 *Dices 2.* Dices ſecundò: viſio beata aliter appetit eſſe, & durare, ac res corruptibilis, v. g. lignum; ſed non aliter appeteret, ſi non diceret exigentiam ad ſemper eſſe: ergo viſio beata talem dicit exigentiam. Probatur minor: ſi viſio beata non diceret exigentiam ad ſemper eſſe, appeteret eſſe temporaliter tantum, & modo corruptibili; ſed ita appetit eſſe res corruptibilis, nempè, lignum: ergo non aliter appetteret, ſi non diceret exigentiam ad ſemper eſſe. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando minorem; ad cuius probationem diſtinguo maiorem quoad primam partem: appeteret eſſe temporaliter tantum, vt opponitur æterno, concedo maiorem; vt non opponitur æterno, ſubdiſtinguo: magis permanenter, quam res corruptibilis, concedo maiorem; æquè permanenter, nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem,

&

& nego consequentiam; quia vt salvetur, quod visio alitèr appetit durare, ac lignum, sufficit, ponere in visione appetitum in duratione magis permanentem, licèt non ad æternam, quia incompossibilis est cum quidditate illius.

87 Distinguo etiam secundam partem maioris: appeteret esse modo corruptibili, sumpta corruptibilitate, vt est passio, vel modus essentiæ concedo maiorem; vt est passio, vel modus materiæ primæ, nego maiorem; distinguo similitèr minorem & nego consequentiam; quia vt salvetur, quod visio alitèr appetit durare, ac lignum, sufficit ponere in visione incorruptibilitatem transmutabilitatis per generationem, & alterationē, quæ competit visioni ab intrinseco, vt diximus *numer.* 56. & multotiès, quod tantum, & non aliud, convincit probatio.

88 *Arguit.* 6. Arguitur sextò pro Ill. Godoy: omnis potentia realis intrinseca, vel est activa, vel passiva; atqui neutram habet visio beatifica ad non esse: ergo nulla est in visione potentia realis intrinseca ad non esse, & consequentèr est ab intrinseco incorruptibilis. Probatur minor: visio beatifica nequit se sua existentia privare: ergo non habet potentiam activam. Tunc sic; sed nec passivam; quia hæc directè nunquam est ad non esse: ergo neutra potentia habet visio beatifica ad non esse. *Respondeo.* Respondeo negando minorem, & ad probationem pro potentia passiva ipsam, distinguo: hæc directè nunquam est ad non esse ly *directè* dicente exigentiam ad non esse, concedo; dicente possitivam indifferentiam, & neutralitatem ad non esse, nego; quia vt ex hucusquè dictis apparet, datur in visione potentia intrinseca realis passiva neutra ad esse, & non esse, simulque ad hanc, vel illam conservationem, quam potentiam fundat ex propria qui laicate quælibet res creata. Solutio est apud Philosophos vera, & claret ex dictis *num.* 65. & 66.

89 *Arguit.* 7. *specialitèr* Arguitur septimò specialitèr, & formatur argumentum in nostris principijs: nostra formalis beatitudo consistit essentialitèr in fruitione beata; sed fruitio beata exigit ab intrinseco suam perpetuitatem: ergo est ab intrinseco perpetua. Ex quo omnia hæc secuntur. Primo: quod beatitudo non habeat potentiam intrinsecam physicam neutram ad hanc, vel illam conservationē. Secundò: quod conservatio perpetua sit beatitudini naturalis, vt naturale opponitur, tum violento rigorosè, tum etiam neutro. Tertio: quod destructio beatitudinis non esset naturalis, vt opponitur miraculoso; quæ omnia sunt destructiva totius nostræ doctrinæ, consequentèrque erit beatitudo ab intrinseco incorruptibilis. Omnia hęc ex vi consequentiæ sunt vera. Maior est apud omnes Scotistas certa; nam sivè in vna, sivè in pluribus operationibus collocent beatitudinē, nullus est, qui fruitionem excludat à constitutione essentiali beatitudinis.

Probatur minor. Minor autem, ad quam tota devoluitur difficultas, probatur: fruitio beata exigit ab intrinseco securitatem suæ perpetuitatis: ergo fruitio beata exigit ab intrinseco suam perpetuitatem. Consequentia patet: quia nihil potest exigere ab intrinseco, quod est alio posterius, quin prius ab intrinseco exigat; sed securitas est perpetuitate posterior, vt est certum, & constabit ex dicendis §. *sequenti*: ergo si fruitio exigit ab intrinseco securitatem suæ perpetuitatis, ab intrinseco exigit perpetuitatem. Antecedens probatur: quælibet essentia, vel natura exigit ab intrinseco suas passiones; sed securitas est passio fruitionis beatæ: ergo fruitio beata exigit ab intrinseco securitatem suę perpetuitatis. Maior, & consequentia tenent. Minor autē est omnium Scotistarum cum Scoto, & contra Thomistas, asserentium: tum: securitatem non esse actum, qui est pars fortitudinis, sed esse passionem. Tum: securitatem pertinere ad voluntatem, sicut timor, cui opponitur, ad voluntatem pertinet.

Respondeo. Hoc argumentum, quod prima facie ingentem difficultatem facere videtur; benè, & attentè inspecto, nullius est roboris. Respondeo itaquè negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens, & ad probationem distinguo maiorem: quælibet natura exigit ab intrinseco suas passiones, ab illa fluentes, & dimanantes, concedo maiorem; ab extrinseco ortas, nego maiorem; distinguoque minorem: securitas est passio fruitio-

nis

nis beatæ fluens, & dimanans à fruitione, nego minorem; ab extrinseco orta, concedo minorem, & nego cõsequentiam: Itaquè licèt securitas dicatur passio fruitionis, eo, quod non est actus; non tamen est passio fluens, vel dimanans à fruitione, sed provenit ex revelatione Divina, beatis facta, vt de perpetuitate diximus *à numer. 76. vsquè ad* 80. consequentèrq; illam ab intrinseco exigere nequit.

90 *Arguitur deniquè specialitèr.*

Arguitur deniquè specialitèr: omnes Theologi, numerando proprietates beatitudinis formalis, tres assignant, scilicèt, perpetuitas, securitas, & impeccabilitas: ergo ab intrinseco exiguntur à beatitudine formali: ergo beatitudo formalis (quæcumque operatio sit) est ab intrinseco incorruptibilis.

Respond. 1.

Respondeo primò distinguendo antecedens: sumpta proprietate latè, concedo antecedens; strictè accepta, nego antecedens, & consequentiam cum subillata. Itaquè proprietas rigorosè est, quę dimanat à re cuius est proprietas, illique est debita debito iustitiæ, necessariòque illi convenit, realitèrque cum illa identificatur; & hoc modo nulla ex prædictis est proprietas beatitudinis, quia nec dimanant ab illa, nec illi sunt debitæ debito iustitiæ, nec illi necessariò conveniunt, nec cum illa realitèr identificantur. Proprietas latè potest dici illa, quæ est debita rei debito congruentiæ, & semel collata, convenit illi infallibilitèr. Et hoc modo sunt proprietates beatitudinis, quia debito congruentiæ illi debentur, & semel de illis posito decreto Divino, infallibilitèr illi competunt. Solutio consonat cum responsione ad argumentum præcedens.

91 *Secundò.*

Respondeo secundò retorquendo argumentum: omnes Theologi, numerando proprietates beatitudinis formalis, tres assignant, scilicèt, perpetuitas, securitas, & impeccabilitas: ergo nullus Theologorum defendere valet: perpetuitatem, & securitatem esse de essentia beatitudinis. Patet consequentia: quia proprietas non est de essentia rei, quin potiùs essentiam rei supponit, & ad ipsam sequitur, vtpotè, ex ipsa dimanans, vt claret in risibilitate, & alia quacumque. Sussummo nunc: atqui de perpetuitate defendunt Bazquez, Lorca, & alij, & de securitate tuentur Salas, Valentia, & plures alij, vt illos videnti apparebit: ergo licèt Theologi illas, vt proprietates beatitudinis numerent; non sunt in rigore proprietates illius.

§. VII.

Statuitur tertia conclusio.

92 3. *Cõclusio.*

Actualis duratio perpetua non est de essentia beatitudinis essentialis, nec ab ea exigitur; est tamen de essentia beatitudinis extensivæ. Conclusio tres habet partes, quarum tertia debet esse communis, quia nulli dubium, beatitudinem extensivam includere essentialitèr perpetuitatem; nam certum omninò est, esse de essentia decreti Divini de conservatione æterna beatitudinis, quod decretum ingreditur constitutionem beatitudinis extensivæ. Secunda pars est contra Ill. Godoy *num.* 28. dicentem: visionem beatam radicalitèr continere, & exigere perpetuam durationem, consequentèr ad suam opinionem, nempè, quod petit ab intrinseco talem durationem, cuius oppositum per hucusquè dicta propugnatum manet, & specialitèr *num.* 76. *& seqq.*

93 *Probatur concluſ.*

Prima autem pars defenditur ab Ill. Godoy *num.* 27. & ommissis illius probationibus, sic nostra suadetur conclusio: vt homo sit essentialitèr beatus, sufficit possessio boni infiniti; sed hoc homo possideret, si esset beatus per horam: ergo actualis duratio perpetua non est de essentia beatitudinis essentialis. Confirmatur primò: albedo vnius diei est perfecta in esse albedinis formalitèr: ergo similitèr de beatitudine.

Confirm. 1.

Confirmatur secundò: beatitudo D. Francisci pro hoc instanti habet veram essentiam beatitudinis; sed pro hoc instanti non est perpetua: ergo actualis duratio perpetua non est de essentia beatitudinis essentialis.

Secundò.

94 *Ad 2. confirm. resp. Ill. Godoy.*

Ad hanc secundam confirmationem ait Ill. Godoy *num.* 27. *in fine*, esse inefficacem, quia licèt non sit de essentia beatitudinis actualis duratio perpetua; est tamen de ratione illius, quod in perpetuum sit duratura, & hoc illi convenit pro quovis instanti. Hæc tamen solutio nullius roboris est, ad minuendam efficatiam prædictæ rationis. Impugnatur itaquè primò: quod de ratione beatitudinis sit, quod in æternum sit duratura,

Impugn. 1.

hoc-

hocque pro quovis instanti illi conveniat, non tollit, quod actualis duratio perpetua non sit de essentia beatitudinis, vt ipse fatetur in solutione; sed hoc tantum est intentum nostræ confirmationis: ergo solutio non minuit efficatiã nostræ rationis.

95 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: quod beatitudo sit in perpetuum duratura, hocque illi pro quovis instanti conveniat, idem est, ac beatitudinem esse perpetuam radicalitèr, & exigitivè; sed hoc non obest, vt actualis duratio perpetua non sit de essentia beatitudinis: ergo nulla est solutio. Consequentia est legitima. Maior certa, & si aliud est intentum Ill. Godoy, illud explicèt. Minor verò est expressa doctrina illius; asserit namque: quod beatitudo radicalitèr, & exigitivè est perpetua, quo non obstante, tuetur, quod actualis duratio perpetua non est de essentia illius; imò in hac doctrina nixus duplicitèr probat conclusionem *num.* 28.

96 *Tertiò.* Impugnatur tertiò: stat, quod beatitudo sit exigitivè perpetua, & quod de facto actualitèr perpetua non sit: ergo quod sit exigitivè perpetua, non obest, vt actualis perpetua duratio non sit de essentia beatitudinis: ergo si per hoc, quod de ratione beatitudinis sit, quod sit in perpetuum duratura, & hoc illi pro quovis instanti conveniat, idem est, ac beatitudinem esse exigitivè perpetuam (aliud enim meo videri esse non potest) solutio tradita ab Ill. Godoy est contra ipsum, & nulla est adminuendam efficatiam nostræ rationis. Probatur antecedens: stat, quod beatitudo Francisci sit exigitivè perpetua, & quod Deus operando contra hanc exigentiam destruat beatitudinem illius; sed in hoc casu cum exigentia ad durationem perpetuam, staret non perpetuitas de facto, seu actualis: ergo stat, quod beatitudo sit exigitivè perpetua, & quod de facto actualitèr perpetua non sit.

97 *Respond. 2.* Vndè melius posset secundò responderi, dicendo: quod actualis duratio perpetua requiritur ad quietandum appetitum beati, quod tendit ad eius perpetuam durationem. Sed

Contra 1. contra primò: nam talis quietatio non pertinet ad beatitudinem essentialem, sed extensivam: ergo licèt actualis duratio perpetua sit de essentia beatitudinis extensivè, de qua non dubitamus; non tamen erit de essentia beatitudinis essentialis, de qua est dubium. Contra secundò: licèt actualis duratio perpetua requiratur ad quietandum appetitum beati, non sequitur, quod talis duratio sit de essentia beatitudinis: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: ex eo, quod requiratur cognitio durationis perpetuæ ad satiandum prædictum appetitum, non sequitur, talem cognitionem esse de essentia beatitudinis: ergo paritèr. Probatur antecedens: ad satiandum prædictum appetitum sufficit, quod ad beatitudinem essentialem sequatur talis cognitio, tanquam accidens, vel exactum à beatitudine, vt tenet Ill. Godoy vel beatitudinem concomitans sine tali exigentia, vt Scotus asserit: ergo ex eo, quod requiratur cognitio durationis perpetuæ ad satiendum prædictum appetitum, non sequitur, talem cognitionem esse de essentia beatitudinis.

Contra 2.

98 *Dices 1.* Dices primò: Philosophus 1. *Ethic. cap. 7.* ait: *Ver enim, nequè vna facit hirundo, neque vna dies, & beatum hominem eodem modo, nec vnus dies, nec breve vsum efficit tempus.* Ex quibus sic arguitur: iuxtà Philosophum de ratione veræ fœlicitatis huius vitæ est longum tempus, imò & totius vitæ: ergo de ratione fœlicitatis æternæ vitæ debet esse perpetua duratio. Quod amplius confirmatur testimonio D. Augustini *lib. 3. de Trinit. cap. 8.* illis verbis: *Cum ergo beati esse omnes homines volunt, si verè volunt profectò, & esse immortales volunt.* Et sub finem capitis ita concludit: *Nullo modo igitur esse poterit vita veracitèr beata, nisi fuerit sempiterna.*

99 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *numer.* 31: Philosophum, & D. Augustin. loqui de beatitudine, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad statum, sic autem verum est, de essentia beatitudinis esse perpetuitatem; sicut si diceremus de essentia hominis albi esse albedinem, sicut etiam de essentia illius, prout sic, est amor, delectatio, & alia, quæ complent, & perficiunt beatitudinis statum, ea ratione, qua solet diffiniri, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum.

100 *Contra.* Hæc solutio etsi pro Philosopho placeat; pro D. Augustino autem non qua-

quadrat, & ratio eſt: vita non veraciter beata nequit eſſe beatitudo vera intenſiva, & eſſentialis; ſed ſecundum vltima D. Auguſtini verba vita non ſempiterna non eſt veraciter beata: ergo loquitur de beatitudine intenſiva, & eſſentiali. Ob hoc itaque aliter reſpondeo, nempè: D. Auguſt. loqui de beatitudine intenſiva ſecundum legem ordinariam, & præſentē providentiam, ſecundum quam ſine perpetuitate non erit veraciter vera, quia ſtatutum eſt à Deo, eſſe æternam; non verò loqui de poſsibili, & ſecundum id, quod beatitudini abſolutè non repugnat.

Reſpondeo.

101 *Dices 2.*

Dices ſecundò: licèt non ſit de eſſentia beatitudinis intenſivæ, actu expellere omnem triſtitiam, & actu implere omne deſiderium; eſt tamen de eſſentia illius, poſſe hæc præſtare; ſed nulla operatio ſine perpetuitate hoc poteſt præſtare; quia hoc ipſo, quod poſsit deficere, beatus anxiabitur de illius amiſsione: ergo actualis perpetua duratio eſt de eſſentia beatitudinis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: licèt non ſit de eſſentia beatitudinis intenſivæ, actu expellere omnem triſtitiam, & actu implere omne deſiderium; eſt tamen de eſſentia illius, ratione ſuæ eſſentiæ ſolius, nego maiorem; ratione eſſentiæ, & accidentium concommitantium, concedo maiorem; & diſtinguo ſimiliter minorem, vel ipſam nego; nam licèt nulla operatio, in qua ſita eſt eſſentialis beatitudo, ſatiet appetitum beati circà perpetuitatem illius, illum ſatiat notitia certa, quam habet beatus de decreto Dei in perpetuum conſervaturo beatitudinem, quam concommitatur prædicta notitia, & ex qua oritur ſecuritas, quæ formaliter ſatiat prædictum appetitum ex dictis *num.* 74.

Reſpondeo.

102 *Quoddam dubium.*

Inquires: An ſecuritas ſit de eſſentia illius beatitudinis? Notta primò: beatos eſſe ſecuros de perpetuitate ſuæ beatitudinis, ſivè hoc proveniat ex revelatione à Deo ipſis facta, vt nos aſſerimus, ſivè ex alio capite, nempè, ex intrinſeca exigentia beatitudinis, iuxtà opinionem Ill. God. Notto ſecundò: quod ſicut certitudo opponitur dubitationi; ita ſecuritas timori, & ſicut dubitatio, & certitudo pertinent ad intellectum; ita timor, & ſecuritas ad voluntatem.

Notta 1.

Secundò.

Vndè ſecuritas eſt in voluntate, ſequens certitudinem, que eſt in intellectu de continuatione beatitudinis; & timor ſequens apprehenſionem mali infligendi. Nec ſecuritas eſt actus, qui eſt pars fortitudinis, vt dicunt Thomiſtæ; ſed paſsio, quæ eſt in voluntate, oppoſita timori.

103 *Tertiò.*

Nota tertiò: hunc eſſe ordinem in beato à beatitudine eſſentiali voluntatis vſquè ad ſecuritatem. Primò eſt fruitio, quæ eſt beatitudo formalis voluntatis. Secundò perpetuitas, quæ eſt extrinſeca denominatio proveniens à voluntate Dei continuantis fruitionem. Tertiò eſt certitudo, & cognitio perpetuitatis. Quartò denique ſecuritas de tali perpetuitate. His notatis.

104 *Reſolutio dubij.*

Dico: ſecuritas non eſt de eſſentia beatitudinis. Sic Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. §. *de ſecundo principali*, & probatur primò: perpetuitas beatitudinis, de qua eſt certitudo, & quam ſequitur ſecuritas, non eſt de eſſentia beatitudinis: ergo nec ſecuritas; quia ſi prior non eſt de eſſentia antecedentis, multo minus poſterior. Probatur ſecundò: ſecuritas ſupponit certitudinem de perpetuitate beatitudis: ergo & ipſam beatitudinem conſtitutam; quia non eſt certitudo rei, niſi ſit res: ergo ſecuritas non eſt de eſſentia beatitudinis.

105 *Obijcies.*

Obijcies: ad primam perfectionem viatoris concurrunt eſſentialiter fides, ſpes, & charitas; ad ſecundam actus illarum: ergo ad perfectionem beati eſſentialiter concurrunt actus fide perfecti, correſpondētes iſtis. Probatur conſequentia: perfectio ſecunda beati in ſuo gradu, non requirit minorem integritatem, quam viatoris in ſuo, ſed actui ſpei ſuccedit tentio, quæ non videtur niſi ſecuritas: ergo ad perfectionem beati eſſentialiter concurrunt actus perfecti, correſpondentes iſtis.

106 *Reſpondeo.*

Reſpondeo negando conſequentiam, & ad probationem nego minorem. Primò: quia tentio eſt actus ex dictis *diſp.* 8. *num.* 8. ſecuritas autem non eſt actus, ſed paſsio, vt diximus ſuprà *num.* 102. Secundò: quia tentio eſt amor concupiſcientiæ, ex dictis *diſput. citat. num.* 9. quod non habet ſecuritas. Vndè, cum beatitudo eſſentialiter conſiſtat in amore amicitiæ ob rationes datas *diſput.* 5.

num 204. & non in amore concupiſcientiæ, ideò etſi vterque actus reperiatur in beatis, non concurrit eſſentialiter ad illius perfectionem. Et hoc eſt, quod dixit Scotus citatus; concedit namquè, quod tribus virtutibus Theologicis viæ ſuccedunt tres perfectiones in Patria; ſed ait: non oportere, illa ſuccedentia eſſe omnia de eſſentia beatitudinis, ſed ſufficere, quod commitentur, vel ſubſequantur beatitudinem.

)(ſ)(

DISPVTATIO DECIMA.

Utrùm poſsibilitas Beatitudinis ſit demonſtrabilis ſolo lumine naturæ?

§. I.

Relatis ſententijs, vera eligitur, & probatur triplici ſpeciali ratione.

Num. 1 *Futuritio beatitudinis ſola Dei revelatione poteſt cognoſci.*

CErtum eſt primò: quod beatitudinis futuritionem ſola Dei revelatione poſſe certò comprehendi, concors eſt Theologorum ſententia. Conſtatque ex illis verbis D. Pauli 1. *ad Corinth.* 2: *Oculus non vidit, nec auris audibit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Et inſuper ratione ſuadetur: Deum namquè ſupernaturali beatitudine hominem ditare, indebitum eſt illi; & conſequentèr ex ſola Dei voluntate dependens: ergo quod illum ſit beatificaturus, ſola ipſius revelatione poterit cognoſci.

2 *Impoſsibilitas beatitudinis non poteſt evidentèr oſtendi.*

Secundò certum eſt apud omnes: non poſſe evidentèr oſtendi illius impoſsibilitatem. Quod patet: nam id, quod eſt falſum, non poteſt evidentèr ſuaderi; at Deum ab intellectu creato videri non poſſe, falſum eſt; cum eius oppoſitum ſit verum, ſeu certum de fide: ergo oſtendi non poteſt evidentèr beatitudinis impoſsibilitas. Quod igitur inveſtigare intendimus, eſt: An beatitudinis poſsibilitas poſsit evidentèr ſuaderi ex principij cognitis ſolo lumine naturæ. Pro quo.

Punctus difficultatis.

3 *Senſus difficultatis aperitur ex parte intellectus.*

Supponendum eſt: quod non loquimur de intellectu pro hoc ſtatu, in quo dependet à ſenſibus; nam hoc modo non poſſe ratione naturali poſsibilitatem viſionis probari, eſt opinio communis, quam docuit Scotus *quæſt.* 1. *Prologi, §. Contra iſtam, & §.*

Ad primum. Et ratio eſt: nam obiectum motivum intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis, ſeu ens phantaſiale apud Scotiſtas, vel quidditas rei materialis apud Thomiſtas, vt dicitur *lib.* 3. *de Anima*: ergo per ſolam rationem naturalem valet ſolum cognoſci, eſſe poſsibilem cognitionem abſtractivam, quæ virtualitèr in ſenſibilibus eſt incluſſa; non verò intuitivam; alioquin potentia excederet ſuum obiectum adæquatum. Loquimur ergo de intellectu in ſtatu ſeparationis, ſeu vt eſt pura potentia intellectualis, cuius obiectum eſt ens, vt ſic.

Iterum ſupponendum eſt: quod non loquimur de viſione ſecundum ordinem, vel modum, quo intellectus poteſt illam producere, an, ſcilicèt, naturalitèr, vel ſupernaturalitèr, ſeu de modo, quo Deus poteſt videri ab intellectu creato, quia certum eſt, intellectum creatum non poſſe Deũ naturalitèr videre, cum obiectum naturalis attingentiæ illius ſit ens finitum duntaxat, vt dicitur *in lib. de Anima.* Loquimur ergo de viſione ſecundum ſe ſumpta præciſsè, ſecluſſo omni modo, quo fieri, vel attingi poteſt. Vndè quærimus: An intellectus, vt eſt pura potentia intellectualis, poſsit lumine naturali demonſtrare poſsibilitatem viſionis ſecundum ſe ſumptæ?

4 *Ex parte viſionis aperitur.*

In qua difficultate duplex verſatur ſententia. Prima abſolutè negat,

5 1. *Sentẽtia.*

id esse possibile intellectui creato ex viribus naturæ. Sic Ill. Godoy *num.* 3. plures citans, inter quos citat ex nostris Radam *tom.* 1. *controv.* 1. *artic.* 3. loquendo de homine pro statu coniunctionis animæ ad corpus, in quo sensu Scotum, & omnes Scotistas poterat citare, quia vniformitèr conveniunt in eo, quod intellectus pro hoc statu coniunctionis nequit sola ratione naturali possibilitatem visionis demonstrare, vt supposuimus *numer.* 3. rationemque dedimus. Cœterum hoc non obstat, vt eam demonstrare valeat, vt est pura potentia intellectualis, seu in statu separationis, quod tenet Rada, quem pro contraria sententia citaret Ill. God. si illum vidisset *tom.* 4 *controv.* 13. *art.* 1.

Ill. Godoy.

2. Sentētia.

Secunda, & vera sententia absolutè affirmat: intellectum creatum in statu separationis posse sola ratione naturali possibilitatem visionis demonstrare. Sic Scotus expræssè *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 8. §. *Respondeo.* Et *quæst.* 12. §. *Respondeo.* Rada *cit. tom.* 4. Smising. *de Deo vno tract.* 2. *disp.* 6. *à n.* 39. Vulpes *tom.* 1. *disp.* 23. *art.* 3. Felix *de visione cap.* 1. *difficult.* 4. Et communitèr omnes Scotistæ, vltrà quos Bazquez 1. 2. *disp.* 20. *cap.* 2. Arrubal 1. *p. disp.* 15. *cap.* 1. alios etiam referens.

Scotus.
Rada.
Smising.
Vulpes.
Felix.
Bazquez.
Arrubal.

6 *Probatur conclus. 1. speciali ratione.*

Hæc est nonstra conclusio, & hac speciali ratione probatur primò: Hæc propositio: *Deus, vt clarè visibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, alitèr est demostrabilis, ac hæc: *Trinitas, vt clarè visibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*; sed nisi veritas primæ propositionis sit ratione naturali demonstrabilis, non alitèr est demonstrabilis: ergo veritas huius propositionis: *Deus vt clarè visibilis continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, est ratione naturali demonstrabilis. Consequentia infertur. Præmissæ autem sunt probandæ. Et supposito, quod tàm Deus, quàm Trinitas, vt clarè visibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati; alioquin non possint ab illo, quamvis elevato, intuitivè videri, vt fatetur Ill. God. *num.* 16. cuius oppositum claret in beatis. Probatur maior: Hæc propositio: *Deus, vt clarè visiblilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, supponit aliquid ratione naturali notum, nempè, *Deum esse*; sed hæc propositio: *Trinitas, vt clarè visibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, supponit, quod non est ratione naturali notum, nempè, *Trinitatem esse*: ergo prima propositio alitèr est demonstrabilis, ac secunda. Consequentia patet: nam ex principijs sumitur notio conclusionis: ergo conclusio, vel propositio, quæ habet principium ratione naturali notum, alitèr est demonstrabilis, ac conclusio, vel propositio carens principio ratione naturali noto.

Prob. mai.

Prob. min.

Maiori itaquè probata, ostenditur minor: si prima propositio non est ratione naturali demonstrabilis, prædicta propositio solum erit cognoscibilis ratione naturali probabili, supposita Divina revelatione, & Theologicè demonstrabilis; sed sic est etiā cognoscibilis, & demonstrabilis secunda propositio: ergo nisi veritas primæ propositionis sit ratione naturali demonstrabilis, non alitèr ac secunda, est demonstrabilis. Consequentia est nottoria. Maior est Ill. Godoy *num.* 34. & 36. quin alium modum cognoscibilitatis, vel demonstrabilitatis in prædicta propositione admittat. Minor est etiam ipsius *tom.* 3. *in* 1. *part. disp.* 83. vbi *num.* 88. concedit: quod supposita revelatione Trinitatis, Trinitas est cognoscibilis ratione naturali probali, per hæc verba: *Revelatione supposita, est possibilis assensus naturalis probabilis.* Et *numer.* 92. statuit pro quartò corollario, quod Trinitas potest demonstrari demonstratione Theologica, quod ibi probat.

7 *Probat. 2. ad hom. tōtra Ill. God.*

Secundò probatur hac speciali ratione ad hominem contra Ill. God: immortalitas animæ rationalis potest ratione naturali demonstrari: ergo & possibilitas visionis claræ Dei. Cōsequentia vi paritatis certa debet esse apud Ill. Godoy, qui *num.* 4. hac paritate è contra formata, adversus nos ex Scoto arguit. Antecedens autem probatur: anima rationalis naturalitèr exigentialitèr appetit immortalitatem: ergo immortalitas animæ rationalis potest ratione naturali demonstrari. Antecedens est doctrina Ill. Godoy *disp.* 9. *num.* 4. Consequentia probatur: si natura humana naturalitèr exigentialitèr appeteret visionem claram Dei, possibilitas visionis claræ Dei posset ratione naturali demostrari; atqui anima rationalis na-

tu-

turaliter exigentialitèr appetit immortalitatem: ergo immortalitas animæ rationalis potest demonstrari ratione naturali. Maior est Ill. Godoy *in præsenti numer.* 27. Minor, vt dixi, est etiam eiusdem. Consequentia legitima est.

8

Probat. 3. specialitèr contra Ill. God.

Probatur tertiò specialitèr etiam contra Ill. Godoy: licèt intellectus sensibus ligatus, seu pro hoc statu, nequeat ratione naturali possibilitatem visionis claræ Dei demonstrare; id demonstrare potest intellectus à sensibus independens, seu in statu separationis: ergo possibilitas visionis claræ Dei potest ab intellectu creato ratione naturali demonstrari. Probatur

Prob. antec. 1.

antecedens primò: licèt intellectus fidei lumine destitutus, rationes probabiles invenire non possit ad demostrandam possibilitatem supernaturalis beatitudinis; Dei tamen revelatione excitatus, eas invenire potest: ergo paritèr. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 34. Consequentia probatur: ideò iuxtà ipsum *citat.* verum est antecedens, quia inferius per coniunctionem ad superius perficitur, & intra suum ordinem magis roboratur; atqui intellectus per independentiam à sensibus perficitur, & intra suum ordinem magis roboratur: ergo intellectus à sensibus independens, seu in statu separationis, potest ratione naturali possibilitatem visionis claræ Dei demonstrare. Maior cum consequentia tenet. Minor patet: nam iuxtà Ill. Godoy *num.* 16. Deus, vt clarè visus, continetur sub obiecto specificativo intellectus creati; sed non intellectus, sensibus ligati: ergo sub obiecto intellectus, à sensibus indepẽdentis: ergo vera est maior.

Secundò.

Probatur secundò dictum antecedens: licèt intellectus humanus in via non cognoscat Angelos naturaliter, nec ex proprijs viribus; in patria tamen illos naturalitèr, & ex proprijs viribus cognoscit: ergo similitèr. Antecedens est indubitatum ea ratione, qua *tract. de Angelis* dicitur, vnum Angelum naturalitèr, & ex proprijs viribus cęteros alios cognoscere. Consequentia probatur: ideò intellectus humanus in via non cognoscit Angelos naturalitèr, & ex proprijs viribus; benè verò in patria, quia in via dependet à sensibus; in patria verò est ab illis independens: ergo.

Tertiò.

Probatur tertiò idem antecedens: licèt intellectus sensibus ligatus, seu pro hoc statu, nequeat ratione naturali demonstrare possibilitatem cognitionis Dei quidditativè, abstractivè, perfectè, & distinctè, id demonstrare potest à sensibus independens, seu in statu superationis: ergo à simili. Antecedens videtur certum apud omnes. Consequentia est paritate legitima, cum iuxtà Ill. Godoy *num.* 16. tàm Deus, vt abstractivè cognoscibilis, quàm vt clarè visibilis, contineatur sub obiecto specificativo intellectus creati.

§. II.

Rationibus fundamentalibus probatur conclusio.

9

1. fundam. Scoti ratio, & à priori.

TRiplicem rationem fundamentalem adducit Scotus. Quarum prima est: ratione naturali notum est, quod quælibet potentia ferri potest in quodlibet obiectũ contentum sub suo obiecto primo primitate adęquationis, & est impossibile, quod quiescat, nisi in obiecto primo primitate perfectionis; sed obiectum primum adæquationis intellectus creati, est ens, vt ens, sub quo clauditur Deus, qui est obiectum primũ perfectionis, vtpotè, perfectissimum ens: ergo intellectus creatus potest ferri in Deum, & non potest quietari, nisi in ipso. Atqui quælibet potentia potest ferri in quodlibet contentũ sub suo obiecto adæquato per suum actum perfectissimum sibi possibilẽ: ergo potest intellectus creatus ferri in Deum visione intuitiva, quæ est actus perfectissimus intellectus, & illi possibilis. Tunc sic: sed hoc cognoscit intellectus ratione naturali: ergo ratione naturali potest cognoscere, Deum intuitivè visum esse homini possibilem. Maior pro prima parte est evidens. Pro secunda claret in visu, qui non quietatur, nisi in perfectissimo visibili. Minor pro vtraque parte indubitata videtur, & cętera certa.

10

Respondet Ill. Godoy.

Ad hanc Scoti rationem, cuius efficatiam demonstrant tot, & tam variæ aduersariorum solutiones, respondet Ill. Godoy *num.* 17: minorem argumenti non esse evidentem, nec naturali lumine cognoscibilem, quod tamen necessarium erat, vt conclu-

fio illata naturali ratione posset demonstrari; manifestèque infertur in Deo, vt comprehensibili, qui prout sic continetur sub ente, & tamen non sequitur, quod, vt comprehensibilis, sub obiecto intellectus creati contineatur.

11 *Impugn. 1.* Hæc solutio impugnatur primò: lumine naturali cognoscitur: ens, vt ens, esse obiectum adæquatum intellectus: ergo lumine naturali cognoscitur: Deum clarè visibilem contineri sub obiecto adæquato intellectus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod ex Philosopho, & methaphisicè cognoscitur, lumine naturali cognoscitur; sed ex Philosopho, & methaphisicè cognoscitur: ens, vt ens, esse adequatum obiectum intellectus: ergo lumine naturali cognoscitur: ens, vt ens, esse adæquatum obiectum intellectus. Probatur minor: Philosophus 4. *Methaph. cap. loquendo de Methaphisica*, ait: *Est quædam scientia entis, in quantum ens*: Ergo ex Philosopho, & methaphisicè cognoscitur: ens, vt ens, esse adæquatum obiectum intellectus. Omitto alia loca, quia omnes Philosophi in hoc convenire videntur, & etiam experientia constat; experimur namquè, quod ab ente materiali, & immateriali, naturali, & supernaturali, creato, & increato, abstrahimus vnum conceptum entis, vt sic, quod est obiectum adæquatum intellectus creati.

12 *Secundò.* Impugnatur secundò: lumine naturali demonstratur existentia Dei: ergo lumine naturali demonstratur: ens, vt ens, esse obiectum adæquatū intellectus. Antecedens est extra controversiam apud Theologos, vt fatetur Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disp. 5. numer. 1.* Consequentia est evidens; nam si ens, vt ens, non esset adæquatum obiectū intellectus, Deum existere, non posset lumine naturali demonstrari; atqui lumine naturali demonstratur: Deum, vt clarè visibilem, esse ens: ergo lumine naturali demonstratur: Deum, vt clarè visibilem, contineri sub obiecto adæquato intellectus: ergo tota ruit Ill. Godoy solutio. Sumpta est certa. Prima consequentia probatur: lumine naturali demonstratur: quodlibet ens contineri sub obiecto adæquato intellectus; sed iuxtà concessa lumine naturali demonstratur: Deum, vt clarè visibilem, esse ens: ergo lumine naturali demonstratur: Deum, vt clarè visibilem, contineri sub obiecto adæquato intellectus.

13 *Tertiò.* Sed quia Ill. Godoy nullam rationem adducit, in qua fundet solutionem, nisi instantiam de cōprehensione, dicere valeo, quod illius solutio ex non penetrata Scoticæ rationis efficatia procedit, quam in hunc modum explico, & solutionem impugno tertiò: lumine naturali demonstratur, quamlibet potentiam posse ferri in quodlibet obiectum, contentum sub adæquato actu perfectissimo, & ipsi possibili; sed visio Dei clara est possibilis intellectui creato; non verò visio Dei comprehensiva: ergo ex eo, quod Deus, vt comprehensibilis, non contineatur sub obiecto adæquato intellectus, non obest, vt demonstretur lumine naturali, Deum, vt clarè visibilem, contineri sub illo. Maior patet: quia lumine naturali demonstratur, quālibet potentiā naturalitèr inclinari in suum obiectum, vt illud possideat actu perfectissimo potentiæ possibili. Minor est certa. Consequentia probatur: vt ex eo, quod Deus, vt comprehensibilis, non contineatur sub obiecto adæquato intellectus, sequeretur, non posse, lumine naturali demonstrari, Deum, vt clarè visibilem, contineri sub illo, necessarium erat, quod visio Dei comprehensiva esset possibilis intellectui creato; sicut visio clara Dei est illi possibilis; sed hoc est falsum: ergo ex eo, quod Deus, vt comprehensibis, non contineatur sub obiecto adæquato intellectus, nō obest, vt demonstretur lumine naturali, Deum, vt clarè visibilem, contineri sub illo.

14 *Quartò.* Amplius explicatur, & impugnatur quartò: lumine naturali demonstratur impossibilitas intellectus creati ad comprehendendum Deum: ergo lumine naturali demōstratur possibilitas intellectus creati ad Deum clarè videndum. Antecedens patet; quia lumine naturali demonstratur impossibilitas intellectionis creatæ à se, & infinitæ. Consequentia probatur: ideò lumine naturali demonstratur impossibilitas intellectus creati ad Deum comprehendum, quia lumine naturali demonstratur impos-

sibi-

sibilitas intellectionis creatæ à se, & infinitæ; sed lumine naturali demonstratur possibilitas visionis claræ, seu intuitivæ; experientia enim constat, dari visionem claram, seu intuitivã: ergo lumine naturali demonstratur possibilitas intellectus creati ad Deũ clarè videndum.

15 *Retorqueo instãtiam.*

Retorqueo deniquè instantiam: quod est absolutè repugnans, nequit esse instantia contra id, quod est absolutè possibile; sed Deum, vt comprehensibilem, contineri sub obiecto adæquato intellectus creati, est absolutè repugnans; Deum autem, vt clarè visibilem, contineri sub obiecto adæquato intellectus creati, est absolutè possibile, imò hoc de facto est verum, & conceditur ab Ill. Godoy *num.* 16: ergo paritas de Deo, vt cõprehensibili, nequit esse instantia contra Deum, vt clarè visibilem: ergo nequè contra id, quod lumine naturali sit notum: Deum, vt clarè visibilem, contineri sub obiecto adequato intellectus creati: ruit ergo solutio Ill. Godoy.

16 *Firmantur dicta.*

Vt autem hæc omnia clarescant, & solutionem Ill. Godoy inutilem esse, apareat. Notandum est, quod aliud est obiectum, & aliud actus, & modus, quo attingitur. V. g. in his propositionibus: *Deus, vt clarè visibilis. Deus, vt comprehensibilis.* Ly *Deus* in vtraque habet rationem obiecti. Ly verò *vt clarè visibilis*, & *vt comprehensibilis*, habent rationem actus, & modi, quibus Deus attingitur, nempè, cognitione intuitiva, & comprehensiva. Vndè cum Deus, qui in vtraque est obiectum, sit attingibilis ab intellectu creato, & per cognitionem, quæ est actus, & per intuitionem, quæ est vnus modus illius, hæc propositio: *Deus, vt clarè visibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, est vera, non solum ratione illius, nempè, *Dei*, qui est obiectum, sed etiam ratione illius, nempè, *vt clarè visibilis*, quod est actus, & modus, quo attingitur. E contra vero: licèt Deus, qui est obiectũ, sit attingibilis ab intellectu creato per cognitionem, quæ est actus, cum non sit comprehensivè attingibilis ab illo, qui est alius modus illius, hæc propositio: *Deus, vt comprehensibilis, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati*, est falsa, non ratione obiecti, nec actus, sed solum ratione modi, scilicèt, comprehensivè.

Et iuxtà hanc doctrinam, quæ apud omnes vera est, apparet nullitas solutionis Ill. Godoy hac in forma responsione. Distinguo maiorem: Deus, vt comprehensibilis, secundum id, quod habet rationem obiecti, continetur sub ente, concedo maiorem; secundum id, quod habet rationem modi actus, quo est attingibilis, subdistinguo: continetur sub ente infinito præcisè, concedo maiorem; sub ente ad finitum, & infinitum communi, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego quod indè sequitur. Cum ergo Deus, vt comprehensibilis, secundum id, quod habet rationem obiecti tantum, contineatur sub ente vt sic, quod est obiectum adæquatum intellectus creati; non tamen secundum id, quod habet rationem modi, se habentis ex parte actus, quo sic potest attingi, & oppositum eveniat in Deo, vt clarè visibili, nulla est instantia facta contra rationem Scoti, quia modus comprehensionis non est possibilis intellectui creato; modus verò clarę visionis est illis possibilis.

17 *Respondeo in forma ad instantiam.*

Hinque se se apperit efficatia rationis Scoti, quam sic propono: lumine naturali demonstratur, Deum contineri sub obiecto adæquato intellectus creati: ergo lumine naturali demonstratur, intellectum creatum posse attingere Deum. Atqui lumine naturali demonstratur, quod quęlibet potentia potest attingere suum obiectum actu perfectissimo sibi possibili: ergo cum cognitio intuitiva sit intellectui creato possibilis, lumine naturali demonstratur, intellectum creatum posse Deum attingere cognitione intuitiva: ergo lumine naturali demonstratur possibilitas talis cognitionis erga Deum: ergo & possibilitas visionis beatæ. Omnia sunt certa, si minor est vera. Minor autem ratione sequenti ab Scoto probatur.

18 *Ostenditur efficatia nostræ rationis.*

Probatur secundò conclusio: quod est simplicitèr perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, evidens est, quod competat superiori; sed visio intuitiva competit sensui, qui est respectu intellectus inferior: ergo evidens est, quod competat intellectui: ergo cum Deus con-

19 *2. ratio fundam. à posteriori.*

ti-

tineatur sub obiecto adæquato intellectus, evidens est, quod intellectus possit Deum visione intuitiva videre: ergo evidens est possibilitas visionis beatæ. Hæc ratio est à posteriori, vt dicam *num.* 57.

20 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 12. negando maiorem; multæ namquè perfectiones competunt inferiori alicuius generis, quæ superiori talis generis nequeunt competere. Quod patet. Tum: quia incorruptibilitas convenit Cœlo, quæ tamen homini, qui Cœlo est superior, non convenit. Tum etiam: in eodem Scoti exemplo insistendo, evidentem instantiam habemus: posse namquè ex proprijs viribus omnia sua obiecta intuitivè percipere, perfectio est, quæ competit sensibus, & tamen intellectui nequit convenire; alias naturalitèr posset videre Deum, quod Scotus nequit concedere, non ergo maior facti discursus evidens esse potest. Et ratio est manifesta; quia licèt talis perfectio inferiori competens, superiori non conveniat, stare potest perfectioni excessus, ex eo, quod illi competat alia maior perfectio, quod in præsenti invenitur; etenim posse Deū abstractiuè cognoscere, & omnia obiecta sensuum abstractivè, & intuitivè, longe maior perfectio est, quam omnia sensibilia posse intuitivè attingere; primum convenit intellectui; secundum sensibus; ac proindè salvatur maior intellectus perfectio, quam ei conveniat erga omnia sua obiecta intuitivè versari, quod convenit sensibus.

21 *Reijcitur 1*

Hæc tamen solutio, quam priùs dedit Suarez 1. *part. lib.* 2. *de Attributis negativis*, *cap.* 7. *num.* 8. & quæ in negatione maioris consistit, reijcitur primò, probando maiorem: quod est simplicitèr perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, evidens est, quod possit cōpetere superiori, quin differentia quæcumque inter inferiorem, & superiorem, sit potens, vt talis perfectio simplicitèr in illò genere non possit superiori competere: ergo vera est maior, & nulla solutio. Probatur antecedens: quod est simplicitèr perfectionis in aliquo genere, si competit vni speciei illius generis, evidens est, quod alteri competat, quin differentia quæcumque inter species sit potens, vt talis perfectio simplicitèr in illo genere non competat cuicumque speciei, vt patet in perfectione simplicitèr cuiuscumque generis: ergo paritèr.

22 *Secundò.*

Reijcitur secundò, alitèr probando suprà dictam maiorem: inter potentias eiusdem generis; v.g. cognoscitivas, quod est simplicitèr perfectionis in inferiori, evidens est, quod cōpetat superiori: ergo maior est vera. Consequentia est legitima: quia in sensu antecedentis debet intelligi maxima Scoti, vt est certum, & infrà dicam, hac ratione ostendendo, instantiam de Cœlo non esse ad rem. Antecedens verò probatur: nulla est immaginabilis ratio, potens ostendere, quod notitia intuitiva, adhuc Dei, non competat intellectui, semel admisso, quod competat sensui: ergo inter potentias eiusdē generis, quod est simplicitèr perfectionis in inferiori, evidens est, quod cōpetat superiori.

23 *Tertiò.*

Reicitur tertiò, reijciendo doctrinam traditam in solutione: etsi per hoc, quod intellectus creatus possit Deum abstractivè cognoscere, intellectus creatus excedat sensus in perfectione, sitque illis superior; cognitio tamen abstractiva non est sufficiens, vt quietet intellectum creatū: ergo solutio Ill. Godoy non tollit, imò nec minuit efficatiam rationis Scoti. Probatur antecedens quoad secundam partem: cognitio abstractiva non est cognitio perfectissima possibilis intellectui creato; sed intellectus (idemque de quacumque alia potentia) non quietatur, nisi attingat obiectum cognitione perfectissima, & ipsi possibili: ergo cognitio abstractiva non est sufficiens, vt quietet intellectum creatum. Consequentia est legitima. Maior est certa; quia cognitio intuitiva est perfectior abstractiva, & est possibilis intellectui creato. Minor ex se patet, & constat ex eo, quod sicut nulla potentia quietatur, nisi in suo centro, ita non quietatur, nisi in actu perfectissimo, sibi possibili, centrum obtineat; alioquin cognitio abstractiva esset sufficiens ad beatificandum, quod est contra Ill. Godoy, & omnes.

Probatur minor ad hom. contra Ill. Godoy.

Vltrà quod probatur ad hominem contra ipsum: nulla natura dicitur esse beata, nisi coniungatur cū suo principio, actu perfectissimo, &

illi

illi possibili : ergo intellectus non quietatur, nisi attingatur obiectum cognitione perfectissima, & ipsi possibili. Consequentia est notoria. Antecedens est Ill. Godoy *disput. 12. numer. 9.* his verbis : *Tunc namquè quævis natura beata esse dicitur, quando suo principio coniungitur perfectione possibili*, idest, perfectissima cognitione, & amore Dei perfectissimo; de his enim loquitur, vt ex ipso constat, & legenti apparebit.

24 *Quartò.* Reijcitur quartò, reijciendo primam instantiam solutionis : in tantum enim instantia de Cælo aliquam vim habere posset, in quantum esset vera; atqui est omninò falsa in nostra, & Scoti opinione ; asserimus namquè, Cœlum esse ab intrinseco corruptibile, quod ignorare non potuit Ill. Godoy : ergo non est contra nos instantia. Cæterum hoc pro nunc omisso, instantia non est ad rem; nam illa maior Scoti debet intelligi de perfectione naturæ, non in esse entis, sed in esse potentiæ, & in eodē genere, in quo vna potentia est inferior alia, scilicèt, in ratione cognoscitivæ, secundum quam rationem subordinatur illi; esse autem corruptibile, vel incorruptibile non convenit naturæ in ratione potentiæ, sed in ratione entis. Et hac disparitate suppositā, sic formatur impugnatio: inter potentias cognoscitivas, quod est simplicitèr perfectionis in inferiori, evidens est, quod competat superiori; sed visio intuitiva competit sensui, qui est cognoscitivus, & inferior intellectu: ergo evidens est, quod competat intellectui. Non igitur est ad rem instantia de Cœlo.

25 *Quintò.* Reijcitur qninto, reijciendo alteram instantiam Ill. Godoy: quod sensibus, & non intellectui, competat, omnia sua obiecta ex proprijs viribus intuitivè percipere, non tollit veritatem maximæ Scoti : ergo vera est, & instantia ad rem non est. Probatur antecedens: omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, in nullo genere est perfectio simplicitèr; sed maxima Scoti procedit de perfectione simplicitèr in aliquo genere, vt constat ex ipsa : ergo quod sensibus, & non intellectui, competat, omnia sua obiecta ex proprijs viribus intuitivè percipere, non tollit, veritatem maximæ Scoti. Probatur maior: perfectio simplicitèr est, *quæ in quocumque, vt est suppositum entis in communi, est melior ipsa, quam non ipsa*; sed omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, non est melior ipsa, quam non ipsa in quocumque, vt est suppositum entis in communi: ergo omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, in nullo genere est perfectio simplicitèr. Maior est vera apud omnes, eamque declaravimus *tom. 1. in 1. sent. disp. 5. à num. 426. vsquè ad 432.*

26 *Prob. min. 1. ad hom. contra Ill. God.* Minor verò probatur primò ad hominem contra Ill. Godoy : posse Deum abstractivè cognoscere, est maior longè perfectio, quam omnia sensibilia intuitivè ex proprijs viribus percipere posse, vt fatetur Ill. God. in solutione: ergo omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, non est melior ipsa, quam non ipsa, in quocumque, vt est suppositum entis in communi. *Secundò.* Secundò, & etiam ad hominem: omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, est limitatum, & determinatum ad sensus; vel est melius in supposito talis naturæ, seu determinato ad talem naturam, scilicèt, sensuum ; sed perfectio sic determinata non est melior ipsa, quam non ipsa in quocumque, vt est suppositum entis in communi: ergo idem, quod anteà. Consequentia est legitima. Maior est solutio Ill. Godoy. Minor est apud omnes certa, & constat ex dictis *tom cit. num 427.*

27 *Reijcitur 6* Reijcitur sextò: omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, non est perfectio competens sensibus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: aliqua sunt obiecta, quæ sine elevatione nequit attingere visiva potentia corporea : ergo omnia sua obiecta intuitivè ex proprijs viribus percipere, non est perfectio competens sensibus. Probatur antecedens: lux corporis glorioli est excellentioris ordinis respectu potentiæ visivæ corporeæ: ergo nequit sine elevatione videri à potentia visiva corporea: ergo aliqua sunt obiecta, quæ sine elevatione nequit attingere visiva potentia corporea. Hoc videtur nō posse negare Ill. God. & est doctrina Suarez, cuius fuit solutio *1. p. cit. c. 6. n. 3.* Imò & *cap. 7. cit. dict. n. 8.* ait: Visus corporeus, quamvis naturalitèr possit intueri aliqua obiecta visibilia, forrasse

aliquod eſt ita excellens, vt naturaliter non poſsit illud intueri.

28 *Alia ratio à poſteriori.*

Ex hacque Doctoris Eximij doctrina probatur concluſio alia ratione à poſteriori, vtramque Scoti rationem firmando, & omnem ſolutionem præcludendo: quod aliquod ſit obiectum potentiæ viſivæ corporeæ, ita excellens, vt naturaliter non poſſit illud intueri, v.g. lux corporis glorioſi, non obeſt, vt naturali lumine demonſtretur: lucem corporis glorioſi contineri ſub obiecto adæquato potentiæ viſivæ corporeæ: ergo quod aliquod ſit obiectum intellectus creati, ita excellens, vt naturaliter non poſsit illud intueri, v.g. Deus, non obeſt, vt naturali lumine demonſtretur: Deum intuitivè viſibilem contineri ſub obiecto adæquato intellectus creati. Conſequentia evidens paritate videtur. Antecedens verò certum apparet, & probatur: quod lux corporis glorioſi ſit obiectum ita excellens, vt potentia viſiva corporea nequeat naturaliter illud intueri, non obeſt, vt naturali lumine demonſtretur, lucem corporis glorioſi eſſe ſenſibilem, & materialem: ergo quod aliquod ſit obiectum potentiæ viſivæ corporeæ, ita excellens, vt naturaliter non poſsit illud intueri, non obeſt, vt naturali lumine demonſtretur, lucem, &c.

29 *3. ratio fundam. à priori.*

Deindè probatur concluſio à priori: datur in homine appetitus innatus ad claram Dei viſionem: ergo poſsibile eſt, hunc appetitum impleri; alioquin fruſtra eſſet inditus à natura: ergo poſsibilis eſt clara Dei viſio; alioquin appetitus innatus terminari poſſet ad impoſsibile, quod eſt contra omnes. Atqui poſsibilitas claræ viſionis, deducta ex appetitu hominis innato ad illam, eſt ratione naturali deducta: ergo poſsibilitas claræ viſionis eſt ratione naturali demonſtrabilis. Reſpondet Ill. Godoy *num.* 27 negando antecedens, vt negaverat *tom.* 1. *in* 1. *part. diſp.* 8. Hæc tamen opinio non ſolum principijs Scoti, ſed & principijs D. Thomæ nittendo, fuſsè à nobis impugnata manet contra Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *ſent. diſp.* 8.

Reſpondet Ill. Godoy.

30 *Reijcitur 1 ad hom. cõtra ipſum.*

Vltrà quod ſpecialiter primò, & ad hominem contra ipſum probo antecedens, quod ipſe negat: nam eſt D. Auguſtini *lib.* 3. *de Civit. Dei, cap.* 8. his verbis: *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui ſummè bonus, & immortalis Creator hoc indicit.* Eſt etiam D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* 15. *art.* 8. *in* 4. *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. Et *de veritate, quæſt.* 22. *art.* 7. adeòque manifeſta videtur, vt non egeat probatione. Quid namquè manifeſtius, & naturali lumine notius, quam quod quævis natura in coniunctionem cum ſuo vltimo fine naturali appetitu propendat, & ad ſui fœlicitatem, & optimam perfectionem inclinet, & miſeriam abhorreat? Ergo datur in homine appetitus innatus ad claram Dei viſionem. Conſequentia infertur; aliquin ad appetendam beatitudinem nec natura compelleret, nec Creator hoc indidiſſet, quod eſt contra D. Auguſt. Antecedens ad litteram tranſcripſi ex Ill. God. *diſp.* 12. *num.* 4.

31 *Secũdò etiã ad hom.*

Secundò: Ideò non daretur in homine appetitus naturalis ad claram Dei viſionem, quia clara Dei viſio non eſt debita homini; ſed hoc non obeſt ad talem appetitum ſtatuendum: ergo datur in homine talis appetitus. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt Ill. Godoy *tom. citat. in ſolutione*, & repetit *in præſenti diſput.* 12. *num.* 5. Minor verò probatur ad hominem contra ipſum: beatitudo naturalis non eſt debita homini in ſtatu puræ naturæ; ſed datur in homine in ſtatu puræ naturæ appetitus naturalis innatus ad naturalem beatitudinem: ergo quod viſio clara Dei non ſit homini debita, non obeſt, vt in homine detur naturalis appetitus innatus ad illam. Maior eſt certa; alioquin ad illius aſſecutionem non indigeret homo auxilio gratiæ Dei, vt auctoris naturæ, cuius oppoſitum docet Ill. Godoy *diſput.* 12. *numer.* 11. Minor eſt ex ſe patens, eamque docuit ipſe *diſp. citat. num.* 4. per verba à nobis tranſcripta. Conſequentia legitimè infertur.

32 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *diſp.* 12. *numer.* 21. diſtinguendo minorem: datur in homine in ſtatu puræ naturæ naturalis appetitus innatus, moraliter non expeditus, concedit minorem; moraliter expeditus, negat minorem, & conſequentiam; quia licèt inclinationi phiſicæ, vndequaquè expeditæ, termini conſecutio debeatur; ſecus verò quando morale impedimen-

mentum adest. Optimè. Inferò nunc contra ipsum: ergo datur in homine appetitus naturalis innatus ad beatitudinem naturalem, moralitèr non expeditus, & ideò homini non debita talis beatitudo. Infero amplius: ergo hæc consequentia: *Datur appetitus naturalis innatus ad aliquam formam: ergo forma est debita appetitui*, est absolutè falsa; potest enim appetitus esse non expeditus. Deniquè infero: ergo hæc consequentia: *Datur in homine appetitus naturalis innatus ad claram Dei visionem: ergo clara Dei visio est homini debita*, est absolutè falsa. Atqui hæc est tota doctrina, quæ de appetitu naturali innato docet Ill. God. vbicumquè se offert: ergo falsò semper asserit, & solvit.

Impugn. 1. ex doctrina ipsius.

33 *Secundò ex doctrina eiusdem.*

Impugnatur secundò: datur appetitus naturalis expeditus, & non expeditus: ergo aliud est, & valdè distinctum, esse appetitum naturalem innatum, ac esse expeditum: ergo appetitus naturalis innatus potest esse sine expeditione. Atqui solum appetitui naturali innato expedito, debetur iuxtà Ill. Godoy termini consecutio: ergo appetitui naturali innato non expedito, qui verè est talis appetitus, non debetur termini consecutio: ergo stat in homine appetitus naturalis innatus ad claram Dei visionem, quin visio sit illi debita, & consequentèr ruit solutio Ill. God. Omnia videntur certa, & omnia sunt ex dictis ab ipso deducta. Rationem autem dedit Scotus, quam declarabimus, impugnando solutionem Ill. Godoy ad probationem sequentem.

§. III.

Alia ratio pro eadem sententia expenditur.

34 *Prob. deniquè concl.*

VLtrà has tamen fundamentales rationes, probatur deniquè conclusio: possibilitas aliorum Misteriorum excedentium facultatem naturæ, est evidentèr cognoscibilis ratione naturali: ergo etiam possibilitas visionis beatificæ. Consequentia videtur bona. Antecedens autem suadetur. Tum in Resurrectione, quæ supernaturalis est, & tamen cognosci potest evidentèr illius possibilitas, solo lumine naturali. Tum etiam in remissione peccati, quæ supernaturalis est, & tamen naturali ratione potest evidentèr inferri; evidentèr enim cognoscimus, ducti lumine naturæ, quæmlibet sui Iuris Dominum offensas in se illatas remittere posse, Deumque esse supremum dominum sui Iuris. Tum deniquè: nam duarum qualitatum, quæ inter se contrariantur, simultanea positio in gradibus intensis supernaturalis est, cum vires naturæ superexcedat; & tamen illius possibilitas est cognoscibilis evidenter per lumen naturæ: ergo idem, quod priùs.

35 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 30. negando antecedens de Misterijs, quæ quoad substantiam sunt supernaturalia, qualis est visio beatifica. Nec illud convincit prima probatio; Resurrectio namquè, dato, quod lumine naturali possit evidentèr cognosci possibilis, non est quoad substantiam supernaturalis, sed solum quo ad modum, quia, scilicèt, etsi terminus naturalis sit quoad substantiam, modus tamen agendi, quo Deus se habet in illa, est suprà exigentiam totius naturæ; cum agat independentèr à dispositione materiæ inducta per naturalia agentia. Ad secundã dicatur: remissionem peccati, vt est contra Deum supernaturalem Auctorem, esse quoad substantiam supernaturalem, & idcircò incognoscibilem naturali ratione, etiam sub ratione possibilis; remissionem verò peccati, vt est contra Deum Auctorem naturæ præcisè, vt sic inspectam, solum esse supernaturalem quoad modum, & prout sic solum, potest cognosci evidentèr possibilis. Per quod patet solutio ad tertiam probationem; etenim prædicta compositio solum quantum ad modum est supernaturalis, cum tota entitas, & etiam entitatum collectio, & simultas, entitativè naturalis sit, & idcircò, etsi evidentèr cognoscatur possibilis ratione naturali, nihil infertur contra nostram conclusionem.

36 *Impugn. 1.*

Hæc tamen solutio impugnatur primò: quod visio beata sit supernaturalis quoad substantiam, non obest, vt eius possibilitas possit ratione naturali demonstrari: ergo nulla est solutio Ill. God. Probatur antecedens: etiam si possibilitas visionis beatæ posset naturali ratione demonstrari, visio beata esset supernaturalis quoad substantiam: ergo quod visio sit supernaturalis quoad substantiam,

non

non obeſt, vt eius poſsibilitas poſsit ratione naturali demonſtrari. Probatur antecedens: etiam ſi poſsibilitas viſionis beatæ poſſet naturali ratione demoſtrari, viſio beata eſſet ſuprà exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis: ergo eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Conſequentia eſt legitima; quia aliquid eſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam eſt ſolum, quod ſit ſuprà exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, vt eſt apud Theologos certum, & tenet Ill. Godoy locis infinitis, & ne extrà hunc tomum egrediamur, id fatetur *diſput. 12. num. 16. & diſp. 41. num. 22.* Antecedens autem probatur: vt poſsibilitas viſionis beatæ ſit ratione naturali demonſtrabilis, non requiritur, quod in homine creato, vel creabili, detur exigentia ad viſionem: ergo etiam ſi poſsibilitas viſionis beatæ poſſet naturali ratione demonſtrari, viſio beata eſſet ſuprà exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabili. Probatur antecedens: vt poſsibilitas viſionis beatæ ſit ratione naturali demonſtrabilis, ſufficit, quod detur in homine appetitus innatus naturalis, ſeu naturalis inclinatio ad viſionem; ſed hæc eſt valdè diverſa ab exigentia, & ſine illa invenitur: ergo vt poſsibilitas viſionis beatæ ſit ratione naturali demonſtrabilis, non requiritur, quod in homine creato, vel creabili detur exigentia ad viſionem. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt Ill. God. *num. 27.*

37 *Probatur minor.*

Minor verò probatur: in potentia viſiva cæca eſt naturalis inclinatio ad viſum. In anima ſeparata ad corpus. In materia prima ad formas præteritas, & corruptas; atqui nulla talis inclinatio eſt exigentia: ergo naturalis inclinatio eſt valdè diverſa ab exigentia, & ſine illa invenitur. Probatur minor: nulla talis inclinatio eſt, vti eſt inclinatio lapidis ad centrum; materiæ vltimò diſpoſitæ ad infuſionem animæ; ignis ad calorem; aquæ ad frigiditatem, &c; ſed iſtæ ſunt exigentiæ: ergo nulla ex prædictis inclinationibus eſt exigentia. Et ratio eſt differentia, quam dedit Scotus inter appetitum naturalem, & aptitudinem, ſcilicèt, quod hæc eſt ad formam naturaliter perfectivam; ille verò ad formam, ſivè naturaliter, ſivè ſupernaturaliter perfectivam. Vndè ſe habent vt inferiùs, & ſuperiùs; valet enim: eſt aptitudo, ſeu exigentia: ergo eſt inclinatio; non verò è contra.

Impugnatur ſecundò, & dicta confirmantur: ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei, non obeſt, vt intellectus ratione naturali poſsit illius poſsibilitatem demonſtrare: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens: ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei, non obeſt, vt intellectus creatus naturaliter ſit inclinatus, ad Deum clarè videndum: ergo nec obeſt, vt intellectus ratione naturali poſsit illius poſsibilitatem demonſtrare. Conſequentia patet ex proximè dictis. Antecedens probatur: ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei non obeſt, vt Deus clarè viſus contineatur ſub obiecto adæquato naturalis inclinationis intellectus creati; ſed Deum, vt clarè viſibilem, contineri ſub obiecto adæquato naturalis inclinationis intellectus creati, eſt, intellectum creatum eſſe naturaliter inclinatum ad attingendum Deum clarè viſibilem: ergo ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei non obeſt, vt intellectus creatus naturaliter ſit inclinatus, ad Deum clarè videndum. Conſequentia eſt legitima. Minor patet ex terminis, & ex dictis *tom. 1. in 1. ſent. diſp. 7. numer. 4. in fine.* Et ex ibi dictis, in quibus convenit Ill. God. *tom. 1. in 1. part. diſp. 7.* apparet veritas maioris.

38 *Impugn. 2. & dicta cõfirm.*

Impugnatur tertiò: cum ſupernaturalitate quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei, ſtat, quod illius poſsibilitas ſit ratione naturali demonſtrabilis: ergo non valet ſolutio. Probatur antecedens: cum ſupernaturalitate quoad ſubſtantiam viſionis claræ Dei, ſtat, quod clara Dei viſio contineatur ſub obiecto adæquato intellectus: ergo etiam ſtat, quod illius poſsibilitas ſit ratione naturali demonſtrabilis. Antecedens eſt Ill. Godoy *num. 16.* & expræſsè propugnavit *tom. & diſp. citat.* Conſequentia patet: nam lumine naturali notũ eſt, quod quælibet potẽtia poteſt ferri in quodlibet contentum ſub ſuo obiecto adæquato ex dictis in prima ratione fundamentali *num. 9.*

39 *Impugn. 3.*

§. IV.

Occurritur argumentis Ill. God.

40 *Arguit. 1.*

ARguit primò *infrà num.* 3. ex D. Augustino *lib.* 13. *de Trinitat. cap.* 9. vbi loquens de vera beatitudine, ait: *Hanc vtrum capiat humana natura, quam tamen desiderabilem confitetur, non parva quæstio est, sed si fides adsit, nulla quæstio est; humanis quippè argumentationibus, hæc invenire conantes vix pauci magno perditi ingenio abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt, cui tamen animæ beatam vitam stabilem, & veram non invenerunt.*

41 *Duplex ratio.*

Quibus verbis (prosequitur Ill. Godoy *num.* 4. in primis satis iudicat impossibilitatem perveniendi ad perfectam cognitionem supernaturalis beatitudinis. Deindè duplex argumentum insinuat. Primum à posteriori: si namquè possibilitas beatitudinis esset evidentèr cognoscibilis ex principijs naturæ, illam absquè dubio humanis argumentationibus fuissent tot Philosophi, excellenti ingenio præditi, assecuti; at (vt inquit August.) *Vix immortalitatem animæ cognoverunt, veramque beatitudinem adinvenerunt*: signum ergo evidens est, illius possibilitatem naturalem captum rationibus naturalibus innitentem penitus subterfugere.

Prima.

42 *Secunda.*

Secundum est ad hominem contra Scotum, qui *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. docet, non posse naturali ratione animæ immortalitatem demostrari; at, vt satis indicat in prealegatis verbis August. cognitio immortalitatis animæ prævia esse debet ad cognitionem supernaturalis beatitudinis, & expræsiùs id docuit *in eodem lib. cap. præced.* illis verbis: *Nemo autem malè vult immortalitatem, si eius humana capax est Deo donante natura, cuius si capax non est, nec beatitudinis capax est*: ergo nec potest viribus naturæ evidentèr cognosci supernaturalis beatitudinis possibilitas.

43 *Solutio cuiusdam.*

Ad hoc argumentum respondet quidam modernus Scotista: D. Augustinum loqui de beatitudine adepta, & de possibilitate, qua intellectus pervenit ad illam, seu de modo, quo intellectus creatus videt Deum; non vero de beatitudine, quatenus est possibilis ex se. Vndè re vera de beatitudine in primo sensu, si fides absit, nulla est quæstio, quia sola fide certi sumus intellectum creatum videre Deum sicuti est, & in patria perfrui beatitudine: at in secundo sensu solo lumine naturali, & secluſa fide, certi sumus, Deum esse visibilem ex se.

44 *Explicatur solutio.*

Quod hoc explicat exemplo: ratio naturalis demonstrat possibili attem physici tactus substantiæ Solis, tamen dum considerat distantiam, quæ est inter Cœlum, & hominem, & debilitatem hominis, iudicat absolutè (si fides absit) nullum hominem posse tangere substantiam Solis; & omnes Philosophi, qui ignorant potentiam Dei, & discurrunt secundum virtutem, quam homo habet, dicunt, quod est impossibile, quod Petrus tangat substantiam Solis, quin tamen negent possibilitatem tactus substantiæ Solis. Ita similitèr: D. Augustinus loquebatur de beatitudine, quatenus est obiectum actuale beatorum, & de modo quo ad illam pervenerant; de quibus (si fides absit) nulla est quæstio, cum sola fide certi simus, beatos videre Deum; non ergo de possibilitate præcisè sumpta; id circò philosophi, qui non cognoverunt talem modum, nec crediderunt aliquem ad illam pervenisse, ex intuitu debilitatis humanæ iudicaverunt, beatitudinem esse impossibilem secundum nos, & secundum possessionem actualem secundum se.

45 *Verior solutio.*

Vltrà hanc tamen solutionem, quam sufficientem iudico, & à nobis dictis *num.* 4. conformem invenio; clarius respondeo ad argumentum: D. August. loqui de intellectu pro hoc statu, in quo sensu verissimum est, quod si fides absit, nulla est quæstio; non verò in statu separationis, seu vt est pura potentia intellectualis, quomodo loquimur in præsenti iuxta dicta *num.* 3. Ex quo ad primam rationem distinguo maiorem: si pro hoc statu possibilitas visionis esset evidentèr cognoscibilis ex principijs naturæ, illam absquè dubio humanis argumentationibus fuissent tot Philosophi ingenio excellenti præditi assecuti, concedo maiorem; si in statu separationis tantum, nego maiorem, & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Ad secundam respondeo: Scotum loqui pro hoc statu, vt ex ipso patet, & dicunt Sco

tistæ, pro quibus videatur Mastrius *lib. de Anima, disput. 1. quæst. 10. numer. 140.* Imò quando sic non loqueretur, non teneret consequentia: quia etsi anima esset in corpore, posset videre Deum, vt constat in Christo, & cum Scoto tenent omnes Scotistæ, eo, quod nulla in hoc apparet repugnantia. Deniquè retorqueo paritatem per oppositum ad hominem contra Ill. God. ratione posita *num. 7.*

46 *Arguit. 2.* Arguit secundò *numer. 5.* ex D. Thom. *in 3. dist. 23. art. 4. quæstiunc. 3. in corpore*, quod ita concludit: *Tertiò quantum ad cognitionem, quia cum finis sit suprà cognitionem naturæ, inclinatio ad finem* (quam paulo ante docuerat fieri per virtutes Theologicas) *non potest per naturalem rationem cognosci; sed per revelationem Divinam, & ideò dicuntur Theologicæ, quia Divino sermone sunt nobis manifestatæ. Vndè Philosophi nihil de his cognoverunt.* Sentit ergo D. Thomas, tum finem supernaturalem, tum etiam virtutes Theologicas inclinantes hominem in illum, esse supra evidentem cognitionem naturæ.

47 *Respond. 1.* Ad hoc argumentum, ad cuius solutionem non tenemur, respondeo primò: quod satis à nobis ostensum fuit *tom. 1. in 1. sent. disp. 8.* dari in homine iuxtà D. Thomam appetitum naturalem innatum ad claram Dei visionem, quo supposito, etiam apud Ill. Godoy *num. 17.* verum est: possibilitatem visionis posse ratione naturali demonstrari. Vndè si verba D. Thomæ allata vim habent, potest dici, D. Thomam esse problematicum. Respondeo secundò: loqui de inclinatione ad finem quoad *quid est*; non verò quoad *an est*; quia finis, scilicèt, Deus, solum quoad *quid est*, est suprà cognitionem naturæ; nam quoad *an est* ratione naturali demonstratur, vt cum omnibus Theologis fatetur Ill. Godoy *citat. num. 12.* *Secundò.*

Tertiò. Respondeo tertiò: D. Thomam loqui de cognitione pro hoc statu; non verò in statu separationis, & huic solutioni magis adhæreo.

48 *Arguit. 3.* Arguit tertiò *inf. à num. 5.* ad hominem contra Scotum: hic namquè *quæst. 1. Prologi art. 3.* fatetur, non posse naturali ratione evidenter cognosci, quid sit finis hominis in particulari; at supernaturali beatitudine cognita evidenter per vires naturæ, evidenter constaret naturali ratione finis supernaturalis hominis in particulari: ergo si primum est impossibile exspectato lumine naturalis rationis, secundum etiam impossibile debet censeri. Respondeo: Scotum loqui pro hoc statu; non verò in statu separationis, de quo apud nullum potest esse dubium. Nec hoc argumentum ad hominem contra Scotum faceret Ill. Godoy, si Radam, quem pro sua opinione citat, vidisset *in §. Sed objicies*, ibi enim *in fine* sic ait: *Sed an homo secluſa imperfectione huius status possit cognoscere ratione naturali, visionem Dei esse suum vltimum finem, disputabitur in controversijs libri quarti quia illud disputat Scotus in 4. dist. 49. quæst. 8.* Item: si illum vidisset *§. Ad septimum*, vbi ait: *Ad septimum concedit Scotus sequelam, scilicèt, quod Angelus viribus naturæ relictus potest cognoscere, animam rationalem visionis Dei esse capacem. Ita tenet in 4. dist. 49. quæst. 8. vbi etiam fatetur, quod anima nostra, huius status imperfectione secluſa, potest id ipsum ratione naturali inixa cognoscere, de cuius veritate ibi erit sermo.* Ad quid ergo argumentum ex Scoto, quod in Rada vidit, contra nos adducit, si non semel, sed sæpè Scoti intelligentiam ipse Rada declarat. *Respondeo.* *Firmatur solutio.*

49 *Arguit. 4.* Arguit quartò *num. 6.* ratione à priori: possibilitas supernaturalis beatitudinis non potest evidenter cognosci ex principijs naturæ, nisi in aliquo medio essentialitèr cum illa connexo, evidenter ab intellectu naturali lumine cognito; at nullum est tale medium, quod cognitum evidenter inferat eius possibilitatem: ergo est incognoscibilis evidenter per lumen naturæ. Probat minorem: si aliquod est, maximè intellectus humanus secundum potentiam obedientialem; naturalis namquè potentia intellectus solùm cum obiecto sibi proportionato, & actibus naturalibus habet connexionem; at potentia obedientialis intellectus non potest evidenter cognosci naturali ratione: ergo nullum est medium, quod cognitum evidenter inferat possibilitatem visionis beatificæ.

50 *Probat minorem 1.* Probatur minor primò: nam vt fatetur Rada *vbi suprà* ex Doctore Subtili *quodlib. 14* entitas relativa, & ad alterum illimitatum, non est cog-

nos-

noscibilis naturaliter ab intellectu creato, sicut nec terminus eius, sine quo nequit cognosci; at obedientialis potentia intellectus est respectiva termini illimitati, nempè, Dei supernaturalis Auctoris, qui prout sic nequit naturalitèr cognosci: ergo obedientialis potentia intellectus, qua cum supernaturalis beatitudinis possibilitate connectitur, naturalem nostram evidentem cognitionem subterfugit.

51 *Secundò.* Secundò illa minor probatur: si potentia obedientialis, qua intellectus cum beatitudinis possibilitate connectitur, posset evidentèr cognosci ex viribus naturæ, posset etiam cognosci evidentèr ex eisdem viribus potentia obedientialis humanæ naturæ, vt terminetur per Verbi personalitatem; at hoc est impossibile, aliàs possibilitas Incarnationis naturali ratione constaret evidentèr; cuius contrarium tenet communis sententia *3. part. quæst. 1. art. 1.* nec diffitetur Scotus *in 3. dist. 1.* vt testatur Castill. *in 3. part. disp. 1. quæst. 3*: ergo idem, quod priùs.

52 *Respondeo.* Ad hoc argumentum, quod à priori vacat Ill. Godoy, respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem; quia mediũ essentialitèr cum visione connexum, & evidentèr ab intellectu naturali lumine cognitum, est continentia visionis sub obiecto adæquato intellectus creati ex dictis *num. 9. & 18.* Item: etiam est tale medium naturalis appetitus innatus, qui est in homine ad claram Dei visionem iuxtà dicta *numer. 29.* Nec obest probatio imbibita; quia Deus, vt clarè visibilis, est obiectum proportionatum intellectus creati, pro statu separationis, & attenta naturali illius inclinatione, vt cum Ill. Godoy docuimus *tom. 1. in 1. sent. disp. 7.* Item: potentia naturalis, nempè, intellectus, connexionem habet cum actibus supernaturalibus, non in ordine ad illorum productionem, vel consecutionem; sed in ordine ad eorum receptionem, seu quoad inclinationem, vt diximus *tom. citat. disput. 8. à numer. 15. vsquè ad 22.* quod sufficit, vt ex duobus prædictis medijs, scilicèt, continentia visionis sub obiecto adæquato intellectus creati, & inclinatione hominis ad visionem claram Dei, huius possibilitas ratione naturali demonstretur.

53 *Arguit. 5:* Arguit quintò *num. 7*: possibilitas vnionis naturæ humanæ ad Verbi personalitatem est indemonstrabilis lumine naturæ, vt suppono ex communi Theologorum sententia: ergo etiam est indemonstrabilis naturali ratione possibilitas visionis beatificæ. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiã. Disparitas est: nam in natura humana non est naturalis inclinatio ad vnionem hypostaticam; benè verò ad visionem claram Dei. Nec obest, quod vnio hypostatica sit perfectio naturæ humanæ; quia ad inclinationem non sufficit, quod sit perfectio vtcumque, sed requiritur, quod sit propria perfectio naturæ. *Occuritur cuidam replicæ.* Cum ergo beatitudo, sicut & aliæ formæ supernaturales, vt fides, gratia, &c. sint perfectiones propriæ naturæ humanæ; non vero vnio hypostatica; ad illas, non ad vnionem, est naturalitèr inclinata.

54 *Ratio disparitatis.* Ratio autem, cur beatitudo, aliæque formæ supernaturales sint propriæ perfectiones naturæ humanæ; non verò vnio hypostatica, est: quia beatitudo est vltimus finis, & centrum illius, & aliæ formæ supernaturales media ad consecutionem illius, consequentèrque naturalitèr inclinatur in beatitudinem, vt suum vltimum finem, & in alias formas supernaturales, vt media ad talem finem consequendum. At vnio hypostatica nec est vltimus finis hominis, vt de se patet; nequè medium necessarium ad beatitudinem consequendã; alioquin nullus præter Christum fuisset illam assecutus: non ergo appetit natura intellectualis vnionem hypostaticam, sicut appetit alia dona supernaturalia. Hæc est legitima ratio disparitatis, quam Ill. Godoy contra se non adducit, & licèt adduceret, ipsam infirmare, mihi videtur difficilè.

55 *Arguit deniquè.* Arguit deniquè Ill. God. *num. 9.* demonstratio vel est à posteriori per effectum connexum cum causa, vel à priori per causam priùs, & immediatè cognitam, in qua cognoscatur effectus; at nullo ex his modis potest evidentèr cognosci, seu ostendi beatitudinis possibilitas: ergo nullo modo potest ostendi. Probat minorem: in primis namquè non à posteriori;

cum visio beatifica nullum naturalem effectum producat, necessariò cum illa connexum; nec à priori; etenim demonstratio à priori debet esse per causam proximè, & adæquatè continentem effectum; at causa proxima, & adæquata visionis non est intellectus se ipso, sed actuatus lumine gloriæ: ergo si à priori visionis possibilitas posset demonstrari, deberet, non solum intellectus, sed etiam lumen gloriæ evidenter cognosci, quod cum naturali ratione non possit præstari, nec beatitudinis possibilitas poterit demonstari ratione à priori naturaliter.

56 *Respondeo.*

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: omnis demonstratio, vel est à posteriori per effectum, vel à priori per causam, effectu, & causa rigorosè sumptis præcisè, nego maiorem; rigorosè, vel largè, idest, pro principio ex quo probari possit, concedo maiorem; & sub hac distinctione minoris, distinguo etiam similiter consequens, & ruunt probationes minoris. Itaquè demonstratio à posteriori est duplex. Vna stricte, & positivè, & hæc est per effectum causatum à re demonstrata. Alia est largè, & negativè, & hæc est per quodcumque principium, quod non sit effectus, à re demonstrata causatus, dummodo ex tali principio necessariò inferatur à posteriori. Similiter est discurrendum de demonstratione à priori.

57 *Firmatur solutio.*

Licet ergo possibilitas visionis claræ Dei non possit demonstrari à posteriori per effectum causatum ab ipsa, nec à priori per causam productivam illius; tamen vtroque modo est demonstrabilis per principium, ex quo necessariò inferatur, nempè, à posteriori ex visione intuitiva sensibus conveniente iuxtà dicta *num.* 19. & à priori ex continentia visionis sub obiecto adæquato intellectus creati, simulque ex naturali hominis inclinatione ad illam, iuxtà dicta *num.* 9. 18. & 29. Ex dictis in discursu disputationis apparet falsitas triplicis corollarij ab Ill. Godoy adducti in fine huius disputationis *num.* 34. 35. & 36.

o)(§)(o

DISPVTATIO UNDECIMA.

Utrùm Beatitudo supernaturalis sit multiplicabilis specie?

HÆc difficultas eadem est, ac illa, vtrùm visiones, vel fruitiones beatificæ hominum, & angelorum sint eiusdem speciei? Quæ in nostra opinione tenente: intellectum humanum esse eiusdem speciei cum intellectu Angelico, vt contra Ill. Godoy docuimus *tom.* 1. *in* 1. *sent. disp.* 7. §. 3. cum Scoto *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 6. §. *Potest etiam addi.* Et *in* 1. *dist.* 7. §. *Ad quæstionem*, facillimè defenditur, visiones prædictas esse eiusdem speciei, vt dixit Scotus *in Report.* Et *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 3. §. *Ad* 3. *quæstionem*, his verbis: *Teneo: quod fruitio Animæ, & Angeli non sunt alterius speciei.* Et ratio brevitèr est: quia iuxtà hanc opinionem principia elicitiva visionis, quæ sunt intellectus, & lumen, hoc est idem, & ille est eiusdem speciei ex dictis, & quia alioquin visio cuiuslibet Angeli esset perfectior visione Christi Domini; sed obiectum, scilicèt, Deus, est etiam idem: ergo ex nullo capite prædictæ visiones possunt esse diversæ speciei. In opinione autem Ill. Godoy iuxtà quem intellectus humanus, & Angelicus specie differunt, vt dixit *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 7. *num.* 15. & in præsenti supponit, non ita facilitèr defenditur: visiones prædictas esse eiusdem speciei; eget namquè, vt certum habere, quod lumen gloriæ sit tota ratio agendi, cuius falsitatem plenè, & planè ostendimus *tom.* 1. *in* 1. *sent. disp.* 16. Cæterum, quia, hoc non obstante, defendit Ill. Godoy: visiones beatas hominum, & Angelorum esse eiusdem speciei, in quo litigium non habemus, ab hac disputatione supersedeo.

Pro

Pro complemento totius tractatus (ait Ill. Godoy *in fine disputationis*) disputandum restabat: An detur in homine naturalis appetitus elicitus inefficax, aut efficax elicitus respectu beatitudinis supernaturalis? Et an iste appetitus posset ad beatitudinem ex supernaturali motivo terminari? Quæ propterea ommittimus, quia de eis latè egimus *Tractatu de Visione Dei, disput. 8. 9. & 10.* Dubitari insuper poterat, vtrùm aliquis in hac vita possit esse beatus? Quod tractat D Thomas *quæst. 5. artic. 3.* vbi partem negativam resolvit, loquendo de perfecta beatitudine; potest tamen in vita præsenti participatio perfectæ beatitudinis haberi. Res est facilis, & de fide loquendo de lege ordinaria diffinita in Concilio Vienensi contra errorem Begardorum. Constatque ex illo exodi *cap. 33: Non videbit me homo, & vivet*, & alibi sæpè. Hæc Ill. Godoy cuius vestigia sequendo, à tribus primis difficultatibus abstineo, quia de eis latè egi contra ipsum *tom. 1. in 1. sent. disp. ab. i. sect.* Circà vltimum verò, quod tractat Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 12. § Respondeo.* Et *quodlib. 7. §. 2. conclusio.* Et *in 2 dist. 11. §. Ad argumenta*, cum Ill. Godoy convenio, & ideò longiori discussione non indigens, sufficiat, videre litteram Subtilis Magistri. Et hæc de isto tractatu dicta sufficiant.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE BEATITUDINE NATURALI.

DISPVTATIO DUODECIMA.

An possibilis sit aliqua naturalis fœlicitas, quæ vera sit beatitudo?

§. Unicus.

Resolvitur difficultas.

Num. 1 1. *Cõclusio.*

IN hac disputatione litigium cum Ill. Godoy non habemus. Sed ne hunc tractatum de beatitudine naturali sine omni notitia relinquamus, aliqua brevitèr proponemus. Sententias refert *num. 1. & 2.* & duplicem conclusionem, vtrique Scholæ communem, statuit. Prima est: *Possibilis est absolutè naturalis fœlicitas, quæ verè sit beatitudo.* Sic Scotus *quæst. 1. Prologi, §. Ad argumenta.* Et *in secundo dist. 3. quæst. 9. §. Ad quæstionem*, & nos cum ipso. D. Thomas *1. part. quæst. 62. art. 2. & 7.* & cum ipso Ill. Godoy *num. 3.* Hæc conclusio sic primò ab vtroque probatur: Philosophi Gentiles sola ratione naturali ducti cognoverunt, hominem posse esse fœlicem, & beatum cognoverunt, & evidenter demonstrarunt, vt constat ex Aristotele, qui *1. Ethicorum, cap. 1.* supponit, aliquos mortuos esse fœlices, & alios miseros; atqui de supernaturali beatitudine nihil cogitaverunt: ergo possibilis est aliqua naturalis beatitudo.

Probat. 1.

Probat secundò Ill. God. conclusionem *n. 4.* ex appetitu innato, quo homo fertur in beatitudinẽ, & licèt hæc optima sit probatio, vt à nobis posita *disp. 10. num. 29.* tamen vt formatur ab ipso, etsi vera sit; falsum supponit in nostra opinione, scilicèt, quod appetitus innatus terminetur ad rem naturalitèr adquisibilem, naturæ debitam, & quod suprà puram, & sim-

2 *Secundò.*

plicem potentiam addat reſpectum exigentiæ termini, in quem inclinat, quorum falſitatem late oſtendi *tom. 1. in 1. ſent. diſp. 8.* Et ad hominem contra ipſum *diſp 10. num. 29. & 33.* varijs, & nottorijs inſtantijs declaravi. Vnde falſitate ſuppoſiti præciſſà, conveniens eſt probatio ex appetitu innato ad beatitudinem.

3 *Tertiò.* Probat tertio concluſionem *numer. 7.* & ſic à nobis proponitur: potuit Deus condere hominem abſquè elevatione ad finem ſupernaturalem; ſed tunc ordinaretur ad aliquā beatitudinem in illo ſtatu poſsibilem: ergo naturalem. Maior eſt certa: quia ordinatio hominis ad finem ſupernaturalem eſt omnino gratioſa: ergo potuit Deus hominem ad illum non ordinare. Conſequentia eſt nottoria; quia tunc non ordinaretur ad ſupernaturalem, vt ſupponitur, vltrà quam non eſt alia, niſi naturalis. Minor autem probatur primò: Tunc homo non eſſet neceſſariò miſer: ergo ordinaretur ad aliquam fœlicitatem. Secundò: Tunc Deus de homine provideret providentia naturali; ſed providentia eſt de medijs in ordine ad aliquem finem vltimò conſequibilem: ergo conſecutio eius foret beatitudo. Tertiò: Quia tunc eſſet lex naturæ: ergo & remuneratio obſervantibus, & pœna tranſgredientibus: ergo illud præmium eſſet naturalis beatitudo.

4 *Arguit. 1.* Arguitur primò: nulla forma ex ſe compoſsibilis cum peccato, eſt beatitudo; ſed non eſt dabilis in ordine naturæ forma ex ſe incompoſsibilis eum peccato: ergo nec beatitudo naturalis. Ad hoc argumentum, quod Bazquez opponit, triplicem ſolutionem tradit Ill. Godoy *à num* 10. Ego verò reſpondeo: quod dilectio naturalis Dei, eiuſquè perfecta cognitio eſſent beatitudo, quando eſſent ſine peccato. Nec eſt inconveniens, quod reperiri poſsint cum peccato, dummodo tunc non habeant rationem beatitudinis; non enim eſt de eſſentia beatitudinis omnimoda incompatibilitas cum peccato; ſed vel moralis, vt ait Scotus, vel phiſica in ſententia Thomiſtarum, in qua nunquam cum peccato componeretur.

Reſpondeo.

5 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: naturalis beatitudo nequit eſſe cum peccato; ſed ſine gratia Dei nequeunt vitari peccata: ergo non eſſet merè naturalis.

Reſpondeo. Reſpondeo: quod ſine gratia ſupernaturali poſſunt vitari peccata ordinis naturalis, imò, & nunc vitantur actibus naturalibus, quando non occurrit gravis tentatio.

6 *Arguit. 3.* Arguitur tertio: beatitudo non eſt ordinabilis ad aliud; ſed naturalis eſſet ordinabilis ad ſupernaturalem: ergo non eſſet beatitudo.

Reſpondeo. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: beatitudo non eſt ordinabilis ad aliud eiuſdem ordinis, concedo maiorem; diverſi ordinis, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo conſequens: ergo non eſſet beatitudo vndequaquè perfecta, concedo conſequentiam; in linea naturæ, nego conſequentiam, & ad ſummum hoc tantum probat argumentum.

7 *2. Concluſ.* Secunda concluſio: *Etiam ſuppoſita elevatione hominis ad ſupernaturalem finem, convenit ei naturalis beatitudo.* Hanc concluſionem ſtatuit Ill. Godoy *num. 23.* & idem eſt, ac dicere, quod de facto datur naturalis beatitudo viæ. Sic Scotus *in 2. citat.* Probatur primò ex D. Auguſtino, dicente: Primos Parentes fuiſſe creatos in naturali fœlicitate, quod etiam Angelis in ſua creatione conceditur: ergo hoc debet concedi viatoribus Sanctis.

8 *Probat. 2.* Probatur ſecundò: in homine elevato ad ſupernaturalē finem, poſsibilis eſt perfecta naturalis cognitio Dei, vt Auctoris naturæ, & perfectus amor naturalis illius; ſed in his actibus ſtaret naturalis beatitudo, ſi homo eſſet in puris naturalibus, vel in natura integra: ergo & nunc etiam erunt naturalis beatitudo, quia intrà limites naturæ non ſunt ordinabiles ad alios perfectiores actus. Argumenta contra hanc concluſionem ſolvit Ill. God. *§. vltim.* Contra nos tamen.

9 *Obijcies.* Obijcies Scotum *in 2. diſt. 7. quæſt. 1. §. Quantum ergo*, vbi docet: Dœmones poſſe efficere opus bonum morale, & diligere Deum finem naturalem; ſed nemo aſſerit: Dœmones eſſe beatos: ergo elevatione ſuppoſita hominis ad ſupernaturalem finem, non convenit ei naturalis beatitudo.

Reſpondeo. Reſpondeo: quod vt eſſent beati Dœmones naturali beatitudine, debebant eſſe ſine peccato; vndè nec homo peccans poteſt eſſe beatus naturali beatitudine. Hæc ſufficiant

pro

pro aliquali notitia beatitudinis naturalis, quæ certè omnisissem, præcisso hoc motivo, quia in vtraq; conclusione cum Ill. God. convenimus.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

In quo actu partis intellectivæ consistat essentialitèr Beatitudo Naturalis?

Num. 1

SVpponit primò disputatio: beatitudinem naturalem in actu consistere, seu in actuali operatione, vt de supernaturali beatitudine diximus, & tenet Ill. Godoy *disp.* 4. Supponit secundò: non consistere in actu partis sensitivæ, vt de beatitudine supernaturali diximus, & dixit Ill. Godoy *disp.* 5. *num.* 2. Supponit tertiò: in actu partis intellectivæ collocandam esse, vt etiam supernaturalem collocavimus *disput. citat.* His suppositis, inquirit: In quo actu partis intellectivæ consistat essentialiter? In qua disputatione consequentèr ad dicta de supernaturali beatitudine resolvit Ill. Godoy *num.* 4. in actu intellectus consistere; nos verò etiam consequentèr ad dicta, firmitèr tenemus problema, quod *disp.* 5. propugnavimus, nempè, in vtroque, & in vno essentialitèr consistere. Iuxtà opinionem de vtroque, in actu voluntatis perfectiori modo, & iuxtà opinionem de vno, in solo actu voluntatis esse essentialitèr collocandam beatitudinem naturalem. Videantur dicta *disp.* 5. quia congruum non est hic eadem repetere.

Resolutio difficultatis.

2 *Altera cõclusio contra Ill. Godoy, & illius probatio.*

Aliam conclusionem circà beatitudinem naturalem patriæ statuit Ill. Godoy *num.* 18. quæ propriùs videbatur pertinere *ad disputationem præcedentem.* Conclusio est hæc: *Beatitudo naturalis termini non consistit in visione clara Dei conditoris naturæ, sed in cognitione abstractiva.* Et ne aliquid ab ipso adductum, indisputatum relinquamus, opposita conclusio à nobis statuitur, quia probabilius iudicamus: Beatitudinem naturalem in patria esse actum entitativè supernaturalem, & naturalem terminativè, quatenus terminatur ad Deum, vt finem naturalem, qui actu merè naturali est cognoscibilis. Prima pars claret ex eo, quod in beato non est actus, qui entitativè non sit supernaturalis. Secunda patet ex eo, quod beati vident, & amant Deum, vt Auctorem naturalem.

Nec obest, quod in oppositum objicit Ill. Godoy *num.* 18. scilicèt, beatitudo naturalis consistit in cognitione naturali Dei, conditoris naturæ; sed visio clara Dei, vt Auctoris naturæ, naturalis esse non potest: ergo nequit in illa consistere. Non (inquam) obest, quia facilitèr solvitur. Respondeo itaquè distinguendo maiorem: beatitudo naturalis viæ consistit in cognitione naturali Dei conditoris naturæ, concedo maiorem; beatitudo naturalis patriæ, subdistinguo: consistit in cognitione naturali entitativè, nego maiorem; entitativè, vel terminativè modo explicato, concedo maiorem, & hac subdistinctione, distinguo minorem, & nego consequentiam. Patet solutio adhuc in doctrina Ill. Godoy, contrà quem retorquio primò: nam iuxtà ipsum *num.* 7. beatitudo naturalis est assecutio beatitudinis obiectivæ naturalis, nempè, Dei, vt Auctoris naturæ: ergo sivè per actum naturalem, sivè supernaturalem assequatur, erit naturalis beatitudo. Retorqueo secundò: si per impossibile Deus, vt Auctor supernaturalis, assequeretur per actũ entitativè talem, talis assecutio esset supernaturalis beatitudo, quia esset assecutio beatitudinis obiectivæ supernaturalis: ergo similitèr de assecutione beatitudinis obiectivæ naturalis per actum entitativè supernaturalem.

3 *Arguit Ill. Godoy.*

Respondeo.

Retorq. 1.

Secundò.

Denique potest responderi ad supradictum argumentum, alitèr distinguendo maiorem: beatitudo naturalis consistit exigitivè in cognitione naturali, concedo maiorem;

4 *Alia solutio.*

ac-

actualitèr, nego maiorem, & concessa minori, distinguò similitèr consequens; nam licèt beatitudo naturalis exigat cognitionem naturalem; non tamen est de essentia beatitudinis naturalis actualis cognitio naturalis, vt de duratione perpetua fatetur, & tuetur Ill. Godoy *disp. 9. vbi §. 1. & 2.* defendit, quod beatitudo exigit durationem perpetuam. Et *§. 3. & 4.* propugnat, quod actualis duratio perputua non est de essentia beatitudinis, ex quo retorsio non parum vrgens, fieri valet contra Ill. Godoy. *Retorque.*

)(§)(

DISPVTATIO DECIMAQUARTA.

An parvulis cum originali decentibus, naturalis Beatitudo conveniat.

§. Unicus.

Quibusdam certis suppositis, resolvitur disputatio.

Num. 1 *Parvuli cũ solo originali moriẽtes non patientur pœnam sensus*

CErtum est primò: quod parvuli cum solo originali morientes, non patientur pœnam sensus, vt tenet communis Theologorum sententia cum Scoto *in 2. dist. 33.* & concedit Ill. Godoy *numer. 24.* Certum est secundò: tales parvulos descendere ad Limbum, qui est locus distinctus ab Inferno, Purgatorio, & Limbo Sanctorum; nam licèt omnia ista sint infrà terram, & communitèr nomine Inferni significata; sunt tamen discontinua. Infernus namquè, vt docet Scotus *in 4. dist. 48. quæst. 2.* est in centro terræ; Purgatorium paulo suprà; Limbus infantium suprà; Limbus Sanctorum suprà mus. Certum est tertiò: prædictos parvulos ad Limbum deferri non à Dœmone, sed ab Angelo bono, quia cum non crucientur à Dœmone, congruum est, vt non deferantur ab ipso.

Tales parvulos descendere ad Limbum.

Tales parvulos ab Angelo deferri ad Lymbum.

2 Quartò certum est: hos parvulos in die Iudicij resurrecturos esse pueros in perfecta ætate, scilicèt, triginta annorum; habituroscuè corpora sine defectibus sana, quod de perfectionibus corporis quoad essentiam, & potentias, illam consequentibus, concedit Ill. Godoy *infrà num. 14.* similitèrque habituros plura dona supernaturalia, scilicèt, corpora immortalia, & impassibilia, foreque impeccabiles peccato actuali, & formitem ad culpam instigante carere, quod totum concedit Ill. Godoy *numer. 12.* & saltim prædicta dona eis ab extrinseco convenire, fatetur *num. 13. & 14.* His itaquè vt certis suppositis.

Sit prima conclusio: *Parvuli sine baptismo morientes non sunt habituri post diem Iudicij beatitudinem naturalem perfectam simplicitèr, & absolutè.* Hæc conclusio est conformior Sacræ Scripturæ, Concilijs, & Patribus, vt ostendit Ill. Godoy *num. 4. & 5.* Cæterum cum hac in conclusione convenientia, stat in alijs oppositio. Ill. namq; God. *num. 6.* conclusionẽ probat ex eo, quodparvuli cum peccato originali ex hac vita migrantes, in Infernum descendunt, ibique perpetuò in tenebroso, & caliginoso loco sunt mansuri, cum quo non cohæret naturalis fœlicitas. Hæc tamen ratio, licè optimè conclusionem inferat; falsa tamen est. Et vt falsitas manifestè appareat, & solita claritate procedamus.

3 1. Cõclusio.

Probat conclusionem Ill. Godoy.

Impugnatur primò: parvuli sine baptismo morientes, non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso loco: ergo falsa est ratio Ill. Godoy. Probatur antecedens: parvuli sine baptismo morientes habituri sunt post diem Iudicij corpora sine defectibus sana, integra, & pulchra, simulque plura dona supernaturalia, nempè, immortalitatem, impassibilita-

4 *Impugn. 1.*

tem,

tem, impeccabilitatem, & carentiam fomitis ad culpam instigantis: ergo non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso loco. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy modo, quo diximus *num.* 2. Consequentia probatur: valdè incongruum est, quod Deus, tot dona naturalia, & supernataralia prædictis parvulis concessisset, vt patiantur æternalitèr aliquam pœnam in sensibus, seu vt patiantur in sensibus aliquod malum sibi disconveniens; atqui esse perpetuò in caliginoso, & tenebroso loco, est aliquod malum illis parvulis disconveniens: ergo parvuli sine baptismo morientes, non erunt perpetuò in tenebroso, & caliginoso loco. Consequentia est legitima. Minorem concedit Ill. Godoy *num.* 26. *ad* 3.

5 *Prob. mai.* 1. Maior autem probatur primò, destruendo doctrinam, quam tradit *numer.* 13: vt hi parvuli paterentur æternalitèr in sensibus aliquod malum, sibi disconveniens, nullatenus erat necessarium, quod Deus illis tot dona naturalia, & supernaturalia concessisset, vt est manifestum: ergo valdè incongruum est, quod Deus, tot dona naturalia, & supernaturalia prædictis parvulis concessisset, vt patiantur æternalitèr aliquam pœnam in sensibus. *Secundò.* Secundò probatur, destruendo doctrinam, quam adducit *numer.* 12: ideò prædicta dona his parvulis ex meritis Christi concessa, non inferunt in illis naturalem beatitudinem, quia dona prædicta non habent incompatibilitatem cum peccato originali, avertente à Deo habitualitèr, vt Authore naturæ; sed dona prædicta habent incompatibilitatem cum malo naturali, sensibus eorum disconvenienti: ergo idem, quod anteà. Consequentia infertur. Maior est Ill. Godoy *num.* 12. Minor autem patet: nam tanta corporum pulchritudo, scilicèt, integritas, sanitas, incorruptibilitas, immortalitas, impeccabilitas, & fomitis ad culpam carentia, non certè coherent sine exercitijs potentiæ motricis, & visivæ, quibus apud Ill. God. illi parvuli carerent.

6 *Impugn.* 2. Impugnatur secundò: parvuli sine baptismo morientes nullam pœnam sensus patientur: ergo nec aliquod in sensibus, illis disconveniens. Atqui in loco subterraneo, & horrido, ac veluti carcere per totam æternitatem detineri, est aliquod malum in sensibus, illis disconveniens: ergo parvuli prædicti non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso loco. Antecedens est communis Theologorum sententia, quod fatetur Ill. God. *num.* 22. & concedit *num.* 24. Consequentia probatur: ideò prædicti parvuli nullam pœnam sensus patientur, quia sensus eorum nunquam in delicijs, Deo displicentibus, fuerunt; atqui nunquam etiam per sensus aliquod malum Deo disconveniens fecerunt, nec bonum sibi conveniens exercerunt: ergo si nullam pœnam sensus patientur, nec patientur aliquod malum in sensibus, sibi disconveniens. Consequentia videtur certa, sicut, & minor. Maior verò est ratio, qua probatur, quod parvuli illi pœnam sensus non patientur, eamque Theologi deducunt ex Apocalips. 18. vbi dicitur: *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

7 *Tertiò.* Impugnatur tertiò: si parvuli sine baptismo decedentes, habituri essent æternalitèr in loco tenebroso, & caliginoso, Deus illos puniret vltrà condignum; sed hoc est contra communem Theologorum sententiam, & vniversale proloquium: ergo prædicti parvuli non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso loco. Probatur maior: semel, quod Deus illis privet iure ad vitam æternam, & gratia, alijsque prævilegijs supernaturalibus, Adamo pro se, & sua posteritate concesis, manent prædicti parvuli sufficientèr puniti: ergo si parvuli sine baptismo decedentes, habituri essent æternalitèr in loco tenebroso, & caliginoso, Deus illos puniret vltrà condignum. Antecedens patet ex eo, quod hi parvuli in propria persona non peccaverunt, sed in Adamo duntaxat. Consequentia certa videtur. Quod ad hoc respondere valet Ill. Godoy, impugnabimus *disp.* 38. vbi contra ipsum dicemus: peccatum originale nullatenus esse dignum pœna sensus.

8 *Quartò.* Confirmatur hoc, & impugnatur quartò: hi pueri non meruerunt, vt privarentur donis naturalibus; sed exercitia potentiæ motricis, & visivę, sunt dona naturalia: ergo non erunt perpetuò in loco tenebroso, & caligi noso. Maior patet ex eo, quod hi

pue-

pueri actualitèr non peccaverunt, eamque docet D. Thomas *in 2. dist. 32. quæst. 2. art. 1. ad 2. 3. & 4. & ad 33. quæst. 2. art. 1. in 2. ad Anibaldum dist. 32. quæst. vnica, & quæst. 5. de malo, art. 2.* vbi asserit: per peccatum originale privari hominem iure ad supernaturalem beatitudinem, quod originalis iustitia tribuebat, non autem iure ad bona naturalia. Denique patet ex communi Theologorum axiomate: *Naturalia post peccatum integra manssisse.*

9 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *infrà numer.* 10. & D. Thomam explicat de iure ad bona naturalia, quæ naturalia sunt possessivè, & dimanativè, quibus homo ratione culpæ originalis non caruit; non autem loquitur D. Thom. de omni eo, quod entitativè naturale est; aliàs ratione culpæ originalis non remansisset homo infirmus ad dilectionem Dei conditoris naturæ, & ad totius legis naturæ adimpletionem, nec ad ista exequenda indigeret gratia per Christum in statu lapsus, cuius contrarium D. Thom. docet *infrà quæst.* 109. *art.* 3. & 4. Ad Axioma similitèr respondet, debere intelligi de perfectionibus naturalibus, non solum entitativè, sed etiam possessivè, idest, quorum possessio ex principijs naturæ debetur.

10 *Contra 1.*

Contra primò: ius ad bona naturalia, de quo non privantur pueri absque baptismo morientes, est iuxtà solutionem ius duntaxat ab bona naturalia, quæ naturalia sunt possessivè, & dimanativè; sed hoc iure gaudent reprobi adulti: ergo in iure ad bona naturalia nullum est discrimen inter hos pueros, & reprobos adultos, quod consonum non apparet. Probatur minor: bona naturalia possessivè, & dimanativè sunt perfectiones hominis quoad essentiam, & potentias, illam consequentes, vt de bonis naturalibus corporis fatetur Ill. Godoy *infrà num.* 14. atqui etiam reprobi adulti gaudent iure ad hæc bona naturalia, vt notum est: ergo hoc iure gaudent reprobi adulti.

11 *Contra 2.*

Contra secundò: bona naturalia entitativè, & possessivè sunt illa, quorum possessio ex principijs naturę debetur; sed ambulare, & videre ex principijs naturæ debentur: ergo sunt bona naturalia entitativè, & possessivè. Atqui iuxtà commune Theologorum axioma, solutionem Ill. Godoy, & D. Thom, parvuli sine baptismo morientes, non privantur iure ad bona naturalia entitativè, & possessivè: ergo non privantur iure ad ambulandum, & videndum: ergo non erunt perpetuò in loco caliginoso, & tenebroso carcerati. Hoc contra Ill. God. absquè dubio vrgere videtur.

12 *Firmantur dicta.*

Vndè licèt verum sit, quod per peccatum originale privetur homo iure ad aliqua bona naturalia, nempè, ad illa, ad cuius consecutionem indiget aliqua gratia eiusdem ordinis, vt ad totius legis adimpletionem, & ad perfectissimam dilectionē Dei, vt Auctoris naturæ, seu ad fœlicitatem naturalem perfectam; falsum tamen est, & nulli rationi consonum, quod per originale peccatum privetur homo iure ad ambulandum, & videndum, ad cuius consecutionem nulla indiget speciali gratia in ordine naturali. Nec obest, quod corpora illorum parvulorum careant operationibus partis vegetativæ, vt ait Ill. Godoy *infrà num.* 14. Non (inquam) obest: quia talis carentia non provenit ex defectu iuris ad illas, sed ex perfecta illārum possessione; nam si illorum corpora vivent sine cibo, & potu, ad quid nutritio? Si resurrectuti sunt in perfecta statura, vti in perfecta ætate, ad quid argumentativa? Si denique species est in æternum cōservanda, vtpotè, in æternum duratura, ad quid generativa, quæ ad conservationem speciei ordinatur? Nulla ergo est solutio Ill. Godoy, nullaque instantia.

Occurritur cuidā instantiæ.

13 *Impugn. 3.*

Impugnatur quintò: parvuli sine baptismo decedentes habitaturi sunt super superficiem terræ: ergo non erunt perpetuò in loco caliginoso, & tenebroso. Probatur antecedens: mūdus purgandus est, & purior est mansurus: ergo ab aliquibus est habitandus. Atqui non à damnatis, nec à beatis: ergo ab illis pueris: ergo parvuli sine baptismo decedentes habitaturi sunt super superficiem terræ. Omnia sunt vera, si verum est antecedens. Antecedens autem traditur in Apocalips. 12. vbi dicitur: *Vidi nolum Cælum, & nobam terram.* Estque Scoti *in 4. dist. 47. quæst. 2.*

14 *Sextò.*

Impugnatur sextò ad hominem contra Ill. Godoy: parvulis cum peccato originali migrantibus conce-

dun-

duntur aliqua dona supernaturalia ex meritis Christi: ergo ex meritis Christi debet illis concedi libertas à caliginoso, & tenebroso carcere Limbi. Antecedens constat ex dictis *numer.* 4. illudque admittit Ill. Godoy *num.* 12. & absolutè concedit *num.* 13. & 14. Consequentia est paritate certa, & meo videri ita certa, vt congrua disparitas assignari nequeat.

Septimò. Septimò, & mihi efficacissimè, impugnatur: parvuli sine baptismo decedentes, egrediendi sunt ex Limbo ad aliam distinctam habitationem: ergo non erunt perpetuò in loco caliginoso, & tenebroso. Consequentia est evidens. Antecedens autem est doctrina, quam tradit expressè Seraphica Doctora Venerabilis Mater de Agreda 2. *part. cap.* 25. *num.* 1640. *in fine*, his verbis: *De el Limbo han de salir los niños à otra habitacion diferente.* Ex quibus verbis duo certissima secuntur, quorum vtrumque est contra Ill. Godoy. Primum est: prædictos parvulos non remansuros perpetuò in illo loco caliginoso. Secundum est: habituros super superficiem terræ; quia non in Cœlo, vtpotè, gratia carentes; non in Inferno, quia pœna sensus incapaces: ergo super superficiem terræ, quia non est alia habitatio.

15 *Impugnat. deniquè.* Deniquè impugnatur: parvuli cum solo originali decedentes, nullam pœnam sensus sunt passuri: ergo non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso carcere. Antecedens est Ill. Godoy *disp.* 38. §. 6. Consequentia probatur: caliginosus, & tenebrosus carcer est pœna sensus; sex iuxtà concessa parvuli cum solo originali decedentes, nullam pœnam sensus sunt passuri: ergo non erunt perpetuò in caliginoso, & tenebroso carcere.

16 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *disput.* 38. *num.* 167. concesso antecedenti, negando consequentiam; ad cuius probationem negat maiorem; nam pœna sensus in communi Theologorum sententia vocatur, quæ ab agente provenit per actionem positivam positivè lædentem, carentia autem illa lucis, & operationis potentiæ visivę, non est ab agente, per positivam activitatem; sed solum vt non influente; & ideò pœna sensus non est, de qua Theologi locuntur, & quam negant, culpæ originali deberi; sed potest pœna damni corporis appellari. Et hac solutiotione respondere valet ad aliquas impugnationes ex prædictis, præsertim ad primam, & secundam. Sed licèt hæc solutio satisfalsa apparebat ex alijs ex præiactis impugnationibus.

17 *Contra 1.* Contra primò: carceratio, & localis detentio in illis cavernis, etsi sit pœna privativa, est pœna sensus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: carceratio, & localis detentio in Inferno, etsi sit pœna privativa, pertinet ad pœnam sensus damnatorum: ergo est pœna sensus carceratio, & localis detentio in illis cavernis. Antecedens videtur certum. Primò: nam carceratio, & localis detentio in Inferno est contra affectionem commodi, & naturalem inclinationem damnatorum. Secundò: quia durissimum est, illud negare. Tertiò: quia talis carceratio, & localis in Inferno detentio, solum potest deservire ad pœnam sensus damnatorum. Consequentia est vi paritatis legitima.

18 *Contra 2.* Contra secundo: carceratio, & localis detentio in illis cavernis est pœna corporis; sed non est pœna damni: ergo est pœna sensus. Maior est solutio Ill. Godoy. Minor probatur: in communi sensu Theologorum pœna damni est solum beatitudinis privatio; sed prædicta carceratio, & localis detentio in illis cavernis, est aliquid distinctum à privatione beatitudinis: ergo carceratio, & localis detentio in illis cavernis non est pœna damni. Consequentia est legitima. Minor evidens; nam sublata carceratione, & locali detentione, staret privatio beatitudinis. Maior patet, & si illam neget Ill. Godoy, assignet Theologos, qui aliam pœnam damni assignaverint. Imò, si illam neget, contra se ipsum procederet, nam *numer.* 37. distinguendo pœnam sensus, & pœnam damni, hanc statuit duntaxat in carentia Divinæ visionis.

19 *Contra 3.* Contra tertiò: perpetua carceratio, & localis detentio, perpetuaque in tenebris habitatio, est perpetua privatio bonorum naturalium, quæ naturalitèr secuntur naturam; sed hæc est pœna pertinens ad pœnam sensus: ergo nulla est solutio. Maior patet ex dictis *num.* 11. Minor probatur: perpetua privatio bonorum naturalium, quæ naturalitèr secuntur

naturam, eſt medium quo ſenſibiliter puniuntur pueri cum ſolo originali decedentes; ſed pœna ſenſus eſt, quæ medio aliquo ſenſibili infligitur: ergo talis perpetua privatio eſt pœna pertinens ad pœnam ſenſus. Maior conſtat experientia. Minor eſt Ill. Godoy *diſp.* 38. *num.* 37. Conſequentia legitima apparet. Contra quartò: perpetua carceratio, & localis detentio, perpetuaque in tenebris habitatio, eſt pœna, qua malefactores puniuntur; ſed pœna, qua malefactores puniuntur, eſt pœna ſenſus, quia eſt ſuplicium, quod pœna ſenſus eſt iuxtà omnes, & fatetur Ill. Godoy cum D. Auguſtino *diſp.* 38. *num.* 92: ergo pœna ſenſus eſt prædicta carcerrtio, & conſequentèr nulla eſt ſolutio Ill. Godoy.

Contra 4.

20 *Contra deniquè.*

Contra deniquè, & fortè efficatiùs: perpetua carceratio in Limbo, non poteſt appellari pœna damni corporis: ergo appellari debet pœna ſenſus: ergo ruit ſolutio Ill. God. Probatur antecedens primò: perpetua carceratio in Inferno non eſt pœna damni corporum damnatorum: ergo paritèr. Secundò: pœna damni corporis eſt privatio beatitudinis eſſentialis corporis; ſed perpetua carceratio in Lymbo non eſt privatio beatitudinis eſſentialis corporis: ergo non poteſt appellari pœna damni porporis. Conſequentia eſt legitima. Maior patet: nam pœna damni corporis ſumenda eſt per cõparationem, vel ſimilitudinem ad pœnam damni animæ: cum ergo hæc ſit privatio beatitudinis eſſentialis animæ; ita pœna damni corporis eſſe debet privatio beatitudinis eſſentialis corporis. Minor verò probatur: ablata ab Infantibus perpetua carceratione, ſtat, & permanet privatio beatitudinis eſſentialis corporis: ergo perpetua carceratio in Limbo non eſt privatio beatitudinis eſſentialis corporis. Conſequentia eſt notoria. Antecedens autem eſt apud omnes certum, & in vtraque probatur ſententia: nam iuxtà noſtram Deus poſt diem Iudicij liberaturus eſt Infantes à carcere Limbi; ſed ablata carcere Infantes non habebunt beatitudinem eſſentialem corporis: ergo certum eſt in hac ſententia antecedens. Probatur etiam in ſententia Ill. Godoy: ablata, etſi per impoſsibile, carcere, Infantes non habebunt corpora eſſentialitèr beata: ergo ablata ab Infantibus perpetua carceratione, ſtat, & permanet privatio beatitudinis eſſentialis corporis, & conſequentèr verum eſt antecedens in ſententia Ill. Godoy.

21 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices pro Ill. Godoy: hæc omnia, & omnia ferè hucuſquè dicta contra ipſum, militare etiam contra nos: ergo vel nos ad ſolutionẽ tenemur, vel nihil vrgent contra ipſum. Probatur antecedens: Pueri in Limbo patiuntur de facto prædictam carcerationem, localemque detentionem, & tenebroſam habitationem: ſed quia hęc eſt pœna ſenſus, militant dicta contra Ill. Godoy, militant etiam contra nos: ergo dicta hucuſquè contra ipſum, militant contra nos. Maior à nobis conceditur. Minor patet: nam alioquin pueri in Limbo paterentur de facto pœnam ſenſus, quod eſt cõtra noſtram doctrinam, tradendam *diſp.* 38. Conſequentia ita legitimè contra nos infertur, ac contra ipſum cæteræ ſunt deductæ.

22 *Reſpondeo.*

Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: patiuntur iuſtè, ſeu iuxtà Divinas Leges de facto prædictam carcerationem, nego maiorem; iniuſtè, & tyranicè, Deo permittente, concedo maiorem, & nego minorem; quia iuxtà Ill. Godoy pueri in Limbo, imò & in æternum, iuſtè, & iuxtà Divinas Leges patiuntur, & patientur prædictam pœnam; cœterum iuxtà nos iniuſtè, & tyranicè ſolum illam de facto patiuntur, quin in æternum ſint paſſuri; ideòque nego conſequentiam, quia valdè diſpar eſt ratio, vt patet ex dictis, & ex ſolutionis explicatione clarebit.

23 *Explicatur ſolutio.*

Itaquè, vt verum fateor, prædictam carcerationem eſſe pœnam ſenſus; cœterum hanc pueri in Limbo non patiuntur ex Divina Iuſtitia punitiva, & conſequentèr nec iuſtè, aut iuxtà Leges Divinas; ſed illam patiuntur ex Diaboli tyrannide (Deo permittente) nam cum Infantes ſine baptiſmo decedentes, adhuc eſſe dicantur ſub Diaboli poteſtate, quam iure belli adverſus genus humanum, licèt iniuſto titulo acquiſivit, quando in Paradiſo Adami victor evaſit, & qua tyranica poteſtate ſuprà omnes animas defunctorum (decedentibus in gratia exceptis) Luciferum

Christus non privavit; ideò ab eo (Deo permittente) iniustè, & tyranicè in illo loco, vt in carcere, detinentur.

24 *Prosequitur explicatio.*

Vndè, quia non iustè, & iuxtà Leges Divinas, sed iniustè, & tyranicè Infantes in Limbo hac carceris pœna puniuntur de facto, non permittet Deus hanc Luciferi tyranidem in perpetuum; sed animas illorum post diem Iudicij à tali pœna carceris liberabit, illis dando pro habitatione superficiem terræ, vt diximus *numer.* 13. & clarè colligitur ex dictis *num.* 14. & cum pluribus, & gravissimis Doctoribus insinuabimus *num.* 31. Ratio est: nam solà eà pœna Infantibus à Divina Iustitia est infligenda, quę in carentia finis supernaturalis, ad quē elevati erant, consistit.

25 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy *num.* 6. probando: prædictos pueros perpetuò in tenebroso, & caliginoso loco mansuros esse, & primo ex D. Augustino *Serm.* 14. *de Verbis Apost.* ibi: *Nullus relictus est medius locus, vbi ponere quæas Infantes, de vivis, & mortuis iudicabitur. Alij erunt ad dexteram, alij ad sinistram, non novi alium in dextera Regnum Cœlorum est, percipite, inquit Regnum, qui ibi non est, in sinistrâ est, quod erit in sinistra, ite in ignem æternum.* Secundò ex Anselmo *de Conceptu Virginali, cap.* 22. illis verbis: *Post diem Iudicij nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in Inferno.*

Secundò.

26 *Tertiò.*

Tertiò: nam Infantes prædicti, mox vt moriuntur, in Limbum descendunt: ergo etiam post diem Iudicij in eodem loco manebunt. Patet consequentia. Tum: quia absquè fundamento adstruitur loci mutatio in extremo Iudicio. Tum etiam: ex Ecclesiastico *cap.* 11. illis verbis: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, inquocumque loco ceciderit, ibi erit*: Ergo parvuli manebunt in loco, in quem statim post mortem descenderunt.

27 *Quartò.*

Denique suadetur: nam post diem Iudicij aquæ terram cooperient, sicuti in initio, cum namquè aquarum ab aquis divisio ob terræ germinationem, animantium, & planctarum procreatione effecta fuerit, cessantibus, vt tunc cessabunt omnia, præter hominem, animantia, planctæ, terræ germinatio, arborum fructus, & alia homini nunc inservientia, occupabunt aquæ tunc suum naturalem locum, terram iterum occupantes, quo circà Cœlorum motus fore tunc cessaturos, est communis sententia, quia generationes viventium cessabunt, quem finem Cœlorum motus respiciebant: ergo parvuli subtus terram manebunt luce corporali carentes, illos namquè super aquas victuros, aut propè vltimam terræ superficiem, vbi luce transfusa possint perfundi, & illa sensibus oblectari, commentitium videtur. Primù quidem: quia locus super aquas hominibus naturalis non est, ad miraculum autem, fundamento solido caret. Secundum etiam. Tum: quia lux illa tenuissima esset; ac proindè parum posset oculos oblectare. Tum etiam: quia aqua terram cooperiens lucis perfusionem superficiem terræ penetrantem impediret.

28 *Respondeò ad 1. & 2.*

Hæc tamen non vrgent. Ad primum namquè, & secundum respondeo: August. & Anselm. loqui per excessum, seu exagerationem, contra hæreticos; vti multotiès locuntur, v. g. quando ita extollunt liberum arbitrium, vt gratiam negare videantur, & è contra; sic in præsenti locuntur August. & Anselm. negando medium locum Infantibus, scilicèt, ad sensum Pelagij, qui illis locum veræ beatitudis supernaturalis extrà Regnum Cœlorum assignabat. Et quod hæc sit vera Patrum intelligentia, constat ex eo, quod August. cæteriq; Patres multotiès dicunt: *Quod parvuli illi sint addicti suplicijs, tormentis, & igni æterno, illoque igne ardere*, per quæ omnia intelligunt duntaxat communem statum veræ damnationis, à quo Pelagius Parvulos eximebat. Imò per illa etiam declaratur expræsè pœna sensus, qua tamen parvuli non patiuntur, nec patientur; cum solùm sint puniendi pœna damni, quæ est essentialis damnatio, sicut visio, & fruitio Dei est essentialis beatitudo. Denique: solutio constat ex Augustino ab Ill. God. relato *num.* 5. per hæc verba: *Quasi medium locum; hoc enim eos habere, lis Pelagiana promittit*: ergo loquitur ad sensum Pelagij modo dicto.

Dices pro Ill. Godoy.

Dices pro Ill. Godoy: Patres expræsè illis parvulis assignant *locum Infernalem, & tenebrosum*: ergo ruit

Reſpondeo. noſtra ſolutio. Reſpondeo: per hoc patres intelligere communem locum damnatorum, quem non illuminabit claritas Dei, nec lucerna eius eſt Agnus; non verò velle, parvulos habituros eſſe eundem locũ cum adultis, nec ſicut illi, habituros eſſe carentiam omnis lucis; alioquin eadem ratione probarent, parvulos pœnam ſenſus paſſuros, quod negant omnes Theologi. Quæ expoſitio eſt valdè conformis modo loquendi Scripturæ; hæc namquè Geneſ. 42. & 44. Iſaiæ 38. & Lucæ 1. locum animarum ante Chriſti Reſurrectionem, in quo Sancti Patres detinebantur, *Infernum tenebroſum, & vmbram mortis* vocat, eo, quod erat locus communis eorum, qui Regno Cœlorum carebant; non verò quia eandem loci partem haberent, cum diverſa eſſet ex dictis *num.* 1.

29 *Ad 3.* Ad tertium reſpondeo negando conſequentiam, cuius primam probationem nego ob hucuſquè dicta in noſtris impugnationibus. Ad ſecundam reſpondeo: loqui de adultis, quod eſt de fide, niſi vellit Ill. God. quod ſit de fide, parvulos prædictos manſuros per æternitatem in loco caliginoſo, & tenebroſo, quod abſit. *Ad 4.* Ad quartum nego aſſumptum, quod non convincit probatio, quia diviſio aquarum ab aquis effecta non fuit ob motivum duntaxat ab Ill. Godoy adductum, ſed etiam, vt poſt diem Iudicij eam habitarent parvuli, qui ſolo peccato originali infecti, non merentur iure ad bona naturalia privari, vt oſtenſum eſt.

30 *Ratio vera concluſionis proponitur.* Sic itaquè reiecta prędicta Ill. Godoy probatione, ratio principalis, & à priori eſt: quia etiam naturalis beatitudo perfecta requirit, vt homo non ſit averſus à Deo, qui eſt finis, tam naturæ, quàm gratiæ; atqui parvuli ſine baptiſmo decedentes ratione peccati originalis manebunt ſemper habitualitèr averſi à Deo: ergo ſimplicitèr, & perfectè non erunt beati naturali beatitudine. Hæc eſt ratio Scoti *in 2. diſt. 33. quæſt. vnica*, qua vtitur Ill. Godoy *infrà num.* 8. & quia per ſequentia optimè concluſionem propugnat, in hoc ampliùs non immoror, & in ipſo videnda cętera relinquo.

31 *2. Concluſ.* Secunda concluſio: *Parvuli ſine baptiſmo morientes, habituri ſunt aliqualem beatitudinem naturalem.* Ita Scotus *citat.* quin contra hoc ſtet authoritas Scripturæ, Concilij, aut Patris, nam ad ſummum tollere poſſunt à parvulis prædictis beatitudinem naturalem ſimplicitèr, & perfectam. Imò ſentio, eam deberi defendi ferè ab omnibus Doctoribus, cuius ratio eſt: nam parvuli prædicti ſecundum omnes ferè Doctores habituri ſunt omnia dona naturalia, & ſupernaturalia, quæ diximus *num.* 4. Item: iuxtà graviſsimos, & plures Authores parvuli prædicti habituri ſunt aliquam partem terræ cum loci amenitate. Item: nullam triſtitiam habebunt, aut dolorem, vt fatetur Ill. Godoy *diſp. 38. §. 7. per totum*, & ſentiunt Scotus, D. Bonaventura, & tot plures, vt dicat Durandus: eſſe concordem ſententiam Theologorum, & hoc, ſivè proveniat ex eo, quod cauſæ lætitiæ, ſcilicèt, conſideratio pœnarum damnatorum, quas evaſerunt, & triſtitiæ, ſcilicèt, cognitio beatitudinis amiſſæ, in tanta ſint æqualitate, vt neuter affectus generetur; ſivè ex eo, quod Deus ſuum concurſum ad triſtitiam ſuſpendat, vt docuit Scotus.

32 Item ſecundum plures cum Scoto *citat.* cognoſcent omne cognoſcibile naturalitèr, & excellentiùs, quam alij cognoverunt pro ſtatu iſto. Cognoſcent etiam Deum, in quantum principium omnium, eumque diligent amore naturali ſuper omnia. Cognoſcent etiam Chriſtum Dominum, eumque adorabunt, tanquã benefactorum ſuum, cuius meritis Deus liberavit illos à tenebroſo carcere Limbi; imò habebunt plura alia conducentia ad perfectionem illius ſtatus, vt omnes virtutes morales, vt ait Suarez *diſput. 9. de peccatis, ſect. 6. in fine.*

33 Deniquè: Doctores multi coniectant, quod in illo loco, in quo poſt diem Iudicij ſunt habituri, philoſophaturi ſunt in naturali contemplatione Dei, & creaturarum; quod ex ſpiritualibus ſubſtantijs Deum ex creaturis abſtractivè cognoſcent, intuitivèque intelligent, tàm animas proprias, quàm fortè Angelos in Iudicio extremo, & poſt illud eoſdem abſtractivè; atqui negari nequit, quod omnia hæc ſit aliqualis beatitudo naturalis: ergo hanc poſt diem Iudicij habebunt.

Ex

34 1.Corollar. Ex dictis in discursu disputationis colligo primo cum Ill. Godoy *num.* 28. parvulos cum originali culpa ex hac vita migrantes, non dilecturos Deum Authorem naturæ super omnia dilectione perfecta, & efficaci.

Probat. 1. Probatur primo: quia iuxtà omnium sententiam ad actum dilectionis perfectum necessario exigitur specialis gratia per Christum; at quod talis gratia sit illis concedenda, à nullo firmo fundamento, sed solum divinando, potest suaderi: ergo parvuli cum originali culpa ex hac vita migrantes, non diligent Deum super omnia, dilectione perfecta, & efficaci.

Secundò. Secundò: prædicta dilectio, cum sit conversio efficax ad Deum Authorem naturæ, non stat simul cum tali aversione ab ipso; at parvuli ratione culpæ originalis sunt aversi à Deo, non solum vt supernaturali Authore, sed etiam vt est Author naturæ: ergo prædicta efficaci dilectione carebunt.

35 2.Corollar. Colligo secundò cum eodem *numer.* 30: non habituros perfectam contemplationem Dei, Authoris naturæ.

Probatur. Probatur: nam eadem est ratio de intellectu parvulorum quoad cognitionem perfectam Dei conditoris naturæ, ac de voluntate illorum, quantum ad amorem perfectum; at non diligent Deum Authorem naturæ perfecta dilectione: ergo nec illum perfecta cognitione cognoscent. Et confirmatur ampliùs: quia nulla ratio potest assignari, ad denegandum parvulis auxilia ad actus supernaturales, nisi quod sunt illis indebita, & conferenda ex meritis Christi, quorum influxum non participabunt ob defectum applicationis baptismi; at hoc idem fundamentum adest, vt denegetur illis prædicta cognitio: ergo idem quod priùs.

36 3.Corollar. Colligo tertiò cum eodem *num.* 33: habituros solum eam cognitionem, & illos actus honestos voluntatis, qui hominibus ex communi Dei providentia debentur.

Probatur. Probatur: nam species, & auxilia ad hęc requisita non sunt gratia per Christum, sed ex communi providentia naturali proveniunt: ergo non est cur parvulis ista denegentur, nisi velimus, creaturas rationales perpetuò mansuras, absquè aliqua operatione propriæ naturæ.

37 4.Corollar. Denique infert Ill. God. eodem *num.* 33. ex hucusquè ab eo dictis veritatem suæ, & nostræ sententiæ, quę asserit: prædictos parvulos carere naturali beatitudine, non solum prout est beatitudo, sed etiam quoad entitatem, idest, illis actibus, in quibus cōsistit naturalis beatitudo. Et hoc etiā ex dictis colligimus, loquendo de beatitudine naturali perfecta, & absolutè; loquendo verò de aliquali naturali beatitudine, vltrà colligimus veritatem nostræ secundæ conclusionis, quæ asserit: parvulos prædictos non carere aliquali naturali beatitudine, non solum prout est beatitudo, sed etiam quoad entitatem, idest, illis actibus, in quibus aliqualis naturalis beatitudo consistit.

38 2.pars probatur. Prima pars probatur: actus, in quibus consistit perfecta naturalis beatitudo; vel sunt contemplatio perfecta Dei Authoris naturæ, & amor perfectus illius, vel sunt amor prædictus tanquam essentia, & prædicta contemplatio, vt quid præsuppositum; sed istis actibus carent parvuli ex hac vita cum peccato originali migrantes: ergo non solum carent beatitudine naturali perfecta, prout est perfecta beatitudo; sed etiā illis actibus, in quibus perfecta naturalis beatitudo consistit. Secunda pars probatur per oppositum de contemplatione imperfecta Dei, Authoris naturæ, & amore imperfecto illius, quibus non carebunt parvuli prædicti post diem Iudicij, vt constat ex dictis *numer.* 33. & 34. Imò vltrà hoc habebunt cętera bona relata *num.* 31. quæ ad beatitudinem extensivam pertinent. Et hæc de ista disputatione, & tractatu.

(§)

TRACTATUS TERTIUS.

DE PECCATIS.

DISPVTATIO DECIMAQUINTA.

Utrùm vitium contrariè opponatur virtutibus per se infusis?

§. I.

Aliquibus declaratis, & relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Num. 1 SVppono primò: quod vitium, & peccatum, quamvis conveniant in hoc, quod deviant à regula, differunt tamen, si propriè loquamur, in hoc, quod vitium deviat à regula per modum actus primi, inclinantis ad actionem deordinatam, peccatum verò deviat per modum actus secundi. Vndè vitium dicit habitum, seu dispositionem permanentem, peccatum autem dicit actum secundum, & trascuntem.

2 Suppono secundò: quod sicut triplex est regula, scilicèt, naturalis, artificialis, & moralis, sivè rationis; ita vitia, & peccata sunt in triplici differentia: alia enim sunt naturæ, scilicèt, quicumque defectus naturales; alia sunt artis, scilicèt, defectus in exercitio artium contingentes; alia sunt moralia, sivè rationis, nimirum, defectus circà regulas morum; & hæ simpliciter, & absolutè dicuntur vitia, & peccata; solumque de his agimus in præsenti.

3 Suppono tertiò: quod sicut virtutes morales aliæ sunt acquisitæ, quæ regulant hominem conformitèr ad prudentiam, & rationem naturalem; aliæ infusæ, quæ ipsum regulant, cōformitèr ad prudentiam infusam, & supernaturalem: Ita inter vitia quædam solum tendunt per se contra rationem, & legem naturalem, non curando de aliquo supernaturali motivo, neque repugnando illi expræsè; quædam verò ascendunt superiùs vsquè ad præcepta, & motiva supernaturalia, ijsquè se immediatè opponunt. Vndè vitia primi generis per se correspondent virtutibus acquisitis; alia verò virtutibus Theologicis, aut moralibus infusis opponuntur.

4 *Vitia contrariantur virtutibus acquisitis directè, propriè, & strictè.* Suppono quartò: vitia pugnare contrariè cum virtutibus acquisitis, contrarietate directa, propria, & stricta. Hoc docuit Aristoteles *cap. de oppositis, & 2. Ethicor. cap. 7.* Et *lib. 7. Ethicor. cap. 8.* Traditur etiam in Ecclesiast. *cap 33.* per hæc verba: *Contra malum bonum, & contra vitam mors, sic contra virum Iustum peccator*, quod nequit intelligi contradictoriè, aut privativè, quia vitium, & virtus sunt extrema positiva; nec relativè, quia sunt habitus absoluti: ergo contrariè. Quod autem directè, propriè, & stricte sint contraria.

5 *Suadetur.* Ratione suadetur: nam talia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt, vt docet Arist. 10. *Methaph. cap. 6.* & est contrariorum diffinitio; sed hoc convenit vitio, & virtuti acquisitæ: ergo contrariè pugnant. Maior, & consequentia tenent. Minor autem pro prima parte constat ex eo, quod non solum sunt sub eodem genere remoto, quod est qualitas, sed etiam proximo, quod est habitus moralis: ergo sunt sub eodem genere. Secunda

Probat. 1. pars min.

Probat. 2.

pars

pars patet primo : nam virtus, & vitium constituuntur per inclinationes ad bonum, & malum, quæ in genere habitus moralis maximè distant. Secundo : nam virtus moralis ex sua propria differentia inclinat ad actum consonum ; & conformen rectæ rationi; vitium autem ad actum rationi dissonum : ergo in genere habitus, & inclinationis moralis maximè distant, sicut sursum, & deorsum, ante, & retro in genere motus localis.

3. pars probat. Tertia pars minoris probatur: vitia, quæ per se tendunt contra rationem naturalem, & virtutes morales acquisitæ sunt in voluntate, vel in appetitu sensitivo ; ergo sunt in eodem subiecto. Vltima pars suadetur; ad ingressum virtutis in voluntate expellitur vitium oppositum, vel saltim diminuitur, & è contra, ita vt in gradibus intensis compati nequeant, vt experientia docet : ergo mutuò se expellunt : ergo vera est integrè suprà posita minor, scilicèt, quod vitia, & virtutes acquisitæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem *4. pars probat.* subiecto mutuò se expellunt : ergo contrariè pugnant, contrarietate directa, propria, & stricta.

6 *Actus vitij, & virtutis infusæ non cõpatiuntur simul.* Suppono deniquè, quod apud omnes est certum, nempè, actum vitij cum actu virtutis infusæ non posse circà eandem materiam componi, v.g. actus mentiendi cum actu veracitatis infusæ, actus iniustitiæ cum actu supernaturali iustitiæ ; odium Dei cum illius supernaturali amore; quod patet : nam actus isti inter se comparantur tamquam accessus, & recessus actualis ad terminum, sed non possunt ascensus, & descensus componi : ergo actus vitij, & actus virtutis infusæ circà idem obiectum stare non possunt simul. His itaquè suppositis, quod in discrimen vertimus, est: an habitus vitiosi contrariè opponantur habitibus virtutum, quæ nobis insunt per Divinam infusionem?

7 *Sententia Ill. Godoy.* Circà quod, relictis aliorum sententijs, distinguit Ill. Godoy inter vitia genita ex actibus directè recedentibus à motivo virtutis acquisitæ, & vitia genita per actus recedentes directè à motivo virtutis infusæ, quod coincidit cum dictis *num.* 3. Vitia primi generis (ait Ill. Godoy) contrariari virtutibus infusis, non directè, sed indirectè. Vitia autem secundi generis directè, etsi non strictè, illis contrariari. Hæc est opinio Ill. God. *numer.* 3. & 13. quam duplici conclusione ostendere conatur; nos verò oppositum sentimus, & vt mos est, vestigia illius sequendo, veram sententiam duabus conclusionibus explicabimus. *Nostra sententia.*

8 *1. Cõclusio.* Prima conclusio : *Vitia recedentia à motivo virtutis acquisitæ nec directè, nec indirectè contrariantur virtutibus infusis.* Hæc conclusio quoad vtramque partem est Scoti *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. §. *Dico ergo.* Eam etiam tenet Ill. Godoy quoad primam partem; quoad secundam verò est contra ipsum ; & pro vtraque est probanda. *1. pars probat.* Probatur itaquè prima pars : vitia prædicta pugnant directè cum virtutibus acquisitis: ergo cum infusis non possunt directè contrariari. Patet cõsequentia : nam iuxtà Aristotelem 1. *Methaph. textu* 14 vnum tantùm vni contrariatur, quod saltim est verum de contrarietate directa; at virtus infusa, & virtus acquisita distinguntur specificè, vt cum D. Thoma, & Scoto, docent Theologi communitèr: ergo vitia directè contrariantur virtuti acquisitæ, cum infusa tamen non pugnant directè.

9 *2. pars probat.* Probatur quoad secundam: contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt; sed hæc contrariorũ diffinitio nec indirectè convenit vitio, & virtuti, de quibus loquimur in conclusione : ergo vitia recedentia à motivo virtutis acquisitæ, nec indirectè contrariantur virtutibus infusis. Probatur minor : vitia, & virtutes, de quibus loquimur in conclusione, nec indirectè se expellunt ab eodem subiecto : ergo contrariorũ diffinitio nec indirectè convenit vitio, & virtuti, de quibus in conclusione loquimur. Probatur antecedens: vitia, & virtutes, de quibus loquimur in conclusione, simul compatiuntur in eodem subiecto : ergo vitia, & virtutes, de quibus loquimur in conclusione, nec indirectè se expellunt ab eodem subiecto. Consequentia est legitima apud omnes, & apud Ill. Godoy. Antecedens verò clarebit ex probatione secundæ conclusionis.

)(§)(

§. 11.

Occurritur argumentis Ill. God.

10 *Arguit. 1.*

ARguit primò Ill. Godoy contra ſecundam partem noſtræ concluſionis *infrà num. 5.* ex D. Thoma *quæſt. 1. de virtutibus in communi artic. 10. Ad Argum. 16.* illis verbis: *Dicendum, quod licèt per actum vnum ſimplicem non corrumpatur habitus acquiſitus, tamen actus contrictionis habet hoc, quod corrumpat habitum vitij generatum ex virtute gratiæ, vndè in eo, qui habuit habitum intemperantiæ, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infuſa habitus intemperatiæ in ratione habitus, ſed in via corruptionis, quaſi diſpoſitio quædam, diſpoſitio autem non contrariatur habitui perfecto.*

11 *Formatio argum.*

Ex quibus verbis hoc conficit argumentum: iuxtà D. Thomam in recenter iuſtificato non remanet habitus vitiorum in ratione habituum, ſed in ratione diſpoſitionum, quia diſpoſitio non contrariatur habitui perfecto; at habitus vitiorum in ratione habituum contrariè opponuntur virtutibus per ſe infuſis: ergo ſecunda pars noſtræ concluſionis falſa eſt. Probat conſequentiam: ratio, cur remanet in ratione diſpoſitionum, eſt, quia diſpoſitio habitui non contrariatur: ergo ratio, cur in ratione habituum non perſeverant, eſt, quia in ratione talium cum prædictis virtutibus opponuntur contrariè; cumque non opponantur cõtrariè directè, opponuntur indirectè cum illis.

12 *Confirmat.*

Explicat ampliùs: inconveniens, quod D. Thom. infert in argumẽto, & in illius ſolutione contendit vitare, eſt, quod habitus vitiorum, & virtutum infuſarum, ſint ſimul in recenter iuſtificato, & vt hoc vitet, aſſerit, vitia non manere per modum habituum, ſed vt diſpoſitiones; at ſi vitia, & virtutes infuſæ non opponerentur contrariè, nullum eſſet inconveniens, quod ſimul reperirentur: ergo iuxtà D. Thomam eſt inter illa contraria oppoſitio, ſaltim indirecta.

13 *Reſpond. 1.*

Ad hoc argumentum reſpondeo primò cum Gonet *tom. 3. diſp. 1. de natura vitij, & peccati art. 1. num. 16:* D. Thomam verbis illis non intendere, quod vitia per adventum virtutum infuſarum amittant aliquid de ſua propria, & ſpecifica ratione, aut quod non retineant propriam differentiam conſtitutivam eſſentiæ vitij (vt quidam putaverunt) ſed quod manent ita retractata, & cohibita per gratiã, & virtutes, vt non retineant illum ſtatum, qui proprius eſt habituum vitioſorum, qui de ſe, & nulla cohibente gratia, adhærent fortitèr obiecto, dominantur voluntati, eamque ſibi quoad proſecutionem mali, & fugam boni ſubijciunt.

14 *Ad argum. in forma.*

Et iuxtà hanc explicationem ad argumentum in forma diſtinguo maiorem: non remanent habitus vitiorum in ratione habituum, quoad ſtatum, concedo maiorem; quoad eſſentiam, nego maiorem, minorem, & conſequentiam; quia licèt vitia in recenter iuſtificato non maneant in illo ſtatu, cum quo erant ante iuſtificationem, quia ſunt coacta, & cohibita per gratiam, & virtutes; manent tamen in ratione habituum formaliter, & eſſentialitèr. Ex hoc ad confirmationem nego maiorem; quia D. Thomas ſolum intendit, quod habitus vitiorum non maneant in recentèr iuſtificato quoad ſtatum, vt dictum eſt.

Ad cõfirm.

15 *Reſpond. 2. retorquẽd.*

Reſpondeo ſecundò: argumentum probare: vitia recedentia à motivo virtutis acquiſitæ (de quibus loquitur in argumento Ill. Godoy) directè contrariari virtutibus infuſis, vt clariſsimè apparet ex verbis D. Thomæ in argumento allegatis, ex quibus facillimè poteſt contra Ill. God. retorqueri. Imò adverſus directam contrarietatẽ illud ſibi obiecit Gonet.

16 *Arguit. 2.*

Arguit ſecundò *num. 6:* oppoſitio habituum ſumitur ex oppoſitione actuum, ad quos proximè inclinant, cum ab illis ſuam ſpecificationem accipiant; & conſequentèr ſuam oppoſitionem; at actus vitiorum, de quibus loquimur in concluſione, & virtutum infuſarum opponuntur contrariè indirectè: ergo vitia, & virtutes infuſæ eadem gaudent contrarietate. Probat minorem: actus enim prædicti aliquo gaudent oppoſitionis genere; cum ſimul eſſe non poſſint, quæ incompoſsibilitas non poteſt aliundè oriri, quam ex aliquo genere oppoſitionis; at non contradictoriè, nec privativè; cum ſint poſsitiva extrema: ergo oppoſitione contraria.

17 *Reſpond. 1.*

Reſpondeo primo diſtinguendo maiorem: oppoſitio habituum in cauſando ſumitur ex oppoſitione actuũ,

con-

concedo maiorem; oppositio habituum in essendo, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Solutio est Scoti *in 3. dist. 24. §. Ad argumenta principalia in solutione ad 1.* Et omnium, qui cum eo tenent, habitum fidei, & habitum scientiæ de potentia ordinaria posse esse simul in eodem subiecto, in quo nequeunt naturaliter esse simul illorum actus, cuius rationem dedit Scotus *citat. in solutione ad 3.* dicens: Quod habitus fidei, & scientiæ opponuntur solum causalitèr; non tamen in essendo: quia licèt nequeant simul causare; possunt tamen simul esse; sicut licèt motus sursum, & deorsum simul pugnent in eodem subiecto; non simul pugnant gravitas, & levitas.

18 *Secundò.* Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: oppositio habituum acquisitorum sumitur ex oppositione actuum, concedo maiorē; habituum infusorū, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia licèt habitus acquisiti, vtpotè, effectus actuum, sumant oppositionem ab actibus; non tamen habitus infusi, qui sunt causæ actuum, quia vt dixit Scotus *in 1. dist. 13.* & concedit Ill. Godoy *in præsenti*, non requiritur tanta distinctio inter principia, quam inter principiata. Tum, quia habitus acquisiti specie distincti nequeunt provenire ab actibus eiusdem speciei; benè verò actus specie distincti pœnes distincta obiecta ab eodem habitu infuso, sicut velle, & nolle proveniunt ab eadem potentia. Tum etiam, quia licet idem habitus acquisitus nequeat se extendere ad principia, & conclusiones; id tamen conceditur supernaturali habitui infuso, quia sicut datur per modum potentiæ supernaturalis ex Scoto *in 4. dist. 6. quæst. 10*: sic etiam habet maiorem activitatis sphæram, quam habitus acquisitus.

19 *Retorqueo.* Hac duplici solutione cessant replicæ, quas contra quamdam solutionem facit Ill. Godoy, & vt magis appareat inefficatia argumenti, illud contra ipsum retorqueo: oppositio habituum sumitur ex oppositione actuum, ad quos proximè inclinant; sed actus vitiorum, de quibus loquimur in hac conclusione, & virtutum infusarum opponuntur contrariè strictè: ergo vitia, & virtutes infusæ eadem gaudent contrarietate, quod est contra ipsum *num. 23. & 31.*

20 *Arguit. 3.* Arguit tertiò *num. 7*: facilitates ad actus positivè incompatibiles non possunt non gaudere positiva incōpatibilitate, & consequentèr contraria oppositione; at virtus infusa dat non solum posse, sed etiam facilitatem ad actum supernaturalem positivè repugnantem actui vitioso, recedente directè à regula naturali, in quem dat vitium facilitatem: ergo virtus infusa, & vitium in prædictum actum inclinans, contrariè inter se opponuntur. Minor ex dicendis in sequenti conclusione constabit. Maior autem ex indè colligitur: non enim alia ratione virtus acquisita, & vitium simul existere nequeunt, nisi quia præstant facilitates ad oppositos actus: ergo facilitates ad actus incōpatibiles in eodem subiecto compati non possunt. *Respondeo.* Respondeo negando minorem; & si illius veritatem promittit Ill. Godoy sequenti conclusione ostendere; nos promittimus conclusione sequenti illius falsitatem declarare.

§. III.

Quid de virtutibus infusis dicendum?

21 *2. Cōclusio.* SEcunda conclusio: *Inter virtutes infusas, & vitia genita ex actibus directè recedentibus à regula supernaturali, non est directa contrarietas.* Sic Scotus *in 4. citat. num. 8.* Est contra Ill. Godoy *num. 23.* Et probatur primò ex D. Thoma *in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 4. ad 4.* Vbi sic ait: *Virtus infusa, & acquisita non sunt eiusdem speciei: vndè cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus, virtuti acquisitæ contrarius sit, non contrariatur directè virtuti infusæ.* *Probat. 1. ex D. Thom.*

22 *Dices cum Ill. Godoy.* Dices cum Ill. Godoy *num. 3*: D. Thom. loqui de vitijs directè recedentibus à motivo virtutis acquisitæ; non verò de vitijs directè recedentibus à regula supernaturali. *Contra.* Contra: de quibuscumquè vitijs loquatur D. Thomas, stat Doctor contra Ill. Godoy: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: D. Thomas asserit, habitus vitiorum, & virtutes infusas simul esse in eodem subiecto: ergo de quibuscumque vitijs loquatur D. Thomas, stat contra Ill. Godoy. Antecedens patet: nam D. Thomas *citat.*

Sic prosequitur: *Vnde non oportet, quod statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, quamvis impediantur, & diminuantur.* Consequentia est legitima, quia cum simultate virtutum, & vitiorum nec indirecta contrarietas est compatibilis, vt fatetur Ill. God. per probationes suæ primæ conclusionis.

23 *Aliqui probant concl. ratione.*

Ratione autem aliqui sic probant: extrema contraria petunt contineri sub eodem genere physico; hoc est, idem subiectum respicere; at vitium, ex quibusvis actibus genitum; & virtus per se infusa, non respiciunt idem subiectum: ergo non contrariantur. Maior est omnium Philosophorum sententia, & per se est manifesta; non enim est oppositio inter extrema in diversis subiectis. Minor autem probatur: virtus per se infusa recipitur in potentia obedientiali, vitium autem, cum naturalis ordinis sit, in naturali potentia recipitur: ergo virtus per se infusa, & vitium directè à regula superiori recedens, non respiciunt idem subiectum.

Nulla est ratio apud nos.

Hæc tamen ratio nulla est apud nos, qui potentiam obedientialem in ordine ad formam recipiendam non agnoscimus, sed solum respectivè ad agens, vt docuit Scotus *quæst. 1. Prologi art. 8.* & cum ipso diximus *tom. 1. in 1. sent. disp. 8. num. 40.* Apud Thomistas verò talem potentiam in ordine ad formam statuentes, potest difficultatem habere; sed ad eam respondet Ill. God. *infr. num. 34.*

24 *Respondet. Ill. Godoy.*

Ad contrarietatem sufficere respitientiam eiusdem subiecti secundum rem, nec requiritur comparatio cum eodem subiecto identitate secundum rem, & rationem; licèt autem virtus per se infusa, & vitium, de quo loquimur, non respiciant idem subiectum secundum rem, & rationem, respiciunt tamen idem subiectum secundum rem: nam potentia obedientialis, & naturalis non differunt realitèr, sed solum ratione. Instatque argumentum in gratia, & peccato, quæ opponuntur contrariè, & tamen gratia in anima recipitur secundum potentiam obedientialem, peccatum autem secundum naturalem. Instat etiam in actu virtutis infusæ, & actu vitij à regula superiori recedente, qui non possunt in eodem subiecto esse, quamvis vnus potentiam obedientialem, & alter naturalem respiciant. Hoc habet *infr. n. 26.*

25 *Reijcitur solutio Ill. Godoy.*

Fateor: instantiam vim habere contra Thomistas, prædicta probatione vtentes; cæterum contra omnes sic potest argumentari: ad contrarietatem requiritur respicientia eiusdem subiecti secundum rem, & rationem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ad contradictionem requiritur respicientia eiusdem subiecti secundum rem, & rationem: ergo etiam ad contrarietatem. Antecedens est certum, & constat ex diffinitione contradictionis, quæ est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundum idem re, & ratione; alioquin non esset contradictio, vt de quacumque patet. Consequentia verò probatur primò: contradictoriè opposita conveniunt cum oppositis contrariè in respicientia eiusdem subiecti iuxtà Ill. Godoy *infr. num. 27.* atqui iuxtà concessa, ad contradictionem requiritur respicientia eiusdem subiecti secundum rem, & rationem: ergo etiam ad contrarietatem requiritur respicientia eiusdem subiecti secundū rem, & rationem. Probatur secundò dicta consequentia: opposita contrariè inferunt contradictionem; sed illam non inferrent, nisi respicerent idem subiectum secundum rem, & rationem; alioquin contradictio non esset circà idem subiectum secundum rem, & rationem, quod esse falsum, constat ex dictis: ergo ad contrarietatem requiritur respicientia eiusdem subiecti secundum rem, & rationem. Cæterum quidquid sit de hoc. Sic à nobis.

26 *Probat. 2. concl.*

Probatur secundò conclusio: contraria in gradibus intensis non possunt simul existere, vt fatentur communitèr omnes, constatque ex diffinitione contrariorum, qua dicitur: *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt*; at vitia genita ex actibus directè recedentibus à regula supernaturali, & virtutes infusæ, reperiuntur simul in gradibus intensis, vt constat in homine maximè vitijs dedito recenter iustificato per intensum actum contritionis, cui infunduntur virtutes cum maxima intensione; & tamen vitia in illo cum præcedenti intensione perseverant; cum eandem inclinationem, & pronitatem

sen-

sentiat ad malum, ac ante iustificationem: ergo vitia ista, & virtutes infusæ non opponuntur vllo modo contrariè.

27 Et quidem, quod homo maximè vitijs deditus, & recenter iustificatus per actum contritionis valdè intensum, eandem experiatur difficultatem circà prosecutionem boni, & fugam mali, quam ante iustificationem patiebatur, est ita certum, vt id ab experientia probet Scotus *citat.* & id nos doceat Sancta Maria Egipciaca, quæ vt confessa est B. Zozimo, initio suæ conversionis, varias, & frequentes in horrenda solitudine carnis molestias, & tentationes experta est, & vehementissimam in peccatum luxuriæ sensit inclinationem, cui tamen Divina adiuta gratia semper restitit, & de hoste domestico triumphavit glorioscè.

28 *Respondet Ill. Godoy.* Ill. Godoy (varijs relictis solutionibus, quas *à num.* 16. refert, & reijcit) respondet *num.* 19: in recenter iustificato manere habitus vitiosos, non in ratione habituum, sed in ratione dispositionum, non quia habitus in dispositiones quoad substantiam trãsierint; cum enim habitus specificè à dispositione differat, in veriori Thomistarum sententia, non potest iste transitus fieri, sed quia licèt vitia remanentia sint habitus quoad substantiam, non tamen remanent in habituum ratione quoadmodum, sed induunt modum dispositionum, & quod ratione inclinationis ad bonũ, quam præstant gratia, & virtutes, & prædominij in subiecto, manent in via corruptionis, & consequentèr facilè à subiecto amobibiles; habitus autem vitiorum, prout habent modum dispositionis, non contrariantur habitibus perfectis, quatenus primò infusis, sed solum prout sunt habitus quoad substantiam, & modum.

29 *Impugn.* 1. Hæc tamen solutio Ill. Godoy plura falsa continet, & nihil vltrà ab ipso reiectas addit probabilitatis, ideò que impugnatur primò: quia virtus acquisita contrariè directè opponitur vitio, genito ex actibus directè recedentibus à regula naturali, destruit illud, nedum quoad modum habitus, sed etiam dispositionis; sed virtutes infusæ contrariè directè opponuntur vitijs, genitis ex actibus directè recedentibus à regula supernaturali iuxtà Ill. God: ergo destruent illa, non solum quoad modum habitus, sed etiam quoad modum dispositionis, & consequentèr ruit solutio. Hac impugnatione, hoc modo formata, præcluditur quædam responsio Ill. Godoy, quam tradit *num.* 21. *Ad tertiam.* Vndè.

30 *Respondet Ill. Godoy.* Respondere valet, vt ibi secundò respondet, scilicèt, concessis præmissis, distinguendo consequens: statim atque infunduntur, negat consequentiam; post continuum exercitium in actibus proprijs concedit consequentiam. Iuxtà quam solutionem virtus infusa in instanti, in quo habetur, expellit habitus vitiosos quantum ad modum habituum, postquam tamen subiectum se exercet in actibus virtutis infusæ, excludit à subiecto vitia sibi opposita in ratione etiam dispositionum. Vndè nottanter dixit D. Thom. *in 4. vbi suprà, non oportere, vt statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totalitèr tollantur*, satis insinuans, quod licèt non totalitèr statim tollantur per illas, post exercitium tamen actuum, penitus vitia per prædictas virtutes tolluntur.

31 *Contra.* Contra: quia virtus acquisita contrariè directè opponitur vitio, genito ex actibus directè recedentibus à regula naturali, statim, ac adquiritur, si in summa intensione adquiratur, penitus destruit habitum sibi oppositum: ergo similitèr de virtute infusa respectu vitij, cum quo iuxtà Ill. Godoy opponitur contrariè, & directè ergo nulla est solutio.

32 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet *infrà num.* 22. negando causalem antecedentis: sed ratio est, quia per proprios actus adquiritur, ex quo nascitur, quod statim, atque acquiritur, perfecto modo acquiratur, & habeatur in subiecto, ac proindè, quod statim se explicet in omnes suos effectus, tàm positivos, quàm negativos; virtus autem infusa, quia non ab intrinseco, nec per proprios actus acquiritur, sed de foris venit, non statim, atque infunditur, à subiecto habetur omnimodè perfectè, & ideò licèt quantum est de se eosdem effectus, quos præstat acquisita, statim præstare posset, ex defectu tamen modi, quo à subiecto possidetur, non statim exhibet illos, sed post continuum exercitium actuum suorum, istis actibus dispositi-

tivè ſolum concurrentibus, & virtute infuſſa formaliter.

Hæc eſt tota doctrina, quam adducit Ill. Godoy ad noſtram rationem infirmandam; fruſtra tamen, quia ſolidè reijcitur ex ipſa lege contrariorum. Contra itaquè primò: lex contrariorum eſt, vt ſtatim, ac vnum recipitur in ſubiecto, alterum expellatur: ergo virtus adquiſita, quia contrariè opponitur vitio, ſtatim, ac adquiritur in ſumma intenſione, pœnitus deſtruit habitum ſibi oppoſitum. Conſequentia eſt legitima. Antecedens conſtat ex diffinitione contrariorum, & experientia patet in calore, & frigore, albedine, & nigredine, & ſic de alijs.

33 *Contra* 1.

Contra ſecundò: virtus infuſa ſtatim, ac infunditur, penitus expellit ſibi oppoſitum; ſed hoc non alia ratione, niſi ob contrariam oppoſitionem: ergo vera eſt ſupradicta cauſalis, & nulla illius negatio. Probatur maior primò: gratia ſtatim, ac infunditur, penitus expellit ſibi oppoſitum, nempè, peccatum, cum quo iuxtà Ill. Godoy *num.* 32. & 34. contrariè opponitur: ergo ſimilitèr. Secundò: habitus luminis gloriæ ſtatim, ac infunditur, penitus expellit habitum fidei. Tertiò: habitus fidei ſtatim, ac infunditur, penitus expellit habitum infidelitatis. Quartò: habitus fidei ſtatim, ac infunditur, penitus deſtruit habitum ſcientiæ, vt cõmunitèr tenent Thomiſtæ: ergo virtus infuſſa ſtatim, ac infunditur, penitus expellit ſibi oppoſitum.

34 *Contra* 2.

Contra tertiò: de ratione cuiuſcumque contrarij in ſummo eſt ſecum neceſſariò afferre privationem alteriùs contrarij, eamque tribuere ſubiecto, cui ineſt: ergo de ratione cuiuſcumque contrarij in ſummo eſt ſtatim, ac ineſt ſubiecto, expellere ſibi oppoſitum: ergo idem dicendum eſt de virtute acquiſita reſpectu vitij cum quo opponitur contrariè: ergo vera eſt prædicta cauſalis, & nulla illius ſolutio. Antecedens eſt certum, quia eſt ratio principalis, vt duo contraria in ſummo nequeant adhuc de potentia Dei abſoluta eſſe ſimul in eodem ſubiecto, cuius oppoſitum eſſet probabilius, ſi dicta contraria ſecum neceſſariò non afferrent privationem prædictam. Prima conſequentia eſt certa; quia quidquid reperitur in ſuperiori, debet reperiri in inferiori. Secunda verò, & tertia ex prima legitimè inferuntur.

35 *Contra* 3.

Contra quarto: expulſio fit inter qualitates in gradibus intenſis: ergo ſemel, quod homo habeat habitum virtutis in gradibus intenſis, ſtatim, ac infunditur, debet penitus expellere habitum viſioſum. Atqui in caſu poſito de recenter iuſtificato, ſupponitur, illum habuiſſe habitum vitioſum in gradibus intenſis, & ei infundi habitum virtutis in gradibus etiam intenſis: ergo ſtatim, ac infunditur, debet penitus expellere habitum vitioſum: ergo vera eſt prædicta cauſalis, & nulla ſolutio Ill. Godoy. Omnia ſunt vera, ſi verum eſt antecedens. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 21. *in ſolutione ad ſecundum.*

36 *Contra* 4.

Contra denique: expulſio exercetur inter qualitates, vt perfectè habitas in ſubiecto; atqui in caſu poſito de recenter iuſtificato, ille haberet perfectè virtutem infuſam; & ante iuſtificationem ſupponitur habere vitium perfectè: ergo ſi contrariè opponuntur, debet vitium penitus expellere; conſequentèrq; vera eſt cauſalis prædicta, nullaque illius ſolutio. Probatur minor: virtutem, & vitium eſſe perfectè in ſubiecto, eſt, eſſe in illo in gradibus intenſis; ſed in caſu ſuppoſito de recenter iuſtificato, ſupponitur, quod ante iuſtificationem habebat vitium in gradibus intenſis, & poſt iuſtificationem virtutem infuſam etiam in gradibus intenſis: ergo in caſu poſito haberet perfectè virtutem infuſam; & ante iuſtificationem haberet vitium perfectè.

37 *Contra* 5.

Hac doctrina Ill. Godoy reiecta, impugnatur ſecundò principalis illius ſolutio: in recentèr iuſtificato manent habitus vitioſi quoad ſubſtantiam iuxtà Ill. Godoy: ergo inter habitus virtutum infuſarum, & habitus vitiorum quoad ſubſtantiam, de quibus loquimur in præſenti, non eſt directa contrarietas. Conſequentia eſt legitima: quia non ſtat directa contrarietas inter aliqua cum vtriuſque ſimultate. Atqui hic loquimur de virtutibus, & vitijs, prout ſunt habitus, vt ait Ill. Godoy *num.* 1. *in fine*, & nos diximus *num.* 6: ergo inter virtutes infuſas, & vitia, genita ex actibus, directè recedentibus à regula ſupernaturali, non eſt directa contrarietas.

38 *Impugn.* 2. *ad hom. cõtra* Ill. *God.*

Im-

39 *Impugn. 3. ad hominē etiam.*

Impugnatur tertiò: in recenter iustificato manent habitus vitiosi in ratione habituum: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò ad hominem contra Ill. Godoy: manent habitus vitiosi difficilè mobiles à subiecto: ergo in recenter iustificato manent habitus vitiosi in ratione habituum. Probatur antecedens: manent habitus vitiosi specificè distincti à dispositionibus: ergo manent habitus vitiosi difficilè mobiles à subiecto. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy *in solutione*. Consequentia probatur: habitus, & dispositio specificè distinguntur iuxtà Ill. Godoy; sed iuxtà eundem manent habitus vitiosi specificè distincti à dispositionibus: ergo manent difficilè mobiles à subiecto. Probatur consequentia: semel data specifica distinctione habitus à dispositione, solum distinguntur specificè per hoc, quod habitus est difficilè mobilis à subiecto; dispositio verò facilè mobilis; atqui iuxtà Ill. Godoy manent habitus vitiosi, specificè distincti à dispositionibus: ergo manent difficilè mobiles à subiecto. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior autem est apud omnes Theologos, & Philosophos certa. Vrgetur breviter: ablato ab habitu vitioso, quod sit difficilè mobilis à subiecto, nihil manet, per quod specificè differat à dispositione: ergo vel in recenter iustificato non manent habitus vitiosi, specificè distincti à dispositionibus, vel manent difficilè mobiles à subiecto, quorum vtrumque est contra Ill. Godoy.

Vrgetur.

40 *Impugn. 4. etiam ad hom.*

Probatur secundò idem antecedens, & impugnatur quartò solutio ad hominem contra Ill. Godoy: habitus vitiosi in recenter iustificato difficilitèr expelluntur: ergo manent in ratione habituum. Probatur antecedens: quod indiget continuo exercitio actuum sibi oppositorum ad eius expulsionem, difficilitèr expelitur; sed habitus vitiosi in recenter iustificato indigent ad eius expulsionem continuo exercitio actuum sibi oppositorum: ergo habitus vitiosi in recenter iustificato difficilitèr expelluntur. Consequentia est manifesta. Minor est Ill. Godoy *num.* 21. & 22. *in fine*. Maior verò ex se patet, & per oppositum ostenditur: quod ad eius expulsionem non indiget continuo exercitio actuum, sibi oppositorum, facilitèr expellitur: ergo è contra.

Quintò.

Quintò: in recenter iustificato manent habitus vitiosi vehementèr inclinantes in peccatum: ergo manent in ratione habituum. Antecedens patet ex confessione S. Mariæ Egiptiacæ posita *num.* 24. Consequentia apparet; quia id est proprium habituum in ratione talium, vt est manifestum.

41 *Sextò.*

Impugnatur sextò: solutio Ill. Godoy est sibi implicatoria: ergo ruit. Probatur antecedens: implicat, in recentèr iustificato manere habitum vitiosum quoad substantiam, & speciem, ita vt retineant propriam differentiam constitutivam essentiæ habitus vitiosi, & quod virtus infusa sit incomposibilis cum habitu vitioso, & consequentèr, quod sit illi contraria, vt est manifestum; atqui hoc totum continet solutio Ill. Godoy, vt ex ipsa claret: ergo est sibi implicatoria. Nec obest, vt sint coacti, vel cohibiti per gratiū, & virtutes, quia hoc non tollit, vt maneant idem habitus quoad substantiā, & modū, etsi quoad statum diversi, vt diximus *n.* 13. & 14.

Septimò.

Impugnatur septimò: vitia, quæ sunt in peccatore, sunt habitus vitiosi; sed eadem in specie vitia, quæ erant in peccatore, manent in ipso recentèr iustificato: ergo manent eadem vitia in ratione vitij, & habitus. Maior est certa. Minor experientia patet. Consequentia autem est legitima, & probatur: habitus, & dispositio iuxtà Ill. Godoy specie differunt; sed manent eadem in specie vitia, quæ sunt idem in specie habitus vitiosi: ergo manent eadem vitia in ratione vitij, & habitus.

Octavò.

Octavò: iuxtà D. Thomam, & communem Thomistarum opinionem habitus non fit dispositio vnico actu, sed pluribus, & contrarijs, vt satis indicat Ill. Godoy *num.* 22. *in fin.* sed recens iustificatus locum non habet, vt eliceat plures actus, habitibus vitiosis contrarios: ergo locus non est, vt habitus pro illo tunc fiat dispositio: ergo cùm certum sit, quod manent in illo habitus vitiosi, certum etiam debet esse, quod manent in ratione habituum; non verò in ratione dispositionum.

Vltimò.

Denique impugnatur: tunc in nobis experimur habitum vitiosum in peccatum, v. g. luxuriæ, quando experimur, vehementèr inclinatos

esse ad luxuriam; vnumque, & alium, vel alterum actum continentiæ non sufficere ad talem inclinationem expellendam, consequentèrque difficultatem agnoscimus in expulsione illius; atqui totum hoc experitur homo maximè vitijs infectus, & recentèr iustificatus: ergo in tali homine manent habitus vitiosi in ratione habituum. Maior est notta. Minor est confessio facta à Sancta Maria Egipciaca. Consequentia est legitima.

§. Vltimus.

Diluuntur argumenta Ill. God.

42 *Arguit.* 1. ARguit primò Ill. Godoy *num.* 23: oppositio habituum sumitur ex oppositione actuum; sed inter actum virtutis infusæ, & actum vitiosum, directè recedentem à regula supernaturali, est directa contrarietas: ergo inter habitus inclinantes in actus prædictos directa contrarietas reperitur. Probationes præmissarum ommitto, quia minor est certa, & probatio maioris vim non habet, distinguendo maiorem duplici distinctione data *num.* 17. & 18. ad hoc idem argumentum, quo vsus fuit Ill. Godoy contra nostram primam conclusionem.

Respondet.

43 *Retorqueo.* Et retorqueo evidentèr in ipsum: oppositio habituum sumitur ex oppositione actuum; sed inter actum virtutis infusæ, & actum vitiosum, directè recedentem à regula supernaturali, est directa, & stricta contrarietas: ergo inter habitus inclinantes in actus prædictos directa contrarietas reperitur, quod est contra Ill. Godoy *num.* 31. Totum patet. Et si aliqua difficultas ponitur in minori, eam evidentèr convincit duplex probatio, quam pro sua minori adducit Ill. Godoy. Prima de conformitate ad legem, & difformitate positiva cum illa. Secunda de actu, directè recedente à regula naturali, & actu virtutis acquisitæ, illi opposito contrariè. In his itaquè est contrarietas, non solum directa, sed etiam omninò stricta, quam inter habitus negat Ill. Godoy, vt dixi.

44 *Arguit.* 2. Arguit secundò *num.* 24: facilitates ad actus directè inter se oppositos opponuntur directè; sed virtus per se infusa non solum dat posse, sed etiam facilitatem ad actum supernaturalem: ergo directè opponitur vitio danti facilitatem ad actum vitiosum, directè recedentem à regula supernaturali, & consequentèr directè oppositum actui supernaturali. Maior ex indè constat: nam virtus acquisita non alia ratione directè opponitur vitio acquisito ex actibus directè recedentibus à regula naturali, nisi quia dat facilitatem ad proprium actum.

45 *Prob. min.* 1. Minorem autem (probatione D. Thomæ ommissa) sic probat primò: postquam enim quis se exercet in actibus supernaturalibus, facilis, & promptus redditur ad illorum elicientiam; at hæc facilitas non præstatur ab habitu naturali, genito per actus præcedentes: tum, quia habitus specificatur per actus, ad quos dat facilitatem; habitus autem naturalis non potest ab actibus supernaturalibus specificari. Tum etiam: quia si potentia ad actus supernaturales supernaturalis est, à fortiori facilitas ad tales actus esse debet supernaturalis: Nec ab habitu supernaturali genito ex prædictis actibus, aliàs iste habitus daret facilitatem, & potentiam ad illos, cum supernaturalis esset; & cõsequentèr primus vtrumque posset præstare: nec ab habitu acquisito per actus naturales, quia habitus solum inclinat ad actus similes illis, quibus genitus fuit: ergo præstatur ab habitu virtutis infusæ.

46 *Secundò.* Probat secundò minorem: nam in forma ordinis superioris inveniuntur adunata, quæ in inferioribus dispersa, & multiplicata reperiuntur, quo circà Theologia nostra speculativa, & practica est, cum tamen rationes practici, & speculativi multiplicent specificè habitus inferiores; at virtutes per se infusæ sunt ordinis superioris: ergo posse, & facilitas, quæ à potentia, & habitibus inferioribus præstantur, in virtute per se infusa invenientur adunata; & consequentèr virtutes per se infusæ, non solum dant posse, sed etiam facilitatem ad actus supernaturales.

47 *Respond.* 1. *ad argum.* Respondeo primò ad argumentum negando minorem: quia habitus tantum acquisitus dat facilitatem ad actus, quia datur ad sic agendum, scilicèt, promptè, & expeditè; non autem habitus infusus, & supernaturalis, qui datur ad simplicitèr agendum duntaxat, vt docuit Doctor *in* 1.

dist.

dist.17. quæst. 2. Et *in 4. dist. 6. quæst. 10.* vbi inquit, quod cum dicitur habitus dari ad facilitèr agendum, hoc non est verum, nisi de habitu acquisito; habitus enim infusus non dat facilitatem ad actum, vt patet de novitèr conversо, cui non est facilè post conversionem actus bonos elicere, sed difficilè, quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat aliquam virtutem acquisitam. Nec videò quomodo hoc possit negare Ill. Godoy, cum id ipsum fateatur *infrà numer.21.& 22.* vt diximus *num.37.*

48 *Respond.2.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: facilitates ad actus directè, & strictè inter se oppositos, opponuntur directè, & strictè; sed virtus per se infusa non solum dat posse, sed etiam facilitatem ad actum supernaturalem: ergo directè, & strictè opponitur vitio, danti facilitatem ad actum vitiosum, directè recedentem à regula superiori, quod est contra Ill. Godoy ex dictis *num.43.* Consequentia est legitima, quia inter actus virtutis infusæ, & vitij directè recedentis à regula supernaturali, est directa, & stricta contrarietas, vt patet. Minor est Ill. Godoy. Maior autem ex indè constat. Primò: quia virtus acquisita, non alia ratione directè, & strictè opponitur vitio acquisito ex actibus directè recedentibus à regula naturali, nisi quia dat facilitatem ad proprium actum, vt ait Ill. Godoy in argumento. Secundò: quia oppositio habituum, vt sæpè repetit ipse *in præsenti*, sumitur ex oppositione actuum: ergo facilitates ad actus directè, & strictè inter se oppositos, opponuntur directè, & strictè. Sic itaque soluto, & retorso argumento.

49 *Ad 1. prob. minoris.* Ad primam probationem minoris, nego minorem, ad cuius primam probationem, ommissa maiori, distinguo minorem: habitus naturalis non potest specificari ab actibus supernaturalibus, vt supernaturales sunt, concedo minorem; vt naturales sunt, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam, vel ipsam, nego, quia potentia poterat esse supernaturalis, & facilitas naturalis, vt de facto dicimus: potentiam ad actus supernaturales esse naturalē, & habitum, vel auxilium esse supernaturale; vel nego suppositū, scilicèt, quod potentia ad actus supernaturales sit supernaturalis; hæc enim est intellectus, aut voluntas, & vtraque naturalis. Itaquè facilitas ad actus supernaturales præstatur ab habitu naturali, genito per actus supernaturales, non quoad modum, quia sic sunt supernaturales; sed quoad substantiam, quia sic sunt naturales. Vndè talis habitus inclinat ad similes actus quoad substantiam, & est diversæ speciei ab habitu infuso, vt docet Scotus *in 3. dist.23 quæst. 1. art. 1.* de quo agunt Scholastici *tract. de Virtutibus Theologicis*, pro quibus videatur Mastrius *in 3. disp.6. quæst.23.*

50 *Explicatur solutio.* Pro nunc autem sufficiat, solutionem manifestare hoc exemplo: sicut enim ex statua lignea potest lignum generari, non vt est artefacta, sed quatenùs lignea est; ita actus supernaturales, non vt sunt ex principio supernaturali, scilicèt, habitu infuso, vel auxilio Dei; sed vt sunt actus rationis, vel voluntatis, sæpè replicati generant habitum naturalem; non verò supernaturalem. Et ratio est: quia talis habitus non generatur ex illis actibus, quatenus sunt supernaturales secundum modum, sed quatenùs sunt naturales quoad substantiam. Vndè facilitas, quam tribuit talis habitus generatus, non est ad supernaturalitèr agendum, quia hoc non habetur ex vsu, exercitatione, vel repetitione, sed ex habitu infuso, vel Dei auxilio; sed est tantum ad similes actus secundum substantiam eliciendos, per quod satis patet ad primam probationem.

51 *Ad 2. respond.1.* Ad secundam probationem (omissa paritate de Theologia nostra, quia in nostra, & Scoti sententia non est propriè scientia, & hoc dato, solū practica est cum repugnantia ad esse simul practicam, & speculativam, quia istæ sunt ad minùs propriæ passiones consequentes naturalitèr differentias essentiales scientiæ in communi, vt dixit Scotus *quæst. 4. Prologi.*) Hoc itaquè omisso, respondeo primò distinguendo maiorem: in forma ordinis superioris inveniuntur adunata, quæ in inferioribus dispersa, & multiplicata reperiuntur, si non est formalis repugnantia in illa vna forma, concedo maiorem; si sit repugnantia, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia repugnat forma vnica, quæ ha-

beat posse, & facilitèr posse; cum exigant principia essentialitèr diversa, nempè, potentiam, & habitum. Secundo alitèr distinguo maiorem: quę sunt dispersa in inferioribus, conveniuntque intrà latitudinem genericam alicuius perfectionis simplicitèr simplicis, concedo maiorem; & non conveniunt intrà talem latitudinem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Secundò.

52 *Vtraq; solutio declatur.*

Itaquè in forma ordinis superioris adunantur, quæ sunt in inferioribus dispersa, si non adest formalis repugnantia in illo vno, vel si conveniunt intrà latitudinem genericam alicuius perfectionis simplicitèr simplicis, v. g. rationes perceptivæ coloris, & soni, quæ sunt dispersa in inferioribus, scilicèt, in sensibus externis, vniuntur in sensu interno, & potiori iure in intellectu. Item: virtus desicativa, & liquativa, quæ in inferioribus realitèr distinguntur, sunt in Sole vnita. Sic etiam de alijs respectu Dei: Cœterum in superiori non adunantur, quæ sunt in inferioribus dispersa, si adest repugnantia in illo vno, vel si tales perfectiones non conveniant intrà latitudinem genericam alicuius perfectionis simplicitèr simplicis, quia tunc vna ratio formalis præcisè considerata, excludit aliam à suo conceptu formali.

53 *Varia exẽpla.*

Plura sunt huius veritatis exempla. Primò: virtus intellectiva, & volitiva, quæ sunt dispersa in inferioribus, non adunantur in aliquo vno, quomodocumque superiori, adhuc Deo. Secundò: perfectio formæ, & materiæ. Tertiò: perfectio subiecti, & accidentis. Quartò: perfectio intellectus, & habitus luminis. Quintò: perfectio intellectus, & habitus fidei. Sextò: perfectio voluntatis, & habitus charitatis, seu gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium. Septimò: perfectio potentiæ, & speciei. Octavò: perfectio potentiæ, & cognitionis. Nonò: perfectio potentiæ creatæ, & auxilij dati ad patranda miracula. Decimò: perfectio intellectus, & illustrationis ad cognoscendas cogitationes cordis Divini. Deniquè, vt alia ommittam, perfectio naturæ creatæ, & vnionis hypostaticæ secundum id, quod vnio importat in recto. Hæc itaquè omnia, quæ in inferioribus sunt dispersa, nequeunt coadunari in aliquo superiori creato, vel creabili, vt fatetur Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disp. 13. num. 73.* Et nos ostendemus *tom. 8. de Quæstionibus Selectis, quæst. 8.* Similitèr ergo de posse, & facilitate, quæ à potentia, & habitibus inferioribus præstantur.

Ex his namquè se se primò aperit manifesta retorsio ad hominem contra prædictam probationem Ill. Godoy, cuius formationem ommitto, quia ex terminis apparet. Se se aperit secundò, Ill. Godoy manifestam committere inconsequentiam ad ea, quæ dixit *tom. 1. in 1. part. disp. 13. num. 73.* vbi prædictis exemplis retorquet cõtra Molinam, intendentem probare, posse Deum de potentia absoluta facere intellectum creatum æquivalentem conflato ex intellectu, & lumine gloriæ de facto producto, quam retorsionem sibi ipsi facere posset Ill. Godoy in præsenti, vtpotè, probare connatur, quod perfectio potentiæ, & habitus, seu posse, & facilitas, quæ à potentia, & habitibus inferioribus præstantur, in virtute vna superiori adunentur; cum tàm hæc, quàm cętera ex exemplis adductis, sint diversi ordinis, vt dicam *tom. & quæst. citat.* & ipse concedere tenetur. Sed nos factum reliquimus, quod ipsi facere non licuit, retorsionem nempè.

54 *Retorsio ad hom. contra Ill. Godoy.*

Quædam incõsequentia.

Arguit deniquè *num. 28*: vitium odij Dei, vt Author supernaturalis, opponitur charitati contrariè directè: ergo vitium intemperantiæ, genitum ex actibus directè recedentibus à regula superiori, contrariè directè opponitur temperantiæ infusæ; & consequentèr idem erit dicendum respectu aliarum virtutum per se infusarum. Consequentia est evidens. Antecedens autem probatur: hoc namquè vitium habet aliquam virtutem directè oppositam, per quam destruatur; at non aliam, nisi charitatem, virtutem infusam: ergo huic contrariatur directè. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego minorem, quia virtus illi opposita, per quam destruitur, est charitas, quæ est virtus acquisita; non verò infusa, vt patet evidentèr ex secunda probatione nostræ conclusionis posita *num. 26.* simul cum dictis *numer. 27.*

55 *Arguit deniquè.*

Respondeo.

Replica Ill. Godoy primò: nam probabilior est Theologorum sen-

56 *Replicat 1.*

ten-

tentia, quæ negat habitum adquisitum virtutis ex repetitis actibus amoris efficacis Dei generari, eo, quod sicut voluntas, quia ad proprium bonum est inclinata, ad illud diligendum virtute non indiget; ita, quia ad Deum naturæ Authorem super omnia diligendum, magis quam ad proprium bonum propendit, ad Deū sic diligendum non eget virtute superaddita. *Respondeo.* Respondeo negando assumptum, quia iam diximus *num.* 49. & 50. ex actibus supernaturalibus repetitis generari habitum naturalem, & hæc est probabilior Theologorum sententia, quam cum omnibus Scotistis tenent Nominales, & plures ex Societate. Nec ratio adducta est alicuius valoris, quia solum probat: voluntatem non indigere habitu ad Deum diligendum; non verò probat, illo non indigere ad illum promptè, & delectabiliter diligere; ad quod in voluntate posuit habitum Scotus *in* 3. *dist.* 33 §. *Ad quæstionem.*

57 *Replicat 2.* Replicat secundò: nam vitium odij Dei, vt Author supernaturalis, vel corrumpitur per habitum genitum ex actibus amoris Dei, vt Author supernaturalis, vel ex actibus amoris Dei Authoris naturæ; per nullum istorum: ergo solum corrūpitur per habitum Charitatis infusæ. Minor pro prima parte videtur certa; virtus enim non ponitur ad actus inefficaces, sed solum ad perfectos, & efficaces: amor autem Dei Authoris supernaturalis habitus ex viribus naturæ, efficax esse non potest, sed ad summum inefficax, & conditionatus: ergo ad illius existentiam non datur virtus; & consequentèr nec ex illius continuatione generatur. Pro secunda verò parte, probat minorem *numer.* 50. sed illius probationē ommitto, quia est extrà nostram doctrinam.

58 *Respondeo.* Respondeo negando minorem quoad primam partem, ad cuius probationem (quidquid sit de maiori) distinguo minorem: amor Dei, Authoris supernaturalis, habitus ex viribus naturæ duntaxat, efficax esse non potest, concedo minorem; habitus ex viribus naturæ simul, & gratiæ, nego minorem, & consequentiam. Itaquè iam dixi ex actibus supernaturalibus repetitis generari habitum naturalem. Hic autem habitus, qui est virtus adquisita est facilitas potentiæ ad hoc, vt promptiùs eliceat, non solum actus naturales verum etiam supernaturales, dummodo potentia supponatur elevata per habitum, vel auxilium supernaturale ad tales actus eliciendos. Et ratio est notoria: nam dum potentia elevatur, eo ipso, simul, & coniunctim elevatur cum tota facilitate, vel habitu acquisito, qui habitus præstat, vt potentia cum habitu infuso promptius eliceat actum supernaturalem. Cum ergo hic habitus acquisitus det facilitatem ad actus amoris Dei, vt Author supernaturalis, contrariatur directè facilitati ad actum odij Dei, vt talis Author, in quo consistit prædictum vitium.

59 *Dices 1. pro Ill. Godoy.* Dices tamen pro Ill. Godoy primò: ex nostra conclusione sequitur, quod peccator iustificatus, & virtutibus infusis ornatus, possit denominari vitiosus; cum in ipso maneant vitia iuxtà nostram opinionem; sed hoc est falsum: ergo & conclusio nostra.

Respond. 1. Respondeo primò distinguendo sequelam: posset denominari vitiosus secundum quid, concedo maiorem; simpliciter, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Itaquè sicut dantur virtutes morales sine charitate, & inconveniens non est, quod habens illas dicatur bonus secundum quid, & malus simpliciter, quia malitia simpliciter est peccatum; ita non est inconveniens, quod peccator iustificatus, dicatur secundum quid vitiosus, & simpliciter bonus, quia simpliciter bonitas est gratia, & amicitia Dei.

Explicatur Vel potest secundò responderi negando absolutè sequelam, quia vt homo denominetur vitiosus, requiritur, quod vitia sint in subiecto sub statu sibi proprio, scilicèt, non retractata, sed conservantia rationem voluntarij, quem modum non habent in iustificato, qui retractat actus peccaminosos, exquibus vitia genita fuerunt.

60 *Respond. 2.*

61 *Dices 2. pro eodem.* Dices secundò pro eodem: sequi ex nostra conclusione; quod habitus vitiosi possint simul stare cum beatitudine; imò, & quod de facto essent, vt contingeret in homine, si habens tales habitus, iustificaretur per baptismum, & statim moreretur; hic enim statim esset beatus, & simul vitiosus; atqui hoc est plusquam fal-

Reſpondeo. ſum: ergo falſa etiam eſt noſtra concluſio. Reſpondeo negando ſequelam: quia licèt habitus vitioſi non opponantur virtutibus infuſis; opponuntur tamen beatitudini, non ſolum in ratione habituum, ſed etiam in ratione diſpoſitionum, cuius ratio eſt notoria eo, quod beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et ex hoc fiat contra Ill. God. retorſio. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 2. diſt. 35. §. 1.* ad illa verba: *Non conſiſtente autem peccato, &c.* *Retorque.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

Utrùm bonitas ex conſequenti ſe habeat ad eſſentiam virtutis?

HAnc diſputationem movet Ill. Godoy, vt inveſtigandam inter Thomiſtas, aſſerentes: bonitatem eſſe differentiam eſſentialem contrahentem habitum moralem ad eſſe virtutis, cum quo difficilè appareat, quod bonitas ex conſequenti ſe habeat ad eſſentiam virtutis, quod etiam tuentur Thomiſtæ cum ſuo Magiſtro *1. 2. quæſt. 54. artic. 3. ad 2.* ideòque hæc eſt ratio dubitandi, quam in initio diſputationis proponit Ill. Godoy. Cæterum locum non habet diſputatio apud Scotiſtas, tenentes: quod bonitas poſita in diffinitione virtutis eſt accidens illius, conſiſtens in relatione reali intrinſecus adveniente ad naturam rationalem, quod expræſsè docuit Scotus *in 1. diſt. 17. quæſt. 2. §. Quantum ad iſtum artic.* his verbis: *Hæc autem bonitas nullum habet principium activum, ſicut nec aliquis reſpectus; maximè cum ille reſpectus conſequatur extrema poſita ex natura extremorum.* Litigent ergo Thomiſtæ, & ad aliam nos diſputationem *Mag. Sent.* tranſgrediamur. Et hæc de iſta *diſput.* applicanda litteræ Magiſtri, vbi præcedens diſputatio.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

Utrùm omnia vitia, & peccata ſint contra naturam hominis, vt rationalis eſt?

OMnia vitia, & potiori iure peccata, quæ peiora ſunt vitio, vt dixit Ariſtoteles *9. Methaph. textu 19.* & tenet communis opinio, eſſe contra naturam hominis, vt rationalis eſt, docuit expreſsè D. Auguſtinus *D. Auguſt.* *lib. 3. De libero arbitrio, cap. 13.* his verbis: *Omne vitium eo ipſo, quod vitium eſt, contra naturam eſt.* Id ipſum docet *lib. 12. De Civitate, cap. 1. & lib. 14. cap. 11.* Docet etiam D. Hieronymus *Hieronym.*

lib.

lib. 2. Contra Iulianum. D. Damascenus *lib. 2. De fide, cap. 4. lib. 3. cap. 14. & lib. 4. cap. 21.* D. Dionisius *De Divinis Nominibus, cap. 4.* D. Thomas *1. 2. quæst. 71. artic. 2.* Et *2. 2. quæst. 10. artic. 1. ad 1.* Scotus *in 3. dist. 15. §. Quantum ad 1.* Et *quodlib. 18. §. De primo.* Quæ sententia ita vera est, vt de vitijs directè contrarijs virtutibus acquisitis dicat Ill. Godoy *num. 3.* esse omnium Theologorum, nullo excepto, quem viderit, & de vitijs oppositis virtutibus infusis idem dicit *numer. 24.* excipiens Medinam, de quo adhuc dubitativè loquitur. Ita sentit Ill. Godoy cum D. Thoma. Et ita cum Scoto sentio. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 2. dist. 35. §. Sed cum nihil.*

Damasc. Dionis. D. Thom. Scotus.

Mag. Sent.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

An peccata, & vitia sint contra naturam hominis sensitivam, vel illi conformia?

§. Unicus.

Quibusdam præsuppositis, resolvitur difficultas.

Num. 1 *Difficultas explicatur.*

NOn de omni peccato, & vitio dubitatio nostra procedit; certum enim est, dari aliqua peccata, quæ contra naturam hominis sensitivam non sunt, nec illi conformantur, vt patet in odio Dei, in peccato infidelitatis, desperationis, & alijs, quæ opponuntur virtutibus, in parte sensitiva hominis non residentibus, sed adæquatè in parte rationali, seu intellectiva, sicut enim actus harum virtutum ad partem sensitivam non pertinent, nec per conformitatem, nec difformitatem, ita peccata, & vitia illis opposita, nec difformitèr, nec conformitèr ad naturam hominis sensitivam comparantur, sed omninò per accidens se habent ad illam.

2 Quia tamen cum Magistro Subtili *in 3. dist. 33. §. Ad quæst.* communitèr ab Scotistis docetur, in potentijs appetitus sensitivi subiectari aliquos habitus, v.g. fortitudo in irascibili, & temperantia in concupiscibili, qui habitus virtutes sunt, & habent peccata, & vitia sibi contraria; in examen vertimus de istis vitijs, & peccatis, an sint contra naturam hominis sensitivam, vel illi conformia, v. g. die veneris intemperatè quis comedit carnes prohibitas, vel in die ieiunij illud frangit, his commedendo, an hęc peccata sint naturæ sensitivæ contraria, vel illi conformia?

3 *1. præsuppositum.* Qua in re certum est, & indubitatum apud omnes Theologos, quod fortitudo, & temperantia, & sunt habitus, & sunt virtutes. Ex quo orta fuit difficultas circà illarum subiectum. Thomistæ asserunt, quod sub vtraque ratione subiectantur in appetitu sensitivo, quod supponit Ill. God. *num. 1.* ad resolutionem disputationis. Scotistæ verò dicunt, quod licèt fortitudo, & temperantia sint habitus, & virtutes, solum sub ratione habituum subiectantur in appetitu sensitivo; non verò sub ratione virtutum; quia vt habent veram rationem virtutis, in voluntate duntaxat subiectantur, quod suppono pro decisione difficultatis, sicut oppositum supponit Ill. Godoy.

4 *2. præsupp.* Certum est secundò: naturam hominis sensitivam inclinare ad pec-

catum pro materiali, scilicèt, in delectabile, quod est proprium, & specificativum obiectum potentiarū sensitivarum, quod habet appetitus sensitivus ex propria natura, sicut lapis habet inclinationem ad motū deorsum; vnde iuxta Scotum *in 2. dist. 29. §. Contra istud*, prædicta inclinatio convenit appetitui sensitivo, non solum post peccatum originale, sed etiam in pura natura, in quo omnes videntur convenire, & satis indicat Genes. *cap. 8: Sensus, & cogitatio hominis prona sunt ad malum.*

5 *Si opponas.* Nec obest, quod sit naturale appetitui sensitivo, prout est in homine, obedire rationi, vt docuit Scotus *in 3. dist. 33. §. Hæc opinio.* Non (inquam) obest; quia appetitui sensitivo vtraq; inclinatio est naturalis, etsi diversimodè; nam inclinare in bonum delectabile habet ex propria natura; obedire verò rationi est illi naturale, quatenus est pars hominis, & respicit bonum vniversale, quod non tollit inclinationem naturalem ex propria natura, vt claret in aqua, cui licèt sit naturalis motus sursum, ad replendum vacuum propter bonū vniversale; hoc non tollit ab illa inclinationem naturalem ad motum deorsum, quam habet ex propria natura.

Contra.

6 *Tertium.* Tertiò certum est: non loqui in præsenti de natura hominis sensitiva, prout est hominibus, & brutis communis, quia sic attenta natura hominis sensitiva, extrà controversiam est, quod hæc peccata, & vitia pro formali, nec sunt illi positivè conformia, nec difformia. Quod patet: in natura enim sensitiva hominis sic cōsiderata, nullum datur prædicatum positivum, quod non sit hominibus, & brutis commune; at in brutis nulla est inclinatio, nec assecutiva, nec aversiva respectu malitiæ formalis horum peccatorum, nec prædicatum aliquod reperitur, ratione cuius illis sint pro formali malitiæ positivè cōformia, aut difformia: ergo loquendo de natura hominis in hac acceptione, nec contrariantur, nec conformantur illi huiusmodi vitia, & peccata, sumpta pro formali malitia.

7 *Quartum.* Quartò indubitatum debet esse apud omnes (ait Ill. Godoy *numer. 3.*) hæc vitia, & peccata esse contra naturam hominis sensitivam secundum quod actu subditur imperio rectæ rationis, sivè intrinseca, sivè extrinseca subiectione, de quo est sententiarum varietas. Quod patet manifesta ratione: quod enim imperio rectæ rationis adversatur, necessariò opponitur naturæ sibi subiectæ prout sic, sicut quod opponitur cum virtute, cum natura etiam pugnat, vt virtuti subiecta, & quod opponitur Regis imperio, etiam est oppositum subditis sibi, secundum quod imperio Regis subduntur; at hæc vitia, & peccata imperio rationis rectæ adversantur: ergo etiam contrariantur cum natura hominis sensitiva, quatenus imperio rationis suo modo regulatæ, & subiectæ.

8 *Pūctus difficultatis.* Vndè totum dissidium in præsenti reducitur ad hoc: An, scilicèt, in natura hominis sensitiva, prout antevertit actualem subordinationem ad imperium rationis, detur prædicatum aliquod intrinsecum, seu intrinseca inclinatio ad vitia illa pro materiali, vel prosecutiva, vel aversiva, vel neutra ex his? Si primum, erunt illi conformia sub prædicta ratione. Si secundum, erunt contra naturam hominis sensitivam. Si tertium, nec erunt illi conformia, nec contra illius naturam. Hæc est in præsenti difficultas.

9 In qua (supposito, quod appetitus sensitivus hominis sub nulla ratione inclinatur per naturalem inclinationem in peccatum, & vitium pro formali, quod optimè probat Ill. God. *num. 7. & vsquè ad num. 12* propugnat) duplex posita versatur sententia. Prima asserit: prædicta vitia, & peccata esse contra naturam hominis sensitivam, non secundum se, sed quatenus nata est obedire rationi. Sic Ill. God. *num. 12.* cum ab ipso citatis *numer. 5.* pro tertia sententia. Secunda docet: in natura hominis sensitiva, prout nata est obedire rationi, nullam dari positivam inclinationem, sivè assecutivam, sivè aversivam respectu mali moralis, quatenus malum formalitèr; & consequentèr nullum dari in illo prædicatum intrinsecum, ratione cuius vitia, aut peccata sin illi conformia, vel contra eius naturam. Hanc expressè tenet Lorca *in præsenti disp. 4.* in illamque inclinat Bazquez *disp. 110. cap. 5. num. 10.* & amplectuntur quotquot negant, in appetitu sentiente subiectari habitus, qui

1. *Sentētia.*

Ill. Godoy.

2. *Sentētia.*

Lorca.

Bazquez.

vir-

virtus sit formaliter. Pro cuius explicatione sit.

10 *Conclusio.* Conclusio: *Vitia, & peccata, nec sunt contra naturam hominis sensitivam, prout nata est obedire rationi, nec illi conformia.* Hæc conclusio pro secunda parte supponitur ab Ill. God. Pro prima vero est contra ipsum, & ex Scoti doctrina manifestè colligitur, & per oppositum ad omnes probationes, quas pro sua, & nobis opposita conclusione, adducit Ill. Godoy, est à nobis suadenda. Primò sic: ideò vitia omnia naturæ rationali adversantur, quia sunt contraria virtutibus, quibus benè se habet rationalis natura, vt docet Scotus *citat. disput. præcedenti*; sed iuxtà Scotum *in 3. dist. 33. §. Ad quæst.* pars sensitiva hominis, secundum quod nata est obedire rationi, non est subiectum capax virtutum: ergo nulla vitia, vel peccata sunt contra naturam sensitivam hominis, vt nata est obedire rationi. *Probat. 1.*

11 *Secundò.* Et ex his suadetur secundò conclusio: temperantia, v. g. vt est virtus, non subiectatur in concupiscibili, quatenus est apta obedire rationi: ergo nec intemperantia, vt est vitiũ, huic virtuti oppositum. Consequentia claret: quia idem est subiectum virtutis, & vitij oppositi. Sumo nunc: atqui si temperantia, vt est virtus, esset consona naturæ sensitivæ, quatenus nata est obedire rationi, & intemperantia, vt est vitium, esset contra naturam hominis sensitivam sub prædicta consideratione, vtraque subiectaretur in appetitu sensitivo sub consideratione prædicta: ergo cũ neutra subiectetur in natura sensitiva sub dicta consideratione, nec temperantia, vt est virtus, est conformis naturæ sensitivæ; nec intemperantia, vt est vitium, est contra naturã illius.

12 *Tertiò.* Probatur tertiò: quod non adversatur termino naturalis inclinationis innatæ, non est tali naturæ cõtrarium; sed hæc vitia non adversantur termino naturalis inclinationis innatæ naturæ sentitivæ, vt aptæ obedire rationi: ergo naturæ sensitivæ prout sic non contrariantur. Probatur minor: vitia hæc opponuntur virtutibus, non residentibus in appetitu sensitivo, vt est aptus obedire rationi; sed si vitia hæc non resident in appetitu sensitivo, vt opto obedire rationi, appetitus sensitivus, vt aptus obedire rationi, naturali inclinatione innata in huiusmodi virtutes non propendit; cum non sint eius perfectiones, nec naturaliter, nec supernaturaliter perfectivæ: ergo non adversantur termino naturalis inclinationis innatæ naturæ sensitivæ, vt aptæ obedire rationi. Confirmatur, & declaratur: hæc vitia opponuntur virtutibus; sed nulla virtus est terminus naturalis inclinationis innatæ appetitus sensitivi, vt apti obedire rationi: ergo hæc vitia nõ adversantur termino naturalis inclinationis innatę naturę sensitivæ, vt aptæ obedire rationi. 71 *Confirmat.*

13 *Vltim. prob. concluſ.* Denique suadetur conclusio: natura quæcumque naturali inclinatione solum aversatur ea, quibus malè, & disconvenienter disponitur, quo circà ignis naturaliter fugit frigiditatem, aqua calorem, & natura rationalis vitia, & peccata; sed natura sensitiva hominis, vt apta obedire rationi, nec malè, nec disconvenienter disponitur per vitia, & peccata: ergo ea non aversatur. Probatur minor: natura sensitiva hominis, vt apta obedire rationi, nec est capax peccati, nec vitij, vt manifestè colligitur ex incapacitate ad virtutem: ergo natura sensitiva hominis, vt apta obedire rationi, nec malè, nec disconvenienter disponitur per vitia, & peccata, & consequenter non sunt contra illius naturam, hoc est, contra illius innatam inclinationem, prout est nata rationi obedire.

14 *Argumẽta Ill. Godoy. solvuntur.* Istæ per oppositum sunt rationes, quibus Ill. Godoy probat suam conclusionem, per ipsasque, & nostra manet probata, & rationes illius solutæ, negando semper: In natura sensitiva hominis, vt apta obedire rationi, subiectari virtutes, aut vitia, vt dixi *num. 3.* Vltrà has tamen sic (nostris vtendo terminis) probatur conclusio: natura sensitiva hominis, vt actu subditur imperio voluntatis, valdè diversa est ab ipsa, vt antevertit actualem subordinationem ad voluntatis imperium; atqui prædicta vitia, & peccata sunt contra naturam sensitivam hominis, vt actu subditur imperio voluntatis: ergo non sunt contra illius naturam, vt antevertit actualem subordinationem ad voluntatis imperium. Tunc sic; sed natura sensitiva hominis, vt est apta imperio voluntatis obedire, antevertit volun-

Probatur concluſ. ſpecialiter.

ta-

tatis imperium: ergo vitia, & peccata prædicta non sunt contra naturam sensitivam hominis, vt est apta obedire imperio voluntatis.

15 Vltima consequentia est legitima. Sussumpta verà, quia est sensus, in quo procedit disputatio ex dictis *numer.* 8. Maior autem syllogismi est notoria; nam natura sensitiva hominis, vt actu subditur imperio voluntatis, est actu mota à voluntate; vt antevertit autem actualem subordinationem ad voluntatis imperium, est natura sensitiva secundum se, & à voluntate non mota. Minor constat ex dictis *num.* 7. Consequentia verò videtur certa; alioquin natura hominis sensitiva, vt actu subdita imperio voluntatis, non esset diversa ab ipsa, vt antevertit actualem subordinationem ad voluntatis imperium, quod est falsum ex dictis.

16 Quoniam tandem tota præsens difficultas dependet à quæstione illa: An virtutes, & vitia aliqua sint, quæ in appetitu sensitivo subiectentur, repetere oportet: quod nec virtutes, nec vitia, vt talia sunt, subiectantur in appetitu sensitivo hominis, vt apto obedire rationi, quod expræsse docuit Scotus *in 3. dist. 33. §. Ad quæstionem*, quem omnes Scotistæ secuntur, pro quibus videantur Vulpes *disput. 111. artic. vltim.* Pitigianus *dist. 33. artic. 1.* Rada *tom. 3. controvers. 15. artic. 1.* Mastrius *in 3. disput. 7. quæst. 4.* Idem etiam docuerunt D. Bonaventura *dist. 33. artic. 1. quæst. 3.* Ricardus *à num. 1.* Almayn *tract. 3. Moral. cap. 6.* Bazquez *disput. 87. cap. 2.* & plurimi alij, quos ommitto, & in quibus rationes huius veritatis videantur, quia hanc veritatem firmare, non est huius loci, vt inquit Ill. Godoy *num. 17.* remittens longiorem huius rei discussionē ad loca propria, quod etiam nos remittimus.

17 *Corollariū.* Ex dictis in discursu disputationis colligo contra Ill. Godoy in fine, vitia opposita virtutibus infusis non esse contra naturam sensitivam hominis, prout est apta obedire rationi. Tum: quia tales virtutes non sunt consonæ naturæ sensitivæ, prout sic, & consequenter nec vitia opposita. Tum: quia ratione sui illam malè non afficiunt, quibus argumentis probatur, vitia opposita virtutibus infusis esse contra rationalem naturam. Tum denique ob rationes adductas pro nostra conclusione. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *vbi disputatio præcedens.* *Mag. sent.*

DISPVTATIO DECIMANONA.

An Deus se solo possit habitum vitiosum producere?

§. I.

Statuitur vera sententia, & probatur à priori.

Num. 1 DEum simul cum causa secunda posse habitum vitiosum producere, omnes Theologi fatentur; an verò illum se solo producere valeat? Est inter ipsos maximum, & difficilimum dubium. Inquo duas reperio Theologorum sententias. Prima negans est, quam tenet Ill. Godoy cum omnibus ab ipso *cit. numer. 1.* pro secunda sententia, illamq; tenet quidam Scotista, citans Scotum in Report. *in 3. dist. 28. quæst. 2.* dicens: Scotum docere, non posse Deū infundere habitum vitiosum. Sed nec verba aliqua Scoti adducit, nec Scotus ibi de habitu vitioso verbum habet. Tenent etiam alij Scotistæ in manu scriptis, nullo tamen in Scoto fundamento nixi, quin potiùs contra plura illius principia, vt dicemus *infrà*.

1. *Sentētia. Ill. Godoy.*

Secunda sententia affirmans est. Hanc tenent Nominales. Ocham *in 2. dist. 19. & quodlib. 1. quæst. 14.* Aureol. *in 2. dist. 7. artic. 1. & dist. 38. quæst. 1. artic. 2.* Gabriel *in 2. dist. 7. quæst. 1. artic. 1.* Illamque ex Patribus Societa-

2 *2. Sentētia. Ocham. Aureol. Gabriel.*

tis

Bazquez. Tannerus. Arriaga.

tis secuntur Bazquez *disput. 90. cap. 4. num. 11.* Tannerus *disp. 4. quæst. 2. dubio 1.* Arriaga *disp. 39. sect. 4. subsect. 1.* alios afferens sine nomine Recētiores.

3 *Lichetus. Smising.*

Quam opinionem expresse docet Lichetus *in 3. dist. 38. in Scholio ad §. Aliter dicitur num. 43. & sequentibus.* Docuit etiam Smising *de Deo Vno, tract. 2. disp. 6. quæst. 9. num. 268.* Licèt autem hæc opinio in Scoto non inveniatur expræssè, est tamen conformis ad plura illius principia; nam *in 3. dist. 27. §. Ad primum argumentum*, tenet: quod habitus naturalis generatur ex actibus supernaturalibus, consequentèrque generari ex illis, non vt sunt supernaturales. Item *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Quantum ad istum artic.* asserit: quod bonitas, & malitia sunt accidentia habituum, vi cuius dicendum est, quod habitus potest transire de bono in malum, & è converso.

Scotus.

4 Deindè: Scotus *in 1. dist. 17. citat.* docet: quod bonitas moralis actus est relatio, & malitia privatio, ex quo docere debet, quod habitus non generatur ex actibus, vt boni, vel mali sunt; quia nec relatio, nec privatio, est operativa, vel activa. Cui consonat, quod docuit *in 3. citat.* & repetit *in 4. dist. 6. quæst. 10. §. Ad quæstionem.* Denique: *in 2. dist. 2. quæst. 10.* Et *in 4. dist. 1. quæst. 5. & dist. 12. quæst. 3.* docet: existentiam ita necessariam esse causæ efficienti ad causandum, vt neque naturalitèr, neque supernaturalitèr aliquid non existens, ad productionem alicuius effectus physicè concurrere possit, ex quo idem ad conservationem esse dicendum, est plusquam notum.

5 Cum igitur nullum ex his, quæ docet Scotus, sustineri possit, substinendo, Deum se solo non posse producere habitum vitiosum, vt ex dicendis clarebit; mirum, & valdè mihi mirum est, esse Scotistam, qui tot, & claris, & communibus principijs Scoti opponatur. Supposito ergo, secundam sententiam esse valdè principijs Scoti conformen.

6 *Conclusio.* Hæc est nostra conclusio, & probatur primò à priori, destruendo principale fundamentum Ill. Godoy: ii Deus se solo habitum vitiosum producere non valeret, esset, quia habitus vitiosus inclinaret ad malum; sed hoc non obest, vt à solo Deo producatur: ergo potest Deus se solo producere habitum vitiosum. Minor probatur primò: quod habitus vitiosus inclinet ad malum, non obest, vt habitus vitiosus possit quandoque esse ex gratia particulari Dei: ergo quod inclinet ad malum, non obest, vt à solo Deo produci valeat. Antecedens constabit ex quinta probatione nostræ conclusionis. Consequentia infertur. Probatur secundò: appetitus sensitivus est inclinatus ad malum; sed hoc non obest, vt Deus se solo possit illum producere: ergo idem, quod anteà. Minor, & consequentia tenent. Maior autem patet: nam appetitus sensitivus inclinat in bonum delectabile, à lege prohibitū.

Probat. 1. à priori destruēdo principale fundamentum Ill. Godoy.

Prob. min. 1.

Secundò.

Probatur tertiò: quod habitus vitiosus inclinet ad malū, non obest, vt sit secundum se bonus: ergo quod inclinet ad malum, non obest, vt à solo Deo produci valeat. Probatur antecedens: quod appetitus sensitivus inclinet ad malum, non obest, vt sit secundum se bonus: ergo quod habitus vitiosus inclinet ad malum, non obet, vt sit secundum se bonus. Probatur consequentia primò: ideò appetitus sensitivus est secundum se bonus, non obstante inclinatione ad malum, quia tendit in obiectum bonum aliqua bonitate, etsi malitia affecta; sed habitus vitiosus tendit in obiectum bonum aliqua bonitate, etsi malitia affecta: ergo quod habitus vitiosus inclinet ad malum, non obest, vt sit secundum se bonus. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: habitus vitiosus tendit in obiectum bonum delectabile; sed hoc obiectum est bonum aliqua bonitate, etsi malitia affecta: ergo habitus vitiosus tendit in obiectum bonum aliqua bonitate, etsi malitia affecta. Probatur secundò dicta consequentia: ideò appetitus sensitivus est secundum se bonus, quia licèt tendat in obiectum malum, non tendit in illud, vt malum, nisi cum subordinatione ad voluntatem, in cuius potestate est, velle, vel non velle illud obiectum; sed habitus vitiosus, licèt tendat in obiectum malum, non tendit in illud, vt malum, nisi cum subordinatione ad voluntatem: ergo idem, quod priùs.

7 *Tertiò.*

Ad hanc probationem, etsi alitèr efformatam, duplicitèr respondet Ill.

8

Respondet Ill. Godoy.

Godoy. Primo *infrà num.* 18. assignando quandam disparitatem inter naturam sensitivam, & habitum vitiosum, supponendo tamen, habitum vitiosum inclinare in malum morale. Secundò *num.* 19. discrimen statuendo inter appetitum sensitivum, & habitum vitiosum in eo, quod appetitus sensitivus inclinat solum ad malum pro materiali; habitus verò vitiosus, non solum ad malum pro materiali, sed etiam ad malum pro formali malitiæ. Hæc est tota doctrina, qua vtitur Ill. Godoy in præsenti, non solum vt argumenta solvat, verum etiam vt suam conclusionem probet, & oppositam illius nos in præsenti subtinemus, cum hac tamen differentia, quod Ill. Godoy inclinationem ad malum pro formali malitiæ non tàm probat, quàm supponit; nos autem probatum habemus, inclinare tantum ad malum pro materiali, vltrà quod aliquibus firmandum est, vt hæc solutio Ill. God. & consequentèr omnis eius doctrina, reiecta maneat.

9 *Impugn.* 1.

Impugnrtur primò solutio allata: habitus vitiosus non inclinat ad malum pro formali malitiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: habitus vitiosus causatur ex actibus malis; sed non ex actibus, vt sunt formalitèr mali: ergo vt sunt tantū mali pro materiali: ergo habitus vitiosus nō inclinat ad malū pro formali malitiæ Cōsequentia hæc est evidens: nā habitus inclinat in actus, à quibus gignitur sub ratione, qua gignitur ab illis. Maior est apud omnes certa. Minor autem probatur: actus, vt sunt formalitèr mali, sunt quid privativum; sed habitus vitiosus non causatur ex privatione: ergo habitus vitiosus non causatur ex actibus, vt sunt formalitèr mali. Maior patet: nam malitia formalitèr est quid privativum. Minor est certa: nam habitus vitiosus est quid positivum, & ex privativo nequit positivum causari. Deindè est iuxtà doctrinam Ill. Godoy, quatenus *disp.* 21. *num.* 90. *Quartò colligitur*, tenet: quod ex ommissionibus non generatur habitus ad ommittendum, eo, quod habitus est entitas physica, & positiva, quæ entitatem physicam, & positivam petit pro causa. Consequentia infertur.

10 *Secundò.*

Secundò: stat, habitum vitiosum generari ex actibus malis, quin generetur ex illis, vt sunt formalitèr mali: ergo habitus vitiosus non causatur ex actibus, vt sunt formalitèr mali: ergo habitus non inclinat ad malum pro formali malitiæ, & consequentèr nulla est solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: stat, habitum generari ex actibus supernaturalibus, quin generetur ex ipsis, vt supernaturales sunt: ergo stat, habitum vitiosum generari ex actibus malis, quin ex illis generetur, vt sunt formalitèr mali. Consequentia est paritate legitima, nec potest esse ratio, quæ pro vtroque æquè non militet. Antecedens autem probatur: stat, habitum generatum ex actibus supernaturalibus, esse naturalem; sed non stat, esse naturalem, & generari ex actibus supernaturalibus, vt supernaturales sunt: ergo stat, habitum generari ex actibus supernaturalibus, quin generetur ex ipsis, vt supernaturales sunt. Minor, & consequentia patent. Maior verò est sententia Scoti *in* 3. *dist.* 27. §. *Ad* 1. *argumentum.* Et *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. §. *Ad quæstionem.* Et hanc opinionem tuentur omnes Scotistæ. Item: pro hac sententia citatur D. Thomas *de Veritate, quæst.* 17. *artic.* 1. *in argum.* 4. Ratio autem huius sententiæ non est huius loci; aliquam tamen assignavimus *disp.* 15. *num.* 49. & 50.

11 *Tertiò.*

Tertiò: habitus vitiosus sufficientèr distinguitur ab habitu virtutis, quin inclinet ad malum pro formali malitiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: per hoc, quod habitus vitiosus inclinet ad malum pro materiali, sufficientèr distinguitur ab habitu virtutis: ergo habitus vitiosus sufficientèr distinguitur ab habitu virtutis, quin inclinet ad malum pro formali malitiæ. Consequentia est legitima. Antecedens certum; quia habitus virtutis non inclinat ad malum pro materiali. Secundò: per hoc, quod habitus vitiosus tendat in bonum delectabile, & non in bonum honestū, in quod tendit habitus virtutis, sufficiētèr distinguitur ab illo; sed tendere in bonum delectabile, non est inclinare ad malum pro formali malitiæ: ergo idem, quod anteà. Tertiò: appetitus sensitivus sufficientèr distinguitur à rationali, quin inclinet ad malum pro formali malitiæ, vt claret ex dictis: ergo habitus vitiosus sufficientèr distinguitur ab habitu vir-

tu-

tutis, quin inclinet ad malum pro formali malitiæ.

12 *Impugn. 4.* Impugnatur quartò: nullus habitus generatur ex actibus, vt boni, vel mali sunt moralitèr: ergo nec habitus virtutis inclinat in bonum pro formali bonitatis, nec habitus vitiosus in malum pro formali malitiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: omnis habitus generatur ex actibus; sed actus vt boni, aut mali moralitèr non generant habitum: ergo nullus habitus generatur ex actibus, vt boni, vel mali sunt moralitèr. Probatur minor: bonitas moralis actus consistit formalitèr in convenientia ad naturam rationalem, quæ est relatio realis intrinsecus adveniens ad naturam rationalem, & malitia consistit in privatione talis convenientiæ; atqui nec relatio, nec privatio est operativa, seu assecutiva: ergo actus vt boni, aut mali moralitèr, non generant habitum. Consequentia est legitima. Minor certa.

13 Maior autem est Scoti; nam pro prima parte docetur ab ipso *in dist. 17. quæst. 2. §. Quantum ad istum artic.* dicente: Bonitatem moralem actus *esse convenientiam actus ad rationem rectam*, non distinguens rationem rectam à natura rationali. Idem docet *Quodlibeto 18. §. De primo.* Estque sententia D. Thomæ 1. 2. *quæst. 18. art. 5. 7. & 8.* Pro secunda parte est etiam Scoti *in 1. citat.* dicentis: *Hæc autem bonitas nullum habet principium proprium activum, sicut nec aliquis respectus, maximè cum ille respectus consequatur extrema posita ex natura extremorum.* Pro tertia deniquè parte patet per oppositum ad bonitatem.

14 Vndè solum substantia, & natura actus generat habitum; ideòque habitus solum est entitas physica, quin sit bona, vel mala moralitèr, quia nec bonitas, nec malitia generantur; dicuntur tamen virtuosi, vel vitiosi, in quantum inclinant ad bonum delectabile, vel honestum, seu ad bonitatem, vel malitiam pro materiali. Claret doctrina hoc exemplo: nam habitus temperantiæ adquisitus ad comedendum carnes, solum est principium actus circà mediocritatē in cibo carnis; non verò circà bonitatem, vel malitiam repertam in tali actu; si enim comestio fit in die prohibito veneris, habitus inclinat ad actum malum pro materiali; si verò fit in die non prohibito Iovis, inclinat ad actum bonum pro materiali.

15 *Impugnat. deniquè.* Impugnatur deniquè solutio Ill. Godoy: habitus vitiosus potest transire ad esse habitum virtutis: ergo habitus vitiosus non inclinat ad malum pro formali malitiæ: ergo ruit solutio. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti; nam si habitus vitiosus inclinaret ad malum pro formali malitię, solum posset concurrere ad productionem actus mali. Antecedens autem probatur: habitus transit de bono in malum, & de malo in bonum: ergo habitus vitiosus potest transire ad esse habitum virtutis. Antecedens est Scoti *in 1. citat.* asserentis: quod tàm actus (excipe intrinsicè bonos, vel malos, v.g. amor, & odium Dei, de quibus oppositum docet *in 4. dist. 26. quæst. 1.* eo, quod licèt bonitas, & malitia non sit illis essentialis; est tamen accidens inseparabile) quàm habitus, potest transire de bono in malum, & de malo in bonum, & de habitu probant Scotistæ paritate habitus Theologiæ, qui etsi in via sit inevidens, & evidens in Patria, idem est in Patria, & in via iuxtà Doctorem, *quæst. 3. Prologi*: ergo idem habitus à pari poterit esse bonus, & malus successivè.

16 *Prob. anteced. exemplis.* Cœterum claritatis gratia (quando vrgentiùs non appareat) probatur antecedens his exemplis. *Primum* est: qui habet habitum comedendi carnes temperatè, habet habitum virtutis; sed si carnes prohibentur, habitus mutatur de bono in malum: ergo idem habitus transit de bono in malum. *Secundum* est: habitus audiendi missam est habitus virtutis; sed qui hoc habitu vteretur ad audiendā missam, adveniente præcepto subeniendi proximo in gravi necessitate, vteretur habitu ad malum: ergo idem quod anteà. *Tertium* est: qui habet habitum luxuriæ, habet habitum vitiosum, & qui habet habitum castitatis, habet habitum virtutis; atqui accedente matrimonio habitus castitatis potest, & multotiès fiet malus, & habitus luxuriæ fit bonus: ergo habitus transit de malo in bonum, & è contra. Ommitto alia plura, quia facillimè ex his formari valent, & ratio à priori est: quia boni-

tas,

tas, & malitia apud Scotum ſunt accidentia virtutis, & vitij, vt dixi *diſput. 16.*

17 *Probat. 2. cõcluſ. deſtruendo aliud fund. Ill. Godoy.*

Probatur ſecundò concluſio, deſtruendo etiam aliud principale fundamentum Ill. Godoy: ſi Deus ſe ſolo produceret habitũ vitioſum, Deus non eſſet cauſa moralis peccati: ergo ex hoc capite non implicat, Deum ſe ſolo talem poſſe producere habitum. Probatur antecedens primò: ſi Deus ſe ſolo produceret appetitum ſenſitivum, Deus non eſſet cauſa moralis peccati: ergo ſi Deus ſe ſolo produceret habitum vitioſum, Deus non eſſet cauſa moralis peccati. Antecedens eſt apud omnes certum. Conſequentia infertur: quia ſicut appetitus ſenſitivus eſt inclinatio, non ad bonum honeſtum, ſed ad bonum delectabile, malitia affectum, vel prohibitũ; ita habitus vitioſus ex dictis. Secundò: ideò Deus non eſſet cauſa moralis peccati, etſi ſe ſolo produceret appetitum ſenſitivũ, quia licèt inclinet ad malum hic, & nunc, nec neceſſitat ad malum, nec Deus illum cauſaret in ordine ad malum; ſed habitus vitioſus, licèt inclinet ad malum hic, & nunc, nec neceſsitat ad malũ, nec Deus illum cauſaret in ordine ad malum: ergo, &c. Tertiò: magis concurrit Deus ad peccatum, concurrendo ad materiale illius, quam producendo habitum vitioſum; ſed per cõcurſum ad materiale peccati non eſt cauſa moralis illius: ergo nec producendo habitum vitioſum.

Antecedẽs prob. 1.

Secundò.

Tertiò.

18 *Quartò.*

Quartò: vel appetitus ſenſitivus, inclinans ad malum, eſt imperfectio moralis, vel non? Si ſecundum: ergo nec habitus vitioſus, quia in malum inclinat, erit imperfectio moralis. Si primum: ergo ſicut Deus poteſt ſe ſolo producere appetitum ſenſitivum, etiam ſi ſit imperfectio moralis, poterit etiam ſe ſolo producere habitũ vitioſum, etiam ſi ſit imperfectio moralis: ergo vel falſum eſt, quod habitus vitioſus ſit imperfectio moralis; vel hoc dato, hoc non impedit, vt Deus ſe ſolo illum valeat cauſare. Vndè iuxtà hoc dicendum eſt, quod non repugnat Deo producere imperfectionem moralem in actu primò in ordine ad bonum, non intendendo imperfectionem moralem in actu ſecundo, neque per modum finis, neq; per modum medij.

19 *Quintò.*

Probatur quintò, & dicta roborantur: poteſt Deus habitũ vitioſum infundere ſolum in illis circunſtantijs, in quibus ſciret, quod talis habitus non traheret actualitèr ad peccatum; atqui in hoc caſu Deus ſe ſolo produceret habitum vitioſum, quin Deus eſſet cauſa peccati: ergo poteſt Deus ſe ſolo habitum vitioſum producere. Confirmatur, & vrgetur: poteſt Deus infundere habitum vitioſum, & ſimul cum illo infundere habitum oppoſitum virtuoſum in tanta excellentia, vt coram ipſo habitus vitioſus non haberet vim determinativam moralitèr voluntatis ad malum; ſed in hoc caſu nulla in Deo ſequeretur imperfectio ex productione habitus vitioſi: ergo poteſt Deus illum ſe ſolo producere.

Confirmat. & vrgetur.

§. II.

Ampliùs probatur verior concluſio.

20 *Probat. 3. concluſ.*

PRobatur tertiò concluſio: Deus ſe ſolo habitum vitioſum conſervat, quin ex hoc dicatur, per ſe inclinare ad peccatum, ſeu illud cauſare: ergo ſtabit etiam, ſe ſolo habitum vitioſum producere, quin ex hoc dicatur, in peccatum inclinare, vel illud per ſe cauſare. Conſequentia videtur bona. Antecedens autem probatur: nam tempore, quo habitus conſervatur, nulla exiſtit actio voluntatis, media qua conſervetur; at cauſa ſecunda non niſi media actione conſervat, ſicut non alitèr, quam mediante actione aliquem effectum producit: ergo non conſervatur ab illa, niſi ſolum à Deo; & tamen ex hoc Deo non attribuitur, quod cauſet peccatum, vel per ſe ad illud inclinet: ergo Deus ſe ſolo habitum vitioſum conſervat, quin ex hoc dicatur, per ſe inclinare ad peccatum, vel illud per ſe cauſare. Quid ad hanc rationem reſpondere valeant Scotiſtæ contrarij, penitus ignoro; cum nequeant negare neceſsitatem exiſtentię in cauſa efficiente ad producendum, & conſervandum effectum, quod omnes Scotiſtæ tuentur cum Scoto *citat. numer. 4.* Vndè ab his, quia ignoratis, præſcindendo.

21 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Variè reſpondent ad hanc probationem cœteri adverſarij, & relictis aliquorum ſolutionibus, quas optimè refellit Ill. Godoy *num. 24. & 25.* ad eam reſpondet ipſe *numer. 26.* ne-

gan-

gando antecedens. Ad illius probationem, distinguit maiorem: non existit physicè, concedit maiorem; moraliter, negat maiorem; & concessa minori, negat consequentiam. Vt enim habitus vitiosus à solo Deo non conservetur, sed etiam à voluntate nostra, sufficit existetentia moralis actus peccaminosi, vt constat in peccato habituali, quòd in multorum sententia in qualitate physica ex actuali peccato relicta consistit; & consequenter à Deo conservatur, non tamen ab illo solo, sed etiam à peccatore mediante existentia, non physica, sed morali actus peccaminosi precedentis.

22 *Reijcitur 1*

Hæc tamen solutio valdè mihi displicet, quia contra illam stat opinio illa, valdè communis, & generalis, scilicèt, ad efficienter causandum requiri in causa efficiente physicam existentiam; minimèque sufficere moralem, quod Scotum docuisse dixi *num.* 4. & ita certum ab omnibus ferè iudicatur, vt tanquam evidens axioma supponant. Plura in Physica videantur pro nullitate huius solutionis; & nunc sic brevitèr reijcitur primò: causa conservans est, qua destructa, destruitur effectus: ergo moralis existentia causæ insufficiens est ad physicè conservandum physicum effectum. Totum est verum, & hac confirmatione convincitur: si existentia moralis causæ sufficeret ad cõservandum physicè effectum physicum, omnes res dicerentur conservari à causis creatis iam destructis, v.g. Filius à Patre defuncto, vt de se patet; sed hoc est falsum: ergo falsum est, habitum vitiosum, qui est effectus physicus, conservari physicè à causa physicè non existente.

Vrgetur.

23 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundò: conservatio est continuata productio iuxtà omnes, quod fatetur Ill. Godoy *infrà numer.* 25. *in fine*; sed habitus vitiosus productus est ab actibus physicè existentibus: ergo illius conservatio ab actibus debet esse continuata physica existentia actuum: ergo non sufficit moralis actuum existentia. Tertiò: quia conservatio est continuata productio, si causa moraliter existens aliquid causat, ad id conservandum sufficiet moralis existentia causæ: ergo si causa physicè existens aliquid causat, ad id conservandum, necessaria est physica existentia causæ; aliquin conservatio non esset continuata productio. Atqui actus physicè existentes sunt causa habitus vitiosi: ergo vt actus talem habitum conservent, egent necessariò physica existentia: ergo insufficiens est moralis assignata ab Ill. Godoy in solutione.

Tertiò.

Nec illi fabet paritas, quam adducit de peccato habituali; quia in opinione Thomistarum peccatum habituale non consistit in qualitate physica ex actuali peccato relicta, sed in privatione gratiæ, vt docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. & cum eo eius discipuli. Imò: si illius solutio paritatem exigebat, vt quodammodo firmaretur, cur paritatem saltim in sua opinione veram, non adduxit? Deniquè: nec paritas est contra nos instantia; quia peccatum habituale consistere in qualitate physica ex actuali peccato relicta, nullus ex nostris dixit; sed consistere, vel in permanentia morali peccati actualis, vt aliqui tenent Scotistæ; vel vt dicunt alij, consistit in deputatione passiva ad pœnam æternam, quæ est relatio rationis, seu reatus. Pro vtraque stat Scotus, etsi primum benè explicetur, coincidit cum secundo. Cæterum consistere in privatione habitualis rectitudinis debitæ, est mihi probabilius, & dicam *disput.* 36. de peccato habituali Adami. Nulla ergo est paritas.

24 *Displicet paritas de peccato habituali.*

Probatur quartò conclusio: potest Deus se solo infundere intellectui nostro habitum erroris: ergo etiã potest se solo infundere voluntati habitum vitiosum. Consequentia videtur legitima; quia non apparet maior ratio ad vnum, quam ad alterum. Antecedens docetur à pluribus Thomistis 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. Et 3. *part. quæst.* 15. Item docetur à pluribus Scotistis, pro quibus sufficiant Lichetus *in* 3. *dist.* 38. *in Scholio ad §. Aliter dicitur num.* 18. *& sequentib.* Smising *de Deo Vno, tract.* 2. *disp.* 6. *num.* 285. *ad secundum.*

25 *Probat. 4. concl.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 31. distinguendo antecedens: si possit se solo actualem errorem infundere, concedit antecedens; si actualem errorem infundere, Deo repugnet, non solum ex parte vitalitatis, sed etiam ex conceptu erroris, negat antecedens, & consequentiam: quia pecca-

26 *Respondet Ill. Godoy.*

tum se solo producere, repugnat Deo in omnium Theologorum sententia, non solum ratione vitalitatis, sed etiã ratione malitiæ, quid autem sit absolutè dicendum respectu habitus erroris, non est huius loci examinare, sed pertinet ad 2. 2. *& ad 3. p. locis relatis.*

27 *Reijcitur*

Hæc tamen solutio est contra plures Theologos, qui negantes, posse Deum se solo infundere actum erroris, id de habitu concedunt. Item: est etiam contra plures alios sentientes, posse Deum infundere actum erroris, de quorum numero sunt Lichetus *citat.* Bazquez *disp.* 90. *cap.* 4. & Lorca 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 3. *disp.* 9. *numer.* 25. Deniquè est contra alios dicentes: posse Deum se solo causare in voluntate actum intrinsicè malum, v.g. odium Dei, desperationem, &c. vt tenet Smising *citat. num.* 286. Sed quia non est huius loci hoc examinare, vt ait Ill. Godoy, dicta pro impugnatione solutionis illius sufficiant, & videantur Authores relati.

28 *Prob. 5. concluſ. specialitèr.*

Probatur quintò conclusio specialitèr: habitus vitiosus nullam habet imperfectionem, ratione cuius nequeat Deus illum infundere: ergo potest Deus se solo habitum vitiosum infundere. Consequentia est legitima. Antecedens probatur: habitus vitiosus potest quandoque esse ex gratia particulari Dei: ergo habitus vitiosus nullam habet imperfectionẽ, ratione cuius nequeat Deus illum infundere. Consequentia patet primò: quia si haberet talem imperfectionẽ, non posset Deus gratia particulari ad ipsum concurrere. Secundò: quia verum vniversalitèr est, Deum se solo producere posse omne id, ad quod potest præstare gratiam particularem, si aliundè ex imperfectione illius non repugnet. Antecedens probatur: habitus vitiosus potest per se concurrere ad augmentum meriti illius, cui infunderetur: ergo habitus vitiosus potest quandoque esse ex gratia particulari Dei. Consequentia ex se apparet.

29 *Probatur anteced.*

Antecedens autem, in quo stare potest difficultas, probatur: si homini habenti habitũ virtutis, vt sex, infunderet Deus habitũ vitiosum, vt duo, ille homo eliceret, vel elicere posset actum bonum magis meritorium, cæteris paribus; sed ad hoc meriti augmentum concurreret per se habitus vitiosus: ergo habitus vitiosus potest per se concurrere ad augmentũ meriti illius, cui infunderetur. Maior patet: nam habenti talem habitum vitiosum esset actus bonus, cæteris paribus, difficilior, quam talem habitum vitiosum non habenti, & maior operis difficultas auget meritum iuxtà omnes. Minor constat: nam talis habitus vitiosus per se concurreret ad maiorem actus difficultatem. Consequentia est notoria.

30 *Confirmat.*

Confirmatur hoc, & declaratur: supponamus Petrum, & Paulum omninò pares in gratia, & impares solum in eo, quod Petrus, & non Paulus habet habitum vitiosum intemperantiæ. Supponamus etiam, quod vterq; eliceat actum virtutis temperantiæ. In hoc casu, actus temperantiæ elicitus à Petro esset maioris meriti, quã actus elicitus à Paulo; sed ad hoc meriti augmentum solum habitus vitiosus per se concurrit: ergo habitus vitiosus potest per se concurrere ad augmentum meriti illius, in quo est talis habitus. Maior supponitur ab omnibus certa, eo, quod in Petro esset difficilior elicientia actus temperantiæ. Minor est nota: quia solum habitus vitiosus in tali casu, quod cætera essent paria, esset causa per se maioris difficultatis ad elicientiam actus. Consequentia est legitima.

31 *Probat. 6. concl.*

Probatur sextò conclusio: Deus potest se solo producere omne creatum, quod est bonum; sed habitus vitiosus est ens creatum bonum: ergo potest Deus se solo habitum vitiosum producere. Probatur minor: habitus vitiosus est solum causalitèr malus; sed quod est solum causalitèr malũ, est bonum: ergo habitus vitiosus est ens creatum bonum. Consequentia infertur. Maior est certa apud Scotistas, & plures Thomistas, cum quibus Martinez *suprà quæst.* 55. *art.* 1. *dub.* 2. *ad vltimum argum.* nam in eo, vt omnes isti supponunt, actus ab habitibus discriminantur, quod in actibus reperitur bonitas, vel malitia actualis, & formalis; in habitibus verò solum reperitus bonitas, vel malitia habitualis, & causalis, in quantum inclinant ad actus bonos, vel malos. Minor autem probatur: solum quod est bonum potest esse causa mali: ergo quod est solum causalitèr malum, est bonum.

§. III.

Argumentis Ill. God. occuritur.

32 *Arguit.* 1. ILl. Godoy *num.* 2. arguit primò ex D. Thoma *in* 2. *dist.* 44. *quæst* 1. *art.* 1. *in* 2. *ad Anibaldum in eadem dist. quæst. & artic.* Ad Rom. 13. *lect.* 1. *& alibi sæpè: Potentia peccandi formalitèr non est à Deo, tanquam à causa efficiente*: ergo multo minus facilitas ad peccandum potest ab illo, vt ab efficiente causa, procedere. Tum, quia vt docet D. Thomas *in hac quæst. art.* 3. habitus excedit potentiam in bono, & malo morali; & consequentèr si potentia, quæ est minus malum, Dei causalitatem subterfugit effectivam, à fortiori facilitas ad peccandum, quę est peior. Tum etiam: nam facilitas proximiùs ad peccatum accedit, quã potentia peccandi: ergo si hæc magis distans à Deo causari non potest, multo minus facilitas illam poterit terminare; tunc sic: sed si Deus se solo habitum vitiosum causaret, esset ab ipso efficientèr peccandi facilitas: ergo nequit Deus se solo habitum vitiosum producere. Patet minor: habitus vitiosus essentialitèr est peccandi facilitas; supponimus namque non ab extrinseco, seu ab aliquo accidente ab habitu separabili, sed per essentiam suam dare ad peccandum facilitatem: ergo non potest in rerũ natura constitui absquè hoc prædicato; at in casu, in quo à solo Deo produceretur, nulla esset causa efficiens præter Deum, ad quam posset efficientèr reduci: ergo in tali casu Deus efficientèr causaret facilitatem peccandi, seu ad peccandum formalitèr.

33 *Arguit.* 2. Arguit secundò *num.* 3: nam iuxtà D. Thomam *infrà quæst.* 79 *art.* 1. *in corpore*, Deus non potest inclinare voluntatem hominis ad peccandum pro formali, quia aliàs esset causa peccati pro formali directè: at si se solo habitum vitiosum produceret, effectivè inclinaret voluntatem hominis ad peccatum pro formali: ergo omnino repugnat, se solo habitum vitiosum producere. Probatur minor: quod effectus causatus dat in genere causæ formalis, præstatur à causa efectiva in genere causæ efficientis; at habitus vitiosus redit in genere causæ formalis voluntatem inclinatam ad peccandũ pro formali: ergo si Deus illum se solo produceret, inclinaret voluntatem in genere causæ efficientis ad formalem malitiam peccati.

34 *Arguit.* 3. Arguit tertiò *num. citat*: deformitas habitualis habitus vitiosi est incausabilis à Deo in genere causæ efficientis; at si Deus se solo habitum vitiosum produceret, causaret efficientèr illius deformitatem: ergo habitus vitiosus non potest à Deo se solo efficientèr causari. Consecutio est legitima. Minor omninò certa: quando enim Deus habitum vitiosum producit cum consortio causæ secundæ, ideò existit deformitas habitus absq; efficientia Divina terminata ad ipsam formalitèr, quia est alia causa, ad quã efficientèr ordinetur, seu reducatur; at quando Deus se solo illum produceret, non esset alia causa, ad quam reduceretur eius deformitas: ergo necessariò existeret per terminationem efficientiæ Divinæ.

35 *Prob. mai.* 1. Maior autem ostenditur primò, supponendo sententiam satis communem affirmantem, virtutem, & vitium non solum causalitèr, sed etiam formalitèr participare honestatem, & malitiam moralem; at malitia moralis est à Deo incausabilis in genere causæ efficientis; cum in illo non contineatur, nec formalitèr, nec eminentèr: ergo deformitas habitualis habitus vitiosi est à Deo incausabilis in genere causæ efficientis.

36 *Secundò.* Probatur secundò: quod enim à Deo non potest causari in genere causæ finalis, nec ab illo potest causari in genere causæ efficientis; cum causalitas effectiva, & causalitas finalis sibi invicem adæquatè correspondeant in Deo, iuxtà illud: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*; at deformitas habitus vitiosi est à Deo incausabilis in genere causæ finalis: ergo etiam in genere causæ efficientis. Probat minorem: quod est propter finem proximum, non subordinatum Deo in genere causæ finalis, non potest à Deo in genere causæ finalis causari; at deformitas peccati habitualis proximè finalizatur à deformitate actuali, quæ prout talis, non est à Deo in genere causæ finalis: ergo deformitas habitus est à Deo incausabilis in genere causæ finalis.

37 *Arguit deniquè.* Arguit deniquè *num.* 5: si Deus habitum vitiosum se solo produceret, esset causa, vt homo actualitèr peccaret; at hoc implicat in omni

ſententia : ergo Deus nequit ſe ſolo habitum vitioſum producere. Sequela, in qua eſt difficultas, probatur. Primò : quod enim eſt cauſa cauſæ, per ſe ad aliquem effectum ordinatæ, & inclinatæ, etiam ad illius effectum concurrit; at voluntas, vt affecta habitu vitioſo, eſt cauſa per ſe inclinata ad peccatum pro formali; cum vitium per modum formæ ad illud prout ſic inclinet; & conſequentèr voluntas, vt illo affecta per ſe ad illum inclinetur : ergo ſi ſe ſolo Deus habitum vitioſum produceret, eſſet cauſa, vt homo actualitèr peccaret.

Sequela Probat. 1.

38 *Secundò.* Secundò: nam eo ipſo, quod Deus ſe ſolo habitum vitioſum produceret, voluntas, vt ſtat ſub illo, ſubordinaretur Deo in eſſendo quoad omnem formalitatem; at ſubordinatio in agendo ſuprà ſubordinationem in eſſendo fundatur: ergo ſubordinaretur Deo in elicientia actus, prout peccaminoſi formalitèr; & conſequentèr Deus eſſet cauſa peccati. Tertio: nam inclinans per ſe ad peccatum pro formali, iuvat ad illud pro formali efficiendum; & conſequentèr pro formali illud cauſat; at ſi Deus ſe ſolo habitum vitioſum produceret, per ſe inclinaret ad peccatum pro formali; cum cauſaret efficientèr formam ad peccatum pro formali inclinantem: ergo ſi ſe ſolo habitum vitioſum produceret, eſſet per ſe cauſa, vt homo peccaret.

Tertiò.

39 Hæc ſunt argumenta Ill. Godoy, quæ ſimul, & conſequentèr propoſui; tum, quia ſic fecit ipſe; tum etiã, quia omnia in idem coincidunt, & reſponſio ad quodlibet eſt ad omnia ſolutio, vt ipſe cognovit, & inſinuat in modo, quo prædicta argumenta proponit, & reſponſiones ad illa tribuit, quæ ad duplicem modum reducuntur.

40 *1. modus reſpõdend.* Primus reſpondendi modus eſt illorum Thomiſtarum, qui cum Ill. Godoy conveniunt in eo, quod habitus vitioſus inclinat ad malum pro formali malitiæ, vel ad formale peccati. Hi autem triplicitèr reſpondent. Primo: ex eo, quod Deus ſe ſolo habitum vitioſum producat, non colligi fore cauſam peccati pro formali malitiæ, quia non ſolum habitus, ſed ſimul libertas voluntatis creatæ eſt cauſa peccati; vndè ſicut non ſequitur ex concurſu Dei ſimultaneo ad materiale peccati, Deum eſſe cauſam illius; quia ſimul concurrit voluntas creata, cui adſcribitur formale malitiæ; ita nec ex eo, quod habitum inclinantem ad formale peccati producat ſe ſolo, ſequitur fore Deum cauſam peccati.

1. ſolutio ex 1. modo.

41 *Secunda.* Secundò reſpondent alij : ex productione habitus vitioſi non ſequi, Deum fore cauſam peccati, niſi tantum per accidens, nec ad illud pro formali, niſi tantum per accidens fore inclinaturum, eo, quod quamvis talem habitum vitioſum produceret, de ſe alicientem, & inclinantem ad malum morale, Deus tamen non produceret illum ex fine peccati hominis, ſed ob alios fines, nec optaret, vt homo peccaret, ſed potiùs vt peccatum non fieret.

42 *Tertia.* Tertio reſpondent alij : quando cauſa eſt omninò cum effectu connexa, qui intendit, & ponit cauſam, per ſe intendere, ſaltim virtualitèr effectum; quando autem cauſa non eſt per ſe connexa cum effectu, eſtò in illum propendat, non ideò per ſe intendere virtualitèr etiam effectum. Vndè etſi habitus inclinet in actum vitioſum, cum tamen non ſit cum illo omninò connexus, Deus per ſe nec virtualitèr intenderet actum vitioſum, etſi habitum vitioſum ſe ſolo produceret.

43 Hanc triplicem ſolutionem tradit Ill. Godoy, & reijcit *à num. 6. vſquè ad num. 13.* Et licèt verum ſit, quamlibet ex his ſolutionibus eſſe valdè probabilem; nos tamen hac via non procedimus, ideòque impugnationes, quas contra illas format Ill. Godoy, ſolvendas relinquimus ab Authoribus illarum. Litigent ergo in hac materia cum Ill. Godoy, quia litigium noſtrum cum illo ſtat in ſecundo modo reſpondendi, cum ipſoque omninò ceſſat, & finitur litigium.

44 *2. modus reſpõd. iuxtà quẽ reſpondeo.* Secundus modus reſpondendi eſt Scotiſtarum, negantium, habitum vitioſum inclinare ad malum pro formali malitiæ, vel ad formale peccati, iuxtà quem modum reſpondeo ad omnia ab Ill. Godoy adducta, negando ſuppoſitum; in omnibus namque ſupponit, quod habitus vitioſus inclinet ad malum pro formali malitiæ; hoc enim ſuppoſito probat, habitum vitiuſum excedere potentiam in malo morali; eſſe à Deo incauſa-

bilem ; Deum inclinare ad formale peccati, & esse causam illius. Falsitas autem supposiți abundè patet ex dictis *à num.* 9. *vsquè ad num.* 17. ex quibus apparet, quod nec habitus vitiosus generatur ex actibus, vt sunt mali moraliter, nec generat actum vt moraliter malum, quod valdè roborat quinta nostra specialis probatio.

45 *Corollariũ.* Ex dictis in discursu disputationis colligo contra Ill. God. *in fine*; habitum vitiosum posse à Deo se solo causari extra voluntatẽ, quod eisdem rationibus ostenditur, & supposito, quod habitus vitiosus non inclinet ab intrinseco ad actum difformẽ, quod est nostra opinio, concedit Ill. Godoy *citat.* in primo corollario, talem habitum, non solum extrà voluntatem, verum etiam in voluntate, posse à Deo se solo causari. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri, *vbi disput. præcedens.* Et *dist.* 44. §. 2. ad illa verba : *Sed pluribus Sanctorum testimonijs demonstratur, &c.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA.

Utrùm actus in bonitate, & malitia morali excedat simpliciter habitum?

FRequens, & comunis Scholasticorum sententia, vt dixi *disp.* 4. §. 2. est: actum esse simpliciter perfectiorem habitu, loquendo de phisica entitate, quod de supernaturali in Patria docuit Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *ad* 5. Et de supernaturali in via colligitur ex his, quæ de comparatione actus, & habitus generati tradidit *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 8. §. *Conclusio istarum duarum opinionum, & ad* 1. *primæ opinionis.* Et *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Sed tunc est vlterius dubium,* ℣. *Vlterius sicut in actu.* Vbi significat eodem modo quoad causalitatem, & perfectionem comparari habitum supernaturalem cum suo actu, quo comparatur cum suo habitus naturalis, nempè, tanquam causa æquivoca partialis imperfectior suo effectu totali. Et ratio pro omnibus est duplex. Prima quam dedit Doctor *in* 4. *citat.* est: quia per actum immediatiùs attingitur obiectum, quam per habitum : ergo actus est habitu perfectior. Consequentia patet: nam ex attingentia obiecti sumitur in actibus, & habitibus perfectio. Secunda est : quia actus est vitalis; non verò habitus : ergo actus est simpliciter perfectior habitu.

Nec obest, quod habitus sit, tum perfectio permanens; tum, causa actus; tunc deniquè, quod per habitum, & non per actum, iustificemur. Non (inquam) obest : nam materia prima est permanentior forma substantiali corruptibili, & non est illa perfectior. Causa particularis, vti est habitus, potest esse imperfectior suo effectu totali. Deniquè habitus non ex natura sua, sed ex Divina ordinatione, est forma sanctificans, quod etiam actui convenire potuit, si Deus voluisset, vt est Scotistarum cum Magistro *in* 2. *dist.* 27. §. *Istæ quæstiones, & in* 3. *dist.* 28. §. *De secundò. & in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta*, communis opinio, & concors sententia. Non ergo obiecta prædictæ officiunt veritati de excessu actus respectu habitus, de phisica perfectione loquendo.

Loquendo autem de bonitate, & malitia morali, de quibus disputationem instituit Ill. Godoy, frequens etiam, & comunis Theologorum sententia est, quod actus honestus in bonitate morali virtutem excedat, & actus peccati vitium superet in morali malitia. Sic Ill. Godoy *in præsenti* cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 71. Et nos idem asserimus cum Scoto *citat.* & consequenter ad dicta *disp. præcedenti*, ex quibus facilima ratione vtrumque probamus; bonitas, & malitia moralis formaliter solum reperitur in actibus; in habitibus autem solum causaliter, vt diximus *disp. præced. num.* 31. & colligitur ex omnibus ibi dictis; atqui quod est formaliter in aliquo genere, est in illo perfectior sim-

pliciter omni, quod solum est in illo genere causaliter tale: ergo actus in bonitate, & malitia morali est simpliciter perfectior habitu. Hanc opinionem propugnat Ill. God. & quia litigium cum eo non habemus, hæc sufficiant pro hac disputatione, applicanda litteræ Magistri *in 2. dist. 35. §. 10.* ad illa verba: *Nihil est autem, quod hominem à Deo dissimilem, faciat, sicut peccatum.* Mag. sent.

)(9)(

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

An possit dari ommissio culpabilis in individuo absquè omni actu physico voluntatis, qui sit causa, vel occasio illius?

MAgister Subtilis *in 1. dist. 41. §. Contra istud, & §. Primum istorum.* Et *dist. 47.* Et *in 3. dist. 19. §. In ista quæst.* & alibi, constanter docet: possibilem esse ommissionem culpabilem in individuo absquè omni actu, qui sit causa, vel occasio illius, ductus efficaci illa ratione, nempè, quod sicut voluntas est indifferens quoad specificationem, ita quoad exercitium: ergo sicut potest velle Deum amare, ita potest illum non amare. Atqui si datur præceptum amandi, & non amat, peccat peccato ommissionis sine omni actui: ergo possibilis est talis ommissio. Hac ratione convictus Ill. Godoy, opinionem Scoti amplectitur, eamque esse iuxtà D. Thomam ex pluribus locis deducit, & iuxtà illius mentem propugnat §. 2. & ratione per sequentia defendit, & latè. Undè nihil contra ipsum in præsenti habemus. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri *in 2. dist. 35. §. 6.* ad illa verba: *Non credere in Christum.* Mag. sent.

DISPVTATIO VIGESIMASECUNDA.

Utrùm omne opus de se incompatibile cum observantia præcepti affirmativi vitietur ex malitia ommissionis?

Num. 1 *Opus in ommissonẽ influens, est peccatum.*

IN hac etiam disputatione cum Ill. Godoy convenimus; quia tamen aliqua valdè vtilla, & ad sequentium intelligentiam valdè necessaria continet, eam brevitèr pertractabimus. Certum est primò apud omnes Theologos (vno, vel altero excepto) quod omne opus in ommissionem influens, est peccatum, malitia sumpta ex ommissione causata. Quod de actu, quo quis priùs expræsè vult ommissionem, facillimè constat: actus enim ille habet malum obiectum, ommissionem videlicèt prohibitam: ergo ex illo obiecto vitiatur. Deindè: de quocumque opere, sivè actu ommissionem causante, probatur primò: nam actus habens malam circunstantiam, est malus; at actus ommissionem causans habet

ma-

malam circunstantiam eventus: ergo ex tali circunstantia vitiatur. Secundò: nam actus habens malum obiectum virtualitèr attactum, est malus; at omnis actus in ommissionem influens virtualitèr attingit ommissionem pro obiecto, cum terminetur ad aliquid ommissionem causans, & inferens; & consequentèr ad ipsam ommissionem causatam: ergo omnis actus in ommissionem influens est malus.

2 Secundò certum, & indubitatum est: actum, vel opus, quod nullatenus in ommissionem influit, sed omninò concomittantèr, se habet ad illam, non vitiari ex ommissione, in quo nullus Theologorum dissentit. Et patet: nam opus ommissionē non causans, nec illam habet pro obiecto, nec pro circunstantia obiecti: ergo ex illa non potest vitiari. Ex quo per evidentem consequentiam colligitur, quod si opus esse possit incompossibile cum observantia præcepti affirmativi, & nullum influxum in ommissionem habere, non omne opus cum observātia præcepti incompossibile culpabili ommissione vitiabitur.

3 Tertiò etiam apud omnes certum est: quod si opus de se incompossibile cum adimplectione præcepti à voluntate assumatur, vt medium ad ommittendum Sacrum, v. g. vel vt motivum, & finis prædictæ ommissionis, ex ommissione vitiabitur, v.g. si quis, vt ommittat Sacrū, studeat, vel ommittat Sacrum, vt studeat, studere erit peccatum. Quod patet primò: nam quocumque ex his modis sumatur studium, influit in ommissionem Sacri, vel vt medium, vel vt finis: ergo vitiatur ex illa. Secundò: quia vt docent Theologi, ex intentione mala vitiatur electio, intentio etiā ex electione mala vitiatur, vt si quis vellit furari, vt det eleemosynam, quæ quantum est de se bona est, ex mala electione vitiatur: ergo studium de se bonum, redditur malum, si à voluntate sumatur, vel vt finis, vel vt medium ommittendi.

4 *Punctus difficultatis.* His itaquè suppositis, quod in examen vertitur, est: an omne opus de se incompatibile cum observantia præcepti, etiam si nec vt finis, nec vt medium respectu ommissionis sumatur, eo ipso, quod cum adimpletione præcepti sit incompatibile, influat in ommissionem, & vitietur ex illa? V. g. decrevit quis efficacitèr Missam non audire in die festo, vel ex motivo non videndi inimicum, vel ob solam libertatem exercendam, & hac efficaci voluntate suppositā, vult domi manere, ludere, vel studere, vel alia quævis opera de se cum auditione Sacri repugnantia. An hæc omnia, vel aliqua illorum in ommissionē influant, & consequentèr ex illa vitientur.

5 *Conclusio.* In qua difficultate pro conclusione statuit Ill. Godoy: *Nullum opus de se incompatibile cum præcepti adimpletione, infici malitia ommissionis, si voluntatem supponat cum firmo, & permanenti decreto ommittendi.* Hanc opinionem secuntur omnes, quos ipse *citat. num. 3. pro tertia sententia.* Vltrà quos eam tenet Durandus *in 2. dist. 35. quæst. 2.* & est sententia omnium Scotistarum; patetque ex eo, quod opus non influens in ommissionem, non inficitur ex illa, vt diximus *numer. 2*; atqui nullum opus de se incompossibile cum præcepti adimpletione influit in omissionem, suppositō prædicto decreto; quia merè per accidens, & concomitanter se habet ad ommissionem, quin aliquod se habeat, vt medium, vel finis respectu ommissionis: ergo nullum opus de se incompatibile cum præcepti adimpletione, inficitur malitia ommissionis, suppositā voluntate cum firmo, & permanenti decreto ommittendi.

Probatur.

6 *Efficatia prædictæ rationis ostenditur.* Hęc autem ratio efficax est, non solum pro ommissione, vt in intentione decretata, sed etiā in executione exequenda. Est etiam efficax, non solum de operibus posterioribus ad primum opus incompossibile cum adimpletione præcepti; sed etiam de illo primo opere. Et est deniquè efficax, non solum respectu ommissionis consistentis in carentia actus voluntatis, verum etiam respectu ommissionis cōsistentis in carentia actus exterioris. Ratio autem omnium est: nam vel talia opera se habent, vt medium, vel vt finis respectu ommissionis, quomodocumque consideratæ, vel non? Si primum. Non est ad rem, quia de illis, hoc modo acceptis, non loquimur in præsenti vt diximus *numer. 4.* Si secundum: ergo merè per accidens, & concomitantèr se habent ad ommissionem: ergo illam non causant,

ſant, & conſequentèr peccata non ſunt. Exemplo hoc declaratur.

7 *Declaratur exemplo.*

Supponamus: Petrum efficacitèr decreviſſe, non audire Sacrum hodie, ſtante præcepto, vel ex motivo non videndi inimicum, vel ob ſolam libertatem exercendam. Hoc ſuppoſito, manſit domi, vbi vel ſtudet, vel ludit. In hoc caſu, ommiſsio eſt in ordine executionis, conſiſtitque in carentia actus exterioris, nempè, in carentia præſentiæ in Eccleſia, & auditionis Sacri; primumque opus volitum à Petro poſt efficax decretum ommittendi Sacrum, eſt domi manere. Secundum verò eſt ſtudium, vel ludus. In hoc itaquè caſu, nec domi manere, nec ſtudium, vel ludus, ſe habent, vt medium, vel finis reſpectu non auditionis Sacri, quæ eſt ommiſſio in ordine executionis, & conſiſtens in carentia actus exterioris: ergo nec domi manere, nec ſtudium, vel ludus influunt in prædictam ommiſſionem. Antecedens ſupponitur ex dictis *num.* 4. Conſequentia verò probatur: quod non ſe habet, vt mediũ, vel vt finis reſpectu ommiſsionis, non influit in illam; ſed per te nec domi manere, nec ſtudium, nec ludus, ſe habent, vt medium, vel vt finis reſpectu ommiſsionis prædictæ: ergo nec domi manere, nec ſtudium, vel ludus influunt in prædictam ommiſſionem.

8 *Dices.*

Dices: verum eſſe, talia opera non influere in ommiſsionem, vt mediũ, nec vt finis; cœterum hoc non obeſt, vt ſaltim primum opus, incompoſsibile cum auditione Sacri, ſcilicèt, domi manere, impediat auditionem Sacri, vt cauſa formalis, & conſequentèr vt talis influat in ommiſsionem, & peccatum ſit. Hæc eſt tota adverſariorum doctrina, quæ facilitèr impugnatur. Primò: nam domi manere non eſt cauſa formalis non auditionis Sacri, ſeu ommiſsionis illius, vt optimè probat Ill. Godoy *num.* 9. Secundò: nam ſolum cauſa efficiens moralis, & finalis ſunt peccata; non verò aliæ cauſæ; ſed iuxtà ſolutionem primum opus cum auditione Sacri incompoſsibile, non eſt cauſa efficiens moralis, nec finalis ommiſsionis; quia nec eſt medium, nec finis reſpectu illius: ergo tale opus non eſt peccatum. Tertiò: quia in tantum tale primum opus eſſet cauſa formalis ommiſsionis, in quantum cum auditione Sacri eſt incompoſsibile; ſed quod eſt incompoſsibile non eſt cauſa formalis, niſi latiſsimè: ergo nec peccatum. Minor patet: alioquin cętera opera, ſcilicèt, ſtudere, & ludere, quæ ſecuntur ad primum opus, nempè, domi manere, eſſent etiam cauſa formalis ommiſsionis, vtpotè, incõpoſsibilia cum auditione Sacri, & conſequentèr eſſent peccata, quod adverſarij non fatentur.

Impugn. 1.

Secundò.

Tertiò.

9 *Quartò.*

Quartò: in tantum primum opus, ſcilicèt, domi manere, influeret in ommiſsionem, in quantum impediret auditionem Sacri; ſed in caſu poſsito, domi manere non impedit auditionem Sacri: ergo nullo modo influit in ommiſsionem, & conſequentèr ruit ſolutio. Probatur minor: licèt domi manere ſit de ſe impeditivum auditionis Sacri; in caſu tamen poſsito non impedit auditionem Sacri: ergo in caſu poſsito, domi manere non impedit auditionem Sacri. Probatur antecedens: opus de ſe impeditivum alicuius effectus illum non impedit de facto, quando impeditum ſupponit; ſed in caſu poſsito, domi manere ſupponit impeditam auditionem Sacri: ergo licèt domi manere ſit de ſe impeditivum auditionis Sacri, in caſu poſsito non impedit auditionem Sacri. Conſequentia eſt legitima. Minor patet: nam in caſu poſsito domi manere ſupponit decretum efficax, firmum, & perſeverans ommittendi Sacrum, quo ſtante, nequit eſſe actus voluntatis imperans potentiam deambulativam, vt in Eccleſiam pergat ad audiendũ Sacrum, & conſequentèr auditio Sacri ſufficientèr impedita eſt per tale decretũ.

10 *Maior patet* 1.

Secundò.

Maior verò eſt certa. Primò: quia cauſa de ſe cauſativa alicuius effectus, illum non cauſat de facto, quando illum cauſatum ſupponit. Secundò: quia ſi lumen ſemel impediatur per occluſionem feneſtræ, iam reliqua omnia, quæ poſſent idem lumen impedire, nullo modo impediunt, quia lumen impeditum ſupponunt: ergo ſimilitèr: ſi auditio Sacri impedita eſt per decretum efficax, firmum, & perſeverans non audiendi Sacrum; etiam ſi domi manere ſit de ſe impeditivũ auditionis Sacri, non tamen impedit in caſu poſsito, quia, per tale decretum impeditam invenit audi-

tio-

Retorque.

tionem Sacri. Et ex hoc exemplo in infinitis fiat contra solutionem retorsio,

11 *Objiciunt plures casus.*

Plures casus opponunt contra nostram conclusionem adversarij. Primò: quia etsi Clericus navigaturus decrevisset, non recitare toto tempore navigationis, & projiceret breviarū in mare, adhuc peccaret in tali projectione. Secundo: nam qui furatus est, & decernit non restituere, si posteà distrahit bona, quibus restitutio erat facienda, peccat, illa distrahendo. Tertiò: quia qui post decretum non servandi votum castitas matrimonium contrahit, peccat, matrimonium contrahendo: ergo paritèr in casu disputationis: non solum propositum ommitendi, sed opus etiam externum, incompossibile cum auditione Sacri, erit peccatum. Confirmatur: solum propositum occidendi non sufficit ad homicidium, sed requiritur assumere gladium, quod etiam est peccatum: ergo idem, quod anteà.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Confirmat.

12 *Respondeo.*

Respondeo concedendo casus in argumento relatos, & negando consequentiam; est enim magnum discrimen: nam in prædictis casibus Clericus, latro, & matrimonium contrahens, reddunt se impossibiles ad adimplenda præcepta, etiam si mutent propositum; quare licèt non sint peccata ex eo, quod in prima ommissione vitientur, quia in illam non influunt ob rationem nostræ conclusionis; sunt tamen peccata ex eo, quod etiam si decretum mutetur, non possunt præceptum adimplere, impossibilitate orta ex actione ab ipsis electa; quæ est medium respectu ommissionum, quæ sequentur in tēpore, quo moralitèr certum videtur, se revocaturos decretum. At in nostro casu, qui domi manet, potest, mutando decretum, audire Sacrum. Ad confirmationem similitèr respondeo negando consequentiam, & claritatis gratia, distinguo: si opus incompossibile sit medium ad ommissionem, sicut est acceptio gladij ad homicidium, concedo consequentiam; si non est medium ad illam, nego consequentiam. Solutio claret ex dictis *num. 3.* & pro extensiori notitia alia in Ill. Godoy videnda relinquo.

Ad cõfirm.

13 *1. Corollar.*

Ex dictis colligitur primò: eum, qui propè horam duodecimam, in-

qua instabat præceptum auditionis Sacri, se somno dedit post firmum ommittendi propositum, non peccare se somno tradendo; & ratio habetur ex dictis: quia in tam brevi tempore nulla est spes mutandi propositum, sed est certo duraturum moraliter; ac proindè somnus non censetur tollere potentiam moralē adimplendi præceptum, sed veluti ablatam supponere, quod notavit Suarez *Sect. 3. circà finem.*

14 *Secundum.*

Secundò colligitur: eum, qui voto erat adstrictus studendi tempore, quo domi occupatus non existeret, teneri ex voto ad studendum durante firmo decreto ommitendi Sacri auditionem. Quod patet: nam studium cum peccatum non sit, sed opus honestum, est capax materia voti: ergo tenetur ex voto ad studendum. Tertiò colligitur: non peccare ludentes cum illo, qui post firmum decretum non audiendi Sacrum se ludo tradidit. Quod patet: nam vt constat ex dictis, talis homo non peccat ludendo: ergo nec alij cum illo ludentes, & ipsum adiuvantes ad ludum: eatenus namque isti solum peccarent, quatenus ad illius pecatum concurrent.

Tertium.

15 *Quartum.*

Quartò colligitur: quod si in aliquo daretur de facto pura ommissio decreti audiendi Sacrum, opera de se cum auditione Sacri incompossibilia non infici malitia ommissionis. Quod patet: ideò post firmum ommittendi decretum opera prædicta non vitiantur ex ommissione; quia non influunt in illam, & hoc ideò, quia auditionem Sacri sufficientèr impeditam supponunt; at supposita in voluntate ommissione firma decreti audiendi Sacrum, supponitur sufficientèr impedita auditio, & præcepti adimpletio, cum ad hoc, quod auditio ponatur, voluntas audiendi necessaria sit; & consequentèr ex illius negatione impediatur: ergo opera ad puram ommissionem decreti audiendi secuta, in ommissionem auditionis non influunt; & consequentèr non vitiantur ex illa.

16 *Vltimum.*

Colligitur denique: in illo, qui iam in Ecclesia ad altare versus existit in dispositione sufficiente ad Sacrum audiendum, & implendum præceptum, post decretum efficax ommittendi, dari necessariò aliquod opus exterius, seu quasi opus ex om-

missio-

missione vitiatum. Quod patet: nam in isto casu, vt præceptum violetur, requiritur ommissio exterioris præsentiæ in Ecclesia, vel ad altare, quæ sufficiens erat ad exteriorem præcepti adimpletionẽ; atqui ad istam ommissionem solum voluntatis decretum non sufficit, sed insuper requiritur alia præsentia cum illa incomposibilis, quæ in primam præsentiæ negationem influat: ergo in isto casu prçter decretum efficax ommittendi, datur aliquod opus exterius ex ommissione Sacri vitiatum.

17 Probatur minor: indè inferebamus, præsentiam in domo, non causare carentiam, seu negationem præsentiæ in Ecclesia, quando homo supponitur cum firmo decreto ommittendi extra Ecclesiam existens, quia non poterat ad illam concurrere impeditivè propter iam supposítum impedimentum, nec destructivè, quia non supponitur præsentia in Ecclesia, quod vt destrueretur, necessarium erat; at in casu isto supponitur præsentia in Ecclesia: ergo præsentia novitèr adquirenda, vt ista auferatur, in illam influit destructivè; & consequentèr voluntas novæ præsentiæ, ex ommissione, seu negatione præsentiæ in Ecclesia vitiatur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, *vbi præcedens.*

)(§)(

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

Quale peccatum sit opus, quod in ommissionem influit, & ex illa vitiatur?

§. I.

Triplex difficultas proponitur, & resolvitur prima.

Num. 1 DIximus *disput. præced. numer.* 1: Omne opus in ommissionem influens, quando instat præceptum affirmativum, esse peccatum, malitia sumpta ex effectu, v. g. Studet quis tempore, quo debebat ex præcepto Ecclesiastico Missam audire, Missamque non audire ex studio causatur, quia, scilicèt, ob studium, tanquam propter finem, illam non audit, vel ob Missam non audiendam studio se tradit, vel quia ante omne firmum decretum ommittendi, voluit studere illo tempore, quo Sacrum audiendum erat, omnibus his modis studium vitiatur, & est peccatum; inquirimus in præsenti, quale peccatum sit studendi voluntas, & in hac, tres difficultates involvuntur. Prima difficultas est: An sit peccatum specificè ab ommissione distinctum? Secunda est: An saltim numero distinguatur ab illa? Tertia: An sit peccatum ommissionis, seu commissionis?

2 Circà quas difficultates omnes primo conveniunt in eo, quod quando actus, qui est causa, vel occasio ommissionis, habet ex proprio obiecto, quod sit malus, tunc talis actus duplicem habet malitiam formalitèr distinctam, vt patet in illo, qui vt furetur, ommittit Sacrum. Ex quo manifestè colligitur, quod si in illo, qui ommittit Sacrum, vt studeat, voluntas studendi esset alias inordinata, secluſsa Sacri ommissione, esset duplex malitia in tali actu, nempè, amor inordinatus, & ommissio Sacri. Secundò conveniunt in eo, quod actus, qui est causa, vel occasio ommissionis, & ipsa ommissio actualis, se habent, sicut actus interior, & exterior, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 12. Ex quo apparet: hanc disputationem resolvendam esse iuxtà resolutionem illius, scilicèt, an actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interiori? His itaquè suppositis.

Si actus, qui est causa ommissionis ex se est malus, habet duplicem malitiam.

3 Communis Theologorum sententia, quam defendit Ill. Godoy §. 1. & 2. asserit; quod actus, qui est causa ommissionis, quando aliàs non est

Resolvitur 1. difficultas.

ma-

malus, habet malitiam eiusdem speciei cum malitia ommissionis, cuius est causa. Hæc est nostra conclusio, primæ difficultatis resolutiva, & probatur primò: actus, qui est causa ommissionis, & ommissio habent oppositionem cum eadem in specie virtute: ergo habent etiam eandem in specie malitiam. Secundò: actus interior, & exterior habent eandem bonitatē, vel malitiam in specie: ergo etiam actus, qui est causa ommissionis, & ommissio ex dictis *num. præced.*

Conclusio.

Probat. 1.

Secundò.

4 *Tertiò.* Probatur tertiò: actus ex se bonus, qui est causa ommissionis Sacri, v.g. solum opponitur præcepto audiendi Sacrum: ergo solum habet vnam malitiam, ex ommissione Sacri desumptam. Consequentia est bona: vt enim duas malitias haberet, duplici præcepto debebat opponi. Antecedens autem probatur: actus ille solum est malus, quia est causa ommissionis; at prout causa ommissionis Sacri, sufficienter prohibetur à præcepto præscribente Sacrum, hoc enim cum directè Sacrum præcipiat, directè prohibet ommissionem Sacri, & indirectè omne id, quod est causa ommissionis: ergo solum opponitur præcepto audiendi Sacrum; & consequenter solum est malus malitia irreligionis. Argumenta contra conclusionem solvit Ill. Godoy §. 2. in quo possunt videri.

§. II.

Secunda difficultas resolvitur.

5 *2. difficultas proponitur.* SEcunda difficultas est: An malitia actus, ommissionem causantis, sit eadem numero cum malitia ommissionis? Circà quam variæ sunt opiniones. Prima absolutè docet: non esse eandem vtriusque malitiam, sed numero diversam, & consequenter velle ommittere, & ommittere esse de facto duo peccata numero distincta formaliter. Pro hac citantur Ocham *quodlib. 1. quæst. 10.* Gabriel *in 2. dist. 42. quæst. 1.* & ibidem Gregorius, & alij. Secunda tenet: vtriusque malitiam esse numero distinctā, loquendo in rigore methaphisico; loquendo verò secundum moralem estimationem esse eandem. Ita aliqui Scotistæ, & expressè Ill. Godoy *num. 19. & 20.*

1. Sentētia.

Secunda.

6 *Tertia.* Tertia sententia docet: voluntatem ommittendi, & ipsam ommissionem, esse vnum numero peccatum formaliter, & vnica numero malitia gaudere formaliter in genere moris, quidquid sit, an phisicè, aut methaphisicè numero distinguatur. Sic Ill. Godoy *num. 12.* cum omnibus ab ipso citatis, & relatis. Quarta denique sententia tuetur: voluntatem ommittendi, & ipsam ommissionem esse vnum numero totale peccatum, & vnica numero totali malitia gaudere formaliter; partialiter vero esse distincta numero peccata, & distincta malitia gaudere formaliter. Ita Scotus *in 2. dist. 42. quæst. 4. & quolib. 18. art. 3.* à qua in rei veritate, nullus discessit Scotista, & eam defendere tenentur Authores primæ, & secundæ sententiæ.

Ill. Godoy.

Quarta.

Scotus. Scotistæ.

Ex quo apparet: deceptum fuisse Ill. Godoy citantem *num. 11.* Scotum absolutè pro prima sententia, imo, & Herreram, qui *in 2. disp. 30. quæst. 7. §. 3. Conclusio*, expressè defendit: esse eandem numero malitiam totalem; & *§. 4. conclusio*, expræssè tuetur: esse diversam partialiter. Imò, si dicta ab Ill. Godoy in hac disputatione attentè inspiciantur, ab Scoti sententia non recedit. Quod ostendo primò: nam *num. 12. in probatione suæ conclusionis*, ait: *Quod ex actu interiori, & exteriori fit vnum numero peccatum in genere moris formaliter*; atqui hoc dicit Scotus, & ex eo infertur, quod vterque est partialiter peccatum, vt dicemus *infrà*: ergo cum hæc sit Scoti opinio, ab ea non recedit Ill. Godoy. Secundò: nam iuxtà ipsum *num. citat.* peccatum, quod fit ex actu interiori, & exteriori, ideò fit vnum numero in genere moris formaliter, quia in interiori incipit, & in exteriori consumatur; atqui hoc dicit Scotus, & ex eo infertur, vtrunque esse partialiter peccatum, vt *infrà* dicemus: ergo cum hæc sit Scoti sententia, ab ea non recedit Ill. Godoy.

7 *Quædam Ill. Godoy. deceptio.*

Ill. Godoy pro Scoti opinione ostenditur 1.

Secundò.

Ostenditur tertiò, & (ni fallor) efficacitèr: ommissio audiendi Sacrum, & voluntas ommittendi non sunt vnum numero peccatum ab eadem numero malitia formali, identitate simplicitatis, sed identitate compositionis; atqui hoc dicit Scotus, & ex eo colligitur evidenter, ommissionem, & voluntatem ommittendi esse duplicem malitiam formalem partialiter, à quibus provenit vnum peccatum

8 *Tertiò.*

tum totale, seu vnitate compositionis: ergo cum hæc sit Scoti opinio, ab ea non recedit Ill. Godoy. Consequentia est legitima. Minor est notta, & clarebit ex *infrà* dicendis. Maior autem, in qua poterat esse difficultas, est exprælsa doctrina Ill. God. *num.* 34. *in solutione ad* 3. *argumentum.* His itaque relatis, & statutis.

9 *Conclusio.* Nostra conclusio est problematica, nempè: *Voluntatem ommittendi, & ipsam ommissionem, esse, & non esse vnum numero peccatum formalitèr, & vnica numero malitia gaudere formalitèr in genere moris.* Hæc conclusio manifestè colligitur ex Scoto, qui *in* 2. *dist.* 42. *quæst.* 4. docet, quomodo sint vnum peccatum, & vnam habeant malitiam formalem, & *quodlib.* 18. *art.* 3. vbi docet, quomodo habeant malitias distinctas, & sint peccata diversa. Illamque tenent Scotistæ subsistentes quartam sententiam, quæ eadem est cum prædicta conclusione, pro cuius declaratione.

10 *Nota valdè vtilis.* Notandum est: actum ommissionem causantem, & ipsam ommissionem dupliciter considerari posse, sicut dicitur de actu interiori, & exteriori; eodem enim modo de illis philosophatur, vt fatetur Ill. Godoy, & diximus *num.* 2. Vno modo in se ipsis formaliter, & sic dici possunt duo peccata, quia vterque aptus est habere propriam malitiam, & hoc voluit Scotus *quodlib. citat.* dum dixit: actum exteriorem addere malitiam interiori. Alio modo, vt sunt ad invicem subordinati, & naturaliter connexi; & sic dici possunt vnum peccatum totale, quamvis habeat duplicem malitiam partialem numero diversam; & hoc intendit Scotus *in* 2. *cit.* cum dixit: quod malitia primò est in actu interiori, & indè in exteriorem derivatur, quia actus exterior naturaliter subordinatur interiori, à quo dependet in esse, & actus interior dependet ab exteriori, tanquam ab obiecto, & suo vltimo complemento, ideòque dicuntur vnum peccatum.

11 *Declaratur problema.* Ex quo nostrum apparet problema, scilicèt, actus ommissionem causans, & ipsa ommissio sunt vnum, & duo peccata. Duo partialia, & vnum totale, & integrale. Vel vt ait Bassolius *in* 2. *dist.* 42. sunt vnum, & plura peccata. Vnum vnitate ordinis; non autem vnitate simplicitatis, vel indivisibilitatis. Seu vt loquitur Ill. God. *num.* 34: esse idem numero peccatum identitate compositionis; non verò identitate simplicitatis. Sic itaque problemate explicato.

12 *Probat.* 1. *problema.* Probatur primò: nam iuxtà commune proloquium *Quando vnum est propter aliud, ibi tantum est vnum*; sed non vnum vnitate simplicitatis, vel identitatis: ergo est vnum tantum vnitate totalitatis, integritatis, ordinis, vel compositionis. Atqui quod est vnum tantum, vnitate totalitatis, integritatis, ordinis, vel compositionis, est plura partialiter: ergo quando vnum est propter aliud, ibi est vnum totale, & plura partialiter. Sumò nunc, sed sic se habent volitio ommittendi, & ipsa ommissio; nam vnum est propter aliud, vt patet: ergo volitio ommittendi, & ipsa ommissio, & sunt vnum totale peccatum, & plura partialiter: ergo verum est problema. Hoc declarat ipsum proloquium: nam per illa verba: *Quando vnum est propter aliud*, denotantur duo; nam si est vnum, & aliud: ergo sunt duo. Per illa autem: *Ibi est tantum vnum*, denotatur vnum totale, quod ex illis duobus integratur. Cum ergo prædictum proloquium verificetur in volitione ommittendi, & ipsa ommissione, volitio ommittendi, & ommissio, & sunt vnum, & duo. Duo peccata partialia, & vnũ totale. *Declaratur*

13 *Probat.* 2. Probatur secundò: potest in moralibus contingere, quod plura peccata partialia faciant vnum peccatum totale: ergo possunt voluntas ommittendi, & ommissio facere vnum peccatum totale in genere moris, etsi sint duo peccata partialia. Antecedens patet. Primò paritate in phisicis: in his enim possunt plura entia partialia facere vnum ens totale, vt patet de componentibus vnum exercitum, vnã domum, & vnum cumulum. Secundò patet ratione: nam tactus impudici, & oscula antecedentia actum fornicationis iuxtà omnes (& subsequentia secundum plures) etsi sint entia moralia, & peccata numero distincta, faciunt tamen vnum peccatum totale. Consequentia autem probatur: ideò tactus impudici, & oscula antecedentia fornicationem, etsi sint peccata numero distincta, faciunt vnum peccatum totale, quia incipit in prædictis tactibus, & osculis, & in carnali

copu-

copula consummatur; atqui peccatū, quod fit ex voluntate ommittendi,& ommissione,incipit in voluntate ommittendi, & in ommissione consummatur: ergo voluntas ommitendi, & ommissio possunt facere vnum peccatum totale in genere moris, etsi duo peccata partialia sint. Consequentia est legitima. Maior nottoria. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, est Ill.Godoy *num.*12. qui eam ad litteram tradit, loquendo de peccato,quod fit ex actu interiori, & exteriori, quod idem debet dici de voluntate ommittendi,& ommissione, vt ibi expræsse fatetur.

14 *Probat. 3.* Probatur tertiò: voluntas ommittendi, & ommissio comparantur inter se, sicut actus interior, & exterior, v. g. sicut velle furari, & furari; sed actus interior, & exterior, & sunt duo peccata partialia numero distincta in genere moris formaliter,& vnū totale: ergo voluntas ommittendi,& ommissio,& sunt duo peccata partialia, & vnum totale in genere moris formaliter. Consequentia est legitima. Maior est, quam assumit Ill. Godoy ad probandam suam conclusionem, nobis adversam. Minor autem pro secunda parte conceditur ab ipso *num.*12. asserendo, quod ex illis sit vnum numero peccatum in genere moris formaliter, quod de ommissione, & voluntate ommittendi fatetur etiam *num.* 34. Et repetit *disp.* 24. *num.* 6. *in fine.* Quoad primam verò est Scoti *quodlib. citat.* & ex ipso probatur. Primò: actus exterior addit aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interiori: ergo actus interior, & exterior sunt duo peccata partialia numero distincta in genere moris formaliter. Consequentia est legitima.

1.parsmin. prob.1.

15 *Anteced. prob. 1. ex Augusst.* Antecedens autem patet primò ex D. Augustt.13. *Trinit.cap.*5.dicente: *Mala voluntate, vel sola quilibet miser efficitur, sed misereor potestate,qua desiderium malæ voluntatis adimpletur.* Secundò ex Concilio Tridentino *Sessson.6. cap.* 16. dicente: *Virtus Christi iugitèr influit in hominem Iustum, vt bona eius opera antecedat, committetur, & subsequatur.* Vbi gratiam subsequentem requirit, vt opus externum fiat; quod sentit etiam D. Augustt. *in Inchirid. cap.* 32. *& de libero arbitrio, cap.* 17. Tertiò: quia alioquin nulla esset ratio, quare in confessione esset explicandus actus exterior,contra decretum Ecclesiæ. Quartò: quia alioquin, non plus mereretur, qui martirium subijt, quam qui æquali voluntate vellet illud pati, & non pateretur. Verum igitur est antecedens.

2. ex Trid.

Tertiò.

Quartò.

16 *Probat. 2. 1.parsmin.* Licèt autem hæ rationes optimè probent: actum interiorem, & exteriorem esse duo numero peccata distincta in genere moris formaliter,eo, quod habeant distinctam numero malitiam; dato adhuc, & nunquam concesso, quod eadem sit vtriusque malitia, probo secundo minorem suppositam: ad multiplicationem concretorum adiectivorum,vel substantivorum significantium formam per modum alteri adiacentis, sufficit multiplicatio subiectorum,quin multiplicatio formæ requiratur; sed peccatum est tale concretum: ergo ad multiplicationem huius concreti *peccatum* sufficit, quod actus, qui sunt subiecta,multiplicentur,etiam si malitia, quæ est forma, sit vna, & eadem. Tunc sic: sed actus interior, & exterior sunt duo actus: ergo sunt duo peccata,etiam si eadem sit vtriusque malitia. Omnia apparent, si vera est maior. Maior autem est certa; quia per hoc præcipuè differunt prædicta concreta, quod ad multiplicationē substantialium requiritur multiplicatio formarum, & suppositorum; ad multiplicationem verò accidentalium sufficit multiplicatio subiectorum,vt diximus *tom.*1. *in* 3 *sent. disp.* 16. *à numer.* 172. *vsquè ad* 178. quam doctrinam tenet etiam Ill. Godoy *tom.*1. *in* 3 *part.disp.*16 *num.*140. vbi cum Scoto tenet, quod data hypothesi, quod vna Divina persona plures assumeret humanitates, esset tantum vnus homo. Et *num.*183. vbi etiam cum Scoto defendit, quod casu, quo plures personæ assumerent vnam humanitatem, essent vnus homo duntaxat.

17 *Probat. 3. minor. ad hominem contra Ill. Godoy.* Probo tertiò minorem supra positam ad hominem contra Ill. God: ex actu interiori, & exteriori fit vnū numero peccatum in genere moris formaliter: ergo actus interior, & exterior sunt duo peccata partialia, numero distincta in genere moris formaliter. Antecedens est Ill. Godoy *num.*12. Consequentia probatur: nequit ex actu interiori fieri vnum numero peccatum in genere moris for-

malitèr, quin actus interior, & exterior ſint duo peccata partialia, numero diſtincta in genere moris formalitèr; ſed iuxtà conceſſa ex actu interiori, & exteriori fit vnum numero peccatum in genere moris formalitèr: ergo actus interior, & exterior ſunt duo peccata partialia, numero diſtincta in genere moris formalitèr. Probatur maior: nequit ex actu interiori, & exteriori fieri vnum numero ens morale, quin actus interior, & exterior ſint duo entia moralia partialia, numero diſtincta: ergo ſimilitèr. Conſequentia eſt paritate legitima.

18 *Anteced. prob. paritatibus.*

Antecedens autem probatur his paritatibus. *Prima*: nequit ex tecto, & fundamento fieri vnum numero ens artificiale, v.g. domus, quin tectus, & fundamentum ſint duo entia artificialia partialia, numero diſtincta: ergo pariter. *Secunda*: nequit ex pluribus militibus fieri vnum ens vnitate ordinis, v.g. exercitus, quin milites ſint plura entia in linea ordinis partialia, numero diſtincta: ergo ſimilitèr. *Tertia*: nequit ex pedibus, manibus, capite, &c. fieri vnum numero ens integrale, quin pedes, manus, & caput ſint plura entia integralia partialia, numero diſtincta: ergo à pari. *Quarta*: nequit ex pluribus lapidibus fieri vnum numero ens per aggregationem, quin lapides ſint plura entia aggregatione partialia, numero diſtincta: paritèr ergo: nequit ex actu interiori, & exteriori fieri vnum numero ens morale, quin actus interior, & exterior ſint duo entia moralia partialia, numero diſtincta.

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

19 *Denique probat. minor ad homin. contra Ill. Godoy.*

Denique probatur minor ſupra poſita ad hominem contra Ill. God: volitio ommittendi, & ipſa ommiſſio ſunt duo peccata partialia, numero diſtincta in genere moris formalitèr: ergo etiam actus interior, & exterior. Conſequentia eſt legitima apud Ill. God. ex dictis *numer.* 14. & quando vera non eſſet, ſi verum eſt antecedens, ruit doctrina ab ipſo in præſenti tradita. Probatur igitur antecedens, volitio ommittendi, & ipſa ommiſſio, non ſunt vnum numero peccatum ab eadem numero malitia formali, identitate ſimplicitatis: ergo habent diſtinctam numero malitiam formalem partialem: ergo ſunt duo peccata partialia, numero diſtincta in genere moris formalitèr. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 34. Prima conſequentia eſt legitima; alioquin eſſent vnum numero peccatum ab eadem numero malitia formali, identitate ſimplicitatis, quod ipſe negat. Secunda optimè infertur.

20 *Arguit Ill. Godoy.*

Contra noſtram concluſionem arguit Ill. Godoy *num.* 12: voluntas ommittendi, & ommiſsio comparantur inter ſe, ſicut actus interior, & exterior, v.g. ſicut velle furari, & furari; ſed actus interior, & exterior non ſunt duo numero diſtincta peccata, ſed ex illis fit vnum numero peccatum in genere moris formalitèr, quod in interiori incipit, & in exteriori conſummatur: ergo voluntas ommittendi, & ommiſsio ſunt vnum numero peccatum in genere moris, gaudentque vna numero malitia formalitèr. Maior certa videtur. Minor traditur à D. Thoma *quæſt. 2. de Malo, art. 2. ad 6. 11. & 12. argum.* Et *in 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 1. ſuprà quæſt. 17. art. 4.* Et *quæſt. 2. art. 3.*

21 *Probatur minor.*

Illamque probat ratione D. Thomæ in præallegatis locis præcipuè *quæſt. 2. de Malo, artic. 2. ad 11*: quia namque coloratum fit viſibile per lumen, ex lumine, & colorato non duplex, ſed vnum tantum reſolutat viſibile; at actus exterior imputabilis redditur ratione interioris, in quo conſiſtit ratio peccati: ergo ex interiori, & exteriori actu, non duplex, ſed vnum reſultat peccatum. Probat minorem: eatenus enim aliquid eſt imputabile, & peccatum, in quantũ eſt voluntarium; ſed actus exterior, in quantum talis, non eſt voluntarius ratione ſui, ſed ratione interioris: ergo ratione eiuſdem imputabilis eſt, & peccatum.

22 *Reſpond. ad argum.*

Reſpondeo ad argumentum conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: actus interior, & exterior in ſe ipſis formalitèr, non ſunt duo numero peccata diſtincta, nego minorem; quia ſic ſunt duo peccata, quorum quodlibet eſt totalitèr peccatum; vt ſunt ad invicem ſubordinati, ſubdiſtinguo: non ſunt duo numero diſtincta peccata totalia, concedo minorem; partialia, nego minorem, & diſtinguo conſequens: ſunt vnum numero peccatum vnitate totalitatis, ordinis, vel compoſitionis, concedo conſequentiam; vnitate in-

divisibilitatis, simplicitatis, vel identitatis, nego consequentiam. Et hoc tantum convincit probatio minoris; nam ex lumine, & colorato resultat vnum visibile totale, quod componitur ex lumine, & colore, vt dicitur *lib. 2. de Anima*, de obiecto visus, seu potentiæ visivæ.

Ad probat. min.

23 *Retorqueo argum. 1.*

Imò ex ipsa minoris probatione retorqueo contra Ill. Godoy argumentum, primò: quod ex lumine, & colore resultet vnum tantum visibile, non tollit, quod lumen, & color sint duo visibilia numero distincta, & partialia respectu visibilis, quod ex ipsis resultat: ergo quod ex actu interiori, & exteriori resultet vnum tãtum peccatum, non tollit, quod tales actus sint duo peccata numero distincta, & partialia respectu peccati, quod ex ipsis resultat. Retorqueo secundò: visibile, quod ex lumine, & colore resultat, est vnum vnitate totalitatis; non verò vnitate simplicitatis: ergo peccatum, quod ex actu interiori, & exteriori resultat, est vnũ vnitate totalitatis; non verò vnitate simplicitatis: ergo sicut cum vnitate, quam habet visibile resultans ex lumine, & colore, stat pluralitas visibilium in lumine, & colore; ita cum vnitate peccati resultantis ex actu interiori, & exteriori, stat pluralitas peccati in actibus prædictis. Antecedens probatur: visibile, quod ex lumine, & colore resultat, componitur ex lumine, & colore, quorũ quodlibet, seorsim est visibile; nam lumen est visibile, & non est coloratum; color est visibilis, & non lumen: ergo visibile, quod ex lumine, & colore resultat, est vnum vnitate totalitatis; non verò vnitate simplicitatis.

Secundò.

24 *Ad vltim. min. prob. respond. 1.*

Vltima autem minoris probatio militat etiam contra distinctionem numericam malitiæ actus interioris, & exterioris, estque præcipuum Thomistarum fundamentum. Respondeo tamen primò negando minorẽ; quia actus interior, & exterior habent distinctam libertatẽ, quia voluntas non se priùs determinat ad actum interiorem, quam ad exteriorem, sed simul ad vtrumque duplicato libertatis vsu, & servato ordine eorum inter se, qui non est causæ, & effectus, sed duorum effectum ab eadem causa, & ob hoc dicitur libertas actus exterioris dependere à libertate interioris, quatenus non potest effectus posterior denominari liber, nisi prior priùs talis denominetur, vt insinuavit Scotus *quodlib. 18. Ad 1. principale.*

25 *Secundò.*

Respondeo secundò ad dictam probationem distinguendo maiorẽ: eatenus aliquid est imputabile, & peccatum, in quantum est voluntarium, libertate ingrediente vt conditione ad moralitatem, concedo maiorem; alio modo, nego maiorem, & ommissa minori, nego consequentiam; quia stante eadem libertate possunt bonitates, vel malitiæ multiplicari, & de facto multiplicantur multiplicatis actibus, qui sunt subiecta, vel fundamenta bonitatis, vel malitiæ, vt manifestè apparet in albedine, quæ est ratio fundandi similitudinem; si enim eadem numero albedo esset in pluribus subiectis, plures essent, & numero distinctæ relationes similitudinis, & plura etiam numero distincta dicerentur similia. Vndè iuxtà hanc solutionem. Respondeo tertiò ommissis præmissis, nego suppositum consequentis; supponit namq; quod imputabilitas, & peccatum non multiplicantur absquè multiplicatione libertatis, quod est falsum, quod simul cum prima responsione optimè declarat Mastrius *in 2. disp. 5. quæst. 5. numer. 286. 287. & 288.*

26 *Cætera argumẽta præcluduntur.*

Ill. Godoy aliud argumentum contra nostram conclusionem non adducit; nec pro illo aliud adducere opportet, quia facilitèr ex dictis *numer. 22.* solvuntur omnia; nam vel probare connantur: voluntatem ommittendi, & ommissionem vnam tantum numero habere malitiam, vt intendit Ill. Godoy; vel plures habere malitias, numero distinctas? Si primũ: concedimus, habere vnam tantum numero malitiam totalem, vnamque vnitate ordinis, sicque facere vnum peccatum integrum in ordine ad cõfessionem. Si secundum: concedimus, non esse vnam numero malitiam vnitate indivisibilitatis, vel simplicitatis, & consequentèr nec vnum peccatum, vnitate prædicta, in quo stat nostrum problema, & ratio sumenda est ex dictis *num. 10.*

27 *In confessione nõ requiritur explicare ac-*

Ex quibus etiam apparet ratio, cũr, cum quis fornicatur in Ecclesia, vel in illa furatur, dicuntur duo peccata, & vt talia sunt confitenda, licèt sit vnus voluntatis actus; & tamen

tum, qui fuit causa ommissionis, nisi aliundè sit malus.

voluntas omittendi (si aliundè non est mala) & omissio sint vnum peccatum, & vt tale confitendum? Ratio itaquè ex duplex. Prima est: quia regulariter ommissio habet adiunctum actum voluntatis, vel expressum, vel interpretativum, vndè explicata ommissione, sufficienter explicatur actus, qui est causa illius; in actu verò prædicto hoc non contingit, quia neque fornicatio, neque furtum habent adiunctum, quod fiant in Ecclesia. Secunda est: quia in voluntate ommittendi, & ommissione vna malitia est complementum alterius, habentque connexionem, & subordinationem ad invicem, cuius oppositum evenit in actu prædicto, quia sacrilegium, quod ratione loci committit fornicator, vel latro, non habet connexionem, nec subordinationem cum fornicatione, & furto, nec vnum est complementum alterius, sed sunt omninò disparata, & distincta.

§. III.

Resolvitur tertia difficultas.

28 *Circà 3. difficultatem 1. Sententia. Ill. Godoy.*

TErtia difficultas est: An actus positivus causans ommissionem, sit peccatum commissionis, an ommissionis? Ill. Godoy *num.* 26. tenet: esse peccatum commissionis. Plures Scotistæ, cum quibus Mastrius *in* 2. *disp.* 6. *quæst.* 4 *num.* 109. asserit: esse peccatum ommissionis. Verior tamen sententia defendit: nec esse peccatum commissionis, nec ommissionis rigorosè loquendo, latè autem vtrumque; licèt potiùs sit appellandum peccatum ommissionis, quam commissionis. Hanc conclusionem in nullo inveni; mihi tamen visa est rationi valdè conformior, & (ni fallor) stimanda est, vt rationabilior. Triplicem habet partem probandã.

2. Sententia, plures Scotistæ 3. & nostra.

29 *Probat. 1. pars nostræ sentent. 1.*

Probatur prima pars nostræ sententiæ primò: actus causans ommissionem est quid positivum, & est cõtra præceptum affirmativum: ergo rigorosè loquendo, nec est peccatum ommissionis, nec commissionis. Probatur consequentia: pecatum ommissionis rigorosè loquendo, consistit in negatione actus debiti; & peccatum commissionis debet esse contra præceptum negativum; sed iuxtà concessa actus causans ommissionem est quid positivum, & est contra præceptum affirmativum: ergo loquendo rigorosè, nec est peccatum ommissionis, nec commissionis. Minor, & consequentia tenent: Maior autem pro prima parte est apud omnes certa. Pro secunda verò est communis Theologorum doctrina, quam Ill. God. in rei veritate non negat; nam vt defendat, quod actus causans ommissionem auditionis Sacri, est peccatum commissionis, ait *num.* 27. *in secunda replica*, quod lex affirmativa audiendi Sacrum est virtualiter negativa, sicque componere connatur, actum prædictum esse contra legem negativam, de quo *infrà*.

30 *Respondent A. A. de omissione.*

Ad hanc rationem, quam omnes solvere tenentur, Authores defendentes esse peccatum ommissionis, respondent: in peccato ommissionis esse materiale, & formale, hoc consistit in carentia actus debiti, illud autem consistere potest in actu positivo; & licèt voluntas ommittendi de materiali dicat actum positivum, de formali tamen, non actum positivũ, sed negationem actus debiti importat: non enim est mala, nisi propter ommissionem actus debiti.

31 *Reijcitur 1.*

Hæc tamen solutio generaliter sumpta locum non habet; nam iuxtà nostram, & plurium Thomistarum sententiam, dabilis est ommissio culpabilis in individuo absquè omni actu phisico voluntatis, qui sit causa, vel occasio illius, vt diximus *disp.* 21. in quo casu nullus erit actus, qui de materiali se habeat in prædicta ommissione peccaminosa. Cœterũ, quia prædicta solutio locum habere potest in præsenti, vbi datur actus positivus, qui sit causa ommissionis, vt supponimus; ideò aliter est prædicta solutio reijcienda.

32 *Secundò.*

Reijcitur secundò: peccatum, quod est pura negatio actus debiti, est peccatum ommissionis magis rigorosè, quam peccatum actum includens adhuc pro materiali; atqui actus causans ommissionem non est pura negatio actus debiti, adhuc iuxtà solutionem datam: ergo in hoc rigorè loquendo, actus causans ommissionem, non est peccatum ommissionis. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur: peccatum ommissionis consistit in negatione actus debiti: ergo peccatum ommissionis, omnem actum excludens, erit peccatum ommissionis ma-

gis

gis rigorosè, quam peccatum, aliquem actum includens: ergo peccatum, quod est pura negatio actus debiti, est peccatum ommissionis magis rigorosè, quam peccatum actum includens adhuc pro materiali. Antecedens est notum. Vtraque consequentia legitima, & patet ex illo axiomate: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

33 *Tertiò.* Reijcitur tertio: si per possibile, vel impossibile esset pura ommissio causans actum, qui esset peccatum commissionis, talis ommissio in rigore loquendo, non esset peccatum commissionis: ergo ab oppositò: actus causans ommissionem, rigorosè loquendo, non est peccatum ommissionis. Consequentia certissima apparet; quia ita, & eodem modo se habet actus causans ommissionem, vt sit peccatum ommissionis, ac se haberet pura ommissio causans actum, qui esset peccatum commissionis, vt sit commissionis peccatum. Antecedens autem probatur: peccatū commissionis loquendo rigorosè, dicit actum positivum; sed pura ommissio, causans actum, qui esset peccatum commissionis, est negatio, vel privatio omnis actus: ergo si per possibile, vel impossibile esset pura ommissio causans actum, qui esset peccatum commissionis, talis ommissio in rigore loquendo, non esset peccatum commissionis.

34 *Respondent A. A. pro peccato cõmissionis.* Authores autem subsistentes: talem actum esse peccatum commissionis, de quorum numero est Ill. God. respondent: peccatum commissionis esse contra præceptum negativum formaliter, vel virtualiter; & licèt præceptum audiendi Sacrum sit formaliter affirmativum, est tamen virtualiter negativum, quatenus virtualiter prohibet omne impediens actū præceptum, & omne ad ommissionem conducens; vndè actus causans ommissionem auditionis Sacri opponitur præcepto audiendi Sacrum, non vt est formaliter affirmativum, sed vt est virtualiter negativum. Sic Ill. Godoy *num. 27. cit.*

Ill. Godoy.

35 Licèt autem hæc doctrina in solutione contenta, vera sit, & à nobis admittenda, potiùs deseruit, vt actus causans ommissionem, dicatur ommissionis peccatum, quam vt peccatum commissionis nominetur, vt infrà dicam in probatione secundæ partis nostræ sententiæ. Vndè illa admissa, & concessa, adhuc manet in suo robore nostra probatio, quod vt appareat.

36 *Impugn. 1.* Impugnatur primò: peccatum, quod est contra præceptum negativum formaliter, directè, & immediatè, est peccatum commissionis magis rigorosè, quam peccatum non ita oppositum præcepto negativo; atqui actus causans ommissionem non est contra præceptum formaliter negativum directè, & immediatè: ergo in hoc rigore loquendo, actus causans ommissionem non est peccatum commissionis. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy, & adversariorum solutio. Maior autem probatur: peccatum, quod est contra præceptum negativum, est peccatum commissionis: ergo peccatum, quod est contra præceptum negativum formaliter, directè, & immediatè, est peccatum commissionis magis rigorosè, quam peccatum non ita oppositum præcepto negativo. Antecedens est manifestum. Consequentia legitima, & patet ex illo axiomate: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

37 *Secundò.* Impugnatur secundò: si per possiblile, vel impossibile esset pura ommissio, causans actum, qui esset peccatum commissionis, talis ommissio rigorosè loquendo, non esset peccatum ommissionis: ergo similiter per oppositum: actus causans ommissionem, rigorosè loquendo non est peccatum commissionis. Consequentia est paritate notoria; nam eodem modo se habet actus causans ommissionem, vt sit peccatum commissionis, ac se haberet pura ommissio causans actum, qui esset peccatum commissionis, vt sit ommissionis peccatum. Antecedens verò probatur: peccatum ommissionis rigorosè loquendo, est contra præceptum affirmativum; sed si per possibile, vel impossibile, esset pura ommissio causans actum, qui esset peccatum commissionis, talis ommissio esset contra præceptum negativum: ergo si per possibile, vel impossibile esset pura ommissio, causans actum, qui esset peccatum commissionis, talis ommissio rigorosè loquendo, non esset peccatum ommissionis.

38 *Prob. mai.*

Maior, & conſequentia tenent. Minor autem eſt certa, & probatur: pura ommiſsio cauſans actum, qui eſſet peccatum commiſsionis, ſolum opponitur præcepto, cui opponitur actus ab illa cauſatus; ſed actus ab illa cauſatus, vtpotè, peccatum commiſsionis, eſſet contra præceptum negativum: ergo ſi per poſsibile, vel impoſsibile eſſet purâ ommiſsio, cauſans actum, qui eſſet peccatum commiſsionis, talis ommiſsio eſſet contra præceptum negativum. Probatur maior: actus cauſans ommiſsionem, ſolum opponitur præcepto affirmativo, cui opponitur ommiſsio: ergo paritèr. Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens autem patet: nam actus cauſans ommiſsionem Sacri, v.g. ſolum opponitur præcepto audiendi Sacrum, vt habet, & probat Ill. Godoy *infrà num.* 2. Conſequentia eſt notoria, & eadem ratione apparet. Nec dicas: quod in tali caſu præceptum negativum eſſet virtualitèr affirmativum; quia inſurgit replica poſita *num.* 36.

39 *Probat. 2. noſtra ſententia ad hom. contra Ill. Godoy.*

Probatur ſecundò noſtra ſententia ad hominem contra Ill. Godoy: licèt id, quod opponitur præcepto formalitèr negativo, ſit peccatum commiſsionis rigorosè loquendo, id tamen, quod non opponitur præcepto formalitèr negativo, non eſt, cur eſſe debeat rigorosè loquendo, peccatum commiſsionis; ſed voluntas ommitendi Sacrum non opponitur præcepto formalitèr negativo: ergo non eſt ratio, cur ſit peccatum commiſsionis rigorosè loquendo. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt apud omnes certa, eamque fatetur Ill. Godoy *num.* 2. *&* 27. *in* 3. *replica.* Probatur maior: licèt id, quod directè, & immediatè opponitur præcepto affirmativo, ſit peccatum ommiſsionis, rigorosè loquendo, id quod indirectè, & mediatè opponitur illi, non eſt ratio, cur eſſe debeat ommiſsionis peccatum: ergo paritèr. Conſequentia paritate videtur certa.

40 *Probatur conſeq. 1.*

Et ſic declaratur primò: oppoſitio mediata, & indirecta cum præcepto affirmativo eſt contra rationē peccati ommiſsionis, rigorosè loquendo iuxtà Ill. Godoy: ergo oppoſitio cum præcepto virtualitèr negativo, eſt contra rationē peccati commiſsionis: ergo licèt id, quod opponitur præcepto formalitèr negativo, ſit peccatum commiſsionis rigorosè loquendo, id tamen, quod non opponitur præcepto formalitèr negativo, non eſt, cur eſſe debeat rigorosè loquendo, peccatum commiſsionis. Probatur ſecundò: iuxtà hanc doctrinam Ill. Godoy, & veritatem, ita peccatum ommiſsionis, rigorosè loquendo opponitur præcepto affirmativo; ac peccatum commiſsionis præcepto negativo; atqui oppoſitio mediata, & indirecta cum præcepto affirmativo eſt contra rationem peccati ommiſsionis rigorosè loquendo: ergo oppoſitio cum præcepto virtualitèr negativo eſt contra rationem peccati commiſsionis: ergo idem, quod anteà. *Secundò.*

41 *Arguit Ill. Godoy pro peccato cō miſsionis.*

Arguit Ill. Godoy *numer.* 26. pro peccato commiſsionis: peccatū commiſsionis eſt *dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei*; ommiſsionis verò, *non dictum, non factum, &c.* vt docet D. Thomas *artic. ſequenti ad* 1. ſic explicans diffinitionem traditam ab Auguſtino de peccato, vt tàm peccato commiſsionis, quàm ommiſsionis poſsit convenire; at voluntas poſsitiva ommittendi non eſt negatio dicti, vel facti, ſed dictum, vel factum: ergo non eſt peccatum ommiſsionis, ſed commiſsionis. Reſpondeo primò diſtinguendo maiorem: contra Legem Dei negativam, concedo maiorem; affirmativam, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, quia vt talis actus eſſet rigorosè loquendo, peccatum commiſsionis, debebat eſſe contra præceptum negativum, vt diximus *num.* 29. cuius oppoſitum habet ille actus, vtpotè, contra præceptum audiendi Sacrum, vt tenet Ill. Godoy *citat. num. præcedenti*, quod eſt affirmativum iuxtà omnes. *Reſpond. 1.*

42 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

Contra hanc ſolutionem replicat *num.* 27. quadruplicitèr. Primò: nam præter hoc, quod eſt in actu poſsitivo conſiſtere, omne aliud voluntariè petitur ad rationem peccati commiſsionis; at voluntas poſsitiva ommittendi in actu poſsitivo conſiſtit: ergo quamvis non opponatur præcepto negativo, ſed affirmativo, peccatum commiſsionis erit. Reſpondeo negando maiorem. Primò: quia petere peccatum commiſsionis, ſaltim rigorosè loquendo, eſſe contra præcep-

Reſpondeo.

tum

tum negativum, est communis Theologorum sententia. Secundò: quia adhuc Ill. Godoy in replica sequenti, vt salvet, actum prædictum esse peccatum commissionis, tenet, quod præceptum affirmativum, scilicèt, audiendi Sacrum, est virtualitèr negativum. Tertiò: quia illam non probat Ill. God. sed merè voluntariè statuit.

43 *Replicat 2.* Replicat secundò: nam lex affirmativa Sacrum audiendi est virtualitèr negativa, quatenùs virtualitèr prohibet omne impediens actū præceptum, & ad ommissionem cum effectu conducens; at voluntas efficax Sacrum ommitendi opponitur præcepto audiendi Sacrum secundum quod virtualitèr prohibet actus, quovis modo influentes in ommissionem Sacri: ergo opponitur illi, quatenus virtualitèr est negativum, & consequentèr non evadit ommissionis, sed commissionis peccatum. *Respondeo.* Respondeo ommissis præmissis cum prima consequentia, distinguendo consequens subillatum: ergo evadit peccatum commissionis latè sumptum, concedo consequentiam; rigorosè acceptum, nego consequentiam; quia vt peccatum dicatur rigorosè commissionis, debet esse formalitèr, directè, & immediatè contra præceptum negativum, vt per oppositum dicitur de peccato ommissionis, vt probatū habemus *numer.* 36. & ad hominem contra Ill. God. *num.* 39. & 40.

Replicat 3. Replicat tertiò: nam licèt id, quod directè, & immediatè opponitur præcepto affirmativo sit peccatum ommissionis, id tamen, quod indirectè, mediatè, & ratione alterius opponitur illi, non est, cur esse debeat ommissionis peccatum; at voluntas ommittendi, non primò, sed secundò modo, opponitur præcepto ommissionem vetanti: ergo non ommissionis, sed commissionis peccatum debet censeri. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem pro secunda parte: quod indirectè opponitur præcepto affirmativo, non est, cur esse debeat ommissionis peccatum, rigorosè loquēdo, concedo maiorem; alio modo, nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam; quia neutrum est, rigorosè loquendo; latè autem vtrumque; licèt potiùs ommissionis, quam commissionis peccatum debet dici, vt firmabimus, dum secundam partem nostræ sententiæ probemus, & tertiam.

44 *Replicat 4.* Replicat quartò: malitia ommissionis consistit in carentia actus, non verò in carentia rectitudinis debitæ actui; at voluntas ommittendi non est mala per carentiam actus debiti; talis enim carentia in illo esse non potest, sed vel per positivā tendentiam ad obiectum dissonum legi, vel per carentiam conformitatis cum lege, & ratione: ergo quamvis præcepto affirmativo opponatur, non ommissio, sed commissio erit. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: malitia ommissionis rigorosè loquendo, consistit in carentia actus, concedo maiorem; non rigorosè loquendo, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia rigorosè loquendo neutrum est; latè autem vtrumque, licèt potiùs ommissionis, quam commissionis peccatum dici debeat, vt probabimus *infrà*.

45 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundò ad argumentum distinguendo maiorem: peccatum commissionis est dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei, sic, quod dictum, factum, vel concupitum sit materiale peccati, concedo maiorem; sic, quod sit formale illius, nego maiorem; & distinguo minorem: voluntas ommittendi, vt dicit actum positivum, non est negatio dicti, vel facti, concedo minorem; vt dicit privationem actus debiti, nego minorem, & consequentiam. Contra hanc solutionem replicat Ill. Godoy *num.* 29. & 30. probando, peccatum pro formali consistere in positivo, cuius falsitas apparebit *disput.* 25. ex ibique dicendis, & præsertim *num.* 50. & 51. clarebit veritas nostræ solutionis, & replicarum falsitas.

46 *Arguit. 1. pro peccato ommissionis.* Authores verò sic arguunt pro peccato ommissionis. Primò: actus causans ommissionem, illam habet pro obiecto: ergo est ommissionis peccatum. *Secundò.* Secundò: actus causans ommissionem est contra præceptum affirmativum: ergo est peccatum ommissionis. Antecedens patet: quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat etiam ad media, sine quibus ille consequi nequit; cum ergo auditio Sacri non possit in executione poni, nisi auferatur actus causans illius ommissionem, sequitur,

quod

quod ex vi talis præcepti affirmativi prohibetur actus omniſsionem cauſans. Conſequentia eſt certa; nam quod eſt contra præceptum affirmativum, eſt peccatum omniſsionis. Sic arguit Maſtrius citatus.

47 *Reſpondeo ad 1.* Ad primum argumentum reſpondeo diſtinguendo conſequens: ergo eſt peccatum omniſsionis lato modo, concedo conſequentiam; rigurosè loquendo, nego conſequentiam; quia vt hoc modo eſſet peccatum omniſsionis, debebat eſſe negatio, vel privatio actus debiti, quod illi repugnat; nam eſt actus poſsitivus, vt ab omnibus ſupponitur. *Ad 2.* Ad ſecundum diſtinguo antecedens: actus cauſans omniſsionis peccatum, eſt contra præceptum affirmativum, & eſt negatio, vel privatio actus debiti, nego antecedens; & eſt actus poſsitivus, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo eſt peccatum omniſsionis latè, concedo conſequentiam; rigurosè loquendo, nego conſequentiam, & diſtinguo ſimiliter illius probationem, ex quo nihil contra noſtram opinionem.

48 *Arguitur cõtra vtrãque partẽ.* Arguitur deniquè contra vtramque partem noſtræ ſententiæ, quod eſt contra illam directè arguere: omne peccatum vel eſt commiſsionis, vel ommiſsionis; ſed iuxtà nos actus cauſans ommiſsionem eſt peccatum: ergo vel commiſsionis, vel ommiſsionis: ruit ergo noſtra ſententia. *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: omne peccatum vel eſt commiſsionis, vel ommiſsionis latè, vel rigurosè loquendo, concedo maiorem; rigurosè loquendo præciſsè, nego maiorem; & conceſſa minori, diſtinguo ſimiliter primum conſequens, & nego ſubillatum. Solutio patet ex noſtra prima probatione; nam vt eſſet peccatũ commiſsionis rigurosè loquendo, debebat eſſe contra præceptum formaliter negativum, & vt eſſet peccatum ommiſsionis, debebat eſſe negatio, vel privatio actus debiti, quorum neutrum habet.

49 *Probat. 2. pars noſtræ opinionis.* Ex his itaquè facillimè probatur ſecunda pars noſtræ opinionis: nam actus cauſans ommiſsionem habet aliquid repertum in peccato commiſsionis, nempè, eſſe actum poſsitivum, & habet aliquid repertum in peccato ommiſsionis, ſcilicèt, eſſe contrà præceptum affirmativum, & habere ommiſsionem pro obiecto: ergo latè eſt vtrumque peccatum. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia probatur: eſſe latè peccatum commiſsionis, & ommiſsionis, eſt habere aliquid in vtroque repertum; ſed hoc habet iuxtà conceſſa actus cauſans ommiſsionem: ergo latè eſt vtrumque peccatum.

50 *3. pars noſtræ ſententiæ probatur.* Deniquè tertia pars probatur: peccatum, quod magis ad ommiſsionem, quam ad commiſsionem accedit, potiùs dicendum eſt peccatum ommiſsionis, quam commiſsionis; ſed actus cauſans ommiſsionem, magis accedit ad ommiſsionem, quam ad commiſsionem: ergo potiùs ommiſsionis, quam commiſsionis peccatum debet dici. Maior, & conſequentia tenent. Minor probatur: actus cauſans ommiſsionem, ſolum accedit ad commiſsionis peccatum, in quantum eſt actus poſsitivus; ad peccatum verò ommiſsionis accedit, tum, quia eſt cauſa illius, & conſequentèr illius potiùs malitiam debet habere; tum, quia habet ommiſsionem pro obiecto, conſequentèrque habere debet eandem in ſpecie malitiam cum ommiſsione, vt concedit Ill. Godoy, & defendit §. 1. & 2. & nos diximus *num.* 3. & 4. Tum deniquè, quia eſt contra præceptum affirmativum, contra quod eſt ipſa ommiſsio: ergo actus cauſans ommiſsionem, magis accedit ad ommiſsionem, quam ad commiſsionem.

51 *Corollar.* Ex dictis in diſcurſu diſputationis infertur, quod actus cauſans ommiſsionem, eſt peccatum pertinens ad ommiſsionem, licèt non ſit formaliter ipſa ommiſsio. Hoc ſecundum eſt manifeſtum; alioquin idem eſſet cauſa ſui ipſius, quod repugnat. Quod autem ſit peccatum ad ommiſsionem pertinens ex dictis oſtenditur: nam actus cauſans ommiſsionem, in rigore loquendo, nec eſt peccatum commiſsionis, neque ommiſsionis, vt oſtendimus *à num.* 29. *vſquè ad* 43. atqui licèt ſit vtrumque lato modo, magis tamen accedit ad ommiſsionem: ergo actus cauſans ommiſsionem, eſt peccatum pertinens ad ommiſsionem; ſicque manet ſoluta tertia difficultas.

o)(§)(o

DISPVTATIO VIGESIMAQUARTA.

Quo tempore ad culpam imputetur ommissio actus debiti?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Num. 1 *Supponitur, quod certum est.*

OMnes Theologi conveniunt in eo, quod si tempore instantis præcepti affirmativi est in hominis potestate actum impletivum elicere, & ommissionem vitare, non solum imputatur ad culpam, causam ommissioni dedisse, sed etiam ipsum ommitere tempore obligantis præcepti. Quod patet primò: nam in tali casu nihil deest prædictæ ommissioni, vt verè peccatum sit, & ad culpam imputetur. Secundò: quia alioquin nunquam quis peccaret per exteriorem ommissionem.

2 *Status difficultatis.*

Cæterum, quia contingere potest ommissio tempore, quo eam vitare, & actum præceptum efficere, in hominis potestate non est; vt quando quis prævidens instare tempus auditionis Sacri, se tradidit somno, & vsquè ad tempus obligantis præcepti perseverat in illo, quo in casu est in tali statu, vt non possit Sacrum audire, & consequentèr, nec vitare ommissione; ideò in dubium vertimus, quo tempore in hoc casu, & alijs similibus, imputetur ad culpam ommissio; an quando causa voluntaria fuit posita; an quando de facto exteriùs ommittitur præceptum instans?

3 *Eadem est de peccato commissionis difficultas.*

Quæ difficultas de ommissione præsertim proponitur, quia frequentiùs casus in ea accidit; potest tamen locum habere etiam in quovis peccato commissionis, v. g. in homicidio procedente ab homine ebrio, qui ante ebrietatem illud probabilitèr prævidit; quare, quod in hac disputatione de ommissione diffinitum fuerit, cuilibet commissionis peccato applicari valet.

4 *1. advertentia valdè notabilis.*

Pro cuius resolutione maximè, & præcipuè advertendum est. Primò: quod hoc nomen *Peccatum*, accipitur dupliciter, scilicèt, communitèr, & propriè. Peccatū communitèr sumptum dicitur omne id, quod ad peccatum inclinat, vel est effectus peccati, vt patet ex D. Paulo, qui ad Rom. 6. 7. & 8. concupiscentiam vocat peccatum, non quia peccatum sit, vt est de fide certum, & fatetur Ill. God. *disp.* 36. *num.* 6. & nos dicemus tali disputatione *num.* 10. sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, vt exponit Concil. Trident. *Sess.* 5. *Decreto de peccato Originali Canone* 5. Peccatum propriè sumptum dicitur omne id, quod est propriè peccatum.

5 *Secunda.*

Advertendum est secundò: quod aliud est reddi ex alio impotentem ad faciendum oppositum; & aliud reddi impotentem ad volendum oppositum. Primum habet emittens sagitam; hic enim, semel sagita emissa, redditur impotens ad revocandam, vel retrahendam illam, & consequentèr ad evitandam vulnerationem, vel mortem ex illa sequendam; est tamen potens ad volendū oppositum, nempè, ad volendum de nobo non emisisse, vel ad nolendum emisisse. Vndè, qui emissa sagita, non dolet de emissione potens dolere, in illa virtualitèr complacet, ideòque non solum emissio, sed etiam percussio est illi voluntaria, quia licèt in illo non maneat in esse reali; manet tamen in esse volito. Cæterum dormiens, aut ebrius, non solum redditur impotens ad faciendum oppositum, verū, & ad oppositum volendum. Notetur hæc differentia, & his notatis.

6 *1. Sententia.*

Duplex, vt ad meum facit intentum, est opposita sententia. Prima defendit: imputari ad culpam, non solum ommitere actum tempore instantis præcepti, sed etiam causam voluntariè dare ommissioni, etiam si de facto non sequatur ommissio. Sic Authores citati ab Ill. God. *numer.* 2. pro tertia sententia, quam ipse am-

Ill. Godoy.

plec-

plectitur, & explicat duplici conclusione. Secunda sententia docet: Tunc solum imputari ad culpam, quando ponitur causa voluntaria ommissionis. Ita Scotus *in 2. dist. 40. & 42. in principio, & fine, & quolib. 18.* Sic etiam Seraphicus Doctor *in 2. dist. 36. art. 1. quæst. 2. ad argum.* Et *dist. 32. art. 3. quæst. 1. ad argum.* Et *in 3. dist. 12. art. 2. ad argum. in fine.* Et *dist. 18. art. 1. quæst. 3. ad argum.* Ita etiam omnes Scotistæ, & ex alienis quos Ill. Godoy *citat. num. 2.* pro secunda sententia, quam D. Thomas infrà citandus, satis insinuavit, & quam duplici conclusione per oppositum ad Ill. God. declarabimus.

2. Sententia. Scotus. D. Bonav. Scotistæ. Plures alij

7 1. Concluſ.

Prima conclusio: *Quando quis dat causam ommissioni culpabili, peccat, peccato pertinente ad ommissionem, quod est initiativè peccatum ommissionis.* In prima huius conclusionis parte conveniunt omnes Theologi præter Marsilium, Palacium, & Altisiodorensem, in eo gradu certitudinis, vt oppositam sententiam censeant alij absurdam, alij temerariam, & aliqui erroneam. Et quidem, si illi Authores tantum contenderent, non peccari, quando datur causa ommissioni, peccato commissionis, vel ommissionis, rigorosè loquendo, vera est illorū sententia; si verò contendant, nullo modo peccari, audiendi non sunt. Quidquid autem sit de illorum mente.

8 Probat. 1. pars 1.

Probatur primò nostra conclusio: voluntas expræssa ommittendi verè est peccatum, etiam si de facto non sequatur ommissio; sicut voluntas furandi, aut mechandi peccatum est, quamvis de facto non sequatur furtum, aut fornicatio: ergo paritèr: voluntas interprætativa, aut virtualis ommittendi, peccatum erit, quamvis non sequatur ommissio de facto; sed qui dat causam ommissioni culpabili, virtualitèr, & interprætativè vult ommissionem: ergo peccat, quando dat causam ommissioni culpabili.

Secundò. Secundò: qui se exponit periculo morali peccandi, peccat in omnium Theologorum sententia; sed qui videns ex somno secuturam ommissionem Sacri se tradit somno, se exponit periculo morali peccandi: ergo peccat. Tertiò: nam qui legem transgreditur, peccat; cum peccatum in legis transgressione consistat; at dans causam ommissioni, transgreditur legem præcipientem actum ommissum: ergo dans causam ommissioni, peccat. Probatur minor: præceptum præcipiens actum, & ommissionem prohibens, prohibet ex consequenti omnem causam impedientem, & ommissionem inferentem: ergo qui dat causam impeditivam actus præcepti, & illativam ommissionis, transgreditur illud præceptum. Argumenta, quæ militant in oppositum adducit, & solvit Ill. Godoy, pro quibus videantur etiam Scotistæ. Tertiò

9 2. pars probatur.

Secunda autem pars nostræ conclusionis est contra Ill. Godoy *numer. 3.* asserentem: esse peccatū commissionis formalitèr, & probatur ex dictis *disp præced. vbi à num. 29. vsquè ad 48.* ostendimus, voluntatem ommittendi nec esse peccatum commissionis, nec ommissionis rigorosè loquendo; & licèt vtrumque sit lato modo, vt diximus *num. 49. num.* tamen 50. statuimus, potiùs peccatum ommissionis esse dicendum, ex quibus intulimus *num. 51*: esse peccatum pertinens ad ommissionem, quod est secunda pars nostræ conclusionis. Quod autem adducit Ill. Godoy in oppositum, manet solutum per dicta in disputatione præfata.

10 3. pars probatur,

Tertia deniquè pars nostræ conclusionis defenditur etiam ab Ill. Godoy, qui *num. 6. in fine* sic eam probat: id dicitur tale inchoativè, quod initiat id, quod est formalitèr tale; sed causa ommissionis volita initiat exteriorem ommissionem, & etiam interiorem, ex quibus coalescit peccatum ommissionis tale formalitèr: ergo ipsa est inchoativè ommissionis peccatum. Quia tamen in hoc litigium cum Ill. God. non habemus, hæc pro prima conclusione sufficiant, & ad secundam, in qua est lis, progrediamur.

§. II.

De tempore, in quo ommissio imputetur.

11 2. Cōcluſio.

SEcunda conclusio: *Ommissio contingens in somno tempore instantis præcepti, nec verè imputatur ad culpam, nec est verè peccatum, sed solum effectus peccati; & si peccatum dicatur, non est peccatum propriè, & in se, sed communitèr tantum, & in causa.* Hæc conclusio est contra Ill. God. *num. 12.* eamq;

satis clarè insinuavit Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 5. *in corpore*, quod ita concludit: *Sic igitur patet, quod nocturna pollutio nunquam est peccatum, sed quandoque est sequela præcedentis peccati*; quod etiam docuit *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *in corpore*. Nec solutio, quam *num.* 25. adducit Ill. Godoy, tollit vim verborum D. Thomæ, vt legenti apparebit, & ad Thomistas Authoritatem contemplandam relinquendo, ad rationes nostræ cõclusionis progredior.

D. Thom.

12 *Probat.* 1. *à priori.*

Probatur primò à priori: peccatum actuale debet esse actualitèr liberum; sed ommissio in somno, vel ebrietate contingens, non est actu libera: ergo non est actuale peccatum. Consequentia est legitima. Ex præmissis autem maior est apud omnes vera. Tum: quia peccatum eatenus est peccatum, quatenùs est voluntarium, & liberum. Tum etiam: nam libertas est fundamentum totius generis moris. Minor verò, in qua est tota difficultas, probatur primò: actio, quæ est actu moralitatis subiectum, debet esse libera in principio, in medio, & in fine; sed ommissio prædicta non est sic libera: ergo non est actu libera. Maior est Arlitot. 3. *Ethicor. cap.* 5. Minor patet: nam quando ommissio in somno, vel ebrietate contingit, iam voluntatis actus præcessit.

Prob. min. 1.

Secundò.

Consequentia legitimè infertur. Secundò: id est actualitèr liberum, quod actu est in potestate hominis quoad esse, & non esse; sed illa ommissio non sic subditur hominis potestati: ergo ommissio in somno, vel ebrietate contingens, non est actu libera, & consequentèr nec peccatum.

13 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. God. *num.* 28. communi solutione distinguendo maiorem: actualitèr liberum in se, vel in causa, concedit maiorem; actualitèr liberum in se, negat maiorem; & sub eadem distinctione minoris, negat consequentiam, instatque argumentum omnibus adductis in tertia probatione suæ conclusionis. Ad primã probationem minoris, quam ipse non adducit, similitèr respondebit distinctione data. Vel concessa maiori, negabit minorem, cuius probationem distinguet doctrina ab ipso tradita *num. citat*: iam actus voluntatis præcessit existentia physica, concedit; existentia morali, negat; nam licèt actus voluntatis, quo fuit volita causa ommissionis, non existat physicè in somno, existit tamen moralitèr, quatenus semel extitit, & a voluntate retractatus non est, & ab illo sic existente denominatur ommissio peccaminosa, & libera per denominationem extrinsecam.

Ad 1. *prob. minoris.*

14 *Ad* 2.

Ad secundam minoris probationem, quatenùs distinctioni traditæ obsistere potest, respondet *num. citat*: veram esse maiorem de actu libero in se, falsam autem de actualitèr libero solum in causa; ad hoc enim sufficit, fuisse in hominis potestate ponere, & non ponere causam, etsi causa posita non subsit eius potestati, quoad esse, & non esse, cum enim hæc impotentia ex causa libera, & homini voluntaria nascatur, obstare nequit actualitèr libero in causa, etsi obstet actualitèr libero in se.

15 *Si dicas.*

Si autem dicas: ommissio in somno, vel ebrietate contingens, non est libera formalitèr in se, sed solum in causa iuxtà solutionem: ergo solum in causa, & non in se ipsa, est formalitèr peccatum. Respondet *numer.* 31. distinguendo consequens pro secunda parte: & non in se ipsa à se, concedit consequentiam; & non in se ipsa à causa, negat consequentiam; nam adversarij (ait Ill. Godoy) talitèr docent, ommissionem esse voluntariã, & peccaminosam in causa, quod denominatio peccati sistat in causa, nec transeat à causa ad ommissionem in se, secundum quod à statu intra causam distinguitur. Nos autem non ita, sed dicimus, denominationem peccati non sistere in causa ommissionis, sed transire ad illam in se, hoc est, quatenùs à causa distinguitur, non ita, quod ei in se conveniat libertas, & malitia à se, sed talitèr, quod illi in se conveniat per denominationem à causa.

Respondet Ill. Godoy.

16 *Si dicas.*

Si autem contra ipsum replices: vt ommissio in se peccatum sit, licèt non à se, sed à causa, necessariò requiritur, quod in se ipsa voluntaria sit, quamvis non à se, sed à causa; at ommissio non est in se voluntaria, nec à se, nec à causa, sed denominatio voluntarij adæquatè sistit in causa: ergo non est in se peccatum, nec à se, nec à causa, sed denominatio peccati sistit in causa, & in ommissione, quatenùs in causa contenta. Ma-

ior conſtat ex dictis, & minor probatur: eatenus aliquid eſt voluntarium liberum, de quo in præſenti loquimur, quatenùs talitèr eſt, quod poteſt non eſſe ab intrinſeco, ideſt, ratione poteſtatis liberi agentis; at cauſa poſita, ſcilicèt, ſomno, non eſt talitèr ommiſsio, quod poſsit non eſſe, nec à ſe, nec à cauſa, ſed neceſſariò eſt: ergo ratio voluntarij non convenit ommiſsioni in ſe ipſa, nec à ſe, nec à cauſa, ſed adæquatè ſiſtit in cauſa, & in ommiſsione, quatenùs in cauſa contenta.

17 *Reſpondet.* Reſpondet *numer. citat.* conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem dicatur, ommiſsionem talitèr eſſe, quod licèt cauſa ſuppoſita neceſſariò ſit, potuit tamen non eſſe in ſe abſolutè, quatenùs voluntariè potuit homo cauſam non ponere, atque ex conſequenti ommiſsionem ipſam vitare, & hoc ſufficit, vt denominatio voluntarij non ſiſtat in cauſa, ſed ab illa tranſeat ad ommiſsionem, vt in ſe à cauſa diſtinctam.

18 *Impugn. 1.* Hæc eſt tota doctrina, quam adducit Ill. Godoy pro defenſione ſuæ opinionis, illamque impugnare conantur noſtræ ſententiæ Sectatores. Primò: quia tunc ſolum malitia cauſæ derivari poteſt in ommiſsionem externam, quando hæc eſt in poteſtate noſtra; ſicut tunc tantum malitia actus interni derivatur in externum, quando hic eſt in poteſtate noſtra; cum ergo ommiſsio Sacri in ſomno contingens non ſit in noſtra poteſtate, malitia cauſæ non derivatur in ipſam. *Secundò.* Secundò: quia ommiſsio Sacri in tantum libera eſſe poteſt, in quantum coniungitur cum actu libero; alio enim modo non poteſt ab eo libertatem participare, ſicut nec alio modo actus externus poteſt ab interno libertatem participare: ergo cum ommiſsio Sacri in ſomno ſecuta, non coniungatur cum cauſa libera, libera eſſe nequit, & conſequentèr nec peccatum. *Tertiò.* Tertiò: quia ſi libera cauſæ applicatio ſufficeret, vt ommiſsio indè quomodocumque ſequens imputaretur vt peccatum, plura ſequentur inconvenientia, pro quibus hæc duo ſufficiant. Primum eſt: ergo conceptus, & partus ex peccaminoſo concubitu ſequutus, diceretur peccatum formalitèr, quia fuit voluntarius in cauſa. Secundum eſt: ergo qui propinavit venenum, diceretur actu peccare toto tempore, quo veneni operatio durat, & ſic aliquibus, & pluribus menſibus, ſivè vigilans, ſivè dormiens, nunquam à peccato ceſſaret, nam aliqua venena ſunt talis naturæ, vt non ſtatim, ſed ad tempus interficiant.

19 *Iſtæ impugnationes nõ cõvincunt.* Iſtæ tamen impugnationes, & aliæ huiuſmodi, licèt veræ ſint iuxtà noſtram opinionem; non tamen convincunt contra doctrinam Ill. God. ad omnia enim poteſt prædictam applicare doctrinam, & re vera facit §. 4. & 5. Vndè verum fatendo, potiùs de nomine, quam de re, eſt præſens diſſenſio, vt fatetur Arriaga *diſp.* 45. *num.* 15. Amicus *diſp.* 22. *ſect.* 4. Idemque ſentiunt plures alij, quibus conformatur Maſtrius *in* 2. *diſp.* 6 *quæſt.* 5. *num.* 137. Sed melior eſt noſter dicendi modus, ſcilicèt, quod ommiſsio Sacri in ſomno ſequuta non ſit propriè dicenda peccatum, ſed effectus peccati; Tum: ob dicta *numer.* 4. Tum ob rationem allatam, cuius vrgentiam fatetur Ill. God. *num.* 31. Tum deniquè ob impugnationes ſequentes.

20 *Reijcitur 1* Reijcitur itaquè primò prædicta Ill. Godoy doctrina: vt ommiſsio ſit formalitèr peccatum, debet eſſe libera phiſicè, vel moralitèr; ſed ommiſsio in ſomno ſequuta neutro modo eſt libera: ergo ommiſsio in ſomno ſequuta non eſt formaliter peccatũ. Probatur minor: vt ommiſsio in ſomno ſequuta ſit libera phiſicè, vel moralitèr, debet eſſe pro illo tunc in noſtra poteſtate phiſicè, vel moralitèr; ſed pro illo tunc, ſcilicèt, ſomni, neutro modo eſt in noſtra poteſtate: ergo ommiſsio in ſomno ſequuta neutro modo eſt libera. Probatur minor: dormiens pro tempore ſomni, nec phiſicè, nec moralitèr eſt potens ad auditionem Sacri, nec ad evitandam ommiſsionem illius: ergo pro illo tunc, neutro modo eſt in noſtra poteſtate. Antecedens videtur manifeſtum; nam dormiens pro tempore ſomni, tàm phiſicè, quàm in ſtimatione prudentum, eſt incapax ad audiendum Sacrum, & huius ommiſsionem evitandam. Conſequentia videtur legitima.

21 *Secundò.* Reijcitur ſecundò: ommiſsio, quę phiſicè, vel moralitèr eſt in noſtra po-

potestate pro tempore, quo præceptum obligat, est verè, propriè, & formaliter peccatum: ergo ab oppositio: omissio quæ nec physicè, nec moraliter est in nostra potestate pro tempore, quo præceptum obligat, non est verè, propriè, & formaliter peccatum; & consequenter erit propriè effectus peccati. Antecedens est indubitatum. Consequentia est ab opposita manifesta. Sumo nunc; atqui omissio Sacri in somno sequuta, nec physicè, nec moraliter est in nostra potestate pro tempore somni: ergo pro tempore somni non est verè, propriè, & formaliter peccatum.

22 *Reijcitur 3 & 2. prob. concluſ.*

Reijcitur tertiò, & probatur secundò conclusio: licèt actus præteritus non retractatus sit sufficiens, vt omissio indè sequuta sit formaliter peccatum in habente vsum rationis; insufficiens tamen est, vt omissio in somno secuta sit formaliter peccatum: ergo ruit solutio Ill. Godoy, & tenet nostra conclusio. Probatur antecedens: etsi intentio præterita non retractata sit sufficiens ad validè conficienda Sacramenta in habente vsum rationis, insufficiens tamen est in dormiente: ergo paritèr. Antecedens est communis Theologorum sententia. Consequentia est notoria; nam sicut ad conficiendum Sacramentum requiritur, quod conficiens sit in statu vsus rationis; sic ad peccandum requiritur, quod peccans sit in statu vsus rationis, quod non habet dormiens, etsi habeat intentionem, vel actum præteritum non retractatum.

23 *Probat. 3. concl.*

Probatur tertiò conclusio: nullum potest esse peccatum, nisi sit contra legem; sed omissio in somno contingens non est contra legem: ergo non est propriè peccatū. Maior, & consequentia tenent. Minor autem probatur primò: Lex non obligat impotentes, vt claret ex illa regula Iuris: *Ad impossibile nemo tenetur*; sed dormiens est physicè, & moraliter impotens: ergo omissio in somno contingens non est contra legem. Secundò: nemo peccat in eo, quod evitare non potest, vt ait Augustinus; sed dormiens pro tempore somni evitare non potest omissionem Sacri: ergo omissio pro tempore somni, non est peccatum, & consequenter nec contra legem.

24 Respondet Ill. Godoy *num.* 56. distinguendo maiorem: Lex non obligat impotentes, impotentia naturali, & involuntariè contracta, concedit maiorem; impotentia voluntariè contracta, negat maiorem; & hac distinctione distinguet etiam minorem, & secundam probationem. Quam solutionem adducit ex D. Thom. *quæst. 16. de Malo, art. 5. ad 11.* Sed certè *ibi* D. Thom. potiùs est pro nostra opinione; ait enim: quod ebrius tenetur non peccasse, non quidem considerato præsenti statu: ergo sentit D. Thomas, quod pro tempore ebrietatis, ebrius non tenetur, & consequenter, quod lex illum in illo statu non obligat, in quo stat nostra probatio. Sed quidquid sit de mente D. Thomæ.

Respondet Ill. Godoy.

25 *Impugnat. responsio.*

Impugnatur solutio Ill. Godoy: quod impotentia sit voluntariè contracta, non tollit, quod dormiens pro tempore somni sit physicè, & moraliter impotens ad legem implendam: ergo quod impotentia sit voluntariè contracta, non infert, omissionem in somno contingentem esse propriè peccatum. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur: nequit esse peccatum, quin physicè, vel moraliter sit in nostra potestate pro tempore, quo præceptum obligat; sed quod impotentia sit voluntariè contracta, non infert, omissionem in somno contingentem esse in nostra potestate physicè, vel moraliter pro tempore somni: ergo quod impotentia sit voluntariè contracta, non infert, omissionem in somno contingentem esse propriè peccatum.

26

Alias rationes adducunt Authores nostræ sententiæ, & plura inconvenientia, quæ ex opposita sententia sequuntur, quæ omnia ommitto, tum: quia ad omnia salvanda præfata doctrina vtitur Ill. God. in eorum solutione. Tum etiam: quia re vera ratio principalior, & efficatius fundamentum pro nostra opinione situm est in defectu libertatis, sine qua nequit esse peccatum. Tum etiam: quia si hæc dissensio (vt dixi *num.* 20. & omnes fateri debere videtur) potiùs, quam de re, est de nomine, vel modo loquendi, in dissensione de modo loquendi ampliùs non licet immorari. Tum deniquè: quia quod noster loquendi modus melior sit, & proprior, saris apparet ex dictis, &

amplius constabit, argumenta Ill. Godoy solvendo.

§. III.

Solvuntur argumenta Ill. God.

27 *Arguit.* 1. ARguit primò *num.* 17: vt aliquid verè sit, & dicatur peccatum, & non solum effectus peccati, sufficit esse voluntarium in causa, quamvis causa voluntariè posita inevitabilis ab homine sit; at ommissio, v. g. Sacri contingens in somno, voluntaria est in causa: ergo quamvis causa illa supposita vitari non possit, verè, & propriè est peccatum, & non solum effectus peccati. Consecutio est legitima. Minor certa: supponimus namquè ommittentem, quando se dedit somno, prævidisse ommissionem secuturam ex illo; & consequentèr voluisse somnum, saltim interpretativè, prout est causa ommissionis, in quo consistit, ommissionem esse voluntariam in causa.

28 *Prob.* 1. *maior.* Maior autem ostenditur primò: quando enim quis se inebriat, non solum est peccatum nimia vini potatio, ex qua ebrietas consequitur, verum etiam ipsa ebrietas peccaminosa est, vndè tenetur ebrius, illam in confessione explicare; & tamen in instanti, in quo est ebrietas, inevitabilis est, nec in potestate ebrij est, illam evitare, cum ipsa formalitèr tollat vsum rationis, addimatque libertatem: ergo solum est peccatum, quia in causa voluntaria est, nempè, in immoderata vini potatione, quam quis poterat, & tenebatur vitare; & consequentèr ad rationem peccati sufficit voluntarium in causa, quamvis causa posita inevitabilis sit.

29 *Secundò.* Probatur secundò: non sola iaculatio sagittæ hominem confodientis peccaminosa est, sed etiam homicidium ex iaculatione sequutum, aliàs non teneretur hominē sic occidens, homicidium ipsum in confessione explicare, quod apparet satis absurdū; & tamen iaculatione facta non est in potestate iaculantis homicidium vitare, vt per se est manifestum: ergo homicidium in casu posito, ideò peccatum est, quia licèt quando fit, vitare nequaquam possit, sequitur tamen ad causam, quam ponere, vel non ponere, in occidentis potestate fuit constitutum; & consequentèr ad rationem peccati sufficit voluntariū in causa, quamvis illa posita non possit vitari.

30 *Tertiò.* Tertiò: Clericus proijciens breviarium in mari, non solum peccat, sic proijciendo, sed etiam ommittendo horarum recitationē; & tamen proiectione suppositā, necessaria est non recitatio, cum recitatio horarum in eius potestate non sit: ergo ideò non recitare peccaminosum est, quia est voluntarium in causa, & consequentèr idem, quod priùs.

31 *Respondent aliqui.* Ad hoc argumentum respondent aliqui nostræ opinionis Sectatores, negando maiorem, ad cuius triplicem probationem dicunt: in nullo ex prædictis casibus, & alijs similibus peccari in executione, vel ommissionis, vel actus, sed solum in dando causam: vndè sagittam emittens solum peccavit in eius iaculatione, non verò in occisione hominis; & Clericus breviarum proijciens in mari, solum tunc peccavit, quando breviarium proiecit, non verò posteà non recitando.

32 *Impugnat Ill. God.* 1. Hæc solutio mihi non placet, eamque quadruplicitèr impugnat Ill. Godoy *num.* 19. & 20. Primò: quia satis absurdum videtur, hæc, & alia negare, communisque hominum praxis in confessione apparentium, non solum dedisse causam, verum etiam executionem, cum tamen sine executione peccatum non esset, solius causæ manifestatione integra foret confessio; cum ad eius integritatem satis sit aperire ea, in quibus vera invenitur ratio pecati absquè manifestatione illorum, quæ sunt tantum peccatorum effectus.

33 *Secundò.* Secundò: nam sequitur ex hac solutione, homicidium nunquam esse peccatum; consequens est absurdum, vtpotè, contra mentem omnium fidelium: ergo solutio tradita substinenda non est. Probat sequelam: si namque in casu aliquo homicidium foret non solum peccati effectus, sed etiam actuale peccatum, maximè, quando quis gladio non iaculato, sed manu apprehenso, alterius viscera confodit; at nec in isto casu homicidium est peccatum, sed tantum peccati effectus, si vera est doctrina traditæ solutionis: ergo ex illa sequitur, homicidium non esse peccatum. Probat minorem: nam etiam in illo casu solum est in potestate occidentis ic-

tus,

tus, quo alterum confodit, hoc tamen ictu suppositō, in illius potestate non est, mortem hominis vitare; at mors in desolutione vnionis animæ ad corpus consistens non est in instanti læsionis, sed postea subsequitur: ergo homicidium, quatenùs à lęsione distinguitur, in lædentis potestate non est, & consequentèr etiam in isto casu peccatum non erit in principijs traditæ solutionis.

34 *Tertiò.* Tertiò: nam sequitur ex solutione tradita, polutionem consummatam nunquam esse peccaminosam formalitèr, sed tantum peccati effectus; consequens absurdum apparet: ergo, & antecedens. Probat sequelam: polutio consummata consistit in exteriori seminis emissione; at hæc motu alterato supposito, in hominis potestate non est, cum illam vitare non possit: ergo nunquam erit peccatum, sed tantum peccati effectus.

35 *Deniquè.* Deniquè: nam sequitur, aspectus, & contactus impudicos nunquam esse peccata formalitèr, sed tantum peccatorum effectus; consequens est falsum: ergo antecedens. Patet sequela: supposita apertione oculorum, & applicatione ad obiectum visibile, non est in potestate hominis non videre: ergo aspectus impudici obiecti in se ipso peccatum non erit, sed solum erit peccatum applicatio visus ad obiectum visibile, & oculorum apertio, quibus positis, necessariò aspectus sequitur, & eodem modo de contactibus impudicis probatur: solum enim est in hominis potestate, tactum applicare tangibili, facta autem applicatione, necessarius est tactus: ergo sola applicatio peccaminosa erit, non autem contactus ipse, vel si in his casibus ratio peccati salvatur, eo quod in causa voluntaria sunt, quantumvis in se ipsis, causa posita, sint necessaria; id ipsum de ommissione in somnis contingere, est dicendum, quod, nimirum, peccaminosa sit, quia licèt somno supposito, non sit in potestate hominis, illam vitare, applicatio autem ad somnum, ex quo sequitur ommissio, est in hominis potestate.

36 *Respondeo ad argum.* Vndè quidquid sit de istis impugnationibus, de quibus infrà *num.* 46. Ad argumentum suprapositum respondeo distinguendo maiorem: sufficit esse voluntarium in causa, sola mediatione causalitatis, concedo maiorē; mediatione temporis, nego maiorem; & distinguo minorem: ommissio Sacri contingens in somno est voluntaria in causa, mediatione temporis, concedo minorem; sola mediatione causalitatis, nego minorem, & consequentiam.

37 *Explicatur solutio.* Duplicitèr itaquè potest aliquid esse liberū, vel voluntarium in causa. Primò: sola mediatione causalitatis. Secundò: mediatione etiam temporis. Primum sufficit ad rationem peccati, ideòque dicitur peccatum actus exterior, quia hoc prædicto modo est liber in causa, quatenùs eius libertas dependet tanquam à causa ab actu interiori. Secundum autem est insufficiens, quia mediatione temporis interrumpitur libertas, qua defficiente, non stat peccatum. Vndè ad cognoscendū, quale opus ex libera apositione causæ secutum, dicendum sit peccatum, regula generalis est, quod si paulo post, post causam datam sequatur effectus, tunc effectus est verè peccatum, quia tunc effectus iuxtà hominum stimationem, videtur esse coniunctus cum causa, & ab ea liberè dimanans; quando autem multum temporis transit, videtur quasi disparatè se habere iuxtà stimationem hominum, ideòque non est peccatum, sed effectus peccati.

38 Ex hoc apparet, quod vt ommissio in somno contingens diceretur verè peccatum, non sufficit, liberum fuisse in causa iam præterita, quia tēporis interruptio libertatem aufert; sed necessarium esse, quod actualitèr coniungeretūr cum actu libero voluntatis, qui est eius causa; hoc enim & non alio modo, actus externus liber dicitur, & peccatum, scilicèt, quia actualitèr coniungitur cum actu libero interno, qui est causa illius.

39 *Ad 1. probat. maior.* Vndè iuxtà hanc doctrinam ad primam maioris probationem, concessis præmissis, distinguo consequens: ergo ebrietas solum est peccatum, quia est in causa voluntaria, & cum illa coniuncta, concedo consequentiā; quia est in causa voluntaria præcisè, nego consequentiam, & distinguo subillatum. Ad rationem peccati sufficit voluntarium in causa, & coniunctio cum illa, concedo consequentiam; voluntarium in causa præcisè, nego consequentiam; quia

si est temporis interruptio, voluntarium in causa insufficiens est ad rationem peccati propriè sumpti. Hoc reperitur in ommissione Sacri in somno contingente, per quod discriminatur ab ebrietate, quæ coniungitur cum nimia, & libera vini potatione, ex qua sequitur ebrietas.

40 *Ad 2.* Ad secundam maioris probationem ommissa maiori, distinguo minorem: Iaculatione facta, non est in potestate iaculantis, homicidium vitare, in genere entis, concedo minorem; in genere voliti, nego minorem, & consequentiam. Itaquè, aliud est, aliquem ex alio reddi impotentem ad faciendum oppositum, & aliud est reddi impotentem ad oppositum volendum. *Explicatur solutio.* Ille enim, qui solum redditur impotens ad faciendum oppositum, valet esse potens ad oppositum volendum, vt patet in emittente sagitam; nam licèt semel emissa reddatur impotens ad illam revocandam, & retrahendam, & consequentèr ad evitandum homicidium in genere entis ex ea sequutum; est tamen potens ad nollendum emississe sagittam, vel ad volendum de nobo non emississe. Vndè, qui emisit sagittam, de cuius emissione non resipiscit, potens resipiscere, complacet in tali emissione, sicque non solum emissio, sed etiam percusio est volita, & voluntaria, & consequentèr peccatum, quia voluntariè emittit sagittam, & voluntariè interfecit tali sagitta emissa. Si autem de tali emissione resipisceret, licèt percusio, vel homicidium sequeretur, non esset formalitèr peccatum, sed illius effectus, vt fatetur etiam cum adversarijs Ill. God.

41 Ille autem, qui non solum redditur impotens ad faciendum, vel non faciendum, verum etiam ad volendum, vti est dormiens, est impotens, non solum in genere entis, verum etiam in genere voliti; vndè ommissio in somno secuta, nequit esse peccatum in se, quia nec est in illius potestate facere, vel non facere, nec velle, nec non velle oppositum. Vndè ad summum erit peccatū in causa, seu effectus peccati. Imò ex hac doctrina, quæ verissima apparet, & constat ex dictis *num.* 5.

42 *Retorqueo.* Retorqueo probationem contra Ill. Godoy: ideò non solum emissio sagittæ, verum etiam percusio, est verè, & propriè peccatum, quia percusio est actu libera, & voluntaria, quatenus in esse volito manet in potestate emittentis sagittam, licèt non in in esse reali; sed ommissio in somno contingens, nec in esse reali, nec in esse volito, est actu libera dormienti: ergo ommissio in somno contingens non est verè, & propriè peccatum: ergo nulla est prædicta Ill. Godoy probatio.

43 *Ad 3.* Ad tertiam maioris probationem ommissa etiam maiori, distinguo minorem: proiectione suppositā, necessaria est non recitatio in genere entis, concedo minorem; in genere voliti, nego minorem, & consequentiam, vel illam distinguo distinctione data *num.* 39. Itaquè, vel proiectione facta, pœnitet Clericus de proiectione, vel non? Si primum, non sunt peccata; alioquin simul esset in gratia, & in peccato. Si secundum; complacet in proiectione, sicque non solum proiectio breviarij, verum, & non recitatio, est volita, & voluntaria, & consequentèr peccatum, vt de iaculatione sagittæ, hominem confodientis, dictum manet *num.* 40.

44 *Ommissiones sine actuali libertate nō debent confiteri, & hoc dato, non per se, sed per accidēs.* Neque id, quod totiès repetit Ill. Godoy, scilicèt, quod tenemur confiteri ommissiones secutas, vim aliquam habet. Primò: quia falsum est absolutè loquendo; nam solum tenemur confiteri peccata; & quod non est in nostra potestate, pecatum non est. Secundò: quia non semper tenemur confiteri ommissiones, quę in nostra potestate non fuerunt; sed solum aliquando, & hoc non per se, ser per accidens, & indirectè, quatenùs cum ipsis sunt aliqua connexa, quæ omninò debent innotescere confessario, nempè, damna resarcienda, restitutiones faciendæ, pœnæ, & censuræ incurrendæ, vt docent communitèr Summistæ, & fatetur Ill. Godoy *num.* 41. *de quo num. sequenti.*

45 *Retorqueo ad homin. contra Ill. God.* Tertiò: quia licèt teneremur, confiteri ommissiones secutas, vel actus externos, non ob hoc infertur, esse peccata, quod patet ad hominem contra Ill. Godoy: nam etsi quis pœniteat propinati veneni, vel iaculatæ sagittæ, si mors sequatur, tenetur confiteri homicidium ex illis secutum; at in hoc casu homicidium secutum non est peccatum: ergo licèt teneamur confiteri ommissiones se-

cu-

cutas, vel actus externos, non ob hoc infertur, tales ommissiones, vel actus, esse peccata. Consequentia est legitima. Maior, & minor sunt Ill. Godoy *num.* 41. loquendo de homicidio, easque omnes adversarij concedunt.

46 *Replicis Ill. God. occurritur.* Ex hisque ad replicas, quas facit Ill. Godoy contra solutionem aliquorum positam *num.* 31. prout obstare possunt nostræ solutioni, respondeo: ad primam satis constare ex dictis *numer.* 44. & 45. Ad secundam distinguo vltimam maiorem quoad secundam partem: ictu supposito, in illius potestate non est, mortem hominis vitare in genere entis, concedo; in genere voliti, nego; hacque solutione ad tertiam nego sequelam, & distinguo minorem; Ad quartam verò negata sequela, distinguo illius probationem, & claret solutio ex dictis *num.* 40. & 41. quin aliquid sit addendum vltrà ibi dicta.

47 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num.* 21. à priori: vt ommissio sit peccaminosa, & voluntaria, sufficit, quod ab interiori peccato procedat; at quando in somnis contingit, ab actu peccaminoso voluntatis procedit: ergo verè peccaminosa est. Maior videtur certa; nam eo ipso, quod ab actu interiori voluntatis procedat, informatur extrinsicè ab ipso; cum informatio actus exterioris ab interiori in dependentia ab illo fundetur: ergo eo ipso, quod ommissio ab interiori peccato procedat, & ab illo imperetur, informatur extrinsicè ab ipso, & conconsequenter constituitur voluntaria, & peccaminosa extrinsicè.

48 *Prob. min. 1.* Minor autem probatur primò: quia nos fatemur, ommissionem evenientem in somnis esse effectum peccati interioris; sicut, & occisio in ebrietate facta, & ante ebrietatem prævisa, effectus est peccati in nostra sententia; quo circà ex tali occisione irregularitatem incurri fatemur, quia putamus, irregularitatem sufficienter incurri per occisionem hominis, quamvis in se ipsa peccaminosa non sit, dummodo sit effectus præcedentis peccati interioris: ergo ommissio in somnis eveniens ab interiori actu peccaminoso prævidente procedit.

49 *Secundò.* Secundò: vt peccatum interius præcedens influat de facto in ommissionem evenientem in somnis, sufficit, quod existat moraliter tempore ommissionis; at quando in somnis committitur actus præceptus, existit moraliter actus voluntatis præcedens, quo in causa fuit volita ommissio; cum stiterit, & non fuerit retractatus, in quo moralis existentia consistit: ergo ommissio, quæ cum tali actu coniungitur, ab illo moraliter procedit, & ab illo informatur.

50 *Respond. 1. ad argum. & 1. prob.* Respondeo primò ad argumentum distinguendo maiorem: sufficit, quod ab interiori peccato procedat, sola mediatione causalitatis, concedo maiorem; mediatione causalitatis, & temporis, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ex iuxtà hanc solutionem ad primam minoris probationem, distinguo consequens distinctione data. *Secundò.* Respondeo secundò aliter distinguendo maiorem: sufficit, quod ab interiori peccato procedat, cum illo coniuncta, concedo maiorem; non sic coniuncta, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Et iuxtà hanc solutionem ad primam minoris probationem distinguo consequens distinctione data, & claret solutio ex dictis *num.* 37. & 38.

51 *Ad 2.* Ad secundam minoris probationem respondeo negando minorem cum probatione; cuius prima ratio est: quia moralis existentia actus voluntatis non solum requirit, quod actus extiterit, & non sit retractatus, sed requirit etiam, quod actu coniungatur cum effectu secuto, quod non habet actus voluntatis cum ommissione in somno contingente, vt patet ex dictis, & solutio claret ex *numer.* 39. contra quam nihil adducit Ill. Godoy. Secunda ratio esse potest, quam tradit ipse *numer.* 22. scilicèt, quod licèt ille actus non fuerit retractatus contrariè, hoc est, per contrarium actum, est tamen retractatus negativè per somnum, quatenùs per illum tollitur rationis vsus, sine quo, nec physicè, nec moraliter potest actus liber voluntatis existere.

52 *Replicat Ill. Godoy.* Contra hanc secundam rationem replicat ipse *num.* 22: nam si quis Baptismum, aut pœnitentiam petat, actumque attritionis eliceat, & antequam Baptismum recipiat, aut à peccatis absolvatur, amittat vsum ratio-

nis, potest validè Baptizari, & absolvi (vt communiter docetur à Theologis) & gratiam, remissionemque peccatorum recipere; at si carentia vsus rationis retractaret actus præcedentes, id verum esse non posset; cum Baptismus, vt gratiam conferat, dispositionem in subiecto requirat, & Sacramentum pœnitentiæ ex absolutione, & actibus pœnitentis tanquam ex materia, & forma cõsistat: ergo vsu rationis carere non est retractatio, etiam negativa actus præcedentis voluntatis.

53 *Respondeo.* Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: si carentia vsus rationis retractaret contrariè actus præcedentes, concedo minorem; negativè, nego minorem, & consequentiam; quia ad Baptismum sufficit dispositio præcedens, non retractata contrariè, & similiter ad Sacramentum pœnitentiæ validè, & cum effectu recipiendum; at vt peccatum interius præcedens influat de facto in omnissionem evenientem in somnis, requiritur, quod actus voluntatis præcedens nec contrariè, nec negativè sit retractatus.

54 *Replicat iterum.* Replicat adhuc Ill. God. *num.* 23: vt existat Sacramentum pœnitentiæ, necessarium est, quod illius materia, & forma, saltim moraliter existant; at materia Sacramenti pœnitentiæ est dolorosa confessio: ergo vt existat pœnitentiæ Sacramentum, necessum est, quod existat moraliter dolorosa confessio: ergo existit moraliter dolor præcedens in eo, qui vsu rationis privatus ob frenesim, aut aliam iafirmitatem à peccatis absolvitur, eo, quod anteà de peccatis doluit, & absolutionem petijt, & consequenter carentia vsus rationis non tollit actibus voluntatis antecedentibus existentiam moralem.

55 *Respond. 1.* Respondeo primò concesso syllogismo, distinguendo secundum consequens: ergo existit moraliter dolor præcedens in privato vsu rationis, in ordine ad aliquem effectum recipiendum, concedo consequentiam; in ordine ad aliquem effectum liberè producendum, nego consequentiam, & distinguo similiter subillatam. Licèt enim dolor præcedens maneat moraliter in privato vsu rationis in ordine ad recipere gratiam Sacramenti pœnitentiæ ex opere operato; non tamen manet ad merendum proprio opere, eo, quod sit extrà statum libertatis; vndè nihil contra nos, qui loquimur in præsenti de permanentia morali in ordine ad liberè causandum,

56 Nec desiunt paritates efficaces hanc doctrinam convincentes. Prima est: nam intentio virtualis interpretativa sufficit ad recipiendum Sacramentũ, vt apparet in parvulo recipiente Baptismum, & in adulto repentè sensibus destituto, cui administratur Extrema-Vncio; & tamen iuxtà veriorem sententiam prædicta intentio insufficiens est ad conficiendum Sacramentum: ergo similiter de dolore præcedente. Secunda est: perpetuò amentes possunt, & debent recipere Sacramentũ Confirmationis, vt tenet communior, & verior opinio; sed perpetuò amentes nullum Sacramentum conficere valent: ergo paritèr: licèt privatus vsu rationis possit ob præcedentem dolorem recipere Sacramentum pœnitentiæ; nullum tamen meritum producere valebit.

57 *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: quod illius materia, & forma saltim moraliter existant quoad entitatem, concedo maiorem; quoad statum libertatis, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: quod existat moraliter dolorosa confessio quoad entitatem, concedo consequentiam; quoad statum libertatis, nego consequentiam, & distinguo similiter subillatas. Itaq; vt existat Sacramentum pœnitentiæ, sufficit, quod confessio dolorosa quoad entitatem moraliter maneat; sic enim, qui in frenesim labitur, est rectè dispositus ad recipiendam gratiam ex opere operato virtute Sacramenti. Si autem maneret moraliter quoad statum libertatis, lapsus in frenesim non solum reciperet gratiam ex opere operato, sed etiam ex opere operantis, & per modum meriti, quod est falsum.

58 *Tertio.* Respondeo tertiò: omisso syllogismo cum consequentia subillata, nego vltimam consequentiam; quia de Sacramentis ad actus liberos voluntatis nequit fieri comparatio. Primò: quia multa Sacramentis concedimus, quæ actibus voluntatis negamus. Sit exemplum. Asserimus, quod si in vno contrahentium matri-

mo-

monium non fuit debitus consensus, si tamen illum postea ponat (quocumque tempore elapso) coniungitur moraliter cum alterius consensu præterito non retractato, & consurgit matrimonium. At dicere non congruit, quod si actio veneni disponentis ad mortem duraret per duodecim annos, propinans venenum actu peccaret toto illo tempore. Et licèt Ill. Godoy inconveniens in hoc non inveniat, vt habet *num.63. in fine*, nobis sufficit, quod vt inconveniens reputetur à pluribus suæ opinionis Sectatoribus.

59 *Retorq.* 1. Secundò: quia de Sacramentis loquimur, & loqui solum debemus iuxtà eorum à Christo Domino institutionem; non tamen vt res se habent à parte rei. Ex quo retorqueo replicam in Sacramentis generaliter: intentio præterita non retractata sufficit ad valide conficiendum Sacramentum, vt tenent communiter Summistæ: ergo amens, dormiens, & ebrius, qui prius non retractavit intentionem, potest valide conficere Sacramentum, quod apud omnes est falsum, eo, quod minister conficens Sacramentum debet esse compos rationis, vel in statu vsus rationis, vt diximus *num.22.*

60 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò specialiter in Sacramento Eucharistiæ: ad valide consecrandum sufficit proferre verba consecrationis suprà debitam materiam, habita simul intentione faciendi, quod intendit Ecclesia, & non interrupta moraliter; sed hoc potest habere dormiens: ergo potest dormiens valide consecrare. Consequentia videtur legitima. Maior est apud omnes certa. Minor autem patet: nam si sciens se in somno verba consecrationis solitum proferre, debitam materiam apponat, & ex hac intentione se tradit somno, vt illa proferens, consecrationem efficiat; In hoc casu est materia, & forma, simulque intentio non interrupta moraliter iuxtà Ill. Godoy.

61 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc retorsionem, ad quam difficilè est (vt fatetur Ill. Godoy *numer. 51. in fine*) assignare rationem cur in hoc casu dormiens non conficiat validum Sacramentum, omissa Suarij ratione, respondet ipse *numer. 53. in fine*: quod ratio petenda est ex voluntate Christi, qui licèt prolationem verborum voluntariam solum in causa inevitabili potuerit elevare ad conficiendum Sacramentum verum, & validum; noluit tamen hoc facere. Solutionem admitto, & hæc est ad illius replicam nostra quarta solutio. *Respond.4.*

62 *1. Corollar.* Ex dictis in discursu disputationis colligitur primò: illum, qui culpabiliter in somno, aut ebrietate alium oprimit, & occidit, irregularitatem incurrere, positâ contra homicidas voluntarios, quamvis tale homicidium non sit peccatum in se, sed tantum in causa, vel effectus peccati. Ratio est: quia pœna irregularitatis, aliisque pœnis spiritualibus puniuntur actus, quibus data fuit causa, ex qua effectus potest procedere, effectu secuto, licèt talis effectus non sit in se peccatum, vt habet communis Theologorum, & Summistarum opinio.

63 *Secundum.* Colligitur secundò: eum, qui iaculata sagita Clericum læthaliter ferit, & occidit, excommunicationem contra Clericidas incurrere, etiam si ante ictum sagittæ, vel mortem Clerici, peccati perfecta contritione pœniteat, vel mediante attritione ad pœnitentiæ Sacramentum accedat. Hoc corollarium, simul, & præcedens est contra Ill. Godoy *num.66.* cuius ratio est, quam dedimus *num. præcedenti*, ex quâ falsum apparet fundamentum Ill. Godoy, scilicèt, quod excommunicatio solum propter culpam exteriorem incurritur; nam licèt actus exterior, nempè occisio, peccatum non sit in se ob retractationem suppositam; illi tamen data fuit causa, ex quâ sequeretur, quo secuto punitur pœna excommunicationis. Et hæc de istâ disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. dist. 35. §. Quibus opponitur, non enim est aliquid, vel aliqua res nisi ire ad Ecclesiam, &c.*

DISPVTATIO VIGESIMAQUINTA.

In quo consistat formaliter commissionis peccatum, in positivo, an in privativo?

§. I.

Sententiæ referuntur.

Num. 1 *Punctus difficultatis.*

PEccatum ommissionis, vt ex ipso nomine constat, essentialiter consistere in carentia actus debiti ex præcepto affirmativo, constat ex dictis. Vndè præsens difficultas tota reducitur ad peccatum commissionis. Et quia, vt ex dicendis constabit, in eo invenitur positiva tendentia ad obiectum, privatio debitæ cõmensurationis, seu debitæ rectitudinis, & relatio dissonantiæ ad legem, & naturam rationalem, in quæstionem satis celebrem vocamus, per quid istorum formaliter constituatur. Qua in re variæ sunt Theologorum sententiæ.

2 Decem opiniones in hac disputatione refert Oviedus *tract. 4. contr. 4. punct. 2*; omnes tamen ad tres facilitèr reducuntur duntaxat, scilicèt, quod ratio formalis peccati, seu malitiæ moralis consistit, vel in positivo, vel in privativo, vel in vtroque simul. Cœterum, vt ad nostrum facit intentum, duplex tantum versatur in præsenti sententia opposita ex diametro. Prima asserit: peccatum commissionis in ratione mali simplicitèr, & in ratione mali moralis privativi, consistere in privativo, nempè, in carentia rectitudinis, seu conformitatis cum lege, & ratione; in ratione autem peccati, & mali moralis primario adæquatè consistere in positivo. Vndè positivam, & privativam malitiam reperit in peccato hæc sententia. Sic Ill. Godoy *num. 39. & 56.* sequens Caietanum, & alios, quos ipse refert, & citat *num. 2.*

1. *Sentẽtia.*

Ill. Godoy. Thomistæ.

3 Hanc opinionem secutus est noster Pontius Cursu Theologico *disp. 22. quæst. 2.* & post ipsum Boyvin in Theologia quadripartita *tom. 2. de actibus humanis*, & Bartholomæus Durand. *tom. 2. de peccatis. disp. 3. quæst. 1.*

Pontius. Boyvin. Durand.

De omnibus miror, vtpotè, contra Scotum; præcipuè tamen de dicto Durand. qui intentum contra Gonet sumendo, ab Scoti, & omnium Scotistarum (Pontio, & Boyvin exceptis) sententia discedit, & opinionem Goneti amplectitur. Adquid ergo in fronte sui operibus posuit: *Clypeus Scoticæ Theologiæ contra novos eius impugnatores* (intellige contra Gonet) Melius (ni fallor) esset, à prædicto titulo abstineri, quam à titulo deficere, vt aliquando facit, & in præsenti exequitur.

Secunda sententia ex diametro opposita affirmat: peccatum commissionis consistere formaliter, & adæquatè in privatio; non verò in positivo. Sic Scotus *in 2. dist. 37. §. Istæ quæstiones, & dist. 40.* Et *quodlib. 18.* Magistrum secuntur omnes Scotistæ, tam veteres, quam recentiores, tribus præfatis exceptis. Tenent etiã hanc opinionem Gabriel, & Ocham, quos refert, & sequitur Salas *tract. 13. disp. 2. sect. 3.* Alexander *2. part. quæst. 94. membro 2.* D. Bonauentura *in 2. dist. 34. art. 2. quæst. 3.* Durandus *ibidem quæst. 2.* Ricardus *art. 2. quæst. 1.* Tenent etiam ex Recentioribus Molina *1 part. quæst. 5. disp. vnica, versu malum morale.* Valentia *in præsenti artic. disp. 2. quæst. 13. punct. 3.* Et *disp. 6. quæst. 1. punct. 1.* Suarez *disp. 7. sect. 6. cap. 5. de malitia actus interioris, quæst. 1.* Granadus *tract. 1. de peccatis, disp. 1.* Meratius *ibidem.* Lorca *suprà disput. 25.* Et Montesinos *in præsenti disp. 3.* Et novissimè Ill. Episcopus Segovienſis *circà istum artic. dub. 1.* quos alij recentiores secuntur. Estque hæc sententia in Thomistarum Schola plausibilis, & satis probabilis, vt fatetur Ill. Godoy *num. 1.*

4 *2. Sentẽtia. Scotus. Scotistæ. Gabriel. Ocham. Salas. Alexand. D. Bonav. Durandus. Ricardus. Molina. Valentia. Suarez. Granadus. Araujo.*

Et patet ex eo, quod D. Thomas

5 *D. Thomas.*

quæst.

quæst. 1. de malo, art. 1. & 1. part. quæst. 5. art. 2. & 3. 3. contra Gentes, cap. 9. & passim alibi, docet: Malum consistere in carentia, privatione, seu absentia boni. *In 2. dist. 37. quæst. vnica, art. 1. ad 4.* vbi docet: Peccatum habere, quod sit malum ex privatione formę, per quam actus est bonus. Et *2. 2. quæst. 118. art. 5.* vbi inquit: consistere in corruptione, & privatione boni. Et *3. contra Gentes, cap. 9.* vbi ait: Malum morale consistere in defectu, aut privatione boni rationis. *Suprà quæst. 18. art. 1. & 5. in hac quæst. & art. quæst. sequenti, art. 1. & passim alibi* docet D. Thomas, peccatum importare actum inordinatum, actum quidem de materiali, & inordinationem consistentem in carentia debitæ commensurationis de formali.

§. II.

Statuitur conclusio, & authoritate probatur.

6 *Conclusio.* CONclusio: *Peccatum commissionis formaliter, & adæquatè in privativo consistit.* Ita Authores pro secunda sententia, & probatur primo Authoritate Patrum: hi enim, dum de essentia, & formalitate peccati locuntur, semper id per privationem explicant: ergo formaliter, & adæquatè in privatione consistit. *Probat. 1. authoritate P. P.* Probatur antecedens: Patres de peccato loquentes, illud appellant, tum, nihil; tum, privationem, absentiam boni, corruptionem virtutis, ordinis defectū. Imò Scriptura illud vocat vanitatem, recessum, mendatium, aversionem, quæ omnia denotant quid privativum: ergo dum Patres de essentia, & formalitate peccati locuntur, semper id per privationem explicant. Consequentia est legitima. Antecedens autem constat pluribus Patrum authoritatibus, quæ à recentioribus adducuntur, & plures tradit Ill. Godoy *numer. 87.*

7 *Respond. 1. Ill. Godoy.* Triplicitèr respondet Ill. Godoy *num. 88.* Primò: quod hæc propositio à Patribus prolata: *Peccatum est nihil*, duplicitèr potest accipi. Primò: quod peccatum sit nihil substantiale, id est, non substantialis natura contra Manichęos asserentes, esse aliquas naturas malas à bono Deo nullatenus factas; & hoc in sensu verè dicitur *nihil*, quia substantia mala peccatum non est. Secundo accipi potest, ita, vt sit *nihil* ad terminandā electionem moralem; quoad hoc enim positivum illud, in quo essentia peccati commissionis ponitur, *nihil* est, quia rectam electionem moralem terminare non potest, & hoc intento Patrum sufficiebat, vt scilicèt, Dei causalitatem non terminaret. Quod enim terminare nequit rectam electionem moralem, Dei causalitatem terminare non potest.

8 *Reijcitur 1.* Reijcitur primò hæc solutio: non solum Patres, qui contra Manichęos disputarunt, vti est D. Augustinus, peccatum *nihil* vocarunt; verū etiam Patres, qui multo anteà præcesserunt, vti D. Dionisius: ergo respectu horum non tenet solutio. *Secundò.* Secundò: semel dato, quod peccatum in positivo consistat, potest causalitatem Dei terminare, vt probabimus §. *sequenti*: ergo dato, quod in positivo peccatum consistat, non est *nihil* ad terminandā rectam electionem moralem, & consequentèr ruit solutio. *Tertiò.* Tertiò: Patres asserentes: *peccatum esse nihil*, locuntur de peccato formaliter entitativè in esse moris, vt est manifestum: ergo non locuntur de peccato respectivè ad terminandam rectam electionem moralem. *Quartò.* Quartò: si Patres asserentes, *peccatum esse nihil*, loquerentur de nihilo ad terminandam rectam electionem moralem, Patres ita frequentèr assererent, peccatum esse aliquid, ac esse nihil; sed hoc falsum apud omnes apparet: ergo falsa est solutio Ill. God.

9 *Respond. 2.* Respondet secundò *numer. citat*: quod P. P. peccatum vocantes *privationem*, locuntur de privatione formaliter respectu peccati, vt est malum simpliciter; respectu verò illius, vt est malum morale, de privatione sumpta causaliter, & sic verum est, peccata nihil aliud esse, quam privationem boni, aut conceptam formaliter, aut causaliter; vt enim est malum simpliciter, est privatio formaliter, & vt est malum moraliter, est privativum causaliter, & hoc intento sufficiebat, vt scilicèt, non causaretur peccatum formaliter à Deo; quia nequit esse causa, nec privationis moralis, nec causæ positivæ illius, in quantum causa eius est.

10 *Impugn. 1.* Hæc tamen solutio impugnatur primò: peccatum, vt est malum moraliter, est formaliter privatio: ergo

ruit

ruit ſolutio. Probatur antecedens: nam D. Auguſtinus *in Encherid. cap.* 11. quærens ex profeſſo rationem mali vt ſic, ait: *Quid eſt autem aliud, quod malum dicitur, niſi privatio boni*: ergo peccatum, vt eſt malum moraliter, eſt formaliter privatio. Secundò: id, cuius nulla eſt natura, niſi amiſsio boni, eſt formaliter quid privativum; ſed mali nulla natura eſt, niſi amiſsio boni: ergo malum eſt formaliter quid privativum: ergo peccatum, vt eſt malum moraliter, eſt formaliter quid privativum. Omnia patent, ſi vera eſt minor. Minor autem eſt D. Auguſt. 11. *de Civitat. cap.* 9. dicentis: *Mali enim nulla natura eſt, ſed amiſsio boni mali nomen accepit.*

Secundò.

11 Tertiò: malum iuxtà P. P. nihil aliud eſt, quam privatio boni: ergo eſt formaliter privatio: ergo, & peccatum, vt eſt malum moraliter: ergo ruit ſolutio. Probatur prima conſequentia: ſi malum eſſet aliud præter privationem formaliter, falſa eſſet illa P.P. propoſitio: *Malum nihil aliud eſt, quam privatio boni*; ſed hoc dici nequit: ergo malum eſt formaliter privatio. Minor, & conſequentia tenent. Maior verò eſt certa; quia tunc eſſet aliquid poſitivum, à quo cauſaretur privatio, quod Patrũ propoſitioni contradicit. Quartò: quotiès Patres de peccato locuntur, ſemper dicunt, eſſe privationem boni: ergo locuntur formaliter, & non tantum cauſaliter; alioquin ſemper impropriè fuiſſent locuti, vtpotè, nunquam naturam peccati formaliter declarantes.

Tertiò.

Quartò.

12 Quintò: malum quodcumque ſit, eſt iuxtà P. P. privatio boni, ſicut mors eſt privatio vitæ, & tenebræ ſunt abſentia lucis; atqui mors eſt privatio vitæ formaliter, & tenebræ ſunt formaliter abſentia lucis: ergo malum quodcumque ſit, eſt formaliter privatio boni: ergo Patres vocantes peccatum privationem, locuntur de privatione formaliter reſpectu peccati, vt eſt malum morale: ergo ruit ſolutio Ill. Godoy. Maior traditur à Patribus, præſertim ab Auguſtino *locit citatis num.* 10.

Quintò.

13 Cœterum, quia diſtinctio illa de malo ſimpliciter, & malo morali, quam ex Caietano ſumpſit Ill. God. & qua vtitur in ſolutione, eſt, in qua maximè fidit, vltrà hoc, quod talis diſtinctio eſt omninò ficta, & commentitia, vt oſtendit Baſquius *diſp.* 95. *cap.* 2. & abſquè vllo prorſus fundamento, vt notavit Suarius *diſp.* 11. *Methaphiſicæ ſect.* 1. vltra hoc, inquã, reijcienda eſt talis diſtinctio. Pro quo.

Solutio allata impugnatur ſextò: malum morale, quod eſt peccatum, eſt malum ſimpliciter: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: quod eſt ex natura ſua malum, & omninò malum, eſt ſimplicieèr malum; ſed tale eſt malum morale, quod eſt peccatum: ergo malum morale, quod eſt peccatum, eſt malum ſimpliciter. Conſequentia eſt legitima. Maior patet primò: nam vltra malum ex natura ſua, & omninò malum, nequit eſſe aliud malus malum. Secundo: quia malum ex natura ſua, & omninò malum, eſt antonomaſticè malum. Minor autem eſt D. Baſilij *homil.* 9. *ad Populum*, dicentis: *Aliud eſt malum natura ſua, quod eſt peccatum, aliud, quod durum, triſteque eſt ſenſibus noſtris*, & addit: *Noſce vnum omninò eſſe malum, quod eſt peccatum.*

14 *Sextò.*

Septimò: nam diſtinctio illa ab Ill. Godoy facta de malo ſimplitèr, & malo morali eſt falſa: ergo, & ſolutio. Probatur antecedens: malum ſimpliciter, quod in peccato concedit Ill. Godoy, & fatetur eſſe quid privativum formaliter, eſt malum morale: ergo diſtinctio data eſt falſa. Probatur antecedens: malum prædictum convenit actui in genere moris: ergo malum ſimplicitèr eſt malum morale. Probatur antecedens: tale malum convenit actui humano, prout hic eſt laude, vel vituperio dignus: ergo malum prædictum convenit actui in genere moris.

Septimò.

Deniquè impugnatur ad hominem contra Ill. Godoy: peccatum, vt eſt malum moraliter, eſt malum ſimpliciter: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens: quod peccatum, vt eſt malum moraliter, ſit malum in genere moris, non obeſt, vt ſit malum ſimplicitèr: ergo peccatum, vt eſt malum moraliter, eſt malum ſimpliciter. Probatur antecedens: quod peccatum, vt eſt malum moraliter in ratione offenſæ, ſit malum ingenere moris, non obeſt, vt ſit malum ſimplicitèr: ergo quod peccatum, vt eſt malum moraliter, ſit malum in genere moris, non obeſt, vt ſit malum

15 *Deniquè ad hom. contra Ill. Godoy.*

ſim-

simpliciter. Consequentia videtur paritate certa. Antecedens autē probatur: quod peccatum, vt est malum moraliter in ratione offensæ, sit malum in genere moris, non obest, vt malum offensæ sit simpliciter infinitum, vt habet Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 1*: ergo multo minus obstabit, vt si malum simpliciter.

Respondet Ill. Godoy.

Respondet tertiò Ill. God. dicto *num. 88*: quod quando Patres dicunt: peccatum esse privationem, vsi sunt nomine privationis ad explicandam essentiam peccati, quia privatio in ratione mali notior est nobis, quam entitas moralis. Hæc solutio eadem est, ac præcedens, ea parte, qua intendit: Patres loqui de privatione, non formaliter, & per se; sed causaliter tantum, & à posteriori; quæ impugnata manet per dicta *numer. 10. 11. & 12.*

Impugnat.

16 *Dices cum ipso.*

Dices cum ipso *num. citat*: Augustinus præter malitiam privativam, positivam etiam assignavit *lib. 10. de perfectione Iustitiæ in principio*, illis verbis: *Quærat ergo quod eidem vitio nomē imponat, vtrum rem velit dicere, an actū, an rei potius qualitatē, qua deformis actus consistit.* Vbi, vt clare constat, deformitatem actus in positiva qualitate constituit. Et *lib. de moribus Manichæorum, cap. 5.* vbi ait: *Quod secundū quod finis est laudabilis, aut vituperabilis, secundum hoc opera nostra vituperabilia, aut laudabilia sunt*: malitia autem sumitur à fine mediante tendentia in ipsum; & consequenter per aliquid positivum. Constat etiam ex diffinitione peccati tradita à D. Aug. & D. Thom. in præsenti, explicata per contrarietatem ad legem; contrarietas autem per aliquid fit positivum.

17 *Respondeo ad 1. testimon.*

Respondeo ad primum D. Augustini testimonium: loqui Doctorem de peccato, & actu malo pro subtracto, & materiali; non verò pro formali; licèt enim peccatum, & actus malus denominativè acceptus dicat actum, & malitiam, seu positivum, & privativum; non tamen vtrumque dicit pro formali; sed vnū pro formali, scilicèt, privativum, & aliud pro subtracto, & materiali, nempè, entitatem positivam actus, vt ex dicendis latiùs clarebit. Ad secundum respondeo: August. in verbis relatis nullatenus asserere, quod malitia sit quid positivum, vt luce clarius apparet; id autem, ex quo illud infert Ill. Godoy, est ratio, qua vtitur ipse *numer. 61.* ad probandam suam conclusionem, ideoque argumentum non ex D. Augustino procedit; & sicut ipse sua ratione vtitur contra nos; ita nos vti possumus contra ipsum aliqua ex nostris rationibus; sed hoc non ab authoritate, sed à ratione erit arguendum. Hoc evidenter ostendit, instantiam non esse ad rem; rationem autem solvemus in solutione ad secundum argumentum. Ad tertium patet similiter: instantiam non esse ad rem, quia illud non asserit D. Augustinus, vt est notorium, sed indiget explicatione D. Thomæ, vt fatetur Ill. Godoy, quæ quidem explicatio non admittitur à Thomistis, nostram sequentibus opinionem, & illius falsitas constabit pro solutione ad primum argumentum.

Ad 2.

Ad 3.

§. III.

Rationibus probatur conclusio.

PRobatur secundò conclusio ratione, qua vsus est Scotus *in 2. distinct. 37*: illa est ratio formalis peccati constitutiva, qua posita (secluso quocumque alio) ponitur peccatum. & qua ablata (posito quocumque alio) auffertur peccatum; atqui posita privatione bonitatis moralis, vel conformitatis ad legem, & regulas morum, vel carentia rectitudinis debitæ in esse actui, ponitur peccatum, & ablata, aufertur: ergo talis privatio est ratio formalis peccati constitutiva. Consequentia est legitima. Maior est ratio, qua generaliter vtuntur Doctores ad investigandam essentiam rei.

18 *Probat. 2. concl. ratione Scoti.*

Minor autem, in qua est difficultas, probatur primò: posita tota substantia actus cum libera tendentia in obiectum prohibitum, adhuc actus non intelligitur formaliter malus, nisi intellecta tali privatione; ergo posita tali privatione, ponitur peccatum, & ablata, auffertur. Probatur antecedens: oppositio cum lege, reperta in actu furti ad præceptum negativum, non oritur immediatè ex eius positiva entitate, sed ex privatione prædicta: ergo posita tota substantia actus cum libera tendentia in obiectum prohibitum, adhuc actus non intelligitur formaliter malus, nisi intellecta tali privatione. Probatur antecedens:

19 *Prob. min. 1.*

licèt furtum ſecundum ſuam entitatem poſitivam immediatè ex natura rei opponatur non furto; illi tamen vt præcepto, ſolum opponitur, prout privatum conformitate ad illud præceptum: ergo oppoſitio cum lege, reperta in actu furti ad præceptum negativum, non oritur immediatè ex eius poſitiva entitate, ſed ex prædicta privatione. Probatur antecedens: actus tendens in furtum prohibitum, nequit concipi, vt talis, niſi ſub privatione conformitatis ad præceptum negativum: ergo licèt furtum ſecundum ſuam poſitivam entitatem immediatè ex natura rei opponatur nō furto; illi tamen vt præcepto, ſolum opponitur, prout privatum conformitate ad illud præceptum.

20 *Secundò.* Probatur ſecundò dicta minor: manente eadem phiſica ſpecie actus ſecundum ſubſtantiam in genere phiſico, poſſunt in illo fundari diverſæ ſpecies malitiæ in genere moris, & è contra: ergo poſita privatione prædicta, ponitur peccatū, & ablata, auffertur. Conſequentia eſt notoria. Antecedens autem quoad primam partem patet: nam pergere ad Templum, ad occidendum hoſtem, ibi habitantem, eſt idem actus omninò in ſpecie phiſica, & tamen fundat malitias ſpecie diverſas in genere moris. Patet etiam quoad ſecundam: nam furari nummos, v. g. ad delectationem, vel honorem conſequendum, ſunt actus eiuſdem ſpeciei moralis iniuſtitiæ; habent tamen diverſas ſpecies phiſicas.

21 *Tertiò.* Probatur tertiò minor ſupradicta: quodlibet agens inferius ita debet conformari agenti ſuperiori, vt ſi liberè poſsit conformari, & non conformetur, peccabit: ergo poſita non conformatione voluntatis creatæ cū voluntate Dei, ponitur peccatum. Atqui nōn conformitas eſt privatio conformitatis: ergo poſita hac privatione, ponitur peccatum. Tunc ſic; ſed hac non conformitate ablata, auffertur peccatum: ergo hac privatione ablata, auffertur peccatum: ergo poſita privatione prædicta, ponitur peccatum, & ablata, auffertur.

22 *Quælibet ſolutio impugnat. 1.* Hanc Scoti rationem ſibi non obiecit Ill. Godoy; quidquid autem ad illam reſpondere valeret, per dicta valet impugnari, & ſic primo generalitèr impugnatur: actus tendens in obiectum prohibitum, nequit concipi, vt talis, niſi quatenùs exiſtens ſub privatione conformitatis ad præceptum negativum: ergo niſi concipiatur, vt exiſtens ſub tali privatione, non erit malus. Secundò: in adimpletione præcepti negativi, v. g. *Non furaberis. Non mentiēs*, rectitudo debita, in qua bonitas formalitèr conſiſtit, neque eſt actus oppoſitus, ſcilicèt, elemoſina, veritas, neque carentia actus, ſcilicèt, non furtum, non mendatium: ergo eſt conformitas ad præceptum negativum, ſuper has negationes fundata: ergo poſitis his negationibus (ordine ad legem ſecluſſo) non eſt bonitas formalis: ergo non furari non eſt conformitas ad legem, ſed fundamentum conformitatis: ergo ſimilitèr ab oppoſitio de malitia formali (ſecluſſo ordine ad legem) nullatenus ſtabit, vt ex profeſſo dicemus §. *vltimo à num.* 109. ſolvendo argumentum ſecundum. *Secundò.*

23 *Probat. 3. concluſio.* Probatur tertiò concluſio: bonitas moralis conſiſtit in integritate ex omnibus, quæ debentur ex lege: ergò malitia moralis conſiſtit in carentia alicuius, quod ex lege debetur. Patet conſequentia: quia namque tranſcendentalis bonitas conſiſtit in integritate ex omnibus debitis phiſicè, aut methaphiſicè, malitia tranſcendentalis conſiſtit in carentia alicuius ex his, quę prædicto modo debentur: ergo paritèr: ſi bonitas moralis conſiſtit in coaleſcentia ex omnibus, quæ debentur ex lege, moralis malitia conſiſtet in carentia alicuius ex illis.

24 *Reſpond. 1. Ill. Godoy.* Ill. Godoy *num.* 104. duplicitèr reſpondet. Primò conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ergo malitia moralis conſiſtit in carentia, ſumpta contrariè, ſeu carentia cauſali, concedit conſequentiam; in carentia ſumpta privativè formalitèr, negat conſequentiam; ſufficit namquè intelligere in odio oppoſitionem contrariam cum rectitudine debita, ex qua cauſatur privatio rectitudinis, vt intelligatur malum moralitèr.

25 *Reffellitur 1.* Refellitur primò hęc ſolutio: malitia moralis conſiſtit in privatione bonitatis moralis, ſumpta privatione formalitèr: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens primò: malitia vt ſic, ſeu tranſcendens, vel communis ad omnia mala, conſiſtit in privatione entitatis, & integritatis eſſentialis rei,

ſump-

sumpta privatione formaliter: ergo quælibet particularis malitia consistit in privatione bonitatis, illi correspondentis, sumpta privatione formaliter: ergo malitia moralis consistit in privatione bonitatis moralis; sumpta privatione formaliter. Antecedens est certum. Vtraque tamen consequentia legitima apparet eo; quod inferiora rationem superioris claudere debent ex illo axiomate: *Quidquid reperitur in superiori, debet reperiri in inferiori.*

26 *Secundò.* Probatur secundò antecedens, & secundò refellitur solutio: malum in genere naturæ, & artis, consistit in privatione conformitatis ad leges, & regulas naturæ, & artis, sumpta privatione formaliter: ergo malum morale consistit in privatione bonitatis moralis, sumpta privatione formaliter. Antecedens est certum, certaque consequentia, quia eadem est paritas. *Tertiò.* Tertio: Malum vt sic, malum naturæ, & malum artis, consistunt in privatione, sumpta privatione formaliter: ergo etiam malum morale. Consequentia patet: quia non adest fundamentum, vt malum vnicè morale excludatur à regula generali aliorum malorum.

27 *Quartò.* Quartò: bonitas moralis consistit in integritate omnium, quæ debentur ex lege: ergo malitia moralis consistit in carentia alicuius, quod ex lege debetur, sumpta carentia privativè formaliter. Probatur consequentia: sicut bonitas moralis explicatur regulariter per comparationem ad bonitatem phisicam, & naturalem, seu (vt terminis Ill. Godoy *num.* 103. *ad vltimam* vtar) ad bonitatem transcendentalem; ita malitia moralis explicari regulariter debet; atqui quia bonitas transcendens consistit in integritate essentiali, bonitas moralis consistit in integritate omnium, quæ debentur ex lege: ergo quia malitia transcendens consistit in carentia integritatis essentialis, sumpta carentia privativè formaliter, malitia moralis consistit in carentia alicuius, quod ex lege debetur, sumpta carentia privativè formaliter. Minor cum consequentia est certa. Maior autem claret ex illo proloquio generali: *Oppositorum eadem est ratio.*

28 Respondet secundò ad rationem suprà positam: rectitudinem debitam ex lege, cui opponitur odium, duplicem esse, positivam, scilicèt, charitatis, & negativam, vel negationem ipsam odij, & non solum carentia rectitudinis positivè est mala moraliter, sed etiam est mala moraliter carentia rectitudinis negativæ; & quia hæc est quid positivum, & primariò intellecta in odio, cõsequens fit, quod malitia, quæ primariò reperitur in odio, sit aliquid positivum. Hæc tamen solutio reiecta manet per dicta in secunda nostra probatione *à num.* 18. *vsquè ad* 23. & præcipuè per dicta *num.* 22. nam secunda impugnatio ibi posita directè impugnat hanc solutionem.

Respondet Ill. Godoy.

Reijcitur

29 *Probat. 4. conclus. paritate.* Probatur quartò conclusio paritate destruente totam doctrinam Ill. Godoy: sicut se habet ens artificiale in genere artis, ita se habet ens morale in genere moris; atqui ens artificiale constituitur formaliter bonum per conformitatem ad regulas artis, & per oppositum constituitur formaliter malum per carentiam conformitatis ad illas regulas, sumpta carentia privativè formaliter: ergo ens morale constituitur formaliter bonum per conformitatem ad regulas moris, & per oppositum constituitur formaliter malum per carentiam ad illas regulas, sumpta carentia privativè formaliter. Consequentia est legitima absquè dubio. Minor est ita certa, vt ars eam doceat, & ab experientia in artefactis pateat.

30 *Probatur maior.* Maior autem, vltra hoc, quod ex terminis patet, sic parificatur iuxtà doctrinam Ill. Godoy: si enim bonitas moralis non est passio entis moralis; vt ipse ait *num.* 102. *ad* 2. nec bonitas artificialis est passio entis artificialis, ob rationem ab ipso datam. Si malum morale est malum secundum quid, vt totiès repetit in præsenti; malum artificiale malum secundũ quid debet esse ob eandem rationem. Si malum morale est malum respectivè; malum artificiale eadem ratione erit malum respectivè. Si malum morale vt sic vnivoce non convenit in ratione mali cum omni malo, scilicèt, cum morali, naturali, &c. ob eandem rationẽ malum artificiale vt sic vnivocè non conveniet in ratione mali cum omni malo, scilicèt, cum artificiali, naturali, &c. Vera igitur est suprà posita maior, cuius pari-

ritas est ita efficax, vt vi illius quælibet ruit solutio.

31 *Probat. 5. ab incõvenienti.* Probatur quintò conclusio ab inconvenienti: si peccatum commissionis in aliquo positivo phisico, & reali consisteret, vt tenet Ill. Godoy, sequeretur, quod Deus causaret per se & directè peccatum sub ratione peccati; sed hoc est contra Concil. Trid. *Sess. 6. Can. 6:* ergo peccatum commissionis sub ratione peccati non in positivo consistit: ergo in privativo. Probatur maior: omne ens positivũ phisicum, & reale causatur à Deo propriè, & directè iuxtà omnes Theologos: ergo, &c.

32 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 110. negando sequelam, & ad probationem ommissis aliorum solutionibus, concesso antecedenti, distinguit consequens *num.* 111: causaret peccatum sub ratione positivæ entitatis concedit consequentiam; sub ratione deformitatis etiam positivæ, negat cõsequentiam. Ex quo non sequitur, dicendum esse absolutè, Deum esse causam peccati, vt peccatum est: nam causalitas Divina apellat suprà formale peccati, & quia formale in peccato importatum, est deformitas sub expræsso deformitatis conceptu, sub quo à Deo non causatur; consequens sit, non esse absolutè dicendum, Deum esse causam peccati.

33 *Impugnat. solutio.* Plures sunt contra hanc solutionem impugnationes; à nobis tamen sic impugnatur: deformitas peccati est entitas realis positiva; sed non est entitas imparticipata per essentiam: ergo est entitas participata; atqui omnis entitas participata est participata à Deo propriè, & directè: ergo deformitas peccati est propriè, & directè à Deo participata, & consequentèr ab illo efficientèr propriè, & directè causata.

34 *Efficatia huius impugnat.* Hæc replica adeò vrgens est, vt fateatur Ill. Godoy *num.* 113. quod illum a sua deterreret sententia, nisi in nostra instantiam manifestam haberet. Vndè potiùs in instantia, quam in solutione, fidere videtur. Sed immeritò certe; nam instantia, quam facit *num. 76.* quæ est vltima suæ conclusionis probatio, & pro vltimo argumento proponetur à nobis, contra ipsum potiùs, quã contra nos militat, vt ibi videbimus. Vndè hac ad ibi relicta, solutionẽ videamus, & reijciamus.

Respondet itaquè *num.* 114. concessa maiori, & minori, distinguendo consequens: est entitas participata sub ratione entitatis, concedit consequentiam; sub ratione deformitatis, negat consequentiam. Ex quo tantum sequitur, entitatem in deformite inclusam, esse causatam à Deo, quod libentèr fatetur; non autem quod deformitas ipsa sub conceptu deformitatis sit à Deo efficientèr causata, vel quod absolutè concedendum sit, deformitatem peccati esse à Deo efficientèr causatam; benè verò potest concedi, quod deformitas sit entitas causata ab ipso; quia in hac secunda propositione appellatio fit suprà entitatem in deformitate inclusam; in primò verò suprà explicitum deformitatis conceptum.

35 *Respondet Ill. Godoy.*

Hæc tamen solutio nullatenùs satisfacit, & eadem ratione sub hac forma proposita, reijcitur primò: deformitas peccati sub ratione deformitatis est entitas realis positiva, non imparticipata, & per essentiam: ergo sub ratione deformitatis est entitas participata. Atqui omnis entitas participata est participata à Deo: ergo deformitas ista sub ratione deformitatis est entitas participata à Deo: ergo & sub ratione deformitatis à Deo propriè, & directè causata: nulla igitur solutio.

36 *Reijcitur 1*

Reijcitur secundò: deformitas peccati sub ratione deformitatis est entitas realis positiva participata, non à Deo, sed à creatura: ergo creatura est prima causa in genere efficientis alicuius entitatis realis positivæ. Hæc consequentia patet: deformitas peccati sub ratione deformitatis, est entitas realis positiva participata in genere efficienti; atqui non à Deo, sed à creatura causatur iuxtà Ill. Godoy: ergo creatura est prima causa in genere efficientis alicuius entitatis realis positivæ. Tunc sic: sed falsum est apud omnes Theologos, creaturam esse primum efficiens alicuius entitatis realis positivæ: ergo deformitas peccati sub ratione deformitatis non est entitas realis positiva.

37 *Secundò.*

Sextò, vttendo terminis Ill. God. ad hominem contra ipsum probatur conclusio: peccatum in ratione peccati est malum in consideratione morali: ergo quodlibet peccatum in ratione peccati est sic malum: ergo pec-

38 *Probat. 6. conclus. ad homin. contra Ill. God.*

ca-

eatum, quod in consideratione morali fuerit maius malum, erit maius peccatum in dicta consideratione. Atqui peccatum omissionis in consideratione morali est maius malum, quam peccatum commissionis: ergo peccatum omissionis in ratione peccati est maius peccatum, quam peccatum commissionis. Tunc sic, sed hoc est falsum; alioquin omissio Charitatis esset maius peccatum, quã odium Dei: ergo cum hoc sequatur ex eo, quod peccatum commissionis in positivo consistat; dicendum necessariò est, quod non consistat in positivo. Antecedens, cum prima consequẽtia est apud omnes certum. Secunda est legitima, & constat ex illo axiomate: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

Prob. sussumpta.

Prima autem sussumpta, in qua potest esse difficultas, probatur: malum privativum in consideratione morali est maius malum, quam malum positivum; sed peccatum ommissionis in consideratione morali est malum privativum, & peccatum commissionis est malum positivum: ergo peccatum ommissionis in consideratione morali est maius malum, quam peccatum commissionis. Consequentia est legitima. Minor pro prima parte est Ill. Godoy *num.* 1. & pro secunda est opinio, quam in præsenti defendit. Maior verò probatur primò: malum privativum in consideratione morali nullam claudit bonitatem; benè verò malum positivum, vt habet Ill. Godoy *num.* 99: ergo. Secundò: malum privativum in consideratione mali contradictoriè opponitur bono; malum verò positivum solum contrariè: ergo malum privativum in consideratione morali est maius malum, quam malum positivum. Consequentia vtriusque probationis est notoria; nam malum, quod nullam includit bonitatem, bonitatique contradictoriè opponitur, est maius malum, quam malum aliquam claudens bonitatem, bonitatiq; solum contrariè oppositum.

39 *Probat. 7. specialiter conclusio.*

Probatur septimò specialiter conclusio: peccatum in ratione peccati non habet causam efficientem, nec eius causatio est effectio, quin potiùs illius causa est deficiens, eiusque causatio defectio; atqui hoc esset falsum, si peccatum commissionis in positivo reali, & physico consisteret, vt ponitur ab Ill. Godoy: ergo peccatum commissionis in ratione peccati non consistit in tali positivo. Consequentia est legitima. Maior est D. August. 2. *de Civit. cap.* 7. dicentis: *Nemo ergo efficientẽ causam malæ voluntatis quærat, nec enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa est effectio, sed defectio; deficere namque ab eo, quod summè est, ad illud, quod minus est, hoc est, incipere habere malam voluntatem.* Minor autem probatur: omne ens creatum positivum physicum, & reale habet causam efficientem, eiusque causatio est effectio: ergo tale esset peccatum, si in tali positivo consisteret, & consequenter vera est suprà dicta minor.

40 *Probatur deniquè ad homin. contra Ill. God.*

Deniquè specialiter etiam probatur conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: odium Dei (& idem de omnibus peccatis, adhuc intrinsicè malis) non est malum antecedentèr ad prohibitionem: ergo in tantum est malum, in quantum opponitur legi. Atqui odium Dei, vt oponitur legi, includit privationem conformitatis ad legem: ergo ratione talis privationis est formaliter malum: ergo odium Dei in ratione mali, vel peccati, non in positivo, sed in privativo formaliter consistit. Omnia videntur vera, si verum est antecedens. Antecedens autem est communis sententia Thomistarum, pro quibus videatur Gonet *tom.* 3. *de peccatis disput.* 1. *art.* 4. Et Scotistarum, pro quibus legatur Mastrius *in* 2. *disput.* 6. *quæst.* 3. afferentium: quod de essentia peccati est, esse contra legem æternam, consequenterque omne peccatum esse malum, quia prohibitum, quod licèt in disputationem non revocaverit Ill. Godoy, id expræsè indicat *num.* 69. dicens: *Odium Dei priùs intelligitur malum ex oppositione ad legem negativam, prohibentem odium, quam, &c.*

§. IV.

Occurritur triplici argumento Ill. Godoy.

ILl. Godoy *num.* 56. arguit primò ex D. Thoma, de cuius mente satis diximus *numer.* 5. & propriùs loquendo, Thomistæ littigent, quia nobis non incumbit de illius mente disputare, & consequenter nec ab Ill.

41 *Arguit. 1. ex D. Thom.*

Solutio.

Godoy ex illo tradita in oppoſitum noſtræ ſententiæ explicare.

Arguit. 2. ex D. Thom. Arguit ſecundò *num.* 59. etiam ex D. Thoma; quia tamen hoc argumentum in aliqua ratione fundatur, illud ſic propono: malum prout in moralibus contrariè opponitur bono propria contrarietate; ſed inter privationem, & formam poſsitivam non eſt propria contrarietas, quo circà inter ægritudinem, & ſanitatem, lucem, & tenebras, contrarietas propriè non eſt, quia tàm tenebræ, quàm ægritudo in privatione conſiſtunt: ergo peccatum in ratione mali moralis aliquo poſsitivo conſtituitur. Maiorem probat Ill. Godoy authoritatibus D. Thomæ dumtaxat.

Prob. mai. 1. Pro ipſo autem, ſic primò probari valet: nam Ariſt. *in poſt prædicam. cap. de oppoſitis*, ait: bonum, & malum non privativè, ſed contrariè opponi.

Secundò. Secundò: nam idem dixit Scotus *quodlib.* 18. docens: malitiam contrariè opponi bonitati, & non privativè tantum.

Tertiò. Tertiò: quia ſi tantum privativè opponerentur, non daretur medium inter bonum, & malum; ſed hoc eſt falſum: ergo malum prout in moralibus contrariè opponitur bono contrarietate propria. Maior eſt certa; quia inter privativè oppoſita nequit eſſe medium. Minor probatur ex Ariſt. *citat.* dicente: quod inter bonum, & malum datur medium, quod neque bonum eſt, neque malum, neque iuſtum, neque iniuſtum: & ratione etiam claret: quia inter bonum, & malum morale eſt indifferens; omnes enim fatentur, dari actum indifferentem, aut in individuo, aut ſaltem ſecundum ſuam ſpeciem, & ex obiecto: ergo tenet minor.

42 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò negando maiorem, nec authoritates, quas ex D. Thoma adducit Ill. Godoy, nobis officiunt. Tum ob dicta in primo argumento. Tum, quia non deeſſunt authoritates D. Thomæ in oppoſitum, nam 3. *contra Gentes, cap. 9. explicando Ariſt. citat.* ait: quod locutus fuit ex aliorum ſententia, cum dixit, inter iuſtitiam, & iniuſtitiam eſſe oppoſitionem contrariam. Et *quæſt. 1. de Malo, art. 1. ad 5.* explicuit his verbis: *Quod oppoſitio contraria largo modo ſumpta comprehendit privativam, & quancumq; aliam oppoſitionem*, & quod Ariſt. vſurpavit oppoſitionem largè. Et *quæſt. 6. de potentia, art. 6. ad 10.* Et *in 2. diſt. 41. quæſt. 1. art. 4. ad 5.* dicit: quod quamvis inter iuſtitiam, & iniuſtitiam, inter bonum, & malum formalitèr ſit oppoſitio privativa, tamen etiam eſt oppoſitio contraria, non ratione malitiæ, ſed ratione alicuius boni, cui coniuncta eſt malitia.

Ex quo triplex apparet ad primam probationem ſolutio. Prima eſt: Ariſt. non ex propria mente, ſed ex mente aliorum locutum fuiſſe. Secunda: loqui de oppoſitione contraria, non ſtrictè ſumpta, ſed largè accepta, quomodo ad oppoſitionem privativam extenditur etiam. Imò ſic locutus fuit 1. *Phiſicor.* dum dixit: principia rerum naturalium, formam, ſcilicèt, & privationem, contrariè opponi; cum certum ſit opponi ſolum privativè. Tertia eſt: loqui de malitia pro materiali, ſeu pro ſubſtracto; non verò pro formali; ſic enim privativè tantum, & non contrariè, opponuntur.

43 *Ad 1. prob. reſpond. 1.* *Secundò.* *Tertiò.*

His D. Thomæ ſolutionibus, quartam addo, nempè, Ariſt. locutum fuiſſe de actibus; non verò de bonitate, & malitia fundata in illis. Actus enim non ſolum ſumunt oppoſitionem ex bonitate, & malitia, quas fundant, ſed etiam ex eorum entitatibus, in eſſe naturæ conſideratis, quatenùs tendunt, vel in obiecta contrariè, aut privativè oppoſita, vel in idē obiectum contrario modo, ſcilicèt, per modū acceſſus, & receſſus, amoris, vel odij. Patet ſolutio in reſtitutione, & furto; hoc enim eſt voluntas rei alienæ accipiendæ, & retinendæ; illa verò eſt voluntas non retinendi rem alienam. Et per hanc quadruplicem ſolutionem patet ad ſecundam probationem.

44 *Quartò.* *Ad 2. prob. maior. reſpond.*

Ad tertiam probationem, nego maiorem, & eius probationem, quia Ariſtot. *loco citat.* expræſsis verbis docet, dari medium inter privativè oppoſita; ait enim: *In privatione autem, & habitu neutrum eorum, quæ dicta ſunt, verum eſt; non enim ſemper alterum eorum in eſſe ſuſceptibili neceſſarium eſt; quod enim nondum natum eſt habere viſum, neque cæcum, neque habens viſum dicitur; quare non erunt hæc, vt ea contraria, quorum nihil eſt mediū.*

45 *Ad 3.*

Dices cum Ill. God. *n.* 60: inter bonum, & malum eo modo oppoſitio invenitur, quo inter habitum bonum, & malum; ſed habitum vitioſum, in

46 *Dices cum Ill. Godoy.*

quan-

quantum talem formaliter, contrariè opponi habitui virtuoso, asseruimus *disp.* 15. *num.* 4: ergo eandem admittere debemus inter actum bonũ, & malum pro formali malitia. Ad hanc replicam negant minorem Authores, sentientes, habitum vitiosum esse malum malitia formali, quia eodem modo de habitibus, ac de actibus discurrunt, vt facit Mastrius *in* 2. *disp.* 6. *quæst.* 1. *num.* 29. Ego verò (maiori intellecta de actibus, vt indicat consequens) nego maiorem; quia habitus vitiosus nec est formaliter malus, nec inclinat ad malum pro formali malitiæ, vt diximus contra Ill. Godoy *disp.* 19. vbi propugnavimus; Deum se solum habitum vitiosum producere posse.

Respond.

47 *Retorqueo argum. cõtra Ill. God.*

Respondeo iam secundò retorquendo secundum argumentum Ill. Godoy: malum, prout in moralibus contrariè opponitur bono: ergo malum morale peccati ommissionis opponitur bono contrariè: ergo peccatum ommissionis, prout est malum morale, non consistit in privativo. Atqui hoc est contra Ill. God. *num.* 1: ergo argumentum contra nos factũ, militat etiam adversus ipsum. Omnia sunt certa, si verum est antecedens. Antecedens autem est ad litteram, quod contra nos pro fundamento sumit.

48 *Arguit. 3. Ill. Godoy.*

Arguit tertiò Ill. Godoy *num.* 61: ante privationem rectitudinis debitæ in esse actui, intelligitur in peccato commissionis positiva tendentia ad obiectum dissonum legi, & rationi; at illa tendentia pro priori ad privationem est mala moraliter: ergo præter malitiam privativam datur in peccato commissionis malitia positiva moralis. Consequutio est evidens: nam malum morale privationem præcedens, & causans, in privatione consequuta, & causata, non potest consistere; & consequenter in aliquo positivo consistere debet, nisi velimus ad aliam privationem confugere, & sic in infinitum. Maior negari non potest.

49 *Probatur minor.*

Minorem autem (ommissa probatione ex D. Thoma) sic à priori probat *num.* 62: tendentia illa, prout antevertit privationem, quam causat, est in genere moris; at non in genere boni moralis: ergo in genere mali moralis; & consequenter est mala moraliter. Consequentia tenet: id enim, quod continetur sub diviso, sub aliquo ex membris dividentibus debet contineri: ergo id, quod est in genere moris, necessariò debet esse, vel in genere boni, vel in genere mali, quæ adequatè dividunt prædictum genus; & consequenter, si non est in genere moris boni, necesse est, quod contineatur in genere mali. Minor etiam est certa: obiectum enim prædictæ tendentiæ non est bonum morale obiectivè: ergo tendentia illa, non potest esse in genere boni moralis formaliter. Maior autem probatur: id ipsum, quod est obiectivè in obiecto cuiusvis tendentiæ, est in ipsa tendentia formaliter; quo circà veritas, certitudo, & evidentia, quæ obiectivè sunt in obiecto, est formaliter in actu intellectus tendente ad veritatem, certitudinem, & obiectivam evidentiam; at obiectum tendentiæ positivæ actus voluntaris, v. g. furandi, quod est furtum ipsum, est obiectivè formaliter in genere moris, vtpotè, morum regulis regulatum, & illis difforme: ergo positiva tendentia actus voluntatis in præfatum obiectũ est formaliter in genere moris.

50 *Respond. 1.*

Respondeo primò negando maiorem, quam vt certam supponit Ill. Godoy; quia non est intelligibilis tendentia ad obiectum dissonum legi, quin sint privata conformitate ad legem; vndè falsum etiam est, quod tendentia ad obiectum dissonum legi sit causa privationis sequentis, cum hoc ipso, quod tendentia sit ad tale obiectum, intelligatur cum privatione conformitatis ad legem; solutio patet ex nostra prima probatione *à num.* 18. *vsque ad* 23. & manifestè ostenditur primò: nam obiectum non habet malitiam obiectivam in genere moris formaliter, nisi quatenùs prohibitum, & consequenter, vt includens privationem conformitatis ad legem; nam præcisa prohibitione, vel privatione conformitatis ad legem, solum habet malitiam obiectivam fundamentaliter; non verò formaliter: ergo pariter est de actu dicendum. Secundò: nam sicut duo alba pro priori ad relationem solum fundamentaliter, & non formaliter sunt similia; ita obiectum, v. g. furtum, pro priori ad privationem prædictam, non formaliter, sed funda-

Firmatur solutio 1.

Secundò.

mentalitèr tantum habet malitiam in genere moris.

51 *Respond. 2.* Hæc est solutio, qua re vera ruit omninò argumentum; sed vt replicis, quas ad aliam solutionem facit Ill. Godoy, satisfaciamus. Respondeo secundò distinguendo maiorem: ad obiectum dissonum legi specificativè sumptum, concedo maiorem; reduplicativè acceptum, scilicèt, vt legi dissonum, nego maiorem; negoque minorem, ad cuius probationem, nego maiorem, & ad probationem illius, distinguo minorem: obiectum tendentiæ positivæ actus voluntatis, v.g. fusandi, est obiectivè in genere moris, vt subest prohibitioni, vel vt privatum conformitate ad legem, concedo minorem; secundum suum esse positivum, nego minorem, & distinguo similitèr consequens; & ratio patet ex dictis *num. præced.*

52 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Hanc solutionem, etsi alijs terminis, sibi dedit Ill. Godoy *num. 63.* & prout nostræ obstare possunt illius replicæ, replicat primò *num. 64*: estò actus voluntatis non attingat dissonantiam obiectivam cum lege motivè, illam tamen terminativè attingit; at vt transferatur in actum obiectiva malitia, sufficit attingentia terminativa, nec motiva requiritur: ergo tendentia actus positiva accipit à suo obiecto suam malitiam moralē. Minor patet ex communi illo discrimine agnito à Theologis inter bonum, & malum, nimirum, illud ex integra causa consurgere, malum autem ex quovis singulari defectu: ac proindè, etsi bonitas moralis petat ad sui existentiam, tendentiam ad obiectivam, non solum terminativè, verum etiam motivè, ideſt, quod non solum terminetur ad honestū, sed etiam quod ab honestate moveatur: ad moralem autem malitiam sufficit, terminari ad malitiam obiectivam, quin actus moveatur ab illa. Maior autem probatur: tendentia actus ad obiectum prohibitum, prohibitione cognita, fundat privativam malitiam, quam non fundat tendentia actus ad obiectum, vel re vera non prohibitum, vel prohibitione invincibilitèr ignorata: ergo alitèr se habet tendentia actus in obiectum prohibitum in vno, atq; in altero casu; at si nec terminativè obiectivam malitiam attingeret, nulla inter vtrumque casum esset alietas: ergo tendentia actus in obiectum prohibitum cognita prohibitione, etsi non sit à malitia obiectiva motivè, est ad illam terminativè.

53 *Secundò.* Secundò replicat *num. 65*: volens causam cum præviſione effectus, ex tali causa futuri, & obligatione vitandi talem effectum, vult interpretativè eventum ad illam causam secutum, etsi phisicè talem eventum non velit: ergo volens furtum cum præviſione dissonantiæ, quam habet ad legem, etsi phisicè dissonantiam non velit, vult tamen illam interpretativè, & moralitèr; & consequentèr tendentia actus in obiectum prohibitum interpretativè saltim dissonantiam, & malitiam obiectivam attingit; at attingentia interpretativa malitiæ sufficit, vt tendentia ipsa sit formalitèr mala moralitèr ex prænotato inter bonum, & malum discrimine: constatque in appetitione interpretativa eventus ex causa sequenti, quæ ex eventu volito interpretativè vitiatur: ergo tendentia actus positivi in obiectum prohibitum est formalitèr mala moralitèr.

54 *Tertiò.* Tertiò replicat *num. 66*: etsi malum morale non possit appeti sub apparientia mali, potest tamen sub apparientia boni; at attingi sub apparientia boni, sufficit, vt attingentia positiva sit mala moralitèr, ob iam datum, & ab omnibus admissum discrimen inter bonum, & malum: ergo idem, quod priùs. *Quarto.* Quartò: actus voluntatis terminatus ad furtum non terminatur ad illud reduplicativè, vt fundamentum est malitiæ obiectivæ; sicut enim nemo intendens ad malum sub ratione mali operatur; ita nemo operatur intendens ad fundamentum malitiæ, prout est fundamentum illius; & tamen tendentia actus voluntatis ad furtum accipit ab illo esse fundamentum malitiæ pro priori ad privationem in ipsa fundatam: ergo pari ratione: quamvis non terminetur ad furtum formalitèr, vt malū obiectivè morale sub apparientia morali obiectivæ malitiæ, accipit ab illo esse malum moralitèr pro priori ad privationem ad prædictam tendentiam secutam.

55 *Quintò.* Replicat deniquè *num. 67*: tendentia habitus virtuosi ad obiectum dissonum legi, & rationi, est mala pro priori ad omnem privationem, &

ta-

tamen non terminatur ad malum sub apparientia mali, nec ab obiectiva malitia movetur: ergo quamvis tendentia actus ad obiectum dissonum legi, & rationi, non terminetur ad malum sub apparientia mali, nec à malitia obiectiva moveatur, erit ratione sui præcedentèr ad omnem privationem, mala formalitèr malitia morali. Consecutio tenet Minor est certa; eodem enim modo terminatur habitus vitiosus ad malum, quo ad illud terminatur actus, cum solo discrimine penès actum, & habitum.

Probat maiorem: habitus vitiosus non constituitur in ratione vitiosi per privationem virtutis oppositæ, vt fatentur plures ex Thomistis, nobis in hac parte adversantibus, nec ab aliquo negatur, quem viderim: imò, nec posse negari, mihi certum videtur; etenim quamvis Deus conservaret, vt potest, virtutem simul cum habitu vitioso, non ideò habitus vitiosus non esset, vt per se est manifestum, cum tamen in tali casu formæ oppositæ privatio non interveniret: ergo habitus vitiosus, & malus redditur non à privatione aliqua subsecuta, sed à positiva tendentia habitus in obiectum dissonum legi, & rationi.

56 *Respondeo ad 1. replicam.* Respondeo ad primam replicam distinguendo maiorem: illam terminativè attingit, media privatione cõformitatis ad legem, concedo maiorem; tali privatione præcisa, nego maiorem, & concessa minori, distinguo similitèr consequens, per quod patet ad probationem. Ad secundam distinguo antecedens: vult volitione includente privationem prædictam, concedo antecedens; tali privatione præcisa, nego antecedens, & distinguo similitèr sequentia. Ad tertiam concessa maiori, distinguo minorem: sufficit, vt attingentia positiva secundum positivam entitatem sit mala moralitèr, nego minorẽ; vt subest privationi, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad quartam omissa maiori; & concessa minori, nego consequentiam; imò oppositum debet inferri; nam sicut tendentia actus voluntatis ab eo, quod est fundamentalitèr malum, accipit esse fundamentum malitiæ: ita ab eo, quod est formalitèr malum, accipit esse malum formalitèr; cum ergo hoc sit quid privativum dumtaxat, vt constat ex dictis, non à positivo pro priori ad privationem, sed solum à privatione, vel à positivo, vt subest privationi, vel prohibitioni, accipit malitiam formalitèr. Claret solutio ex dictis *num.* 50.

Ad 2. *Ad 3.* *Ad 4.*

Ad vltimam distinguo maiorem: est mala causalitèr, concedo maiorem; formalitèr, nego suppositum; ex quo ad probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: habitus vitiosus reditur malus causalitèr, concedo consequentiam; formalitèr, nego suppositum; supponit namque, quod habitus vitiosus sit formalitèr malus in genere moris, seu quod inclinet in actum malum, non solum pro materiali, sed etiam pro formali malitiæ, quod est falsum; alioquin non posset Deus se solo habitum vitiosum producere, cuius oppositum contra Ill. Godoy firmavimus *disp.* 19. 57 *Ad 5.*

Contra hanc solutionem triplicitèr insurgit Ill. Godoy *num.* 68. sed primo relicto, quia in D. Thoma fundato, & omisso secundo, quia est suppositum, quod negavimus, sic instat: nam estò non inclinet in obictum dissonum legi formalitèr, vt est malum obiectivè, causalitèr accipit ab illo causalem positivam malitiã: ergo estò non inclinet in obiectum dissonum legi formalitèr sub apparientia formalis obiectivæ malitiæ, recipit ab illo formalem malitiam moralem. Respondeo negando consequentiam, & oppositam inferendo hac retorsione: ideò habitus vitiosus accipit ab obiecto causalem malitiã, quia inclinat in obiectum causalitèr malum: ergo si non inclinat in obiectum formalitèr malum, nequit recipere ab illo formalem malitiam, & consequentèr falsa est consequentia, imò, & contradictoria antecedenti, ex quo sequitur, accipere causalem malitiam. 58 *Instat Ill. Godoy.* *Respondeo.*

§. V.

Solvitur quartum argumentum Ill. Godoy.

ARguit quartò *numer.* 69: odium Dei priùs intelligitur malum ex oppositione ad legem negativam, prohibentem odium, quam ex oppositione ad legem conditionatam af- 59 *Arguit. 4.*

firmativam rectitudinis charitatis; at oppositio ad legem negativam convenit odio Dei ratione alicuius positivi: ergo prior est in odio Dei positiva malitia, quam privativa. Maior videtur certa: legi enim negativæ, prohibenti odium, & præcipienti negationem illius, opponitur odium directè, affirmativæ verò conditionatæ rectitudinis charitatis indirectè opponitur; sicut lex ipsa directè negat odium, & indirectè præcipit rectitudinem amoris; at priùs intelligitur oppositio cum termino directo, quam cum indirecto: ergo priùs in odio intelligitur oppositio cum lege negativa absoluta, qua cum conditionata affirmativa.

60 *Prob. min. 1.* Minorem autem probat primò: nam lex negativa frangitur per id, quod opponitur materiæ præceptæ; at rei præceptæ per legem non odio habendi, vel odij negatio, opponitur odium ratione suę entitatis positivę, negatio enim immediatè tollitur per formam, cuius est negatio: ergo odiũ opponitur legi negativæ non odio habendi ratione entitatis positivæ. *Secundò.* Secundò: quia namque lex affirmativa præcipit actum, & carentia actus ratione sui actui præcepto opponitur, carentia ratione sui opponitur legi affirmativæ, & est eius transgressio; at lex negativa præcipit negationem actus positivi, & ille actus ratione suæ positivæ entitatis opponitur negationi præceptæ, & illam excludit: ergo ratione suæ positivæ entitatis opponitur legi negativæ, & illam transgreditur.

61 *Respond. 1.* Respondeo primò negando minorem, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: lex negativa frangitur per id, quod opponitur materiæ præceptæ, moraliter sumptę, concedo maiorem; physicè acceptæ, nego maiorem; distinguoque minorem: rei præceptæ per legem non odio habendi, physicæ sumptæ, opponitur odium ratione suæ entitatis positivæ, concedo minorem; moraliter acceptæ, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam distinguo maiorem, & minorem distinctione data, & nego consequentiam.

62 *Declaratur solutio.* Itaquè negatio odij dupliciter potest considerari. Primò physicè, & sic est quid negativum. Secundò moraliter, & sic est conformis legi, & consequenter est quid positivum morale. E converso etiam, odium dupliciter sumitur. Primò physicè, & sic est quid positivum. Secundò moraliter, & sic legi difforme, seu conformitate ad legem privatum, consequentèrque est quid negativum. Sicut ergo odium physicè sumptum, per suam entitatem positivam immediatè opponitur negationi odij physicè sumptæ; ita odium moraliter acceptum per privationem conformitatis ad legem immediatè opponitur negationi odij, moraliter acceptæ. Vndè, sicut physicè loquendo, negatio immediatè tollitur per formam, cuius est privatio, v.g. negatio odij per odium; ita in moralibus, v. g. negatio conformitatis ad legem, quæ est in odio, tollitur immediatè per conformitatem ad legem, in negatione odij repertam.

63 *Declaratur amplius.* Ex quo manifestè se se apperit: quod licèt odium Dei, physicè sumptum, eiusque physica oppositio cum negatione odij, antecedat odium moraliter captum, eiusque moralem oppositionem cum negatione odij, de qua physica oppositione non loquimur, quia non pertinet ad genus moris; falsum tamen est, quod odium Dei, & illius negatio, moraliter sumptis, non opponantur immediatè. Vndè negatio odij imperata non tollitur formaliter per positivam entitatem odij, quatenùs est imperata, sed per illam, quatenùs vetitam, & quatenùs elicitur difformitèr à lege, odiũ prohibente, & negationem odij præcipiente, seu quatenùs elicitur cum recessu à lege, prohibente odium, qui recessus in actu odij importat negationem, vel privationem conformitatis cum lege prohibente; hancque oppositionem cum lege non habere odium Dei ex sua natura, luce clarius apparet.

64 *Ostenditur ad homin. contra Ill. God.* Et ni fallor hoc ad hominem, evidenter contra Ill. God. retorquendo, ostendo: odium Dei iuxtà ipsum in argumento non est malum antecedenter ad prohibitionem: ergo per suam entitatem positivam præcisè sumptam, non opponitur legi. Atqui odium Dei, vt opponitur legi, includit privationem conformitatis ad legem: ergo ratione talis privationis est formaliter malum. Antecedens est sententia Thomistarum, & Scotista-

rum

rum communis, vt dixi *numer.* 40. quam clarissimè, & expressè indicat Ill. Godoy in maiori argumenti per hæc verba: *Odium Dei prius intelligitur malum ex oppositione ad legem negativam prohibentem odium, quam, &c.* Consequentia est legitima; alioquin odium Dei esset malum formaliter antecedenter ad legem. Sumpta cum consequentia est manifesta.

65 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

Hanc solutionem, etsi non eisdem terminis, nec cum eadem explicatione, sibi tribuit Ill. God. *num.* 70. contra ipsamque replicat primo *numer.* 71: omnissio odij Dei, etiam vt formalis adimpletio legis negativæ, non est quid positivum morale: ergo odium ratione entitatis positivæ ei opponitur immediatè, quatenus est formalis legis negativæ adimpletio; & consequenter ratione positivæ entitatis est transgressio formalis legis negativæ. Consequentia est evidens in principijs traditæ solutionis. Antecedens autem ostenditur primo: lex namque negativa nihil positivū præcipit, sed solam negationem actus prohibiti: ergo omnissio actus prohibiti, vt sit formalis legis negativæ adimpletio, nihil positivum requirit. Patet consequentia: quia namque lex affirmativa præcipiens actū, nihil præcipit negativum, adimpletio illius formalis in aliquo positivo adæquatè consistit, nihilque negativum, vt sit adimpletio formalis requirit: ergo si lex negativa nihil præcipit positivum, sed solam actus negationem, vt hæc negatio sit formalis adimpletio, nihil postulabit positivum.

Prob. antec. 1.

66 *Secundò.*

Secundò probatur: vel namque est quid positivum morale, quia est morale liberum exercitium; vel quia intendit debitum ex lege, vel quia est moraliter bona; at ex nullo ex his capitibus est moraliter quid positivū: ergo vt est formalis legis adimpletio, non est quid positivum morale. Minorem probat Ill. Godoy pro triplici parte, sed prima, & secunda omissa, quia non sunt ad rem, sic probat pro tertia *num.* 72. *propè medium*: negatio odij potest legem negativam adimplere formaliter, quin sit moraliter bona, vt si quis non odio habeat Deū ex motivo vanitatis; quo in casu, cum ex vno capite negatio illa vitietur, non potest ex alio capite gaudere bonitate morali; in sententia autem probabili, quam Authores huius solutionis secuntur, non potest in vno actu; & consequenter, nec in libera actus negatione, bonitas moralis simul cum malitia morali inveniri; & tamen prædicta negatio est adimpletio legis negativæ formalis: ergo ex capite bonitatis moralis non petit omissio odij, vt formalis legis transgressio, entitatem moralem positivam.

67 *Respondeo ad 1. prob.*

Respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguo antecedens: nihil positivum physicè præcipit, concedo antecedens; morale, nego antecedens; quia præcipit negationem physicam actus prohibiti, vt conformen legi, quæ conformitas est quid positivum, ex quo, distinguo similiter consequens. Patet solutio: nam vt diximus *num.* 22: in adimpletione præcepti negativi debita rectitudo, in qua formaliter sita est bonitas, neque est actus oppositus, neque carentia illius, sed conformitas ad præceptum negativum, quæ super negationem fundatur. Retorqueo etiam ad hominem contra Ill. Godoy: odium Dei non est moraliter malum antecedenter ad legem prohibentem: ergo omissio odij Dei non est moraliter bona antecedenter ad legem præcipientem. Consequentia est paritate rationis manifesta.

Retorqueo.

68 *Ad 2. respond. 2.*

Ad secundam probationem nego minorem pro tertia parte, & ad illius probationem respondeo primò negando maiorem; quia idem actus potest esse simul bonus ex obiecto, & malus ex circunstantia finis, vel loci, iuxtà probabilem sententiam pluriū Theologorum, pro qua solet citari D. Thomas *quæst. 2. de Malo, artic. 4. ad 2.* & Scotus *in 2. dist. 23. §. Ad quæst. ✠. Ad aliud, si concedatur.* Et *in 4. dist. 26. quæst. 1. §. Ad solutionem.* Et *clarius quodlib. 18. §. Ex isto*, dicens: *Malitia actualis in actu elicito non admit bonum, quod simul secum inest.* Tenendo itaquè hanc opinionem, patet ad replicam solutio; cæterum ab hac opinione præscindendo.

69 *Respond. 2.*

Respondeo secundò distinguendo maiorem probationis: physicè adimplendo, concedo maiorem; moraliter, nego maiorem; quia vt esset moralis adimpletio, debebat non vi-

tiari ex motivo, vel fine, vt ſupponit replica. Diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Reſpondeo tertiò aliter maiorem diſtinguendo: negatio odij Dei poteſt legem negativam adimplere formaliter, quin ſit moraliter bona ratione circunſtantiæ illam vitiantis, omitto maiorem; defectu poſitivi, in quo ſtaret bonitas moralis, ſi non vitiaretur, nego maiorem, & diſtinguo minorem: eſt adimpletio vitiata ex fine, concedo minorem; non vitiata, nego minorem, & conſequentiam; nam quod negatio actus adimpletiva præcepti non ſit moraliter bona, poteſt provenire ex circunſtantia finis, vel loci; cæterum hoc non tollit, quod vt eſt adimpletio formalis legis negativæ, ſit quid poſitivum, nempè, conformitas ad præceptum negativum.

70 *4. & eſt retorſio.*

Reſpondeo quartò retorquendo contra Ill. Godoy: occiſio poteſt legem negativam formaliter violare, quin ſit moraliter mala; vt ſi quis occidat ex motivo defendendi ſuam vitam, quo in caſu occiſio non eſt peccatum; & tamen prædicta occiſio eſt formalis violatio legis negativæ: ergo ex capite malitiæ moralis, non petit occiſio, vt formalis legis violatio, entitatem poſitivam, quod eſt contra Ill. Godoy. Eadem eſt retorſio in actu furti ex motivo licito, & illum à peccato excuſante. Reſpondeat ipſe, & pro nobis reſpondebit.

71 *Replicat 2. Ill. Godoy.*

Replicat ſecundò *num.* 73: negatio furti ſe ipſa, abſque vlla entitate poſitiva morali, eſt obiectiva legis negativæ adimpletio formalis: ergo furtum ſe ipſo, abſque vlla privatione ſecuta, eſt formalis prædictæ legis obiectiva tranſgreſſio, & conſequenter, voluntas furandi ratione entitatis poſitivæ erit mala moraliter. Probatur antecedens: ſi negatio illa peteret entitatem poſitivam moralem, vt eſt obiectiva adimpletio legis negativæ formaliter, maximè, quia, prout legis adimpletio, eſt bona obiectivè moraliter; at ex hoc non colligitur, in poſitiva entitate morali conſiſtere: ergo, &c. Probatur minor: carentia ſexti digiti eſt bona homini bonitate convenientiæ; eſt enim ei conveniens, & debita naturaliter; & tamen non conſiſtit in aliqua poſitiva entitate; non enim in poſitiva entitate morali, nec artificiali, vt per ſe eſt manifeſtum; nec in entitate poſitiva naturali, aliàs eſſet entitas phiſica poſitiva, cum naturalis entitas idem ſit, quod phiſica entitas: ergo ſalvatur bonitas naturalis, ſumpta pro convenientia, abſque naturali poſitiva entitate in pura negatione; ac proinde bonitas obiectiva moralis à fortiori poterit abſque entitate poſitiva morali ſalvari.

72

Ex quo vlteriùs ſequitur: quod ſicut ſextus digitus per ſuam poſitivam entitatem eſt malus homini, abſque vlla carentia ſecuta, quia ratione poſitivæ entitatis excludit carentiã ſui, quæ eſt homini conveniens, & bona; ita furtum ratione ſuæ poſitivæ entitatis, præcedenter ad omnem carentiam, erit obiectivè malum moraliter, quia ratione ſuæ entitatis poſitivæ opponitur negationi per legem negativam præceptæ, & conformi prædictæ legi.

73 *Reſpondeo.*

Reſpondeo negando antecedens, & ad probationem, nego minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: carentia ſexti digiti eſt bona homini, bonitate convenientiæ, per ſe, primaria, & immediata, nego maiorem; per accidens, ſecundario, & mediatè, concedo maiorem; & conceſſa minori diſtinguo conſequens: ſalvatur bonitas naturalis ſecundario, per accidens, & mediatè in pura negatione, concedo conſequentiam; per ſe, primario, & immediatè, nego conſequentiam. Itaquè carentia ſexti digiti, in tantum eſt homini bona, in quantum homo eſt in debita formoſitate, & proportione conſtituta à lege naturæ, in quo ſtat ratio formalis bonitatis naturalis, & quid poſitivum eſt; ipſa autem carentia ſolum eſt ſecundario bona, quatenùs conſequitur ad poſitivum prædictum.

74 *Retorq. 1.*

Solutio claret ex dictis *numer.* 27. & vltrà firmatur, replicã retorquendo. Primò: debita digitorum formoſitas, & proportio conſtituta à lege naturæ in homine, ſunt quinque digiti; ſed hoc eſt quid poſitivum, ad quod ſequitur carentia ſexti digiti: ergo hæc carentia eſt bona per poſitivum formoſitatis, & proportionis, tanquam per rationem formalem: ergo in eo conſiſtit ratio formalis bonitatis naturalis. Secundò: *Secundò.* Sextus digitus (idem eſt de duplici

capi-

capite, quadruplici manu, &c.) privat hominem debita formisitate, & proportione constituta à lege naturę: ergo si est naturalitèr malum, est malum ratione privationis: ergo bonitas naturalis opposita est talis ratione positivi; scilicèt debitæ formositatis, & proportionis: ergo antecedentèr ad carentiam sexti digiti, & duplicis capitis, stat formalitèr bonitas naturalis: ergo non in ipsa carentia. Tertiò: privatio nigredinis est bona mulieri, saltim bonitate accidentali; sed non ratione privationis, tanquam per rationem formalem; quia antecedentèr ad ipsam, mulier est sic formalitèr bona per albedinem, ad quã sequitur dicta privatio: ergo idem quod priùs.

Tertiò.

75 *Replicat 3.* Replicat tertiò *num.* 74: carentia rectitudinis negativæ, si datur, non potest subiectari in odio Dei: ergo illa non potest malum in se ipsa constitui, ad quod à contrarijs præfata carentia assignatur. Tenet consequentia. Antecedens autẽ probatur: in illo subiectatur carentia, in quo forma opposita foret recipienda; at forma opposita, nempè, rectitudo negativa, non in actu, sed immediatè in potentia recipitur: ergo carentia istius rectitudinis, si datur, immediatè in potentia recipitur. Probatur minor: quia ommissio peccaminosa cõsistit in carentia actus, non recipitur in actu immediatè, sed in potentia, in qua actus oppositus recipiendus erat, si adesset; at rectitudo hæc negativa consistit in carentia actus prohibiti, qui si existat, immediatè in potentia recipietur: ergo, &c.

76 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: non potest subiectari in odio Dei, vt iam est determinatus, & in actu secundò, concedo antecedens; vt est sub indifferentia passiva ad elici, vel non elici, nego antecedens; distinguo similitèr cœteras probationes, & nego consequentiam. Respondeo secundò negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem, & ad illius probationem, distinguo maiorem: quia ommissio peccaminosa, physicè considerata, consistit in carentia actus, non recipitur in actu immediatè, sed in potentia, concedo maiorem; moralitèr sumpta, nego suppositum, quia sic consistit in carentia rectitudinis debitæ in esse actui, vt dicemus §. *vltimo*, ex quo distinguo maiorem: consistit in carentia actus prohibiti, physicè sumpti, nego minorem; moralitèr capti, concedo minorem, & nego consequentiam.

Secundò.

Magna itaquè est in replica æquivocatio, quæ per hanc retorsionem auffertur: in illo subiectatur forma, in quo illius carentia foret recipienda; atqui carentia rectitudinis negativæ recipitur immediatè in actu, scilicèt, odio Dei: ergo forma opposita, nempè, negativa rectitudo, immediatè recipitur in actu. Quomodo autem hoc est intelligendum, §. *vltimo citat.* explicabimus à *numer.* 102. *vsquè ad* 107.

Retorqueo.

§. VI.

Vltimum argumentum Ill. Godoy diluitur.

77 *Arguit deniquè.* ARguit deniquè Ill. Godoy *num.* 76: Si ob rationem aliquam peccatum commissionis non haberet positivam malitiam, maximè, quia sequeretur, talem malitiam à Deo esse causandam, vtpotè, consistentem in aliquo positivo; Deus autem causa est omnis positivæ entitatis; at hoc inconveniens, vel in sua sententia non sequitur, vel nos illud devorare tenemur: ergo ex illo non probatur, in peccato commissionis non inveniri positivam malitiam. Maior est certa; hac enim ratione ab inconveniente sumpta, potissimè, & fortè vnicè (ait Ill. Godoy) vtuntur contrarij Authores contra positivam malitiam. Minorem autem sic proprobat: eo ipso, quod Deus causet omne positivum in peccato commissionis repertum, non potest non causare privationem subsecutam: ergo vel nos fateri tenemur, Deum causare propriè privationem rectitudinis, constituentem in nostra sententia peccatum commissionis formalitèr; & consequentèr propriè causare peccatum; vel negare, omne positivum repertum in peccato debere causari à Deo; & consequentèr, ex eo, quod in illo reperiatur positiva malitia, perperam à nobis infertur, fore, vt causetur à Deo.

78 *Probat antecedens.* Antecedens difficultatis probatur: eo ipso, quod Deus causet omne positivum repertum in peccato cõmissionis, necessarium est, quod cau-

set

set actum peccati reduplicativè, vt fundamentum privationis subsecutæ; tale namquè fundamentum non cõsistit in negatione; non enim potest privatio in negatione fundari; nec consistit in alia privatione; aliàs illius privationis alia privatio pro fundamento assignabitur, & sic dabitur processus in infinitum. Vel assignabitur pro fundamento illius aliquid positivum, & de illo idem argumentum militabit, quod militat de fundamento privationis, in quo peccati malitia in nostra sententia consistit; at causa efficiens fundamentum privationis reduplicativè, prout fundamentum est, ipsam privationem ex consequenti causat.

79 *Prob. min.* Hoc probat. Tum, quia non alia ratione homo est causa privationis fundatæ, nisi quia causat reduplicativè fundamentum illius. Tum etiã: nam causans fundamentum relationis, causat ex consequenti relationem fundatam ob connexionem, quam habet cum illo; non minus autem privatio, quam relatio, cum fundamento suo connectitur. Tum deniq; quia non est alius modus causandi privationem, quam causando fundamentum, vt tale formalitèr: ergo eo ipso, quod Deus causet propriè omne positivum in peccato commissionis repertum, necessarium est, quod causet privationem rectitudinis, quæ in nostra sententia, peccatum pro formali constituit; & consequentèr, quod sit causa efficiens propriè peccati commissionis formalitèr sub ratione peccati.

80 *Respond.* 1. Respondeo primò: hoc argumentum non militare contra nostram conclusionem, quia nec vnicè conclusionem probamus per inconveniens prædictum, & licèt eo pro nostra conclusione vtamur, non tamen potissimè, vt claret ex probationibus præiactis; vndè iuxtà hanc solutionẽ ad argumentum in forma neganda est maior, qua negata totum ruit argumentum. Cæterum ne videatur difficultatem effugere, alitèr illi occurremus, rationem prædictam, vt efficacem, propugnando.

81 *Respond.* 2. Respondeo: secundò admissa maiori, negando minorem, ad cuius probationem negando antecedens, & ad illius probationem distinguo maiorem: eo ipso, quod Deus causet omne positivum repertum in peccato commissionis, & omnem ordinem ad illud, necessarium est, quod causet actum peccati reduplicativè, vt fundamentum privationis subsecutæ, concedo maiorem; non causando omnem ordinem ad peccatum, nego maiorem; & distinguo minorem: si per fundamentum reduplicativè, prout fundamentum est, intelligitur fundamentum cum conditione, vel ratione fundandi, seu fundamentum proximum, concedo minorem; si intelligatur fundamentum remotum, seu sine conditione, aut ratione fundandi, nego minorem, & hac distinctione distinguo illius probationes, & nego consequentiam.

82 *Declaratur solutio.* Itaquè potentia peccandi, quæ est fundamentum remotum peccati, dicit ad illud duplicem ordinem. Primus est ad materiale peccati, & hic est actio illius effectiva. Secundus est ad formale peccati, & hic est actio defectiva, vel defectuosa, per quam constituitur in ratione peccati. Ex his autem potentia peccandi, provt est fundamentum remotum vtriusq; ordinis, est à Deo, quia tale fundamentum est liberum arbitrium creatum. Primus ordo etiam est à Deo, quia à Deo est vtrumque extremum, nempè, liberum arbitrium creatum, & materiale peccati. Ast secundus ordo non est à Deo. Primò: quia formale peccati, quod est alterum extremum, non est à Deo, quia causatur per deficientiam, quomodo sola creata voluntas est, & valet causare, quia ipsa sola est causa deficiens. Sic loquitur Scotus *in* 2. *dist.* 44. Secundò: quia Deus non producit, neque vult voluntatem creatam, vt ordinatur ad peccatum, sicque neque vult, neque causat illam ordinabilitatem, cum nequeat velle conditionem fundandi peccatum, nempè, actionem defectuosam.

83 Ex his iam se sé manifestè aperit ratio, quare Deus non dicatur, causare fundamentum proximum formalis peccati, in quo stat nostra ad argumentum solutio. Ratio itaquè est: nam sicut actio generativa est cõditio necessariò requisita, vt fundamentum sit proximum, & fundet relationem Paternitatis (seu est ratio fundandi, vt dicunt Thomistæ) ita actio effectiva est talis conditio ad

esse

esse proximum fundamentum respectu materialis peccati; & actio defectiva respectu formalis. Vndè sicut quia Deus causat liberum arbitrium, dicitur causare fundamentum remotum peccati pro materiali, & formali; & quia est à Deo actio effectiva, dicitur, Deum causare fundamentum proximum materialis peccati, & consequentèr materiale ipsum peccati; sic per oppositum, quia à Deo non est actio defectiva, vel defectuosa, dicitur, Deum non causare fundamentum proximum formalis peccati, & consequentèr nec ipsum peccatū pro formali. Et hæc est doctrina expressa D. Augustini videndà *numer.* 39.

84 *Respond. 3.* Respondeo tertiò aliter distinguendo prædictam maiorem: eo ipso, quod Deus causet omne positivum, repertum in peccato commissionis, necessarium est, quod causet voluntate consequenti actum peccati reduplicativè vt fundamentum privationis subsecutæ, concedo maiorem; voluntate antecedenti, nego maiorem; distinguoque minorem: causa efficiens voluntate antecedenti fundamentum privationis reduplicativè prout fundamentum est, ipsam privationem ex consequenti causat, concedo minorem; voluntate consequenti, nego minorem, & hac distinctione distinguo triplicem probationem, & nego consequentiam.

85 *Declaratur solutio.* Aliter itaquè, & aliter, Deus, & homo causant actum, cui annexa est privatio rectitudinis; homo enim vult voluntate antecedente; Deus verò voluntate tantum consequente, & ita concurrit ad illum, vt quantum est ex se, vellet non concurrere, quia voluntate antecedenti voluit rectitudinem actui. Nec istæ voluntates in Deo pugnant; compatiuntur namq; in Mercatore, qui voluntate antecedente vult omnes suas merces salvas esse; consequentèr verò vult eas in mare proijcere, consideratis periculis, in quibus versatur; & hæc explicatio deducitur etiam ex Scoto *in* 2. *dist.* 37. *Ad solutionem istorum*, vbi reddens rationem, cur Deus non dicatur causa peccati, licèt nobiscum cōcurrat ad substractū eius, quia Deus, inquit, quantum est ex se, daret rectitudinem actui, seu actum rectum efficeret, si voluntas creata cooperaretur; vniversalitèr enim quidquid dat Deus antecedentèr, daret illud consequentèr, quantum est ex se, nisi esset impedimentum; dando autem liberam voluntatem, dedit antecedentèr opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis, & ideò quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & volutati ex consequenti daret, si ipsa voluntas quemcumque actum elicitum rectè ageret ex parte sui.

86 *Amplius declaratur.* Vndè actus, cui privatio rectitudinis est annexa, & est Deo ratione suę bonitatis simplicitèr voluntarius, eo quod absolutè vellit, quantum est ex parte sui, actum malum non fieri; & est secundum quid involuntarius, quatenūs ratione vniversalis gubernationis, qua tenetur causas secundas sinere, vt suos motus agant, vult voluntate consequenti, talem actum ex nostra causa fieri. Sic enim salvatur, & summa Dei bonitas, qua vult voluntate antecedente rectitudinē omni actui, & summa eius gubernatio, qua voluntate consequente vult, actum prædictum à nobis fieri. Hæc est doctrina Theologis communis, & deducitur ex Concil. Arausic. *Canone* 23. dicente: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.*

87 *Ratio solutionis.* Ex his itaquè iam clarescet tertia solutio nostra; nempè, quod causa causans voluntate antecedente fundamentum privationis, prout fundamentum est, ipsam privationem ex consequenti causat; non verò causa illud causans voluntate tantum consequente; hincque fit, vt privatio rectitudinis fundamento annexa, in qua rationem formalem peccati assignamus, soli creaturæ debet tribui; non verò Deo; quia creatura voluntate antecedente illud fundamentum reduplicativè, vt tale, causat; Deus verò voluntate solum consequente. Ratio autem generalis est: quia qui vult aliquid voluntate antecedente, vult omne illi annexum necessariò; qui verò vult voluntate tantum consequente, potest illud velle sine annexo, quod docuit etiam D. Bonaventura *in* 1. *dist.* 46. *artic.* 1. *quæst.* 2. *Ad vltimum.*

88 Has solutiones sibi non dedit Ill. Godoy, & licèt ex quinque ab ipso tra-

Occurritur quibuſdam replic s Ill. Godoy.

traditis aliquomodo ſecundam in vltima inſinuaverit, contra ipſamque quadruplicitèr replicet *num.* 84. replicas non ſubſcrivo, quia data diſtinctione ſolvuntur abſquè neceſsitate, aliquid ad eam addendi. Cœterum, quia inſtantia contra nos in argumento facta, eſt iuxtà Ill. God. adeò vrgens, vt ob eius efficatiam inconveniens, quod ex hoc capite contra ipſum intulimus *numer.* 31. non eum deterret à ſua ſententia, vt diximus *num.* 34. nunc ibi promiſſa adimpleamus, & fortè prædictũ inconveniens ſufficiens erit, vt à ſua eum deterreat ſententia.

89 *Retorqueo argum.*

Retorqueo itaquè argumentum: licèt inconveniens de cauſalitate peccati vtrique ſit opinioni communis, illa præferenda eſt, quæ melius illud ſalvat; ſed noſtra de privativo ſententia melius illud ſalvat, quam ſententia de poſsitivo: ergo noſtra eſt ſententiæ Ill. God. præferenda. Conſequentia eſt legitima. Maior per ſe nota apparet. Probatur minor: ſententia, ex qua ad ſummum ſequitur: Deum eſſe cauſam peccati per accidens ſolum, & indirectè, melius ſalvat prædictum inconveniens, quam ſententia, ex qua ſequitur, Deum eſſe cauſam peccati per ſe, & directè; ſed ex noſtra de privativo ſententia primum dumtaxat ſequitur, & ex ſententia de poſsitivo ſequitur ſecundum: ergo noſtra de privativo ſententia melius ſalvat inconveniens prædictum, quam ſententia de poſsitivo. Conſequentia eſt legitima.

90 *Oſtenditur minor pro 1. part.*

Minor autem pro prima parte eſt certa. Primò: quia tantum per accidens, & indirectè cauſantur privationes, ad poſsitivum conſequentes, vt patet in generante, qui ſic tantum, & non aliter, dicitur cauſa privationis, ad generationem conſequentis, eo, quod per ſe generationem, & non corruptionem, intendat. Secundò: quia vt ait Ill. Godoy *num.* 84: privatio non terminat per ſe actionem, ſed per reſultantiam poſsito fundamento, ex quo infert, quod omnis actio cauſans fundamentum, vt tale, ſecundario cauſat privationem, quod pluriès repetit in præſenti. Eſt enim minor pro prima parte doctrina Ill. Godoy. Pro ſecunda ex terminis apparet; & inſuper claret primò in generante, qui per ſe, & directè dicitur cauſa generationis, quæ eſt entitas poſsitiva, quam generans per ſe, & directè intendit. Secundò: quia alioquin actio ſecundariò cauſaret fundamentum, ſicut, & privationem, quod eſt contra Ill. Godoy. Cum ergo Deus directè, & per ſe influat in quamcumque entitatem creatã poſsitivam, phiſicam, & realem, ſequitur neceſsariò, quod directè, & per ſe ſit cauſa peccati, ſi hoc eſt poſsitivum, ab Ill. Godoy aſſertum, conſequenterque vera eſt etiam apud ipſum minor pro ſecunda parte.

91 *Maior videtur manifeſta.*

Maior autem eſt manifeſta. Primò: quia cauſa per accidens non ita propriè dicitur cauſa, ac cauſa per ſe. Secundò: quia Deum eſſe cauſam peccati per ſe, & directè, eſt, quod expræſsè damnatur in Concil. Trid. *Seſſ. 6. Can. 6.* his verbis: Quia non operatur ea *propriè, & per ſe.* Vera igitur eſt ſupra poſsita maior. Si vera igitur ſunt (vt patet) omnia in hoc diſcurſu reperta, ex illo evidentèr apparet: non æquè argumentum vrgere contra vtramque ſententiam. Militet itaquè contra noſtram eo, quod militet contra omnes; ſed negare nequit Ill. God, ſpecialiſsimè contra ſuam ſententiam vrgere, & longè melius nos cum ſententia de privativo ſalvare, Deum non eſſe cauſam peccati, quam ipſe cum ſententia de poſsitivo ſalvare poſsit.

Efficax argum. contra Ill. Godoy.

92 *Triplex diferẽtia inter vtramque ſententiam.*

Ex his tandem liquidò conſtat triplex differencia maxima inter nos, & Ill. Godoy circà prædictum inconveniens ſalvandum. Prima eſt: nam ex eo, quod in ſententia de poſsitivo ſequatur, Deum eſſe cauſam peccati, non ſequitur, quod in ſententia de privativo idem ſequatur, quia Deum cauſare omnem entitatem poſsitivam phiſicam, & realem, ſentiunt omnes Theologi, diſſentiendo ab eo, quod Deus cauſet privationem rectitudinis moralis. Aſt ex eo, quod in ſententia de privativo tale inconveniens ſequatur, ſequitur etiam in ſententia de poſsitivo. Secunda eſt: nam ſi in ſententia de privativo ſequitur inconveniens præfatam, potiori iure, & ſtrictiùs ſequitur in ſententia de poſsitivo; quia in hac per ſe, & directè Deus eſſet cauſa peccati; in illa verò per accidens tantum, & indirectè. Tertia eſt: quia ſententia de poſsitivo eſt expræſsè in Concilio Triden-

Prima.

Secunda.

Tertia.

tino

tino damnata; non vero sententia de privativo, quod plusquam sufficiens erat, vt Ill. God. à sua deterreret sententia.

93 *Corollariũ ex dictis.*

Ex dictis in discursu disputationis colligit Ill. Godoy *num.* 117: formalitatem constitutivã peccati commissionis in ratione mali moralis, non esse respectum rationis dissonantiæ ad naturam rationalem, nec extrinsecam denominationem sumptam à lege, aut ratione, sed respectum transcendentalem ad obiectum legi dissonum, distinctum tamen ratiocinata, aut virtuali distinctione à physica entitate actus peccaminosi. Corollarium habet triplicem partẽ cuius prima, & secunda vera sunt. Tertia verò falsa; & ratio omnium est: nam peccatum, vt constat ex dictis, constituitur formaliter per privationem rectitudinis, vel conformitatis ad legem; sed hæc privatio nec est respectus rationis, nec extrinseca denominatio, nec transcendentalis respectus, vt de se patet: ergo formalitas constitutiva peccati commissionis in ratione mali moralis, nec est respectus rationis, nec extrinseca denominatio, nec transcendentalis respectus. Ill. Godoy aliud in præsenti non adducit, & aliud pro perfectiori, & clariori disputationis intelligentia adducere, est necessarium.

§. Vltimus.

Quoddam dubium resolvitur, & alijs tribus argumentis occurritur.

94 *Dubiũ proponitur.*

CVm iam sit statutum, quod peccatum in ratione mali moralis in privatione consistat, scire restat, cuius positivi, aut cuius boni privatione constituatur peccatum? Hæc est difficultas, ex cuius resolutione dicta clarescent, & firmiora manebunt. Tres sententias refert Scotus *in 2. dist. 37. §. Istæ quæstiones.* Quibus, & alijs simul omissis:

95 *Resolvitur dubium.*

Respondeo: peccatum esse privationem bonitatis, seu rectitudinis moralis actualis debitæ inesse actui, vel esse privationem conformitatis ad legem, quam voluntas procurare tenetur in suo actu. Ita Scotus *citat. §. Concedo igitur*, vbi advertit, peccatum non esse privationem rectitudinis, quæ inest, alioquin duo contradictoriè opposita essent simul, neque quæ prius fuerit, vel infuit, quia actus non semper saltim transijt de opposito in oppositum; sed est privatio rectitudinis, quæ deberet inesse actui, ad modum, quo cæcitas est privatio visus; non qui inest, nec qui necessariò infuit, sed qui inesse debuit.

96 *Probat. 1.*

Hæc oppinio sic explica communis est apud Authores, sententiam de privativo tuentes; & licèt satis ex præiactis constet, probatur primò: nam iuxtà dicta peccatum consistit in privatione; sed peccatum privat actum rectitudine morali: ergo est privatio talis rectitudinis. Secundò: omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, seu contra legem, vt ex communi Thomistarum, & Scotistarum sententia dixi *num.* 40. sed peccatum est privatio: ergo est privatio conformitatis ad legem. Tertiò: malitia, & bonitas opponuntur: ergo si malitia est privatio, erit privatio bonitatis. Atqui non est privatio rectitudinis, conformitatis, aut bonitatis, quæ inest, neque quæ infuit ex dictis *num. præced.*: ergo quæ debuit inesse. Contrà hanc opinionem ex triplici capite arguunt contrarij. Primò probando: non esse privationem. Secundò non esse privationem rectitudinis. Tertiò tandem, non esse debitæ in esse actui, per quorum solutiones plenè, & planè nostra clarebit sententia.

Secundò.

Tertiò.

97 *Arguit. 1.*

Arguitur primò ex primò capite: in peccatis intrinsicè malis, v.g. odio Dei, mentiri, &c. nulla est privatio rectitudinis: ergo peccatum non est privatio. Probatur antecedens: privatio solum reperitur in subiecto apto nato ad habendam formam; sed actus odij Dei non est aptus ad habendam rectitudinem, quin potiùs illi repugnat: ergo in odio Dei nulla est privatio rectitudinis. Hoc argumentum probare connatur: actum malum non esse subiectum immediatum rectitudinis, & est replica, quam ex Ill. Godoy proposuimus *num.* 75. quia tamen illius solutiones explicare promisimus, promissum hic adimpiebimus.

98 *Solutio aliquorum.*

Ad hoc rgumentum, omnissis aliorum solutionibus, plures, tàm Thomistæ, quàm Scotistæ, respondent: quod in actibus intrinsicè malis, v. g. odio Dei, est privatio recti-

tudinis debitæ : nam quamvis ſecundum rationem ſuam ſpecificam non habeat aptitudinem ad talem formã; habet tamen ſecundum rationem communem, & genericam, ſcilicèt, in quantum eſt actus humanus, quod ſufficit, vt actus dicatur privatus rectitudine. Nam Talpa ex Ariſt. *cap. de Oppoſitis*, & 5. *Methaphiſicæ*, *cap. de Privatione*, dicitur privatus viſu; quia ratione animalis habet aptitudinem, quamvis ſecundum rationem ſpecificam illi repugnet viſus. Ita Scotus *in 2. diſt. 23. §. Ad quæſt. litt. H.* Et *diſt. 28. quæſt. 1. §. Quantum ad 1. litt. B.* Similiter actus fidei eſt privatus evidentia, & tamen ei repugnat ſecundum rationem ſpecificam, & ſolum habet capacitatem ſecundum rationem genericam actus intellectus.

99 *Impugn. 1.* Licèt autem hæc ſit valdè communis ſolutio; illa tamen non acquieſco, & impugno primò: ſicut malitia generica conſtituitur per privationem rectitudinis debitæ ſecundum genus; ita malitia ſpecifica per talem privationem ſecundum ſpeciem; ſed odium Dei iuxtà ſolutionem non eſt privatum rectitudine ſecundum rationem ſpecificam: ergo ſecundum hanc non erit malum, quod eſt apud omnes falſum. *Secundò.* Secundò: actus peccaminoſi ſecundum rationem genericam non magis ſunt privati vna, ac alia honeſtate: ergo omnes eſſent eiuſdem rationis, quod etiam eſt falſum. *Tertiò.* Tertio: actui humano vt ſic non debetur rectitudo; abſtrahit enim à bono, & malo: ergo nec debetur odio Dei, vt eſt actus humanus. *Quarto.* Quartò: actui humano vt ſic debetur rectitudo iuxtà ſolutionem: ergo admitti nequeunt actus indifferentes ſecundum individuum, & ſpeciem, quod eſt contra omnes. *Quintò.* Quintò: Talpa dicitur privatus viſu, quia ſecundum rationem genericam animalis habet aptitudinem ad viſum; ſed Aſinus habet ſecundum rationem genericã animalis aptitudinem ad rationalitatem: ergo dicetur rationalitate privatus, quod etiam eſt falſum.

100 *Falſitas ſolutionis, & exemplorũ oſtenditur.* Itaquè aliud eſt dicere, Talpæ deberi viſum ſecundum genus, & aliud illi non repugnare. Primum eſt omninò falſum; alioquin eadem ratione deberetur Aſino rationalitas. Secundum eſt verum; cæterum hæc ſimplex repugnantia omninò inſufficiens eſt ad rationem privationis proprie dictæ, quæ imperfectionem induit in re privata, per quod patet etiam ad exemplum de actu fidei. Vndè privatio, propriè loquendo, attenditur penès ſubiectum, non ſecundum rationem genericam illius, ſed ſecundum rationem particularem, cui debita ſit forma, qua dicitur privatus. Imò, & attenditur ſecundum circunſtantias ex Scoto 5. *Methaph. text. 26.* quia Catulo, cui ſecundum rationem particularem ſpeciei, & individui debetur viſus, ante nonum diem defectu circunſtantiarum non eſt cæcus, licèt viſu careat: falſum ergo eſt, quod vt aliquid ſit malum, & imperfectum, ſufficiat, quod careat aliquo, cuius eſt capax tantum ſecundum genus.

101 *Impugnat. deniquè.* Deniquè: nam iuxtà ſolutionem privatio ſecundum genus dicit imperfectionem; ſed hoc eſt falſum: ergo falſa eſt Scotiſtarum ſolutio. Maior patet; alioquin privatio rectitudinis, quam in odio Dei aſsignant, non faceret illud imperfectum. Minor eſt Scoti *in 1. diſt. 28. quæſt. 2. ad 1. vbi ait*: Quod carentia rationis in Bove eſt privatio ſecundum genus, quia licèt ratio repugnet Bovi, quia Bos; non tamen repugnat illi, quia animal; hancque privationem nihil dicere imperfectionis, docet Doctor, & conſtat; alioquin improducibilitas in Patre Æterno faceret eum imperfectũ, quia carentia productionis paſsivæ eſt in eo privatio ſecundum genus; nam licèt Patri, eo, quod talis perſona eſt, repugnet produci; non tamen ei repugnat, quatenùs perſona eſt.

102 *Reſpondet. ad argum.* Relicta igitur ſolutione prædicta, reſpondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo minorem: actus odij, vt iam eſt determinatus, & in actu ſecundò, non eſt aptus ad habendam rectitudinem, concedo minorem; vt eſt ſub indifferentia paſsiva ad elici, vel non elici, continuari, vel non cõtinuari, ſic, vel ſic elici, nego minorem, & conſequentiam. Itaquè quicumque actus moralis poteſt dupliciter conſiderari. Primò: vt eſt ſub indifferentia paſsiva ad elici, vel non elici, continuari, vel non continuari, ſic, vel ſic elici. Secundò: vt eſt iam determinatus, & in actu ſecundò. Actus moralis ſecundò modo ſumptus,

vel est bonus determinatè, & sic non est aptus ad habendam deformitatẽ; vel est determinatè malus, & sic aptus non est ad habendam rectitudinem. Actus verò moralis, primò modo captus, est indifferens ad illa contradictoria, & capax vtriusque, quia vtrumque potest de ipso enuntiari, consequentèrque est capax rectitudinis, vel malitiæ.

103 *Solutio firmatur notoria paritate.*

Hæc solutio, quæ est Scoti citandi, notoria firmatur paritate: nam sicut voluntas ex se potest duplicitèr considerari. Primò: vt est sub indifferentia activa ad elicere, vel non elicere actum, continuare, vel non continuare; & secundò, vt iam est determinata, & in actu secundo ad alteram partis contradictionem, nempè, ad elicitientiam actus, vel non elicitientiã. Ita actus voluntatis, vtpotè, liber passivè, potest duplicitèr considerari consideratione dicta *numer. anteced.* Atqui quia voluntas indifferens est activè, est debitrix rectitudinis, vt ait Scotus *in 2. dist. 37.* & imputabilis activè, vt loquitur *quodlib. 18*: ergo quia actus est indifferens passivè, est imputabilis ad pœnam, vel præmium: ergo sicut voluntas ratione indifferentiæ activæ habet aptitudinem ad elicere actum, legi conformen, aut difformem; ita actus ratione passivæ indifferentiæ habet aptitudinem ad elici conformitèr, vel difformitèr ad legem, & consequentèr ad rectitudinem, vel privationem illius.

104 *Ampliùs firmatur.*

Ampliùs firmatur solutio: nam vt diximus *num. 95.* & dicunt Scotistæ omnes, qui nobiscum in hac sententia conveniunt, peccatum est privatio boni, quod deberet inesse actui, non verò quod inest: ergo peccatum est privatio boni, quod deberet inesse actui, quando elicitur, & non inest. Consequentia est doctrina Scoti *in 3. dist. 18. quæst. vnica.* Atqui Scotum dicere *quando elicitur*, & non quando elicitus est, indicat apertè, actum esse capacem rectitudinis, quatenùs est sub indifferentia passiva ad elici conformitèr, vel difformitèr ad legem: ergo sub hac consideratione actus est aptus ad habendam rectitudinem; non verò quatenùs est determinatus ad alteram partem contradictionis, nempè, ad malum.

105 *Dices.*

Dices: privatio, propriè loquendo, exigit in subiecto potentiam subiectivam ad recipiendam formam privatam, vt patet de privatione formarum in materia prima; sed talis potentia non reperitur in actu odij Dei, mendacij, &c. sed in eius contradictorio, scilicèt, in negatione, vel suspensione odij Dei: ergo in actu odij Dei non est aptitudo ad habendam rectitudinem: ruit ergo solutio nostra. *Respond. 1.* Respondeo negando absolutè maiorem; quia solum est vera in privationibus physicis, vt probat exemplum de privatione formarum in materia; in moralibus autem est falsa, quia in his sufficit potentia obiectiva, quatenùs est sub prædicta indifferentia ad elici, vel non elici conformitèr, seu difformitèr ad legem. Et ratio est: quia cum malitia sit privatio moralis, & non physica, non exigit in subiecto potentiam susceptivam ad recipiendam formam, ita, vt disiunctim possit existere sub privatione, & illius forma, vt in materia prima contingit.

106 *Secundò.*

Nec obstat minor posita in replicas; negamus enim suppositum illius. Primò: quia supponit, quod potentia ad recipiendam formam privatam sit susceptiva, cuius falsitas apparet ex dictis *num. anteced.* Secundò: quia supponit, quod negationem actus posse fundare rectitudinem, sit aliud distinctum in re, ac actum posse illam fundare, quod est falsum, & constat ex eo, quod Moralistæ communitèr nunquam dicunt, omnissionem actus à lege præcipi, v.g. carentiam odij Dei, furti, mendacij, &c; sed dicunt, actum odij Dei, furti, mendacij, &c. à lege prohiberi, pro eodem vsurpando, carentiam furti præcipi, & furtum ipsum prohiberi, quod signum evidens est, quod actus ipse, quatenùs est sub prædicta indifferentia, respicit alteram partem contradictionis, & consequentèr, quod fundare potest rectitudinem conformitatis ad legẽ. Iam per hæc adimpletum manet, quod *num. 76.* promissimus.

107 *Retorqueo argument. princ. cõtr. Ill. Godoy.*

Soluto iam argumento, restat illud contra omnes contrarios retorquere. Retorqueo contra Ill. Godoy: in peccatis intrinsicè malis, v.g. odio Dei, nulla est privatio rectitudinis, consequens essentiam peccati: ergo peccatum nec secundariò dicit talem privationem. Probatur antecedens: privatio solum reperitur in subiecto

apto nato ad habendam formam; ſed actus odij Dei non habet capacitatem ad rectitudinem, imò illi, illam habere, repugnat: ergo in odio Dei nulla eſt privatio rectitudinis conſequens eſſentiam peccati. Retorqueo contra cœteros alios: in peccato mortali nulla eſt privatio converſionis ad Deum: ergo in peccato mortali non eſt averſio à Deo vltimo fine, quæ eſt privatio converſionis, quod eſt contra Bazquez, & alios tuentes: peccatum eſſe quid morale, nempè, diſſonantiam, vel diſconvenientiam actus peccaminoſi ad naturam rationalem rationabiliter operantem, quam explicant per relationem rationis, aut extrinſecam denominationem. Probatur antecedens: Privatio ſolum reperitur in ſubiecto apto nato ad habendam formam; ſed peccatum mortale non eſt aptum natum eſſe converſionem ad Deum vltimum finem, imò hoc illi repugnat: ergo in peccato mortali nulla eſt privatio converſionis ad Deum.

Retorqueo contra cæteros.

108 *Arguit. 2.* Ex ſecundò capite arguitur ſecundò: ſi peccatum in ratione mali formaliter conſiſteret in privatione rectitudinis, plura falſa ſequerentur: ergo peccatum non conſiſtit in tali privatione. Probatur antecedens primò: ſequeretur, quod vitia oppoſita eidem virtuti, v.g. prodigalitas, & avaritia non diſtinguerentur ſpecie; quia carerent eadem rectitudine virtutis liberalitatis; cum qua ſtare nequit diſtinctio ſpecifica illarum; nam privationes diſtinguntur ex diſtinctione formarum, quas tollunt, & conſequenter privationes peccatorum ex diſtinctione rectitudinum. Secundò: quod peccatū commiſsionis, & ommiſsionis contra eandem virtutem, v.g. odium Dei, & ommiſsio amoris illius, quæ ſunt contra Charitatē, & hæreſis, ommiſsioque actus credendi, quæ ſunt contra fidem, non diſtingui ſpecie ob eandem rationem. Tertio: eadem ratione ſequitur, omnia peccata eidem virtuti oppoſita, v.g. homicidium, furtum, & adulterium, quæ opponuntur virtuti iuſtitiæ, eſſe peccata æqualia; quia privarent eadem rectitudine; ſeu honeſtate virtutis, ſcilicèt, iuſtitiæ, quod falſum apparet totum.

109 Ill. Godoy *diſp.* 26. *num.* 3. tenet, hoc argumentum pro prima parte nullum eſſe, illudque retorquet contra Caietanum, & *numer.* 33. tuetur: peccata contra eandem virtutē ſpecie diſtingui penes exceſſum, & defectum. Ex noſtris autem communis Scotiſtarum ſolutio negat antecedens, cum triplici probatione; differunt tamen in reddenda ratione, & quia ferè idem eſt de omnibus, rationes pro primò declarabimus. Aliqui enim cum Vulpes dicunt: prodigalitatem, & avaritiam diſtingui ſpecie ratione ſolum connotati, ideſt, ex obiecto materiali actus. Alij autem cum Fabro ſentiunt: diſtingui ſpecie per privationem virtutis, quia licèt liberalitas ſit vna virtus formaliter, eſt virtualiter multiplex, quod ſufficit, vt vitia oppoſita ſint diſtincta. Alij denique tenent: ſpecie diſtingui per privationem virtutis; quia licèt liberalitas ſit vna virtus adæquata; eſt tamen formaliter plures inadæquatè.

Solutio Scotiſtarum cō munis ad 1. inconveniēs.

Vt autem ex hac triplici ſolutione veriorem declaremus, ſupponendum eſt, quod ſi argumentum loquitur de habitibus, nihil probat, contra nos, negantes, habitus vitioſos, & virtuoſos eſſe malos; & bonos formaliter, ſeu in genere moris, vt *num.* 57. diximus, & *diſp.* 19. Cœterum hoc pro nunc admiſſo, & via diſtinctionis procedendo. Ex hac triplici ratione vltima eſt præferenda, & ſic explicatur: nam virtus liberalitatis conſiſtit in medio, negans vtrumque extremum, vnum per exceſſum, vt prodigalitas, & aliud per defectum, vt avaritia. Vndè cum liberalis ſit, qui expendit quando, & quantum eſt neceſſarium, ideſt, qui facit ſumptus, neque exceſsivos iuſto, neque iuſto minores, liberalitas neceſſariò includit duas rectitudines, vel duo præcepta diverſa, per quorum vnum prohibetur exceſſus, & per aliud defectus. Et quia vitia oppoſita ſunt privationes illarum rectitudinum diverſarum, ideò ſunt peccata ſpecie diverſa.

110 *Solutio præferenda.*

Iſtæ autem rectitudines formales ſunt inadæquatæ, & partiales, conſtituentes vnam totalem, & adęquatam eiuſdem virtus in medio conſiſtentis; nam licèt liberalitas, ſicut & alia quęlibet virtus, habeat rectitudinem in indiviſibili conſiſtentem; non tamen habet rectitudinem indiviſibilem, vt patet in qualibet rerum eſſentia, quæ tàm phiſicè, quàm metha-

111 *Declaratur ſolutio.*

phi-

phisicè est composita, & divisibilis in partes, quin hoc obest, vt in indivisibili consistat; quia essentiam in indivisibili consistere, nihil aliud est, quam, quod si ab essentia, tàm phisica, quàm methaphisica, vnam partem demas, vel aliam essentialem addas, necessariò variatur essentia, & hac motus ratione dixit Arist. 8. *Methaph.* rerum essentias esse sicut numeros; si enim denario vnam vnitatem demas, vel adas, species numeri statim variatur. Totum claret in essentia, tàm phisica, quàm methaphisica hominis, & ex hac in qualibet cuiuscumque rei.

112 *Dantur rectitudines, & privationes distinctæ eiusdem virtutis.*

Ex hac itaquè doctrina, quæ vera est apud omnes, clarè ostenditur, posse dari rectitudines partiales distinctas in virtute liberalitatis, licèt in indivisibili consistat, consequentèrque dari privationes distinctas eiusdem virtutis liberalitatis, licèt per quamlibet tota integra virtus deficiat. Declaratur hoc: nam licèt hominis essentia sit animal rationale, in indivisibilique consistat, est divisibilis in partes distinctas, consequentèrque dantur distinctæ privationes vtriusq; partis, etsi per privationē cuiuscumque deficiat totus integer homo: ergo similitèr: licèt eadem virtus liberalitatis in indivisibili consistat, possunt dari in illa rectitudines partiales distinctæ, & consequentèr distinctæ privationes, etsi per quamlibet tota integra virtus deficiat.

113 *Solutio in forma.*

Sic itaque prædicta solutio explicata, & intellecta, valdè probabilis est, & iuxtà eam ad argumentum in forma respondetur negando antecedens, ad cuius primam probationem, nego sequelam cum imbibita probatione, quia non eadem, sed distinctis rectitudinibus carerent prodigalitas, & avaritia; quia prodigalitas careret rectitudine præcepti, prohibentis excessum, & avaritia careret rectitudine præcepti, prohibentis defectum, quod satis apparet ex dictis *num.* 110. talesque rectitudines dari in virtute liberalitatis, earumque privationes in virtute liberalitatis, earumque privationes in vitijs liberalitati oppositis, ostensum manet *num.* 111. & 112.

114 *Altera solutio.*

Vltrà hanc tamen solutionem alia est (& fortè melior) quæ valet argumento tribui, nempè, concedendo sequelam, quia vitia extrema eidem virtuti opposita, vt sunt prodigalitas, & avaritia, non distinguntur specie in genere moris, sed tantum in genere phisico, cuius ratio est in argumento tacta: nam privationes specie inter se distinguntur ex distinctione specifica formarum, quibus priuant, vt habet Scotus *in 2. dist. 37. §. Ex ista solutione, & quodlib. 18. §. Ex isto*, qua ratione dicemus *disp. seq.* peccata non distingui specie per obiecta; atqui formæ, quibus privant privationes peccatorum, sunt rectitudines, quæ deberent inesse actibus: ergo distinguntur specie ex distinctione specifica rectitudinum: ergo cum rectitudo liberalitatis sit specificè vna, privationes avaritiæ, & prodigalitatis illi oppositæ erunt eiusdem speciei, & consequentèr non erunt peccata specie distincta. Nec obest, quod vitia prædicta se mutuo expellant; quia ad hoc sufficit contrarietas in genere phisico, etsi sint eiusdem rationis in genere moris.

115 *Retorqueo.*

Præter has solutiones, ad argumentum pro prima parte, quod valdè exagerat Bazquez, retorqueo contra ipsum, & omnes aduersarios: ad quodcumque peccatum commissionis sequitur privatio, vel negatio bonitatis iuxtà contratios; sed vtraque specificatur à forma privata, vel negata: ergo cum liberalitas privata, vel negata ab vtroque vitio oppositio sit vna, vna etiam erit privatio, vel negatio: ergo neque positivū, ad quod sequitur illa duplex privatio, vel negatio, erit specie diversum: ergo etiā si in positivo peccatum consistat, sequeretur inconveniens contra nos in argumento deductum.

116 *Ad 2. respond. 1.*

Ad secundum duplici data solutione respondeo primo negando sequelam cum probatione; quia eadem virtus potest fundare præcepta specie diversa, vnum affirmativum, & aliud negativum, cuius duplex potest esse ratio. Prima: quia cum peccatum sit privatio rectitudinis, non habitualis ipsius virtutis, cui opponitur, sed actualis, idest, privatio conformitatis ad vnum, vel plura præcepta eiusdem virtutis specie diversa, optimè contra eandem virtutem stare valent plura peccata specie diversa commissionis, & ommissionis; nam licèt illa præcepta sint circà idem materiale obiectum eiusdem virtutis; non tamen circà idem formale, nec secundum eandem

1. ratio solutionis.

dem rationem, vt probat argumentum exemplis de odio Dei, & non amore illius, similitèrque de hæresi, & omissione actus credendi. Oppositum tamen evenit in commissione furti, & omissione restitutionis eo, quod vtrumque eidem virtuti, & præcepto opponitur.

117 *2. ratio.*

Secunda ratio esse potest: nam licèt Deum amare, & ipsum nolle odio habere, sint idem æquivalentèr; differunt tamen formaliter, quia lex negativa odio non habendi, habet pro obiecto formali ipsam obiecti malitiam; lex vero affirmativa respicit bonitatem amoris. Sicut ergo bonitas, & malitia differunt formalitèr; ita amor vnius, & odium alterius. Hæc duplex ratio sufficiens videtur pro solutionis probabilitate, quam amplectuntur plures ex adversarijs, & præsertim Bazquez *disp.* 98. *num.* 3.

118 *Respond. 2.*

Respondeo secundò conformius ad nostra principia, & ad tuenda *disp.* 28. concedendo sequelam; quia peccata omissionis, & commissionis contra eandem virtutem sunt eiusdem speciei in esse moris, licèt in esse naturæ, vel in genere physico, plusquam specie differant. Hæc est opinio Ill. Godoy *disp.* 28. *num.* 3. & solutio clarèt ex dictis *num.* 114. quia vna est tantum rectitudo virtutis, & si sint duo præcepta. Respondeo tertio retorquendo argumentum pro hac parte eadem ratione, qua retorsionem feci contra primam *num.* 115. quia eadem in vtraque militat ratio ad retortionem, si eadem est ad inferendum inconveniens.

Tertiò, & est retorsio.

119 *Dices contra 2. solutionem.*

Dices contra secundam solutionem: ergo non tenemur explicare in confessione, quale peccatum ex his fuerit. Respondeo negando consequentiam iuxtà opinionem asserentem: circunstantias notabilitèr aggravantes intrà eandem speciem esse in confessione aperiendas; vel illam, concedo iuxta oppositam sententiã. Ratio negationis est: quia vniversalitèr peccatum commissionis gravius est, eò, quod sit contra præceptum negativum, quod magis obligat, quã affirmativum, ideòque maius peccatum est, odisse Deum, quam non amare, quando est obligatio, & similitèr hæresis respectu omissionis actus credendi. Neque ex hoc valet inferre, quod talia peccata essentialitèr inter se differant. Primò: quia ad hoc sufficit, quod vnum habeat circunstantiam notabilitèr graviorem alio. Secundò: quia iuxtà Iures, actus exterior nullam malitiam addit interno, & tamen sentiunt, esse in confessione aperiendum. Ratio autem concessionis est, quia iuxtà oppositam sententiam solum peccata specie distincta sunt necessario confitenda, quo non obstante, ad maiorem cautelam sentio debere confiteri prædicta cõmissionis, & ommissionis peccata. Ex his apparet, quod aptior solutio est, ommittere consequens; quia sivè pro concesso, sivè pro negato sumatur, nihil contra nos valet inferre.

Ad tertium nego sequelam, & distinguo probationem: privarent eadem rectitudine generica virtutis iustitiæ, concedo; eadem specifica, nego. Itaquè furtum, homicidium, & adulterium pertinent ad diversas species iustitiæ secundum diversas rationes bonorum; nam per furtum lęditur species, quæ est bonum corporis; per homicidium lædítur species iustitiæ, quæ est bonum vitæ, & per adulterium lædítur species iustitiæ, quæ est bonum honoris; cum igitur hæc bona sint inæqualia, etiam inæqualia erunt prædicta peccata. Deniquè retorqueo argumentum pro hac parte cum dictis *num.* 115. quia eadem est ratio, vt in sententia contrariorũ idem sequatur inconveniens.

120 *Ad 3. respondetur.*

Ex tertiò deniquè capite arguitur tertiò: potest quis odisse Deum, & furari, quando non est obligatio diligendi Deum, & dandi elemosinam: ergo peccatum in ratione mali moralis non est privatio rectitudinis debitæ inesse actui: ruit ergo nostra opinio. Ad hoc argumentum omnes respondent concesso antecedenti, negando consequentiam, discriminantur tamen in assignando rectitudinem debitam. Aliqui dicunt: esse actum oppositum, scilicèt, amorem, & elemosinam. Alij tenent: esse carentiam odij, & furti, quæ est rectitudo præcepta per legem non odio habendi, & non furandi. Vndè asserunt: quod licèt in casu argumenti non sit privatio rectitudinis positivæ in actu amoris Dei repertæ; est tamen privatio rectitudinis negativæ inventæ in carentia elicitionis actus pravi, seu in non elicientia actus pravi, quæ rec-

121 *Arguit. 3.*

Aliquorum solutio.

titu-

titudo habet pro obiecto præceptum negativum, scilicèt, *Non operandi malè*, quod semper, & pro semper obligat. Sed his solutionibus omnissis, quia nec cum à nobis dictis, nec cum veritate consonant.

122 *Respondeo.* Respondeò iuxtà dicta *num.* 22: quod rectitudo debita illis actibus malis, & vniversalitèr omnibus violantibus præceptum negativum, est conformitas ad tale præceptum, quæ fundatur super negationes oppositas non odio habendi, non furandi, & habet rationem perfectionis moralis positivæ, & consequentèr malitia actus contra tale præceptum est privatio prædictæ conformitatis, quam privationem haberent in casu argumenti odium Dei, & furtum, in ipsaque stat, esse peccata.

123 *Firmatur solutio paritate.* Rationem dedimus *num.* 22. & firmatur hac paritate: rectitudo debita in violatione præcepti affirmativi nō est auditus Missæ, secluso ordine ad legem: ergo est conformitas ad illam. Consequentia infertur. Antecedens patet primò: quia ipsa auditio Missæ potest aliquando esse peccatum. Secundò: quia alioquin auditio Missæ, lege seclusa, esset formalitèr bona in linea moris, quod est falsum. Infero: ergo malitia in violatione præcepti affirmativi non est non auditio Missæ, seclusso ordine ad legem: ergo non est privatio actus, scilicèt, auditionis: ergo est privatio conformitatis ad legem. Infero nunc ad propositum: ergo rectitudo debita in violatione præcepti negativi non est negatio odij, sed conformitas ad legem: ergo illius malitia non est ipse actus odij, nec privatio non odij, sed privatio conformitatis ad legem.

124 *Amplius firmatur.* Vndè sicut carentia illius negationis, non odiendi, non furandi, licèt quid positivum sit, scilicèt, ipsa entitas odij, & furti, non tamen sequitur, quod malitia horum actuum pro formali consistat in positivo, quia illæ negationes, scilicèt, non odium, nō furtum, sunt, seclusa lege, materialitèr tantum, & non formalitèr bonæ in linea moris; ita actus illis negationibus immediatè oppositi, nempè, odium, furtum, sunt tantum materialitèr mali in genere moris. Et sicut respectus conformitatis ad legem, fundati in illis negationibus, non odiendi, non furandi, habent rationem bonitatis formalis, ita privationes illorū respectuum in actibus oppositis, nempè, in odio, & furto, habent rationem malitiæ formalis moralis. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 2. dist. 35. §. 1.* ibi: *Post hoc videndum est, quid sit peccatum.* Et *dist. 34. §. 4.* ad illa verba: *Malum enim est corruptio, vel privatio boni.*

)(§)(

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

An peccata sumant distinctionem specificam ex ordine ad obiecta diversa?

§. I.

Proponuntur sententiæ, verior eligitur, & defenditur.

Num. 1 *Peccata omissionis specificantur ex actibus debitis, quibus opponuntur.* HAnc difficultatem, quæ omninò cum præcedenti est connexa, disputat Ill. God. quandam rationem dubitandi proponendo *num.* 1; qua nos non egemus, vt difficultatem proponamus, & contra ipsum resolvamus. Suppono: peccata ommissionis sumere spe-

ci-

cificam distinctionem ex actibus debitis, quorũ sunt omnissiones, ideoque omnissio Missæ, & elemosinæ specie distinguntur, quia religio, & misericordia, quibus opponuntur, sunt specie distincta. Vnde difficultas est de peccatis commissionis, non pro materiali, nam cum vt sic sint actus, non dubitamus, quod ab obiectis saltim extrinsicè speciem sumant; sed pro formali, quatenùs mala sunt in genere moris.

2 1. *Sentẽtia. Ill. Godoy.* Duplex est sententia, ex diametro opposita. Prima affirmat: peccata speciem sumere ex parte conversionis, & consequentèr ex ordine ad obiecta. Ita Ill. Godoy *num.* 2. consequentèr ad ea, quæ *disput. præcedent* docuerat, nempè, peccatum commissionis in positivo formaliter consistere. 2. *Sentẽtia. Scotus.* Secunda hoc negat, & consequentèr ad dicta *disput. citat.* scilicèt, peccatum commissionis consistere in privatione rectitudinis debitæ inesse actui, docet: peccata commissionis sumere specificam distinctionem ex parte aversionis, & ex rectitudinibus oppositarum virtutum, quibus privant, Sic Doctor *in* 2. *dist.* 37. §. *Ex ista solutione.* Et *quodlib.* 18. §. *Ex isto.* Hanc opinionem amplectuntur omnes, quos pro secunda sententia citavimus *disp. anteced. num.* 4. esseque opinionem in sententia Thomistarum plausibilem, non negabit Ill. Godoy, tum, quia id falsus est *disp. citat. num.* 1. Tum: quia multa adsunt D. Thomæ testimonia, quorum aliqua retulimus *disp. citat. num.* 5. Tum denique: quia quæ in oppositum adducuntur, facilè explicant Thomistæ, dicendo: D. Thomã loqui de peccato pro materiali, & in esse naturæ, vel in esse physico.

3 *Conclusio statuitur, & prob.* 1. Hæc est nostra conclusio, & sic brevitèr probatur primò: distinctio specifica, & essentialis privationum sumitur ex formis, quibus privant; atqui peccatum commissionis formaliter, & essentialiter consistit in privatione rectitudinis: ergo distinctio specifica, & essentialis peccati cõmissionis sumenda est ex rectitudine, qua privat. Maior est apud omnes certa, & claret ex dictis *disp. præced. num.* 114. Minor claret per dicta in tota illa disputatione. Consequentia irrefragabilis est, præmissis suppositis, vt habet Ill. Godoy *num.* 9. qui licèt nihil in præsenti addat ad dicta disputatione citata, aliquid in præsenti addere contra ipsum habemus pro veritate nostræ rationis.

4 *Probat. 2. ad homin. contra Ill. God.* Probatur secundò ad hominem contra Ill. Godoy, illius doctrinam destruendo: ideò privatio rectitudinis non pertinet per se ad peccatum, quia non est per se intenta à peccante; sed privationem non esse per se intentam à peccante, convincit, privationem pertinere per se ad peccatum: ergo sic ad illud pertinet, & consequentèr peccatum in sua specie constituit. Maior est doctrina Ill. Godoy *in præsenti*, præsertim *num.* 5. 7. & 18. Minor probatur: malitia pertinet per se ad peccatum; sed malitia non est per se intenta à peccante: ergo, &c. Maior est notoria. Minor est D. Dionisij 4. *de Divinis nominibus*, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 1. & est apud Theologos communis. Consequentia legitima apparet.

5 *Arguit 1. Ill. Godoy.* Arguit primò Ill. Godoy *num.* 5: Peccatum est *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*; sed dicta, facta, vel concupita per obiecta distinguntur; actus enim distinguntur per obiecta: ergo etiam peccata per obiecta distinguntur. *Respondeo:* Respondeo distinguendo maiorem: sic, quod dictum, factum, vel concupitum sit quid materiale, concedo maiorem; sic quod sit formale peccati, nego maiorem; & omissa minori, distinguo consequens: ergo peccata pro materiali per obiecta distinguntur, concedo consequentiam; pro formali, nego consequentiam; quia formale peccati stat in illis verbis: *Contra legem Dei*, quæ denotant privationem rectitudinis debitæ actui, vel deformitatem cum lege. Solutio claret ex dictis *disp. præced. per totam.*

6 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num. citat.* ex duobus, quæ in peccato reperiuntur, nempè, privatio, & actus voluntarius, primum diversificatur secundum virtutes oppositas; secundum autem per ordinem ad obiecta diversa; at non privatio, sed actus voluntarius est, qui dat speciem peccato: ergo non ex virtutibus oppositis, sed ex ordine ad obiecta distinguntur peccata specificè. Consequutio est legitima: distinctio enim specifica desumitur ex ordine ad id, à quo desumitur species. Maior est certa. Minor autem probatur: nam id, quod est per acci-

dens,

dens, est extrà rationem speciei; & consequentèr speciem dare non potest; at privatio in peccato commissionis reperta, per accidens se habet ad peccatum; est enim præter intentionem peccantis, actus verò voluntarius non per accidens, sed per se comparatur: ergo species peccati, non à privatione, sed ab actu voluntario sumitur.

7 *Respondeo.* Respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego minorē, quam non convincit imbibita probatio, & manifestabit differentia reperta inter actum, & privationem: nam actus est per se intentus à peccante, & per accidens se habet ad peccatum, quia peccans solum per se intendit delectabilitatem, non peccatum; imò vellet, tale delectabile non esse peccatum. At privatio per accidens se habet ad peccantem, quia nemo ad malum intendens operatur; per se autem se habet ad peccatum, quia est formale constitutivum illius.

8 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Replicat primò Ill. Godoy *num. 6.* ex Caietano: peccatum eatenus est peccatum, quatenus est à peccante: ergo quod per accidens comparatur ad peccatum, quatenus est à peccante, per accidens ad peccatum ipsum comparatur; at privatio rectitudinis per accidens comparatur ad peccantem, vt peccantem: ergo & ad peccatum ipsum per accidens comparatur, & consequentèr nequit illud in sua specie constituere. Probat minorem: id per se comparatur ad peccatum, vt peccatum, quod est per se voluntarium; eatenus enim peccat, quatenus voluntariè legem transgreditur; at privatio non per se, sed per accidens est voluntaria: ergo, &c.

9 *Respondeo.* Respondeo negando minorem; quia id per se comparatur ad peccatum, vt peccatum, quod est illius formale constitutivum, & hoc esse privationem, iam à nobis statutum manet. Nec requiritur, quod id, quod per se comparatur ad peccatum, vt peccatum, sit directè, & explicitè voluntarium, sed sufficit, quod sit voluntarium indirectè, implicitè, & interpretativè, nam in hoc malum à bono distinguitur, quod bonum debet esse explicitè, & directè volitum; malum autem indirectè; vndè de ratione peccati non est, esse directè voluntarium, sed indirectè tantum; præsupponitur tamen ad peccatum esse directè voluntarium, & est de ratione illius, sumpto pro materiali.

10 *Instat Ill. Godoy.* Instat Ill. Godoy *num. citat.* in actu peccaminoso est tendentia positiva in obiectum legi dissonum, magis per se voluntaria, quam privatio subsecuta: ergo non per privationem indirectè voluntariam, & voluntariam per accidens, sed per tendentiā istam in sua specie constituitur. *Respondeo.* Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; quia peccatum in ratione mali non debet esse directè, & per se voluntarium, vt ex proximè dictis satis constat; imò hoc ei repugnat, cum careat ratione boni.

11 *Replicat 2.* Replicat secundò *num. 7:* species peccati commissionis petit esse per se intenta, saltim sub aliqua ratione implicata; at privatio subsecuta nullo modo est per se intenta; benè tamen tendentia actus positiva ad obiectū: ergo privatio ad tendentiam consecuta non constituit peccatum commissionis in specifica ratione peccati. Consequentia bona est. Minor certa: nam privatio, nec explicat, nec implicat aliquam bonitatis rationem: ergo nec explicitè, nec implicitè potest esse per se intenta à peccante. Maior autem probatur: omnis species positiva petit esse per se intenta sub aliqua ratione implicita; cum in suo conceptu includat entitatem positivam, & consequentèr aliquam bonitatem; at species peccati commissionis est species positiva: ergo petit esse per se intenta sub aliqua ratione implicita.

12 *Prob. min.* Minorem supponit ex D. Thoma eò, quod si illam non supponat, non potest discursus factus efficatiam habere, vt fatetur Ill. Godoy, qui illam sic probat: species actus ab obiecto sumpta, species positiva est; specificatio namquè ab obiecto non fit per intrinsecam informationem, nec per intrinsecam denominationem ab ipso, sed per derivationem; derivatio autem ab obiecto in actum fit media tendentia in ipsum; cumque per privationem non tendat actus in obiectum, sed per positivum transcendentalem respectum; fit, vt species ab obiecto sumpta, species sit positiva; at species actus peccaminosi sumitur ab obiecto: ergo est species positiva.

13 *Respondeo.* Respondeo negando maiorem,

ad cuius probationem nego minorē, & ad illius probationem, nego etiam minorem, qua negata ruit illius replica; & ratio sumitur ex probatione nostræ conclusionis *num.* 3. Vel claritatis gratia, distinguo vltimam minorem: species actus peccaminosi pro materiali, sumitur ab obiecto, concedo minorem; pro formali, nego minorem, & distinguo similiter consequens. Solutio claret ex dictis *numer.* 1. Et ampliùs constabit ex dicendis *num. seqq.*

14 *Arguit.* 2. Arguit tertiò *numer.* 8: ab illo sumitur distinctio specifica, à quo accipitur specifica constitutio; vt omnibus est manifestum; at species peccati commissionis non à privatione sumitur, sed ab ordine positivo ad obiectum dissonum legi, & rationi: ergo specifica peccatorum distinctio non est secundum virtutes oppositas; penes quas privatio specificè variatur, sed penes ordinem ad obiecta diversa, per quem ordinem constituitur peccatum commissionis in ratione peccati. *Respond.* 1. Respondeo primò negando minorem, cuius falsitas satis apparet ex probatione nostræ conclusionis. *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo minorem: species positiva peccati commissionis non à privatione sumitur, sed ab ordine positivo ad obiectum dissonum legi, & rationi, concedo minorem; species privativa, nego minorem, & consequentiam, vel illā paritèr, distinguo.

15 *Explicatur 2. solutio.* Quia tamen hæc secunda solutio communis est, & applicari valet ad omnia, quæ in præsenti adducit Ill. Godoy, sic explicatur. In actu itaquè peccaminoso duplex datur species. Vna positiva, & propria. Altera privativa, & non propria. Prima sumitur ab obiecto, & consequentèr penes obiecta variatur. Secunda à rectitudine opposita, consequentèrque variatur secundum oppositas sibi virtutes. Ex hac duplici specie primam importat actus peccaminosus de materiali; secundam verò de formali. *Occurritur cuidam obiectioni.* Nec obest, quod prima species sit propria, & principalior; quia hoc non obest, vt peccatum importet pro formali secundam, quæ propria non est, & minus principalis, vt patet in hoc concreto *album*, quod habet duas species, quarum vna est substantialis, nempè subiectum, & principalior altera, quæ est accidentalis, & sumitur ab albedine, quin hoc obstet, vt *album* formaliter specificetur ab albedine, quæ est secunda species, & minus præcipua, dicendo de materiali primam, quæ principalior est, vtpotè substantialis.

16 *Alteri occurritur.* Nec iterum obest, quod privatio non sit propriè species, quia hoc non obest, vt suo modo speciem constituat, sicut suo modo privationes dicuntur specie inter se distingui per habitus; imò hoc magis consonat constitutioni peccati, de quo dixit D. Augustinus, non habere speciem, nequè modum. Nec denique obest, vt præcipua peccatorum distinctio, & specificatio sumatur à rectitudine opposita, & non ab obiectis, cuius oppositum declarat Ill. Godoy *numer.* 9. ex Lorca, & Montesinos. *Occurritur alteri.* Non (inquam) obest, quia cum peccata in ratione mali, de quo in præsenti loquimur, præcipuè respiciant malitiam, & non actum, præcipua eorum distinctio, & specificatio, non ab obiectis, sed à rectitudinibus oppositis sumenda est, sicut dictum est de albo.

§. II.

Proponuntur Corollaria.

17 EX dictis in discursu huius disputationis plura colligit Ill. God. §. 4. & vltimo, sed nescio certè, ex quorum dictis in hac disputatione illa colligat. Hoc legentibus iudicandum relinquo, & vestigia illius sequendo, quod mihi incumbit ratione promissi, tot corollaria, quot ipse proponit, assignabo, conformitèr tamen, & consequentèr ad nostram de privativo sententiam, procedendo, sicut ipse consequentèr ad suam de positivo opinionem procedit.

18 *1. Corollar.* Colligitur primò: divisionem peccati in carnale, & spirituale non esse essentialem. Sic Ill. Godoy cum D. Thoma, & nos cum Scoto infrà citando. Ante cuius probationem adverto primò: peccatum non ideò dici carnalem, quia habeat pro obiecto aliquod corporale, quod patet in avaritia, quæ est peccatum spirituale, & tamen habet pro obiecto aliquod corporale, nempè, divitias exteriores. Secundò: peccatum dici carnale, vel spirituale penes delectationes diversas; si enim delectatio sequitur ad appetitum sensitivum, dicitur car-

nale,

nale, vt gula, & luxuria; si verò sequatur ad appetitum intellectivum, dicitur spirituale, vt avaritia, & luxuria spiritualis Angeli. Sic Scotus *in 2. dist. 6. quæst. 2. §. Ad argumenta*, cui non contradicit Ill. Godoy. His suppositis, probatur corollarium: peccata essentialiter differunt per privationes rectitudinum; sed divisio peccati in carnale, & spirituale non datur per privationes rectitudinum, sed per delectationes, quæ ad tales privationes sequuntur: ergo talis divisio non est essentialis.

19 *Secundum.*

Secundò colligitur: peccata non distingui specificè ex causis materiali, & formali, nec ex causis motivis, aut activis, nec ex causis finalibus. Corollarium pro tertia parte est contra Ill. Godoy *num.* 26. Primam autem sic probat: ab illo accipitur specificatio, à quo accipitur esse; at materia, & forma solum dant esse substantijs materialibus, non autem peccatis, quæ ex materia, & forma non sunt composita: ergo non multiplicantur, nec specificantur secundum materiam, & formam. Probat secundam: ab illo enim sumitur specifica distinctio, à quo specificatio; at peccata non specificantur ex principio activo, & motivo: ergo nec ex motivis, aut activis distinguntur specificè. Minorem probat: nam specificatio actionis non sumitur ab indifferenti in quantum tali, sed vt determinato; at principium activum voluntatis est de se indifferens ad plures actiones specificè: ergo à principio activo specificatio non sumitur.

1. *pars probat.*

2. *ostenditur.*

20 3. *probatur contra Ill. God.*

Tertia pars probatur contra Ill. Godoy: ab illo sumitur specifica distinctio, à quo accipitur specificatio; sed species actus peccaminosi non sumitur à fine, qui est voluntatis obiectum: ergo à causis finalibus non sumitur peccatorum specifica distinctio. Probatur minor: species actus peccaminosi non sumitur ab obiecto, vt clarè ex dictis: ergo species actus peccaminosi non sumitur à fine.

21 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit ipse *num.* 26: ab illo sumitur specifica distinctio, à quo accipitur specificatio; at species actus humani, & consequenter peccati, sumitur à fine, qui est voluntatis obiectū: ergo à causis finalibus sumitur peccatorum distinctio. Probatur minor: nam actus humanus, vt actio, specificatur à principio, vt determinato, vt passio, ab obiecto, seu termino; sed finis voluntatem de se indifferentem determinat: ergo tàm vt actio, quàm vt passio, specificatur à fine, vt actio, ab illo, vt se tenet ex parte principij, & vt passio, ab illo, vt se tenet ex parte termini.

22 *Respond.*

Respondeo negando minorem pro secunda parte, scilicèt, *& consequenter peccati*, quam non probat Ill. Godoy; solum enim probat, actum humanum specificari à fine, quod concedimus; negamus tamen, quod peccatum à fine specificetur; quia aliud est loqui de actu humano, vt tali; & aliud de actu humano, vt malo, & defectuoso; ille enim non respicit malitiam, vt illam præcipuè respicit peccatum. Vel claritatis gratia, distinguo minorem pro secunda parte: & consequenter peccati pro materiali, concedo minorem; pro formali, nego minorem, & consequentiam, seu ipsam similitèr distinguo.

23 3. *corollar.*

Colligitur tertiò: secundum reatus pœnarum non distingui specificè peccata; veniale autem, & mortale ex genere, & per se, specie differre; per accidens autem, & ex circunstantijs tantum in eodem genere, non semper differre specificè. Vndè si Ill. Godoy loquatur in hoc secundo sensu, verum dicit; si verò ad primum etiam sensum extendatur, falsum asserit. Primum huius corollarij habet ipse *num.* 29. & relicta illius probatione; falsum enim est, quod specificativum peccati sit per se intentum à peccante, vt diximus *num.* 7. sic à nobis probatur: reatus pœnæ consequitur, quasi passio, ad peccatum: ergo supponit illius speciem: ergo illud specificicè differre non facit.

Probat. 1.

24 1. *pars 2. prob.*

Secunda pars corollarij habet duas partes, quarum prima probatur: peccatum in communi consistit in privatione rectitudinis, quæ deberet esse in actu: ergo peccata, quæ privant rectitudinibus specie distinctis, specificè distinguntur. Atqui sic se habent peccatum veniale, & mortale ex genere, & per se: ergo specificè differunt. Probatur minor: rectitudo habens rationem præcepti propriè dicti, & habens rationem consilij dumtaxat, specificè distinguntur; sed peccatum mortale ex genere, & per se, privat rectitudine, quæ habet ratio-

nem præcepti propriæ dicti; peccatū autem veniale ex genere, & per se privat rectitudine, quæ habet rationem consilij duntaxat: ergo peccatū mortale & veniale ex genere, & per se, privant rectitudinibus specie distinctis. *Confirmat.* Confirmatur: peccatum mortale, & veniale ex genere, v.g. homicidium, & verbum iocosum, semper versantur circa diversas virtutes, & obiecta specie distincta: ergo, &c.

25 *2. pars probat.* Secunda pars probatur: peccatum veniale, & mortale per accidens, & ex circunstantijs tantum in eodem genere, possunt esse contra eandem virtutem, & circa idem obiectum, vt patet de furtis parvæ, & magnæ quantitatis, quorum vnum est mortale, & aliud veniale, & tamen sunt contra eadem virtutem, seu rectitudinem, scilicèt, contra iustitiam, & circà idem obiectum, scilicèt, rem alienam: ergo talia peccata non semper specie differunt. Consequentia patet ex dictis, & etiam ex eo, quod magis, & minus contra eandem virtutem speciem in genere moris non variant. Hoc est, quod duntaxat probat Ill. Godoy in suo corollario; adhuc ommissa falsitate, quod peccati species ex parte conversionis sumatur.

26 Ex quibus infert primò Ill. God. *num. citat.* cum Caietano, & ego cum illis: ex adiunctis pœnis excommunicationis, & irregularitatis, &c. peccata non mutare speciem: vnde eiusdem speciei est adulterium, cui pœna est excommunicationis adiuncta, & illud, cui tali pœna non est imposita. Infero secundò: posse veniale peccatum esse circà finem vltimum, vt constat in odio Dei imperfectè deliberato, & in motu infidelitatis secundo primo, & habetur ex ratione facta; quia nempè veniale, & mortale conveniunt ex parte conversionis, & differunt ex parte aversionis: ergo in ordine ad finem vltimum, vt est obiectum peccati mortalis, potest etiam veniale peccatum reperiri. Sic Ill. Godoy *citat.* quibus addi potest: quod prædicta peccata venialia dicutur talia ex imperfectione actus, nempè, ex defectu plenæ deliberationis.

27 *4. Corollar* Quarto colligit Ill. God. *num.* 30: peccatum cordis, oris, & operis distingui, & non distingui specifice, quorum vtrumque est verum iuxtà duplicem divisionem. Si enim peccatum dividatur in peccatum corde consummatū, vt hæresis, odium, &c. & consummatum ore, vt murmuratio, periurium, &c. & consummatū opere, vt furtum, homicidium, &c. est divisio generis in species; quia hæresis, periurium, & furtum specie distinguntur. Si verò dividatur in tres gradus eiusdem peccati, incipiens in corde, proficiens in ore, & solum consummatum in opere, v.g. luxuria, in qua primo est consensus in corde; secundo verba incentiva; & tertio actus turpis; est tantum divisio speciei in individua. Patet hoc primò: quia habent idem motivum. Secundò: quia tales actus non sunt necessariò confitendi; peccata autem specie distincta in omnium sententia sunt necessario confitenda.

28 *5. Corollar.* Quintò colligit Ill. God. *num* 33: penes superabundantiam, & defectum specie peccata differre. Hoc probabile reputo iuxtà dicta *disput. præced. à num.* 110. *vsquè ad* 114. vbi probatum manet. Cœterum oppositum etiam est probabile, & fortè probabilius, vt diximus *disp. citat. num.* 114. vbi etiam probatum manet.

29 *6. Corollar.* Deniquè colligitur: divisionem peccati in peccatum in Deum, in se ipsum, & proximum, esse essentialem, & generis in species, non quidem infimas, sed subalternas. Sic Ill. Godoy *num.* 34. & 35. in quo litigium non habemus, discriminamur tamen in hoc, quod distinctionem essentialem horum peccaterum probat ipse ex obiecto; nos verò illam probamus ex virtutibus, vel rectitudinibus, quibus privant, consequentèr ad dicta in hac, & præcedenti disputatione. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *distinct.* 42. §. 6.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

An ex diversitate specifica præceptorum specificè multiplicetur peccati malitia?

§. Unicus.

Resolvitur difficultas, & aliqua colliguntur.

Num. 1 *Aperitur difficultas.*

HÆc difficultas procedit, tàm de peccato ommissioni, quàm commissionis, & quando contingit, quod eadem ommissio, vel commissio duobus præceptis prohibeatur, v. g. furari prohibetur; & Lege Divina, & naturali, & humana, an sit multiplex peccatum, vel vnum? Et idem est, quando die Dominica celebratur aliquod festũ, etiam obligans ad audiendum Missam. Rursus difficultas potest esse, an peccata contra diversa præcepta sint distincta specie, vel numero?

2 Et quidem si diversitas præceptorum, solum numerica sit, quia nempè, ab eodem superiori supra eandem materiam semel, atque iterum lex ponitur, aut præceptum, nulli Theologorum est dubium, non multiplicari specificè peccatorum malitiam, imò nec numericè malitiam variari ex sola legis repetitione, est ferè apud omnes certum, quod habet Ill. God. *num.* 1. & probat à simili ex doctrina communi Theologorum in materia de voto: nempè, votum sæpè repetitum non inducere novam infractione voti malitiam. Vndè Religiosus, qui votum castitatis solemne sæpè iteravit, si peccatum luxuriæ committat, etsi contra castitatem, & contra Religionem delinquat, non tamè duplici, sed vnica tantum irreligiositatis malitia vitiatur, si votum solemne non differt à simplici distinctione specifica; vt habet Scotus *in* 4. *dist.* 38: ergo pari ratione sola legis repetitio non multiplicat numero malitiam peccati.

3 Deindè ratione patet: nam servans, & adimplens plura præcepta, respicientia eandem virtutem, vnam solum haberet numero rectitudinem; nam vnam solum numero virtutem respicit: ergo non adimplens solum habet privationem vnius rectitudinis: ergo vnam solum malitiam. Cõfirmatur: quia cum sit vnum subiectum, & idem tempus, & eædem circunstantiæ, à quibus sumitur distinctio numerica, non erit, vndè talis distinctio sumatur. Vndè præsens difficultas ad præcepta specificè distincta devoluitur, an scilicèt, quoties præcepta specificè distinguntur, in peccato illis oppositò distincta specificè repetiatur malitia? *Statis difficultatis.*

In qua, licèt variæ sint Theologorum sententiæ; vna est nostra, & Ill. Godoy oponio, nempè: *Peccata non distingui specie ex distinctione præceptorum, nisi dentur propter diversa motiva, & peccata opponantur diversis virtutibus.* Sic Scotus *in* 2. *dist.* 37. §. *Ex ista solutione. Et quodlib.* 18. §. *Ex isto.* Ex quo claret, Ill. Godoy *num.* 2. immeritò pro opposita sententia Scotum citare. Nostram opinionem amplectitur ipse *num.* 2. & 12. Licèt autem ab ipso in suis principijs optimè vtraque pars probetur, illius probationibus relictis. 4 *Conclusio.* *Scotus.*

Sic in nostris probatur principijs: peccata essentialitèr consistunt in privatione ex dictis *disp.* 25. sed privationes distinguntur specificè penes formas, quibus privant: ergo ab his sumunt peccata specificam distinctionem. Atqui istæ formæ sunt rectitudines peccatis oppositæ; non verò præcepta: ergo non à præceptis, sed à rectitudinibus sumunt peccata distinctionem specificam. Ex quo patet: quod quamvis furtum prohibeatur Lege naturali, Divina, & humana, sit vnum in specie; nam est privatio vnius tantum virtutis, nempè, iustitiæ. Vndè furtum rei Sacræ, vel rei profanæ in loco Sacro, est duplex pec- 5 *Probatur.*

catum, nempè, contra iuſtitiam, & contra Religionem; nam his duabus virtutibus opponitur.

6 2. *Corollar.* Ex his colligo primò cum Ill. Godoy *num.* 41: non ieiunantem in die Quadrageſimæ, & ſimul Quatuor Temporum, alicuius Sancti Vigilia, duo vota ſimplicia, aut duo iuramenta ſuprà eandem materiam frangentem, vnum tantum peccatum committere. Quod patet: nam in his tribus caſibus, etſi obligationes multiplicentur, cadunt tamen ſuprà eandem materiam, & ex eodem motivo: ergo vnum tantum peccatum committitur.

7 2. *Corollar.* Colligo ſecundò: eum, qui votum ſolemne, & ſimplex tranſgreditur, diverſa ſpecie peccata, neceſſariò in confeſsione aperienda, non committere; benè verò, qui votum, & iuramentum ſimul, aut rem ab Eccleſia præceptam, & ſimul Deo per votum promiſſam, non efficit. Prima pars eſt contra Ill. Godoy *num.* 41. & probatur primò: votum ſolemne, & ſimplex habent eandem in ſpecie rectitudinem, reſpiciuntque eandem ſpecificè virtutem, ſcilicèt, Religionem: ergo peccata illis oppoſita non ſunt ſpecie diſtincta. Secundò probatur per oppoſitum ad Ill. Godoy: votum ſolemne, & ſimplex non differunt eſſentialitèr: ergo nec peccata illis oppoſita. Conſequentia eſt legitima. Antecedens verò eſt Scoti *in* 2. pro quo videatur Maſtrius *in* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 16. *art.* 2. Ex quo patet quid ſit dicendum ad probationem Ill. God. in oppoſitum. Negatur itaquè maior; imò ipſa conceſſa, negat minorem Caietanus, cuius doctrinam tradit Ill. Godoy, ſed de ipſa non curo.

1. *pars probat.* 1. *Secundò.*

8 2. *pars probat.* Secunda pars probatur: nam licèt votum, & iuramentum habeant eandem rectitudinem Religionis genericè ſumptam, habent tamen diverſam ſpecificè rectitudinem: ergo peccatum voto, & iuramento oppoſitum, duplicem habet malitiam ſpecie diſtinctam. Totum patet in homicidio, furto, & adulterio, quæ licèt ſint privationes eiuſdem genericè rectitudinis, nempè, iuſtitiæ; ſunt tamen ſpecificè diverſæ, vt diximus *diſp.* 25. *num.* 120. Hoc inſinuat Ill. Godoy *num.* 42. *in fine*, de quo infrà. Ratio eſt: quia ſicut iuſtitia habet diverſas ſpecies, ita, & Religio. Vndè ſi quis rem, ſemel promiſſam Deo, iuramento poſtea confirmet, & eam non faciat, tenetur, circunſtantiam iuramenti in confeſsione explicare.

9 3. *pars probat.* Tertia pars probatur: nam peccatum rei præceptæ, & voto promiſſę oppoſitum, duplici pugnat virtuti, ſcilicèt, cum illa, in qua res præcepta per præceptum conſtituitur, & cum virtute Religionis, ad quam tranſfertur per votum; peccatum autem duplici virtuti oppoſitum duplicem habet malitiam; & conſequentèr, ſi quis rem præceptam Lege Eccleſiaſtica, aut naturali, ad quam etiam in vi voti tenetur, non faciat, duplici malitia vitiatur, quod etiam verum eſt, quamvis res alias præcepta ſit ex virtute Religionis, v. g. ſi quis votum faceret audiendi Miſſam in Dominicis diebus, ad quod præcepto Eccleſię tenetur, ex virtute Religionis, non audiens Sacrum, duplex committeret peccatum, vel vnum cum duplici malicia ſpecificè diſtincta.

10 *Solvitur quædã obiectio.* Nec obſtat: peccatum illud ſub vtraque ratione eſſe contra Religionem, quia vt paulo ante diximus, contra vnam, & eandem virtutem genericam, poteſt multiplex peccatum ſpecie diſtinctum commiti, quando opponuntur diverſis in ſpecie rectitudinibus, & vt ait Ill. Godoy *num.* 42. *in fine*, diverſa rectitudo intrà limites Religionis eſt Deo promiſſa adimplere, & Miſſam præceptam audire, idèoque non audiens Miſſam præceptam, & aliàs Deo promiſſam, vnum peccatum cum duplici malitia ſpecie diſtincta committit.

11 3. *Corollar.* Colligitur tertiò contra Ill. God. *num.* 43: nos Franciſcanos tranſgredientes ieiunium noſtræ Regulæ, non committere duplex peccatum ſpecie diſtinctum, nempè, vnum contra illam virtutem, in qua ex vi Regulæ conſtituitur, & alterum contra Religionem ratione voti obedientiæ; & conſequientèr, ſi Franciſcanus ieiunium frangit in die veneris, in quo incidit alicuius Sancti Vigilia, non committit contra præceptum Eccleſiæ, & præceptum Regulæ peccata diſtincta. Hoc fatetur Ill. Godoy *nucitat.* eo, quod præcepta Eccleſiæ, & Regulæ ex eodem motivo præcipiant, nempè, abſtinentiæ Corollarium verò probatur: nam Franciſcani per tranſgreſsionem ieiunij ſolum

Probatur.

pec-

peccamus contra virtutem temperantiæ: ergo est vnum tantum peccatum. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur, solvendo fundamentum Ill. God.

12 *Arguit. Ill. Godoy.* Arguit ipse *num.* 43: præceptum Regulæ habet vim faciendi materiã virtutis actum illum, quem præcipit: ergo si præcipiat ieiunium, facit illud materiam necessariam virtutis temperantiæ, & aliàs ex vi voti Religionis tenetur ad præcepta Regulæ observanda: ergo non ieiunando peccat contra temperantiam, & contra Religionem, & consequentèr duplex peccatũ specificè distinctũ committit.

13 *Respond. 1.* Respondeo primò concesso antecedenti cum consequentia, negando minorem; cuius ratio est: quia ieiunare in nobis Franciscanis solum est præceptum, vt decreverunt Nicolaus III. *cap. Exijt, qui seminat. De verborum significatione in 6.* Et Clemens V. in Concilio Vienensi Clementina *Exivi de Paradiso*, & alij Papæ, cum quibus omnes Expositores nostræ Regulæ, pro quibus videatur Miranda *cap. 26.* Cum ergo ex vi voti Religionis solum promittamus, Regulam observare ità, vt ad votum teneamur vt votum, ad præceptum, vt præceptum, & ad consilium; vt consilium dumtaxat; hinc est, quod solum teneamur ad ieiunium, vt præceptum, consequentèrque solum illius transgressio est contra temperantiam præceptam in ieiunio.

14 *Secundò, & est retorsio.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: nam per votum solum submissimus nos Franciscani Regulæ, quæ præcipit ieiunare, sicut cæteri Religiosi ex voto se submittunt Prælato; sed isti transgrediendo præceptũ Prælati, non peccant specialitèr contra obedientiam, nisi directè intendant contemptum Superioris, vt concedit Ill. Godoy *num.* 44: ergo nec nos Franciscani non ieiunando, peccamus contra Religionem. Probatur consequentia: ita Franciscanus vi voti Religionis se submittit ieiunio in Regula præcepto, ac cæteri Religiosi vi voti Religionis se submittunt Prælati præcepto obedire; sed isti transgrediendo præceptum Prælati, non peccant specialitèr contra obbedientiam: ergo nec nos non ieiunando contra Religionem peccamus.

15 Respondeo tertiò, adhuc fortiùs retorquendo argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: Franciscani iuxta corollarium illius transgredientes ieiunium suæ Regulæ committunt peccatum contra Religionem ratione voti obbedientiæ: ergo Franciscani equitando, & sic de cuiuscumque præcepti transgressione, committunt sacrilegium. Item: ergo quilibet Christianus transgrediens quodcumque præceptum, committet etiam Sacrilegium, quia in Baptismo promisit servare legem Dei. Denique: ergo Franciscanus transgrediendo consilium regulæ, committet Sacrilegium, quia in promissione regulæ promisit etiam, servare consilia; atqui hæc omnia sunt falsa, & vltimum præcipuè falsissimum: ergo sic est argumentum Ill. Godoy contra nos factum. *3. & etiam est retorsio*

16 *Dices.* Dices tamen: quilibet Religiosus tenetur ex virtute Religionis, nempè, voti, implere omnia regulæ præcepta, & imposita à Prælato; nam si votum obedientiæ non caderet suprà omnia præcepta, ad nihil deserviret tale votum: ergo transgrediens quodlibet præceptum, duplex committit peccatum, vnum contra virtutem præceptam, & alterum contra Religionem, ratione voti. Vltrà solutionem datã, & retorsiones factas, respondeo, negando antecedens, & eius imbibitam probationem, quia obedientia nullatenus esset fructranea; deseruit namque ad tria. Primò: vt si quis directè vellit non obbedire, scilicèt, non exequi præceptum, quia præceptum, committat Sacrilegium contra obedientiam promissam. Secundò: vt efficiat præceptum, quod non erat præceptum. Tertiò: vt si aliàs præceptum erat, vt in casu argumenti, efficiat, quod ob transgressionem possit Religiosus à Superiori puniri, & in hoc stat, Religiosum esse, & Regulæ, & Superiori subiectum, vt notavit optimè Sanchez *in Summ. lib. 6. cap. 4. num. 9.* *Respondeo.*

17 *4. Corollar.* Colligitur quartò: subditum transgredientem præceptum sui Prælati aliquid præcipientis absolutè, si aliàs sit debitum ex lege naturali, aut Ecclesiæ, vnum tantum peccatum committere, scilicèt, contra virtutem præceptam; si autem Prælatus id præcipiat in virtute Spiritus Sancti, aut Santæ obedientiæ, aliud contra obedientiam committere. Prima pars est *1. pars est contra Ill. God & probata manet.*

contra Ill. Godoy *num.* 44. asserentem: committere etiam peccatum contra Religionem ratione voti; nostra tamen opinio constat ex corollario præcedent. vbi solutum, & retorsum manet fundamentum illius; idem enim est, ac assignatum contra præcedens nostrum corollarium. Imò, quando verum esset, in dicto casu vltrà peccatum contra virtutem præceptam commiti etiam peccatum contra Religionem, adhuc vera esset nostra sententia de multiplicatione specifica peccatorum, non ex diversitate specifica præceptorum, sed ex specifica virtutum diversitate.

18 *2. pars probatur.* Secunda pars corollarij defenditur ab Ill. Godoy, à quo sic, & optimè probatur: nam quando Prælatus præcipit in virtute Spiritus Sancti, aut sanctæ obedientiæ, contendit, actum illum facere materiam specialis obedientiæ: ergo si talis actus est ieiunij, aliàs præceptum, qui illud transgreditur, & peccat contra virtutem abstinentiæ, & contra obedientiam: ergo non ieiunare in hoc casu duplicem malitiam specificè distinctam habebit, & consequentèr in confessione necessariò explicandam.

19 *5. corollar.* An autem ille, qui ratione beneficij, & Sacrorum Ordinum, ad Divinum Officium recitandum est obligatus, & non recitat, commitat duplex peccatum specificè distinctum, alterum contra Religionem ratione præcepti Ecclesiastici, & alterum contra iustitiam ratione beneficij; an verò vnum tantum commitat peccatũ contra Religionem? Est quintum corollarium Ill. Godoy *num.* 46. vbi duplex peccatum esse defendit, & *num.* 47. esse vnum dumtaxat probabilitèr tenet. Rationes pro vtroque adducit, & pia de vno tantum peccato mihi magis placet, quin in hoc ampliùs immoremur, quia in vtraque sententia semper nostra subsistit doctrina, videlicèt, duo esse peccata, si non recitare duobus opponatur virtutibus, & vnum dumtaxat, si vni virtuti, & ex eodem specie motivo opponatur.

Denique infertur: effusionem voluntariam seminis in Ecclesia, nedum publicam, verum etiam occultam, duplici malitia specie distincta vitiari contra Castitatem, & Religionem. Sic communitèr contra Bazquez Theologi, & Sumistæ, quos sequitur Ill. Godoy *num.* 48. & optimè propugnat, hocque in ipso videndum relinquo, quia ab ipso in hoc non dissentio.

20 *6. corollar.*

21 *Dubiolum resolvitur.* Si inquiras: An tactus impudici habiti in loco Sacro absquè seminis effusione, circunstantia Sacrilegij vitientur? Vtrumque est probabile, & pro vtroque adducit rationes Ill. Godoy *num.* 50.

22 *Quæ loca dicãtur sacra.* Quid autem (concludit ipse) nomine loci Sacri ad Sacrilegij malitiam intelligatur ex seminis, aut sanguinis effusione contrahendam? Disputat Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio, disp.* 15. *à num.* 23. *& deinceps.* Brevitèrque est asserendum, intelligi locũ Sacrum benedictum deputatum ad Divina: vndè nomine loci Sacri comprehenduntur Ecclesiæ, Cemeteriaque deputata ad sepeliendа cadavera, Religiosorũ Claustra, si ab Episcopo pro Religiosis sepeliendis sint benedicta, non autem turris, locus suprà Ecclesiæ tectum, Sacristia, Religiosorum cubicula, Eremitæ etiam erectæ Episcopi authoritate, porta extrà limen Ecclesiæ, etiam si aliàs gaudeant immunitate Ecclesiastica, quia huiusmodi loca benedicta non sunt, & in odiosis stricta interprætatio est adhibenda. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 42. §. 3. *in principio*, illis verbis: *Ideò hæc duo diversa esse peccata, quia diversorum legis mandatorum prævaricationes sunt.*

o)(§)(o

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA.

An peccatum ommissionis, & commissionis essentialitèr distinguantur?

INdubitatum est apud omnes, quod si peccatum ommissionis, & commissionis sint contra virtutes distinctas, specie distinguuntur; vndè difficultas est solum, quando sunt circa eandem virtutem. Negat Ill. Godoy, & nos negatum habemus *disp. 25. num. 118.* ideòque littigium in præsenti non habemus. Si autem velit aliquis specificam distinctionem horum peccatorum defendere, etiam si sint contra eandem virtutem, quod non video esse apud nos probabilius, recurrat ad dicta *disput. citat. num. 116. & 117.*

Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri vbi disputatio præcedens.

DE COMPARATIONE PECCATORUM AD INVICEM.

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

Utrùm omnia peccata sint æqualis gravitatis?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & Catholica sententia probatur.

Num. 1 *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi est: nam peccatum consistit in privatione rectitudinis debitę inesse; at inter privationes inæqualitas non datur; privatio namque magis, vel minus non suscipit, vt constat in morte, & cæcitate; non enim datur vnus magis mortus, aut magis cæcus, quam alius: ergo omnia peccata sunt in gravitate æqualia, nec datur vnum peccatum, quod altero maius sit. Qua ratione dubitandi victi fuerunt Stoici. Eidem errori subscri fere Cicero *Paradoxa 3.* Et Iovinianus, vt referunt D. Hieronymus *lib. contra Iovinianum, cap. 17. & Dialogo 1. contra Pelagianos num. 3.* Et D. August. *lib. de Hæresibus hæresi 82. & Epist. 29. ad proximum.* Referunt etiam Prateolus *in Catalogo Hæreticorum, verbo Iovinianus.* Et Castro *de Hæresibus lib. 12. verbo Peccatum, hæresi 8.*

2 *Catholica sententia probatur.*

Sententia tamen, quæ docet: non omnia peccata esse æqualia, est certa fide tenenda. Constat ex pluribus Scripturæ locis, pro quibus sufficiat illud Ioannis 19: *Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*; vbi peccatum Iudæorum asseritur maius esse peccato Pilati, vt exponunt

Au-

Auguſt. *tract.* 119. *in Ioan.* Chriſoſt. *homil.* 83. Baſilius, Cirilus, & alij, cum quibus conſonant omnes Theologi in hac Catholica veritate convenientes. Et licèt eam clariſsimè demonſtret diſcrimen peccati venialis à mortali; ſunt enim valdè inæqualia.

3 *Probat. à priori.*

Probatur à priori primò: quo ad inæqualitatem ſpecificam, & intrà eandem ſpeciem: malitia privationis ſumitur ex forma, cui opponitur; ſed rectitudines virtutum, quibus peccata privative oppoñuntur, ſunt inæquales, tum ſpecificè, vt patet in virtutibus, nos ad Deum, vt obiectum ordinantibus, quæ ſpecificè diſtinguntur à virtutibus, nos ad proximũ, vt ad obiectum, ordinantibus; tum etiam intrà eandem ſpeciem, vt claret in amore Dei vt octo, qui maior eſt amore Dei vt duo: ergo malitiæ privationum, tàm ſpecificè, quàm intrà eandem ſpeciem, ſunt inæquales, & conſequentèr etiam peccata, quæ in privatione formaliter conſiſtunt.

4 *Probat. à poſteriori.*

Probatur ſecundò à poſteriori: inæqualitas pœnæ neceſſariò ſupponit culpæ inæqualitatem, hoc dictante rectitudine iuſtitiæ punitivæ; ſed non omnibus peccatis æqualis pœna correſpondet, ſed inæqualis inæqualibus, vt conſtat ex illo: *Quantum glorificavit ſe, tantum date illi tormentorum, & luctus*, & patet tàm pro peccatis ſpecie diſtinctis, vt in Patricidio reſpectu furti, vel fractionis ieiunij, quàm intrà eandem ſpeciem, vt conſtat in odio Dei vt octo, reſpectu odij Dei vt duo, & in furto centum aureorum reſpectu vnius aurei; his enim inæqualis pœna correſpondet: ergo in peccatis reperitur inæqualitas in ratione culpæ: ergo non omnia peccata ſunt æqualis gravitatis.

5 *Quædam inconſequentia Ill. God.*

Suppoſita igitur Catholica huius opinionis veritate, luce clarius apparet, nos cum Ill. Godoy litem in præſenti non habere. Sed licèt in opinione conveniamus, in duobus tamen notabilem habemus oppoſitionem. Primum eſt, quod nos conſequentèr procedimus ad dicta *tom.* 1. *in* 3. *ſent. diſp.* 1. vbi negavimus, peccatum eſſe ſimpliciter infinitũ in ratione offenſæ; Ill. autem Godoy, qui *tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 1. talem infinitatem peccato conceſsit, inconſequentèr procedit, cuius inconſequentia contra ipſum oſtendimus *tom. & diſp. citat. à numer.* 32. *vſquè ad* 43. Oppoſitio ſecunda ſtat in reſponſione ad rationem dubitandi. Pro qua.

§. II.

Solutio Ill. Godoy examinatur, & vera defenditur.

6 *Solutio ad rationẽ dubitandi.*

AD rationem dubitandi reſpondet Ill. Godoy. *num.* 14. duplex diſtinguendo privationũ genus, aliud privationum conſiſtentium in corrupto eſſe, quæ vocantur privationes ſimplices, & hæ magis non ſuſcipiunt, nec minus, aliud privationum conſiſtentium in corrumpi, quæ vocantur privationes non ſimplices, & inter illas datur exceſſus, magiſque, & minus ſuſcipiunt. Privationem primi generis vocat illam, quæ nihil formæ ſibi oppoſitæ relinquit. Privationem verò ſecundi generis appellat illam, quæ aliquid relinquit in ſubiecto ſibi oppoſitæ formæ. Peccatum autem, licèt in privatione conſiſtat, non in privatione primi generis, ſed in ſecundi conſiſtit, & ideò magis, & minus ſuſcipere poteſt; darique vnum peccatum, quod alio maius ſit in genere mali moralis.

7 *Si opponas contra ipſum.*

Si autem contra ipſum opponas: privatio ſimplex, & in corrupto eſſe, illa dicitur, quæ nihil formæ ſibi oppoſitæ relinquit, privatio autem non ſimplex, quæ aliquid relinquit in ſubiecto ſibi oppoſitæ formæ; at privatio, quæ in peccato reperitur, nihil ſibi oppoſitæ formæ relinquit: ergo non eſt privatio in corrumpi, ſed ſimplex, & in corrupto eſſe. Probatur minor: forma, cui opponitur privatio in peccato reperta, eſt moralis rectitudo; at in peccato odij Dei nulla rectitudo relinquitur, & idem eſt de quovis alio peccato: ergo privatio in peccato reperta nihil in ſubiecto relinquit illius formæ, cui opponitur privativè.

8 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *numer.* 21: privationem in peccato repertam eſſe non ſimplicem, & in corrumpi, quia non eſt carentia totius rectitudinis moralis: nullum enim peccatum in carentia totius rectitudinis moralis conſiſtit, ſed in carentia alicuius peculiaris pertinentis ad aliquam ſpecialem virtutem, v. g. odium Dei, non conſiſtit in carentia rectitudinis ſpei, nec fidei, nec caſtitatis, ſed ſolum in carentia rectitudinis charitatis, infi-

de-

delitas etiam non consistit in carentia rectitudinis charitatis, sivè spei, sed in carentia rectitudinis fidei.

9 Peccata etiam (prosequitur Ill. Godoy) quæ sunt eiusdem speciei, non consistunt in carentia totius rectitudinis virtutis ipsis oppositæ, sed in carentia peculiaris rectitudinis, alias rectitudines ex alijs circunstantijs permissivè relinquentes, v. g. Peccatum intensum vt quatuor, non dicit carentiam octo graduum rectitudinis, sed tantum quatuor graduum, & peccatum, quod est tale ex circunstantia loci, non dicit carentiam rectitudinis, quæ provenire poterat ex circunstantia temporis, & è contra, quod est malum ex defectu circunstantiæ temporis, non dicit ex vi huius carentiam rectitudinis, quæ actui poterat ex loci circunstantia provenire, & sic de alijs.

10 Ex quo modo privandi rectitudinem nascitur (inquit Ill. Godoy) quod licèt peccatum in privatione consistat, detur nihilominus vnum altero gravius, & extrà, & intrà eandem speciem. Primum, si privet rectitudine perfectioris virtutis, quo circà odium Dei gravius est ex sua specie peccato infidelitatis, quia privat rectitudine perfectioris virtutis. Secundum autem, si privatur actus pluribus, aut paucioribus circunstantijs, quo circà peccatū intensum vt quatuor, minus grave est peccato intensionis vt octo, etiam in ratione privationis, quia privat minori rectitudine, & peccatum quod est tale ex circunstantia loci, & temporis, gravius est illo, in quo tantum vnius ex illis circunstantijs reperitur privatio. Quā doctrinam ex varijs locis D. Thomæ deducit, probat, & confirmat.

11 *Respondet in forma.* Ex his ad replicam factam respondet in forma *num.* 24. concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem distinguit minorem: ex vi oppositionis privativæ directæ, negat minorem; ex vi indirectæ oppositionis vnius malitiæ cum omni bonitate morali, concedit minorem, & negat consequentiam. Itaquè malitia privativa odij Dei directè solum tollit rectitudinem charitatis, cui opponitur privativè, circà rectitudines verò cęterarum virtutum præcisivè se habet quoad directam oppositionem, quia illas isto modo nec tollit, nec ponit, indirecte verò omnem bonitatem moralem excludit; supponit iuxtà sententiam probabilem, non posse simul in eodem actu bonitatē, & malitiam reperiri; ac proindè, quamvis malitia morali posita in actu, nullam in illo bonitatem moralem reperiri posse, hoc tamen non est ratione oppositionis privativæ directæ, sed ratione indirectæ oppositionis, ex eo, quod bonitas moralis, quia petit ex integra causa consurgere, postulat directè bonitatem obiecti, & circunstantiarum pertinentium ad propriam virtutem, & indirectè nulla mala circunstantia, alteri virtuti oppositæ actum, cui convenit vitiari, & vt privatio odij Dei non sit simplex, & in corrupto esse, sufficit, quod rectitudini solius charitatis directè opponatur, & circà alias præcisivè se habeat, quamvis indirectè illas tollat.

12 Hæc est tota doctrina Ill. Godoy pro responsione ad rationem dubitandi, & licèt aliquid habeat veritatis, duo tamen falsa supponit. Primum est: omnes privationes in facto, vel in corrupto esse, vocari simplices, cuius oppositum ostendemus infrà. Secundum est: privationē in peccato repertam esse in fieri, vel in corrumpi, contra quod sic adversus Ill. Godoy arguo primò: privatio in corrumpi est, quæ aliquid in rei veritate relinquid in subiecto sibi oppositæ formę; sed privatio, quæ in peccato reperitur, nihil in rei veritate sibi oppositę formæ relinquit, sivè ex vi oppositionis directæ, sivè indirectæ: ergo non est privatio in corrumpi, sed in corrupto esse. Maior, & minor sunt concessæ ab ipso *num.* 24. Consequentia videtur certa, & probatur: vt privatio nihil in rei veritate sibi oppositæ formæ relinquat, sufficit, quod ex vi oppositionis cuiuscumque reddat incompossibilem omnem formam sibi oppositam; sed talis est privatio in peccato reperta, & talis privatio est in corrupto esse: ergo privatio in peccato reperta non est in corrumpi, sed in corrupto esse.

Contra 1. ad homin. contra Ill. Godoy.

13 *Secundò.* Arguo secundò efficatiùs, & vrgentiùs: privatio in peccato reperta tollit totam formam sibi privativè directè oppositam: ergo est privatio in corrupto esse. Antecedens traditur ab Ill. Godoy, & patet in odio Dei, quod tollit totam rectitudinem charitatis, cui privativè directè opponi-

Privatio in peccato reperta est in facto, vel corupto esse

tur.

tur. Consequentia probatur: privatio in corrupto esse, est, quæ tollit totam formam sibi privativè directè oppositam; sed per te privatio in peccato reperta tollit totam formam sibi privativè directè oppositam: ergo est privatio in corrupto esse. Probatur maior: privatio in corrumpi, est, quæ non tollit totam formam sibi privativè directè oppositam: ergo privatio in corrupto esse, est, quæ tollit totam formam sibi privativè directè oppositam. Consequentia est legitima. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 4. Ex quo ad hominem contra ipsum probatur: ægritudo est privatio in corrumpi, iuxtà ipsum; sed non tollit totam formam sibi privativè directè oppositam, nempè, sanitatem, vt ipse fatetur: ergo, &c.

14 *vera solutio ad rationem dubitandi.*

Relicto itaquè modo dicendi Ill. God. eo, quod dicat: privationem in peccato repertam esse in corrumpi, & non in corrupto esse, cuius oppositū iudico certius ob rationem datam *num. præced.* Ad rationem dubitandi respondeo distinguendo minorem: inter privationes in fieri, vel in corrumpi, non datur inæqualitas, nego minorem; inter privationes in facto, vel corrupto esse, subdistinguo: inter privationes simplices, seu indivisibiles, concedo minorem; inter privationes non simplices, seu divisibiles, nego minorem, & consequentiā.

15 *Duplex genus privationum.*

Privatio in fieri, vel corrumpi quid sit.

Itaquè duplex est genus privationum. Aliud est privationum in fieri, vel corrumpi; & aliud in facto, vel corrupto esse. Privationes primi generis sunt, quæ non tollunt totam formam sibi privativè directè oppositam, vt privatio lucis, & salutis, vndè videmus, quod vna vmbra est maior alia, quia magis aut minus habet adiunctū de luce, & quod vna ægritudo maior altera invenitur, quia non consistit in omnimoda exclusione salutis, sed aliquam sanitatem in subiecto infirmo relinquit. Vndè non solum entitativè, verum etiam gradualitèr sunt non simplices, & ratio sumitur ex formis, quibus privant, nempè lux, & sanitas, ideòque omnes privationes huius generis sunt omninò non simplices.

16 *Quid sit privatio in facto, vel corrupto esse.*

Privationes autem secundi generis sunt, quæ tollunt totam formam sibi privativè directè oppositam. Istæ verò sunt in duplici differentia. Aliæ sunt simplices entitativè, & gradualitèr, vt sunt mors, & cæcitas; quia neque vna mors est altera maior, neque vna cæcitas est maior alia, & ratio sumitur ex formis, quibus opponuntur, nempè, vita, & visus, quæ entitativè, & gradualitèr sunt formæ simplices. Aliæ sunt simplices entitativè; non verò gradualitèr, vt privatio caloris, quæ licèt entitativè sit simplex, non tamen gradualitèr; nam magis, & minus admittit iuxtà gradus formæ, quibus privat, vt patet in privatione caloris, vt octo, quæ maior est privatione caloris, vt duo; idemq; de privatione frigoris, vt octo, & vt duo.

Duplex differētia huius privationis.

17 *Explicatur inæqualitas istarum privationum.*

Ex his autem, privationes primi generis, & sunt specie inæquales, vt patet de vmbra, & ægritudine, quę inter se compartæ specificè distinguntur, & possunt esse inæquales intrà eandem speciem, vt de qualibet patet per dicta *numer.* 15. & fatetur Ill. Godoy *num.* 4. Inter privationes verò secundi generis privationes simplices entitativè, & gradualitèr sunt specie distinctæ, sed intrà eandem speciem nequeunt magis, aut minus suscipere, vt de illis constat, & tradit Ill. Godoy *num.* 11. Privationes verò simplices entitativè, & non gradualitèr, & sunt specie inæquales; vt patet de privationibus caloris, & frigoris supradictis; & intrà eandem speciem magis, aut minus suscipiunt, vt de qualibet est manifestum.

18 *Ratio pro omnibus assignatur.*

Ratio omnium est: quia cum privationes distinguantur per formas, quibus privant, & inter has aliquæ sint entitativè, & gradualitèr divisibiles, vt lux, & sanitas, &c. aliæ entitativè, & gradualitèr indivisibiles, vt vita, visus, &c. & aliæ tandem entitativè, & non gradualitèr, indivisibiles, hinc fit, quod tot modis privationes dicantur divisibiles, aut indivisibiles, simplices, vel non simplices. His itaquè, quæ certa sunt, vt apparet, declaratis, & statutis,

19 *Privationes morales sunt in facto esse, simplices entitativè, non gradualitèr.*

Privationes morales sunt privationes in facto, vel corrupto esse, vt contra Ill. Godoy ad hominem ostendimus *num.* 12. & 13. non tamen sunt simplices entitativè, & gradualitèr, vt mors, & cæcitas; sed sunt entitativè simplices, & non simplices gradualitèr, vt calor, & frigus, ideòque non solum specificè inæquales, si inter se comparentur; verū etiam intrà eandem

dem speciem inæquales, vt luce clarius apparet, & nemo negare potest: nam odium Dei intensius maius est quam odium Dei remissius, & similitèr furtum centum aureorum maius est, quam furtum vnius aurei, & sic de alijs.

20 *Declaratur ex Scoto.* Et hoc declarat Scotus *in 2. dist. 37. §. Ex ista solutione*, hac ratione: quia sicut actui intemperantiæ debetur rectitudo temperantiæ, sic quando actus peccaminosus est diuturnior, vel circa maiorem quantitatem, & cum maiori intensione, &c. debetur illi maior rectitudo eiusdem speciei, qua privatur, ad quod adducit Scotus hoc exemplum. Si intellectus errans circà vnam conclusionem habeat obiectum magis necessarium, quam errans circà aliam conclusionem, error ille peior est, pro quanto actus verus oppositus deberet esse perfectior. Hanc solutionem non prævidit Ill. Godoy, nihilque contra eam addere valet, quod non sit per dicta solutum.

21 *Dices 1.* Dices primò contra nostram solutionem: nam ex ipsa sequitur, quod in peccatis ommissionis vnum peccatum non sit maius alio intrà eadem speciem; sed hoc est falsum: ergo falsa est nostra solutio. Probatur sequela: peccata ommissionis non dicunt pro materiali actum, à quo sumi possit gradualis differentia: ergo, &c. Hoc argumentum militat etiam contra opinionem Ill. Godoy, qui, peccatum ommissionis consistere in carentia actus debiti, supponit *disp. 25. numer. 1.* idemque nos ibi, & ibidem supposuimus. Supposito ergo, quod argumentum est contra vtrumque, pro vtroque respondeo negando maiorē, ad cuius probationem concesso antecedenti nego consequentiam; nam licèt inæqualitas in peccatis ommissionis sumi nequeat ab actu, quē pro materiali dicant, sumitur tamen ex aliquo adiuncto, nempè, vel à fine, vel à medio, seu ab opere incompossibili cum adimpletione præcepti, vndè dicimus, quod maius peccatum est non audire Missam propter ludum, quam propter studium, & maius peccatum est ex malitia, quam ex ignorantia.

Respondeo.

22 *Dices 2.* Dices secundò: privatio in peccato reperta est privatio in facto, vel corrupto esse; sed omnis talis privatio consistit in indivisibili: ergo nulla talis privatio est divisibilis, & consequenter nulla admittit inæqualitatē. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo minorem: consistit in indivisibili, & est indivisibilis, nego minorem; & est divisibilis, concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio constat ex dictis *disp. 25. num. 111.* Respondeo secundò alitèr distinguendo minorē: consistit in indivisibili entitativè, concedo minorem; gradualitèr, nego minorem, & consequentiam. *Secundò.* Hæc solutio claret ex dictis *num. 19* Respondeo tertiò retorquendo replicā: quælibet virtus consistit in indivisibili: ergo nulla est divisibilis: ergo nulla admittit inęqualitatem, quod est contrr omnes. *Tertiò.*

23 *Corollariū.* Ex dictis in discursu disputationis colligit Ill. Godoy *num. 33*: non omnia peccata, quæ sunt mala, quia prohibita, esse æqualis gravitatis, sed alia esse maiora alijs, non solum quando diversis virtutibus opponuntur, sed etiam quando eidem opponuntur virtuti. Hoc corollarium est commune inter Theologos. Primum patet: nam actus lege positiva prohibitus in materia temperantiæ, malitia intemperantiæ vitiatur, & actus præceptus ex motivo Religionis, vitiatur malitia irreligionis; at malitia irreligionis, & malitia intemperantiæ sunt inæquales. Tum: quia specie distinguntur: inter duas autem species æqualitas esse non potest. Tum: quia privant rectitudinibus specificè distinctis, & inter se inæqualibus. *1. pars probat.*

Secundum patet primò: nam respectu eiusdem præcepti potest dari magis & minus, v.g. si quis sine vestibus, & vasibus Sacris non consecratis celebraret, magis peccaret, quam celebrans tantum sine vestibus Sacris, & tamen vni, & eidem præcepto reverentèr celebrandi se opponeret: ergo respectu vnius, & eiusdem virtutis, imò, & respectu eiusdem præcepti in materia vna virtutis datur magis, & minus de malitia contra positivum præceptum. Secundò: nam magis peccat contra legem prohibentem prætiosas vestes, qui plus in pretio excedit, quam qui vestibus prætiosis cōmunibus vtitur, quia lex positiva non præfigit indivisibilem terminū; sed habet latitudinem: ergo similitèr peccata contra talem legem habent

24 *2. pars probat. 1.*

etiam

etiam latitudinem, & ſic vnum eſt maius altero.

25 *Vltima advertentia.*

Advertendum tamen eſt: hoc corrollarium non eſſe vniverſale, ideòque diximus in illo: *Non omnia peccata*, quia aliqua ſunt, quæ non ſunt inæqualia, v. g. qui parum, vel paucioribus vicibus comedit, æque peccat contra præceptum ieiunij, ac ille, qui multum, vel pluribus vicibus comedit. Ratio eſt: quia tale præceptum præfigit terminum indiviſibilem, ſcilicèt, non commedere ſecunda vice, in qua ſolum peccatur, reliquæ verò comeſtiones non ſunt contra præceptum poſsitivum ieiunij, poterunt tamen eſſe contra temperantiam; ſicut qui voveret virginitatem volens ſervare integrè ſigillum virginitatis, ſolum frangeret votum prima vice; reliquæ ſolum eſſent contra caſtitatem. Et ſimilitèr accedens ad Euchariſtiam non ieiunus, etiam ſi pluries comederet, ſemel tantum peccaret, quia ſolum prohibetur prima comeſtio. Per hoc patet ſolutio ad omnia, quæ in oppoſitum poſſunt adduci. Et hæc de iſta diſput. applicanda litteræ Magiſtri *in diſt.* 42.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

An peccatum ex obiecto, & ſpecie gravius poſsit à peccato inferioris ſpeciei ſimplicitèr ſuperari in gravitate malitiæ?

IN hac diſputatione littigium cum Ill. Godoy non habemus; nam peccatum ex ſpecie gravius poſſe à peccato inferioris ſpeciei ſimplicitèr ſuperari in gravitate malitiæ ratione circunſtantiarum non mutantium ſpeciem peccati, ſed illud intrà eandem ſpetiem aggravantium, eſt noſtra, & Ill. Godoy ſententia, quam optimè, & egregiè in præſenti propugnat; pro aliquali verò notitia, & intelligentia tranſcrivere ſufficiat exempla, quæ *num.* 14. adducit. Detractio enim ex ſpecie ſua inferior eſt homicidio; & tamen infamare totam aliquam familiam illuſtrem gravius peccatum eſt abſolutè, & ſimplicitèr homicidio hominis plebeij. Item: furtum ex ſpecie ſua inferius eſt homicidio; ſicuti bonum vitæ, quod per homicidium aufertur, eſt ſuperius bonis fortunæ, quæ per furtum aufertur; & tamen furtum totius ærarij publici gravius eſt abſolutè, & ſimplicitèr homicidio vnius hominis. Item: homicidium levius eſt ex ſpecie ſua, quam Sacrilegium, vtpotè, virtuti inferiori oppoſitum, nempè, iuſtitiæ, quæ inferior eſt Religione, cui opponitur Sacrilegium, & tamen mille homicidia maiorem malitiam habent, abſolutè, & ſimplicitèr, quam vnicum Sacrilegium, v.g. quam vnica ommiſsio Sacri: ergo peccatum inferius ex ſpecie infirma poteſt adeò ex circunſtantijs creſcere, vt prævaleat abſolutè, & ſimplicitèr peccato ſpecificè graviori.

*** *** *** *** *** ***

DIS-

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

An peccatum eo sit essentialitèr gravius, quo opponitur digniori virtuti?

§. Unicus.

Num. 1 *Explicatur difficultas.*

EX dictis disp. præced. (inquit Ill. Godoy *num.* 1.) manifestè colligitur, posse peccatum oppositum virtuti in fieri, gravitate accidentali ex circunstantijs desumpta, adeò crescere, vt simplicitèr excedat gravitatem substantialem peccati oppositi digniori virtuti. Quare in præsenti hoc in dubium non vocamus, sed solum loquimur de gravitate essentiali, quæ sumitur ex obiecto, an scilicèt eo ipso, quod peccatum aliquod digniori virtuti opponatur, excedat in gravitate essentiali quodvis aliud peccatum, oppositum inferiori virtuti?

2 *1. Concluſ.*

Duas conclusiones statuit Ill. Godoy, & easdem nos statuimus. Prima est: *Non omnia peccata, quæ sunt contra virtutem perfectiorem, sunt graviora peccatis, quæ sunt contra virtutem minus perfectam.* Probatur exemplis: Schisma est minus grave peccatum essentialitèr infidelitate; sed Schisma oponitur charitati, quæ est virtus præstantior fide, cui opponitur infidelitas: ergo non omne peccatum oppositum perfectiori virtuti, est essentialitèr gravius peccato oppositio virtuti non ita perfectæ. Item: peccatum bestialitatis est essentialitèr gravius peccato furti; sed opponitur castitati, quæ est virtus inferior ad iustitiam, cui opponitur furtum: ergo idem, quod anteà. Deniquè: homicidium, quod est contra iustitiam, gravius est essentialitèr, quam omissio sacri præcepti, quæ est contra Religionem; sed Religio est iustitia præstantior: ergo idem, quod prius.

Probatur exemplis.

3 *Probatur à priori.*

Probatur etiam à priori: actus vnius virtutis, quæ est in genere perfectior, potest excedi ab actu perfectiori alterius virtutis, quæ sit in genere imperfectior: ergo vnum peccatum, oppositum virtuti perfectiori, potest excedi essentialitèr à peccato, oppositio virtuti inferiori. Probatur antecedens: omnes species, & actus virtutis perfectioris non sunt perfectiores omnibus speciebus; & actibus virtutis inferioris: ergo, &c. Consequentia est legitima. Antecedens patet in naturalibus: nam si quantitas est genus perfectius qualitate, aliquæ sunt species qualitatis, nempè, virtutes, quæ sunt perfectiores quacumq; quantitate, & si qualitas est genus perfectius quantitate, aliqua species quantitatis, v.g. corpus, perfectior est aliqua specie qualitatis, nempè, figura.

4 *1. ratio huius doctrin.*

Ratio autem huius doctrinæ duplex esse potest. Prima: nam genus est sicut materia; & species sicut formæ; atqui contingit, quod perfectior materia habeat formam imperfectiorem, vt patet in materia Cœli, quæ secundum plures est perfectior materia hominis, & tamen forma Cœli est imperfectior forma hominis, scilicèt, anima rationali: ergo aliqua species generis perfectioris est imperfectior specie generis imperfectioris: Secunda: quia virtutes sunt principia actuum virtuosorum, & contingere solet, vt imperfectior potentia, seu principium eliceat perfectiorem operationem, v. g. voluntas (secundum Thomistas) imperfectior est intellectu, & tamen amicitia, quæ est actus voluntatis, perfectior est arte mechanica, quæ ad intellectum spectat.

Secunda.

5 *2. Cõcluſio.*

Secunda conclusio: *Peccatum, quod opponitur perfectiori rectitudini, aut virtuti, est gravius quodlibet alio, oppositio inferiori rectitudini, aut virtuti, cæteris paribus.* Ita Ill. Godoy *numer.* 16. sic explicans conclusionem: quia iustitia est virtus, castitate perfectior, & gravissimum peccatum ex illis, quæ iustitiæ opponuntur, est homicidium, minus autem gravia detractio, & furtum, etsi sodomia, quod est gravissimum omnium, quæ cas-

titati opponuntur, excedat in gravitate eſſentiali detractionem, & furtũ, ab homicidio tamen exceditur.

6 *Probat. à priori 1.*

Probatur primò à priori ex Scoto *in 2.diſt.21. quæſt.2. §.Exiſto patet*: peccatum eſt privatio rectitudinis debitæ: ergo qualis fuerit rectitudo, tale erit peccatum: ergo ſi rectitudo eſt omnium maxima; peccatum erit maximum omnium. *Secundò.* Secundò: actus virtutis, & peccatum opponuntur: ergo ſi actus virtutis eſt optimus, peccatum illi oppoſitum erit peſsimum. Conſequentia eſt Philoſophi 8. *Ethic. cap.* 10. dicente: *Sicut bono opponitur malum, ita optimo opponitur peſsimum.* *Tertiò.* Tertiò: perfectior potentia petit, vt actus perfectiſsimus illius excedat omnem actum potentiæ inferioris: ergo peccatum oppoſitum digniori virtuti petit eſſe gravius quocumque peccato oppoſito virtuti inferiori.

7 *Doctrina vtriuſque cõcluſionis declaratur*

Vndè gravitas peccati non cognoſcitur præciſsè ex virtute in communi; alioquin omne peccatum contra virtutem perfectiorem eſſet gravius quocumque peccato contra virtutem inferiorem, cuius oppoſitum docuimus concluſione prima. Cognoſcitur itaquè gravitas peccati ex gradibus, & actibus virtutum, quibus peccatum opponitur; ideòque peccatum, quod opponitur perfectiori actui virtutis nobilioris, gravius eſt, quam peccatum, quod opponitur perfectiori actui virtutis inferioris, v.g. odium Dei gravius eſt, quam infidelitas, & hoc voluit Scotus *in 2. diſt.37. §.Exiſta ſolutione*, cum dixit: *Peccatum, quod perfectiori rectitudini opponitur, eſt gravius ex genere ſuo*, cum quo tamen ſtat, quod infidelitas ſit peccatum gravius, quam odium proximi, quia hoc odium non opponitur perfectiori actui charitatis.

8 *Arguitur.*

Argumenta contra vtramque concluſionem ſolvit optimè Ill. Godoy, & ex dictis facilè ſolvuntur; contra ſecundam tamen poſſunt objicere Scotum *in 4. diſt.49. quæſt.5. §. Ad quæſtionem*, litt. E. dicentem: *Supremum infimæ ſpeciei, non poteſt æquari infimo ſuperioris ſpeciei, quia tota infima ſpecies eſt infrà totam ſpeciem ſuperiorem.* *Reſpond.* Reſpondetur, doctrinam Scoti veram eſſe communitèr in rebus naturalibus, de quibus loquebatur Scotus *citat.* ſcilicèt, de fruitione viæ, & patriæ; non verò in moralibus, in quibus non ſolum conſideratur entitas rei, ſed præcipuè moralis appreciatio in ordine ad fines humanæ vitæ. Notantèr dixi *communitèr*, nam vt diximus *num.4.* aliquando ſpecies inferioris generis perfectior eſt aliqua ſpecie ſuperioris generis, & hoc in via Thomiſtarum.

9 *1.Corollar.*

Ex dictis in diſcurſu diſputationis colligit primo Ill. God. *num.* 40: non eſſe eandem rationem de habitibus, ac de actibus vitioſis quoad exceſſum. Quod probat: nam habitus vitioſus adæquatè opponitur virtuti ſuperiori, excedítque omne vitium oppoſitum virtuti inferiori: ergo non eſt eadem ratio de habitibus, ac de actibus vitioſis. Procedit Ill. Godoy in corollario ex ſuppoſitione, quod habitus vitioſus ſit formalitèr malus in genere moris, quod apud nos eſt falſum, vt diximus *diſp.19.*

10 *2.Corollar.*

Secundò colligitur cum ipſo *numer.41*: quod ſi virtus aliqua ſit, cuius actus non differant ſpecie, ſed omnes ſint eiuſdem ſpeciei, omne peccatum, oppoſitum tali virtuti, eſſentialitèr excedit peccata omnia oppoſita virtutibus inferioribus. Quod patet: nam ſupræmum peccatum, oppoſitum virtuti ſuperiori, excedit omne peccatum oppoſitum virtuti inferiori; at tali virtuti vna ſola ſpecies peccati opponitur: ergo hæc eſſentialitèr excedit omne peccatum virtuti inferiori oppoſitum.

11 *3.Corollar*

Colligitur tertiò: ex peccatis oppoſitis vni, & eidem virtuti, illud eſt gravius, quod perfectiori actui talis virtutis opponitur. Sic Ill. Godoy *numer.42.* & ſic probat: nam privat perfectiori forma; vndè quia inter actus liberalitatis perfectius eſt dare, quam retribuere, gravius peccatum eſt avaritia, quæ opponitur actui largiendi, quam prodigalitas, quæ opponitur retentioni. Ratio eſt conformis ad dicta *num.6.& 7.* Et eſt noſtra, & Scoti opinio.

12 *Alitèr probat. maior gravitas in peccatis eidem virtuti oppoſitis.*

Alitèr alij in peccatis eidem virtuti oppoſitis gravitatem probant ex ſimilitudine ad virtutem oppoſitam, quod duplicitèr valet cognoſci. Primò: ex comparatione vtriuſque extremi cum ipſa virtute; vndè illud erit magis grave, quod fuerit minus ſimile virtuti, ex quo infert Ariſt. 2. *Ethicor. cap.* 8. quod avaritia, quæ magis diſtat à liberalitate, eſt maius pec-

ca-

catum, quam prodigalitas, quæ minus distat. Secundò ex comparatione vtriusque peccati ad nostram propensionem; vndè illud, ad quod sumus magis propensi, est minus peccatum. Pro cuius declaratione.

13 *Quomodo virtutes inclinent.*

Notandum est: quod virtutes dupliciter inclinant ad medium, in quo virtus consistit. Quædam enim inclinant, retrahendo voluntatem, v.g. tēperantia à delectationibus sensibilibus, & in his gravius peccatum est per excessum, quam per defectum, nan gravius peccatum est intemperantia, quam insensibilitas. Aliæ virtutes sunt, quæ inclinant ad medium quasi impellendo voluntatem, vt fortitudo ad aggrediendum pericula, & in his gravius peccatum est per defectum, quam per excessum; vndè maius peccatum est timiditas, quam audacia, & avaritia, quam prodigalitas. Et hæc de ista disputatione.

14

Restabat autem (concludit Ill. Godoy) an circunstantiæ aggravent peccati malitiam, & quomodo nocumentum debeat intendi ad hoc, vt tribuat gravitatem peccatis? Sed de his non agit, & ideò vestigia illius sequendo, hæc de isto tractatu dicta sufficiant.

o)(§)(o

TRACTATUS QUARTUS.

DE PECCATO ORIGINALI.

DISPVTATIO TRIGESIMASECUNDA.

An peccatum originale sit peccatum verè, & propriè?

§. Unicus.

Statuitur Catholica veritas, & resolvitur difficultas.

Num. 1 *De fide est dari peccatum originale.*

PEr peccatum originale intelligitur defectus, non actionis, sed quo natura humana redditur Deo exosa, & digna pœna damni, contrahiturque ab omnibus (sola Deipara excepta ex speciali privilegio) per naturalem generationem ab Adamo descendentibus. Dicitur originale, non quia sit origo cœterorū, sed vel quia origine, seu naturali generatione contrahitur, vel quia à prima nostra origine, idest, à primo nostro Parente illud contrahimus. Hoc peccatum dari, est dogma de fide, pluriès in scriptura repertum, à Patribus declaratum, & à Concilijs statutum; quod optimè probat Ill. Godoy, §. 1. & argumentis Hæreticorum occurrit § 2.

Hoc itaquè præmisso, vtpotè, de fide certo, examinandum venit: an iste defectus, per originem descendens ex Adamo, veram, & propriam rationem peccati obtineat? Et ratio dubitandi est: nam peccatum propriè tale debet esse propriè voluntarium; sed originale peccatum propriè voluntarium non est: ergo nec propriè peccatum. Maior, vt certa supponitur. Minor autem probatur primò: voluntarium debet à principio intrinseco procedere; sed peccatum originis non derivatur à principio parvulis intrinseco, cum ex peccato Adami illis conveniat: ergo, &c. Secundò: voluntarium debet esse in potestate illius, cui voluntarium dicitur, vt sit, vel non sit; sed peccatum

2 *Præcipua difficultas.*

Ratio dubitandi.

originis in potestate voluntatis parvulorum non est, vt sit, vel non sit: ergo illis non est voluntarium.

3 1. Cõclusio. Prob. ex Script. Conciliis, & Patribus.

Prima conclusio: *Peccatum originale est verè, & propriè peccatum.* Ita omnes ferè Theologi, cum quibus Ill. Godoy *num.* 33. Docent etiam Scripturæ, Concilia, & Patres, dum dicunt: Transfundi in posteros ex Adamo, non tantum peccati pœnam, quæ impropriè dicitur peccatum, sed verè transfundi peccatum. Sufficiat pro omnibus Concilium Tridentinum *Sess.* 5. *de peccato originali Canone* 5. definiens: *Per Baptismum tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet*: Ergo supponit evidenter, peccatum originale esse verè, & propriè peccatum.

4 Probat. 1. ratione.

Ratione autem probatur primò, & suppono: quod non tantum actuale peccatum, sed etiam habituale, dicitur verè, & propriè peccatum, quatenus est macula, quę post actum peccati relinquitur in anima, illamque constituit Deo inimicam; vndè sicut à peccato actuali denominatur quis propriè peccans; ita ab habituali dicitur propriè peccator. Suppono etiam: quod peccatum originale, vt docet Scotus *in* 2. *dist.* 32. comparandum est, non cum peccato actuali, cum non sit à nobis commissum cum actuali advertentia, & propria libertate, sed cum habituali relicto ex actuali peccato Adami, qui fuit caput omnium morale, à Deo constitutum. Quibus suppositis, probatur conclusio: ex peccato actuali cuiuscumque hominis relinquitur macula personalis, ipsum denominans verè, & propriè habitualitèr peccatorem: ergo ex actuali peccato Addami, à Deo constituti pro morali omnium capite, oritur in omnibus eius posteris macula originalis, ipsos denominans ab eorum origine verè, & propriè peccatores.

5 Probat. 2.

Probatur secundò conclusio: Adamus fuit caput totius naturæ humanæ: ergo peccatum illius fuit peccatum capitis; sed peccatum Adæ fuit verè, & propriè peccatum: ergo & peccatum membrorum fuit verè, & propriè peccatum. Atqui hoc est originale peccatum: ergo peccatum originale est verè, & propriè peccatum. Antecedens, & consequentia, & prima sumpta patet. Consequentia huius probatur: actiones capitis, vt caput est, dicuntur verè, & propriè de membris, vt claret in naturalibus, & præcipuè in moralibus; nam quod facit Rex, vt caput reipublicæ, tota respublica censetur facere: ergo peccatum membrorum fuit verè, & propriè peccatum.

6 Probat. 3.

Probatur tertiò: quod est alicui voluntarium voluntate capitis, verè, & propriè est illi voluntarium; sed peccatum originale est voluntarium parvulis voluntate capitis, nempè, Adami: ergo verè, & propriè est illis voluntarium: ergo verè, & propriè est peccatum. Probatur maior primo exemplo philosophico: percussio, quã exequitur manus, verè, & propriè dicitur, & est voluntaria manui; cum propriè dicatur manum peccare, etsi non sit illi voluntaria propria voluntate, quam manus non habet, sed voluntate totius suppositi residente in capite: ergo, &c. Mai. prob. 1.

Probatur secundò dicta maior exemplo ex moralibus deducto: vt aliquis obligetur ad aliquid faciendum ex voto, requiritur, quod votum sit illi verè, & propriè voluntarium, vt communitèr Theologi fatentur; atqui obligatio voti oriri potest ex voluntario, non voluntate propria, sed voluntate capitis: ergo voluntarium hoc modo verè, & propriè est voluntarium. Votum namq; à capitibus reipublicæ emissum ieiunandi, v.g. ad honorem alicuius sancti, vel vacandi ab operibus in aliquo die, obligat omnes illius reipublicæ Cives, etiam si aliquis emissionem voti renuerit; atqui tale votum in illo casu non est voluntarium, nisi voluntate capitis; potest ergo oriri obligatio ad aliquid faciendum ex voto, ex voluntario solũ voluntate capitis. 7 Secundò.

Tertio probatur alio exemplo: obligatio ex contractu nequit oriri, nisi contractus voluntarius sit propriè; atqui potest aliquis obligari ex contractu voluntario voluntate aliena, curatoris nempè, aut tutoris à Rege constituti: ergo idem, quod prius. Probatur minor: nam si Rex, vel respublica alicui pupillo curatorem, seu tutorem constituit, contractus celebrati à tutore nomine pupilli obligant, non solum curatorem, sed etiam pupillum, ex eo, quod respublica, aut Princeps transtulit vo- Tertiò.

lun-

luntatem pupili in tutoris voluntatem: ergo vt Iuris peritis est notum, ex contractu voluntario aliena voluntate oriri potest obligatio.

8 *Deniq; probat. concl.*

Ex his denique probatur conclusio: quilibet homo potest suum consensum in alterius voluntatem transferre, ita, vt quod alter gesserit, & ab ipso voluntariè factum censeatur: ergo id etiam potuit efficere Deus. Probatur cõsequentia: quia Deus non minus, imo magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi nostras: ergo si ob potestatem, quam nos supra nostras voluntates habemus, id præstare possumus, ob eandem rationem id poterit Deus. Quo argumento, etsi Catholica sententia non demonstretur positivè; negativè tamen satis vrgentèr monstratur, hoc est, ostenditur satis efficacitèr, non convinci falsitatis argumentis contrarijs, & ad illorum solutionem perspicua aperitur via.

9 *2. Cõclusio.*

Secunda Conclusio: *Peccatum originale vnivocè convenit in ratione peccati cum actuali.* Hanc conclusionem tuetur etiam Ill. Godoy *num.* 43. Et brevitèr hac ratione probatur: tàm peccatum originale, quàm actuale, sunt verè, & proprie peccatum: ergo ab vtroque abitrahibilis erit ratio communis, in qua conveniant vnivocè. Hanc consequentiam probat ipse *num. citat.* est tamen, supposito antecedenti, mihi evidens iuxta dicta in methaphisica de vnivocatione entis, & hoc docet Mastrius cum Doctore *in 2. disp. 6. quæst. 9. num. 260.*

Probatur.

10 *Variæ, & bonæ solutiones ad rationẽ dubitandi.*

Ad rationem dubitandi respondent plures Theologi, & omnes benè, si benè intelligantur, quidquid dicat Ill. Godoy, qui §. 5. respondet, & benè etiam. Sed pro clariori solutione noto primò: quod voluntarium est duplex. Vnum directum, & explicitum, quod requiritur ad bonum; aliud indirectum, implicitum, & interpretativum, quod sufficit ad malum, vt diximus *disp. 26. num. 9.* Hoc voluntarium indirectum subdividitur in voluntarium propriè, & magis propriè. Voluntarium propriè est, quod non requirit actualem voluntatis influxũ, sed sufficit, vel quod ab illa per actum proprium aliquando processerit, quomodo peccatũ habituale dicitur voluntarium; vel quod competat ex vi actus voluntatis alienæ, nempè, capitis, quomodo originale peccatum dicitur voluntarium, non in se, sed in alio. Voluntarium magis propriè est, quod petit actualitèr procedere à voluntate, & hoc modo peccatum solũ actuale est voluntarium, non in alio, sed in se.

Pro clariori solutione noto 1.

Notto secundò: quod si loquatur de voluntario directè, & explicitè, nullum peccatum est voluntarium, imò hoc omni peccato repugnat; præsupponitur tamen ad quodlibet peccatum, vt constat ex dictis *disp. 26. num. 9. & 10.* Vndè loqui debemus de voluntario indirectè, quod omni convenit peccato; diverso tamen modo; nam habituali, & originali competit solum propriè; actuali verò magis propriè; quia magis propriè voluntarium est, quod petit actualem voluntatis influxum, quam quod illum non petit. Et hoc est, quod pro sua solutione advertit Ill. God. *num. 54.*

11 *Notto 2.*

Ex quibus ad rationem dubitandi in forma respondeo negando minorem, ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: voluntarium debet à principio intrinseco in se, vel in alio procedere, concedo maiorem; in se præcisè, subdistinguo: voluntarium magis propriè, concedo maiorem; propriè præcisè, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Ad secundam distinguo maiorem: voluntarium magis propriè debet esse in potestate illius, cui voluntarium dicitur, concedo maiorem; propriè tantum, nego maiorem; & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Solutio constat ex dictis, & hæc est in rei veritate, qua vtitur Ill. Godoy *num. 55. & 56.* & clarius *num. 87. & 88.* vt videbimus *infrà num. 19. 20. & 21.* Est etiam D. August. *lib. de Nuptijs, & Concupiscentia, cap. 28.* neque alia ratio voluntarij magis propria requiritur ad peccatum originale, cum hoc in parvulis non sit peccatum actionis, sed naturæ defectus, vt diximus *num. 1.* fatenturque omnes Theologi, & explicat D. Anselm. *Opusc. de Conceptu Virginali, cap. 22. 23. & 27.*

12 *In forma respond.*

Hæc est Scoti solutio *in 2. dist. 32. §. Ad argumenta quæstionum per ordinem*, vbi solvendo primum argum. quæstionis primæ *dist. 30.* quod sic se habebat: *Peccatum ex August. de Vera Religione adeò voluntarium est, vt si non*

13 *Solutio est Scoti.*

eſt voluntarium, peccatum non dicitur; Sic reſpondet: *Ad 1. dico, quod voluntarium poteſt accipi, vel pro eo, quod eſt in voluntate, vel prout communiter ſummitur, & magis propriè, pro eo, quod eſt in voluntatis poteſtate, vt eſt activa. Primo modo iſtud peccatum poſſet dici voluntarium, quia ipſum, ſicut quodlibet peccatum, eſt in voluntate: : : Secundo modo dico, quod peccatum non oportet eſſe voluntarium ipſi habenti, ſed ei, vel alij, ſcilicèt, à quo contrahitur iſtud peccatum, & vtrumque ſufficit Auguſtino contra Manichæos.*

14 Deinde ſolvendo ſecundum argumentum quæſtionis, *& diſt. citat.* quod ſic procedebat: *Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt ex Auguſt. 3. de libero arbitrio.* Sic reſpondet: *Ad illud de libero arbitrio dico, quod peccare poteſt eſſe, vel elicere actum peccandi, vel habere peccatum. Primo modo poteſt concedi illa Authoritas, quia parvuli non eliciunt actum peccandi, quia illud peccatum non eſt eis actuale, ſed tantum contractum à parentibus. Secundo modo propoſitio eſt falſa, niſi intelligatur in generali, ſic in eo, quod nec in ſe ipſe vitare poteſt, nec in illo, per quem contrahit peccatum, & ſecundum falſum eſt in propoſito; & iſta propoſitio ſic disiunctivè vera ſufficit Auguſtino contra Manichæos, ſicut prius.*

15 *Reijcit 1. Ill. Godoy.* Hanc Scoti doctrinam duplicitèr impugnare connatur Ill. Godoy. Primo eam reijcit *num. 47.* eo, quod aſſerat, peccatum originale eſſe in voluntate vt ſubiecto, cuius contrarium promittit oſtendere *infrà*, nēpè, *diſp. 37.* vbi de ſubiecto culpæ originalis agit. Hoc tamen non eſt ad rem, quia quod voluntas, vel anima ſit ſubiectum peccati originalis, nihil conducit ad hoc, quod peccatum originale ſit, vel non ſit, verè, & propriè peccatum, vndè ſuperflua eſt prædicta impugnatio. Deindè: quia quod voluntas ſit ſubiectum peccati originalis, oſtendemus contra Ill. Godoy *diſput. citat.* vbi falſitas opinionis illius, & veritas ſententiæ Scoti apparebunt.

Impugnatio hæc ſuperflua, & falſa eſt.

16 *Reijcit. 2.* Reijcit ſecundò *num. citat.* nam id, quod eſt propriè peccatum, propriè debet eſſe voluntarium illi, qui denominatur peccator, aut peccans, & non ſolum alteri, à quo procedat; aliàs ex peccatis Parentum, filij ab ipſis procedētes, peccatores evaderent, quod falſiſsimum eſt; atqui ſolum voluntarium ſecundo modo, eſt propriè voluntarium: ergo peccatum originale debet parvulis illo modo voluntarium eſſe, & non ſolum principio, ex quo trahunt originem. Probat minorem: nam ſi ad rationem voluntarij in propria acceptione ſufficeret, eſſe in voluntate, vt ſubiecto, ſequeretur, charitatem infuſſam à Deo eſſe voluntariam hominibus, etiam ſi nulla diſpoſitio in illis præcedat; conſequens eſt falſum: ergo ad rationem voluntarij in propria acceptione non ſufficit, eſſe in voluntate, vt ſubiecto, ſed vlteriùs requiritur, egredi ab illa, & eſſe in poteſtate illius.

17 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò diſtinguendo maiorem: quod eſt propriè peccatū, propriè debet eſſe voluntarium illi in ſe, vel in alio, concedo maiorem; in ſe præcisè, nego maiorem; & diſtinguo minorem: ſolum voluntariū ſecundo modo eſt propriè, & magis propriè voluntarium, ſeu voluntarium in ſe, concedo minorem; eſt propriè præcisè voluntarium, ſeu voluntarium in alio, nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem minoris diſtinguo maiorem: ſi ſufficeret, eſſe in voluntate, vt ſubiecto præcisè, concedo maiorem; ſuppoſitis ſupponendis, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaquè, quando Scotus ait: peccatum originale eſſe voluntarium, quia eſt in voluntate, vt ſubiecto, non eſt intelligendus, quia eſt in voluntate præcisè, ſed debet ſupponi, quod ſit in illa, ſic, quod vel ab illa per actum proprium aliquando proceſſerit, vt peccatum habituale; vel quod ſit in illa ex vi actus voluntatis alienæ, nēpè, capitis, vt eſt originale peccatum, quod nullatenus habet locum in charitate à Deo infuſſa.

18 *Reſpond. 2. retorquēdo ad homin. contra ipſum.* Reſpondeo ſecundò retorquendo ad hominem contra Ill. Godoy: voluntarium ſecundo modo, ſcilicèt, pro eo, quod eſt in poteſtate voluntatis, vel ab illa procedit, eſt dumtaxat propriè voluntarium; atqui peccatum originale non eſt parvulis hoc modo voluntarium: ergo peccatum originale non eſt parvulis propriè voluntarium. Legitima eſt conſequentia. Maior eſt propoſitio, quam contra Scotum adducit in ſecunda repli-

ca. Minor verò pro vtraque parte est ipsius, cuius verba transcrivo.

19 *Verba Ill. God.*

Nam *num.* 54. in secunda advertentia hæc ait: *Ad originale verò, cum non sit propria voluntate commissum, aliàs non originale, sed personale peccatum esset, non exigitur, quod sit voluntarium parvulis talitèr, quod ab illis per actum propriæ voluntatis præcesserit, sed sufficit, quod competat illis ex vi actus voluntatis alienæ, capitis, nempè, quæ tamen voluntas illorum aliquomodo reputetur*: ergo voluntarium acceptū pro eo, quod à propria voluntate procedit, non convenit parvulis respectu peccati originalis. Deindè *numer.* 56. ait: *Itaquè voluntarium personale desiderat, quod sit in potestate voluntatis propriæ illius, cuius voluntariū dicitur; voluntarium verò capitale (vt sic loquar) id non exposcit, sed potius oppositum; petit namquè, quod voluntarium sit, non voluntate propria, sed voluntate capitis, & consequentèr poscit, quod non sit in potestate voluntatis propriæ illius, cuius voluntarium dicitur, sed solum in potestate voluntatis capitis continentis moralitèr membrorum voluntatem, & quæ illorum reputetur*: ergo sumpto voluntario pro eo, quod est in potestate voluntatis, peccatū originale non est parvulis propriè voluntarium. Ad quid igitur solutionē Scoti reijcit, si suam solutionem impugnat? Ad quid iacula in Scotum proijcit, si iaculis se ipsum interimit?

20 1. *Corollar.*

Ex dictis in discursu huius dubij colligitur primò cum Ill. Godoy *numer.* 87: parvulos, etsi non in se ipsis, in Adamo tamen potuisse vitare peccatum. Vndè in illis etiam verificatur illud commune principiū in moralibus: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.* Probatur: Adamus potuit peccatum hoc, prout caput, vitare, alias non peccaret, vt caput naturæ: ergo parvuli in ipso potuerunt etiam hoc peccatum vitare. Tenet consequentia ex dictis.

21 2. *Corollar.*

Colligitur secundò: de parvulis verè affirmari, legem prævaricasse. Sic etiam Ill. Godoy *numer.* 88. quod probat ex eodem principio: Adamus, vt caput illorum, legem prævaricavit, aliàs non peccasset, vt caput, peccato actuali, iuxtà illud Pauli ad Romanos: *Vbi non est lex, nec prævaricatio*: ergo parvuli etiam legem prævaricaverunt in capite; nam quidquid Adamus, vt caput, commisit, ipsi etiam commisserunt in capite. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 2. distinctione trigesima prima, §. 2.* ad illa verba: *Non igitur secundum animam, sed secundum carnem.* Et §. 5. ad illa verba: *Natura quippè humana, &c.*

Mag. Sent.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA.

An, vt Adami peccatum nobis voluntarium esset, pactum aliquod intervenire, fuerit necessarium?

§. Unicus.

Resolvitur difficultas.

Num. 1 1. *præsupposítum.*

CErtum est primò: quod vt Admi peccatum nobis imputaretur, necessaria fuit Divina ordinatio, qua constitueret Adamum caput morale suæ posteritatis, & in eo illius posteros obligare statueret. Ratio est: nam vt peccatum Adami nobis, imputaretur, necessàrium fuit, quod esset caput nostrum morale; at hoc non habebat Adamus ex natura sua; aliàs etiam quilibet Parens esset caput morale descendentium ab ipso: ergo debuit intervenire Divina ordinatio. Probatur maior: non sufficiebat ei, quod esset caput posterorum in esse naturæ, seu caput naturale; aliàs peccata Parentum proximorum filijs imputarentur, & ex ipsis maculam peccati filij contraherent, cum quilibet sit caput suæ pos-

Probatur.

teri-

teritatis in esse naturæ, illam in se virtualiter, & in radice continens: ergo debuit esse vltra hoc caput posteritatis continens in se, non solum naturam, verum etiam posterorum voluntates moraliter.

2 *Secundum.*

Secundò certum est: quod ad id, de quo est dubium, non fuit necessarium, pactum intervenire cum vtriusque partis consensu ad modum contractuum humanorum, & sic ostenditur: nam Deus iure supræmi dominij, quo gaudet in omnibus, potest vnúquemque, etiam non consentientem, imò, & reluctantem, suis legibus obligare: ergo ratione supræmi dominij supra Adamum, & totam naturam, potuit Adamum caput morale posterorum constituere, illumque, & in illo omnes posteros, etsi non consentientem, imò, & reluctantē obligare.

Probatur.

3 *Punctus difficultatis.*

His ita suppositis tota difficultas devolvitur ad hoc: an, videlicèt, necessaria fuerit Divina ordinatio, quæ pacti nomen, & conditiones obtineat? In qua omninò vniformitèr nos, & Ill. Godoy procedimus, sentiendo, pactum de facto interveniſſe, & fuiſſe necessarium, vt ex Adamo ad posteros culpa originalis descenderet. Quā sententiam tribus conclusionibus cū Ill. Godoy explico.

Nostra sententia.

4 1. *Concluſ.*

Prima conclusio: *Vt Adami peccatum nobis imputaretur, necessarium fuit, quod ordinatio prædicta illi innotesceret.* Conclusionem optimè probat Ill. Godoy *num.* 4: vt nobis esset voluntariū Adami peccatum, necessarium fuit, quod delinquerit Adamus, ne dum vt particularis persona, verum etiam vt caput; at nisi illa ordinatio innotesceret Adamo, non delinqueret vt caput, sed solum vt particularis persona: ergo vt nobis imputaretur illius peccatum, necessaria fuit in illo dictæ ordinationis notitia. Discursus tenet. Maior constat ex dictis *disput. præced.* & ex se est satis nota, aliàs omnia peccata, quæ perpetaret Adamus, vt particularis persona, imputarentur posteris. Minor autem ostenditur primò: nisi Adamus sciret, se esse obligatum aliqua lege, vt particularis persona, non posset, vt persona particularis peccare: ergo paritèr.

Probatur.

Prob. min. 1.

Secundò.

Secundò: hoc ipso, quod Adamus delinquat, vt caput, necessariò delinquit gravius, cæteris paribus, quam si vt particularis persona peccaret, vt patet; atqui hæc maior gravitas nequit ipsi imputari, nisi sit voluntaria, nec potest illi voluntaria esse, nisi sit cognita; circustantia namque nullo modo prævisſa, nec cognita, nequit imputari: ergo vt tanquam caput delinqueret, necessarium fuit, vt cognosceret Dei ordinationem, qua fuit constitutus caput suæ posteritatis.

Secunda conclusio: *Dicta ordinatio obtinuit de facto rationem pacti impliciti de transfundenda originali iustitia, si in legis obedientia persisteret; secus si illi inobediens existeret.* Ita Ill. Godoy *num.* 8. & patet ex *cap.* 6. Osee, vbi dicitur: *Ipsi autem sicut Adam, transgressi sunt pactum, vbi prævaricati sunt in me.* Quem locum Patres passim intelligunt de pacto, quod in Paradiso fumus transgressi: ergo dicere debemus, dari talem pactum.

5 2. *Conclusio*

Patet ex Scriptur.

6 *Prob. ratione.*

Probatur etiam ratione: ordinatio Dei de transfundenda, aut non transfundenda originali iustitia, sub conditione adimpletionis legis ab Adamo cognita, & virtualitèr consentiente, est pactum implicitum ex parte Adami; at hæc omnia competunt Divinæ Dei ordinationi: ergo obtinet rationem pacti, saltim impliciti. Maior cum consequentia tenet. Minor autem pro eo, quod ad Deum attinet, nempè, quod Deus id statuerit, est communis omnium consensus. Quod verò Adamo manifestum fuerit, constat ex dictis *num.* 4. & claret ex illo Genes. 2: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.*

7

Quod deniquè Adamus virtualitèr, & implicitè cōsensum præbuerit, in hunc modum ostendo: virtualitèr namque implicitè consentire, nihil est aliud, quam ordinationi cognitæ non dissentire; atqui Adamus Dei ordinationem cognovit, vt constat ex dictis, illique non resistit: ergo virtualem, & implicitum consensum præbuit. Minorem ostendo sic primò: nam voluntati efficaci Dei ab ipso manifestatę resistere, peccatum est; at tunc non peccavit: ergo Dei ordinationi non resistit. Secundò: nam dicta ordinatio valdè congrua, & vtilis erat Adamo, & toti naturæ; cum namque posset illam ab omni supernaturali dono destitutam pro sua voluntate creare, favor Dei maximus erat factus toti naturæ, illam ad supernaturalem ordinem tot donis

cre-

evehere, etsi subconditione, de non comedendo posita à Deo: ergo est incredibile, Adamum obstitisse ordinationi, ita maximè sibi, & toti naturæ faventi.

8

3. *Conclus.*

Tertia conclusio: *Etsi non sit certum, Adamum expræssum consensum præbuisse; id tamen est satis probabile, & consequentèr pactum ex vtraque parte explicitum interveniss.* Sic Ill. Godoy *num.* 11. & probatur prima pars: nam consensus expræssus nec fuit necessarius ex dictis *num.* 2. nec est revelatus, nec ex revelatis potest certò colligi: ergo certum non est, Adamũ præbuisse expręssum consensum. Secunda pars probatur primò: nam admisso expręsso consensu ex parte Adami, magis rigorosè salvatur pactum statutum *num.* 5; sed aliàs nullum est incoveniens in admisione illius, quia nullibi est revelatus: ergo probabilitèr satis defenditur expræssus Adami consensus. Secundò: quia prædicta ordinatio est valdè vtilis Adamo, & toti naturæ ex dictis *num.* 7: ergo connaturalius est, illi positivè consentire; & non solum non resistere.

1. *pars probat.*

2. *pars probat.* 1.

Secundò.

His deniquè addo: *Pium esse credere: Adamum expræssè acceptasse pactum, seu expræssum consensum præbuisse.* Hoc non exprimit Ill. Godoy, sed satis ex dictis, quæ sua sunt, colligitur, & probatur: pium est credere, Adamum habuisse, quod sibi, & illius statui perfectius erat; atqui Adamum præbuisse expræssum consensum, erat sibi, & illius statui perfectius: ergo pium est credere, talem consensum præbuisse. Consequentia est legitima. Maior certa. Minor autem pro prima parte patet ex eo, quod erat actus virtuosus, quo gratũ se gerebat erga Dum. Pro secunda ex eo claret; nam consensus expręssus perfectior est in genere moris implicito consensu, & consequentèr perfectior statui Adami, tot supernaturalibus donis conditi.

9

Pium est credere, Adamum expræssum cõsensum præbuisse.

)(§)(

DISPVTATIO TRIGESIMAQUARTA.

An potuerit Adamus constitui caput morale illorum, quorum non esset caput naturale, etiam si extra causas existerent?

IN hac difficultate (sic incipit Ill. Godoy) vnum supponimus, in quo omnes conveniunt, & aliud in discrimen vocamus: supponimus quidem, de facto solum fuisse caput morale illorum, quorum etiam fuit caput in ratione naturæ, & qui in eius lumbis fuerunt contenti, quod satis constat ex eo, quod peccatum, quod de facto secundum istum rerum ordinem homines ex Adamo contrahunt, dicitur, & est peccatum originale; at peccatum, quod quispiam traheret ex Adamo, ab illo per naturalem propagationem non descendens, originale peccatum non esset; cum idcirco originale peccatum dicatur, quia per generationem traducitur: ergo solum fuit Adamus constitutus caput morale illorum, quorum etiam fuit caput in ratione naturæ. Quod igitur in dissidium vertimus, est: An de potentia absoluta potuerit constitui à Deo Adamus, vel quilibet alius caput morale aliquorum, qui in ipso physicè non continerentur; ita, vt istorum voluntates in eius voluntatem transferrentur, & consequentèr in illo peccarent, quamvis extra causas existerent, quando caput delinqueret?

Quo in sensu cum illo convenimus in affirmativa sententia, quam optimè probat *num.* 8. & optimè per sequentia propugnat, argumentaque in oppositum optimè solvit. Nec hæc opinio est contra Scotum *in* 2. *dist.* 32. *§. Circà secundum, & Tertium dubium,* asserentem cum D. Anselmo *cap.* 19. quod formatus miraculosè ex humana carne non contraheret originale peccatum. Nec contra D. Thomam idem asserentem *quæst.* 81. *art.* 4. Nec contra D. August. *in Psalm.* 84. dicentem: *Non ea peccata Parentum pertinent ad filios, quæ faciunt Parentes, iam natis filijs,* quia omnes hi lo-

cun-

cuntur ſolum de facto. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 2. diſt. 30. §. 11.* ad illa verba: *Ad hoc autem, quod diximus in Adam fuiſſe omnes homines.* Et §. 2. vbi dubium reſoluit. Et *diſt. 31. §. 3.* ibi: *Caro enim per peccatum corrupta fuit in Adan.*

DISPUTATIO TRIGESIMAQUINTA.

Quæ ſit cauſa efficiens peccati originalis?

§. I.

Status difficultatis apperitur.

Num. 1 *Cauſa finalis peccati originalis.*

CVm exiſtentia originalis culpæ nequeat ſufficienter cognoſci, cauſis illius non cognitis, in examen vocat Ill. God. quam, & qualem efficientem cauſam habeat originalis culpa? Et licèt habeat etiam alias cauſas, nempè, ſubiectivã, de qua agit *diſp. 37.* formalem, de qua diſputat *diſp. 36.* & finalis, de qua non eſt dubium, eſſe illam, quam habuit Adamus in legis tranſgreſsione, videlicèt, aſsimilari Deo in ſcientia boni, & mali, iuxtà illud: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*; ideo in præſenti ſolum de cauſa efficiente ſermonem inſtituit.

2 *Peccatum Adami eſt cauſa efficiens moralis originalis culpæ.*

Circà quod duo ſunt apud omnes certa. Primum eſt: Adami peccatum eſſe cauſam efficientem moralem originalis culpæ. Patet primo: nam peccatum originale habere debet aliquam cauſam efficientem moralem; ſed non Deus, cui cauſalitas quæcumque peccati repugnat: ergo debet eſſe creatura deficiens. Atqui non illa, quæ originali peccato inquinatur; cum hæc nullum peccatum propria voluntate commiſerit, nec alia, quæ non fuerit caput naturæ: ergo neceſſariò fatendum eſt, Adami peccatum eſſe cauſam efficientem moralem culpæ originalis. Secundò: quia ſic ad originale peccatum comparatur peccatum actuale capitis, ſicuti actuale peccatum propria voluntate commiſſum ad habituale perſonale; at actuale peccatum eſt cauſa moralis habitualis perſonalis: ergo actuale capitis peccatum eſt moralis cauſa peccati originalis.

3 *Dices.*

Dices: peccatum actuale Adami modo non eſt; cum ſit iam remiſſum ergo nequit modo eſſe cauſa efficiens moralis peccati originalis. Conſequentia patet: nam ad eſſe cauſam moralem, moralis exiſtentia requiritur, ſicuti ad Philicam Philica. Reſpondet Scotus *in 2. diſt. 32. §. Ad argumenta queſtionum per ordinem, ℣. Reſpondeo: Quod ſicut meritum, quod tranſit in ſe, manet tamen in ſcientia, & acceptatione Divina, quia ita præmiat pro eo, ac ſi eſſet præſens; ita cum demeritum tranſit quantum ad actum, manet tamen in ſententia Divina, quia ita punit pro eo, ac ſi eſſet præſens.* Ex cuius doctrina reſpondeo ſecundo, & in forma diſtinguendo antecedens: peccatum actuale perſonale Adami modo non eſt, concedo antecedens; peccatum perſonale habituale, nego antecedens; quia vt tale manet in ſcientia Divina, ſicque eſt cauſa moralis peccati originalis, ex quo nego conſequentiam.

Reſpond. 1.

Secundò.

4 *Inſtabis.*

Inſtabis: peccatum Adami fuit vnicum: ergo ſi vt perſonale non manet modo moralitèr, nec vt habituale manebit. Nego conſequentiam, & clara paritate convincitur: nam ſicut omnes filij illius, qui crimen læſæ Maieſtatis commiſit, dicuntur infecti parentis crimine, ita nos infecti ſumus proprio peccato, ex Adæ peccato tranſfuſo; nam ſicut omnes ab illo recepimus naturam, & iſta in illo fuerit maculata crimine, ita nos recipimus ab illo naturam, eodem crimine maculatam. Vndè ſicut crimen læſæ Maieſtatis manet moralitèr, etſi vt peccatum actuale perſonale ſit remiſſum, non obſtante vnitate peccati; ita

Reſpondeo.

non

non obstante vnitate peccati Adami, manet moraliter peccatum vt habituale, etsi vt actuale personale remissum sit.

5 *Culpa originalis per generationem ad nos derivatur.*

Secundò omnes Theologi conveniunt in eo, quod originalis culpa per generationem ad nos derivatur, abstrahendo à modo concursus, quē generatio præstat ad illius transfusionem, quæ suppositio ex originalis peccati nomine satis colligitur: nam id circò originale peccatum vocatur. His ita statutis.

6 *Tres difficultates.*

Triplicem difficultatem movet Ill. Godoy in præsenti. Prima est: An primus Parens suo primo peccato, nedum moraliter, verum etiam tanquam physica causa ad originalis culpæ traductionem concurrat? Secunda: An supposito, quod sit causa moralis, demeritoriè se habuerit, vel respectu peccati, vel ad minus respectu aliorum, quæ in renatis sortiuntur rationem pœnæ. Tertia: An causa traductionis culpæ fuerit primum peccatum Adæ, quia primum; & consequentèr, si quodvis aliud primo committeret, & non aliud, quod de facto fuit primum, verè ad nos descenderet; an verò non quia primum, sed quia tale, nempè, contra præceptum de non comedendo de ligno prohibito, transfusionis causa extiterit; & consequentèr si non illud, sed aliud peccatum primò commiteret, ad nos per originem non derivaretur? Hanc triplicem difficultatem triplici conclusione resolvit Ill. Godoy, & triplici etiam resolvemus.

§. II.

Resolvitur prima pars disputationis.

7 1. *Concluſ.*

CIrcà illam nostra conclusio sit: *Peccatum Adami non est causa physica transfusionis culpæ originalis.* Ita maior pars Theologorum, cum quibus etiam Ill. Godoy *num.* 8. & hac brevi ratione probatur: peccatum actuale Adami non exiitit modo: ergo nequit physicè efficientèr in originale peccatum influere. Antecedens est indubitatum. Consequentia verò est Scoti, & ferè omnium Philosophorum asserentium: ad physicam causalitatem requiri existentiam physicam. Hoc pro hac parte disputationis, in qua cum Ill. God. convenimus, sufficiat, reliquaq; in ipso videantur.

Probatur.

§. III.

Resolvitur secunda pars disputationis, & argumento Ill. God. occurritur.

8 2. *Concluſ.*

PRo illius decisione sit secunda conclusio: *Peccatum actuale Adami fuit causa demeritoria peccati originalis nostri, sumpti formaliter, & aliorum, quæ in nobis obtinent rationem pœnæ.* Conclusio pro prima parte est contra Ill. Godoy *num.* 24. Pro vtraque tamen est Scoti *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 2. §. *Ad quæstionem tertiam.* Ex hac duplici parte conclusionis, prima, in qua litigium habemus, latiùs debebat ab ab ipso disputari, quam secunda, in qua convenimus, cuius oppositum facit; sed nos, quod debet fieri, faciemus.

1. *pars est contra Ill. Godoy.*

Et vt hoc meliùs exequamur, à secunda incipimus, quæ licèt ex prima satis constabit, hac brevi ratione suadetur: mors corporalis, & alij defectus consecuti ex peccato, & pœna damni, qua puniuntur Infantes, qui sine Baptismo ex hac vita decedunt, sunt pœna alicuius peccati, non actualis, propria voluntate commissi: ergo capitalis, quod Adamus, vt caput, commisit, & nos etiam commisimus in illo, & consequentèr tale peccatum demeritoriè ad illa concurrit cum pœna, in quantum talis correspondeat demerito.

9 2. *pars probat.*

Vt autem primam partem conclusionis contra Ill. Godoy ostendamus. Notto primò: Pœnam dupliciter posse accipi, nempè, strictè, & latè. Ad pœnam strictè sumptam quatuor conditiones requiruntur ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 87. *artic.* 1. Et ex Scoto *citat.* Prima: quod sit restaurativa ordinis perversi à culpa. Secunda: quod sit iustà, & ad finem iustitiæ conducens. Tertia: quod licèt sit mala patienti, sit tamen bona bono communi, ordini vniversi, & Legislatori. Quarta deniquè: quod sit à Deo volita; nam est effectus iustitiæ vindicativæ. Pœna latè accepta, est quodcumque incommodum, vel detrimentum. Notto secundò: quod nostrum originale peccatum est effectus peccati Adami ex natura rei supposito pacto, sicut peccatum habituale est effectus peccati actualis. His notatis.

10 *Notta* 1.

Prima pars nostræ conclusionis

11

pro-

1. *pars concluſ. prob. 1 à priori.*

probatur primo à priori: quod moraliter influit in peccatum, eſt cauſa demeritoria peccati; ſed actuale Adami peccatum influit moraliter in noſtrum originale, formaliter ſumptum; cum ex voluntate Adami pendebat transfuſio illius formaliter accepti: ergo peccatum actuale Adami fuit cauſa demeritoria peccati originalis noſtri, formaliter ſumpti. Probatur ſecundò ad hominem contra Ill. Godoy: noſtrum peccatum originale, formaliter ſumptum, habet aliquam cauſam efficientem moralem, & conſequenter demeritoriam; ſed non aliam, quam peccatum actuale Adami: ergo. Conſequentia eſt legitima. Præmiſſæ autem ſunt ipſius *numer.* 2. cuius rationes tranſcripſimus *num.* 2. ex ipſiſque contra ipſum (ni fallor) apparet inconſequentia valdè notoria.

Probat. 2. ad homin. contra ipſum.

12 *Probat. 3. deſtruendo vnicũ fundam. Ill. God.*

Tertiò probatur deſtruendo vnicum fundamentum Ill. Godoy: peccatum actuale, acceptum formaliter, poteſt eſſe pœna alterius peccati, pœna latè acceptà, ſeu pro incommodo peccatoris: ergo peccatum originale, acceptum formaliter ſub ratione peccati, potuit eſſe pœna peccati actualis Adami, pœna latè ſumpta: ergo peccatum actuale Adami potuit eſſe cauſa demeritoria peccati originalis noſtri, ſumpti formaliter. Antecedens probatur primò: carentia boni convenientis alicui ſubiecto, eſt pœna latè ſumpta, ſed peccatum actuale, acceptum formaliter, eſt carentia boni convenientis: ergo eſt pœna latè ſumpta: ergo, &c. Vtraque conſequentia eſt legitima. Minor omnibus apparet. Maior autem conſtat ex diffinitione pœnæ latè ſumptæ. Secundò: propter demeritum vnius peccati poteſt Deus, negando auxilium efficax, permittere, vt cadat homo in aliud peccatum in pœnam prioris; nullum enim in hoc inconveniens reperitur: ergo idem, quod prius.

13 *Quartò.*

Probatur quartò eadem pars concluſionis: carentia boni commodi formaliter accepta, eſt pœna ſubiecto, cui ineſt: ergo carentia boni iuſti formaliter accepta, eſt pœna ſubiecto, cui ineſt. Atqui peccatum, formaliter acceptum, eſt carentia boni iuſti: ergo eſt pœna ſubiecto, cui ineſt. Tunc ſic, ſed peccatum noſtrum originale, ſumptum formaliter, eſt carentia boni iuſti: ergo eſt pœna Infantibus, quibus ineſt. Sed non eſt pœna peccati actualis, ab illorum voluntate commiſſi: ergo eſt pœna peccati actualis Adæ: ergo peccatum actuale Adami fuit cauſa demeritoria peccati originalis noſtri, ſumpti formaliter. Omnia ſunt vera, ſi verum eſt entimema. Ex illo autem antecedens eſt diffinitio pœnæ latè ſumptæ. Conſequentia eſt notoria. Primò: quia bonum iuſtum non eſt minus conforme inclinationi voluntatis, vt liberæ, quam bonum commodum eſt conforme ipſi voluntati, vt dicit inclinationem commodi. Secundò: quia magis diſconveniens eſt homini privatio boni honeſti, quam privatio boni vtilis, aut delectabilis.

14 *Quintò.*

Probatur quintò: vnum peccatum, formaliter acceptum, poteſt eſſe pœna alterius peccati: ergo poteſt peccatum actuale Adami eſſe cauſa demeritoria noſtri peccati originalis, formaliter ſumpti. Antecedens, in quo poteſt eſſe difficultas, conſtat ex pluribus locis Scripturæ; nam Pſalm. 68. dicitur: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Sapientiæ 2: *Excæcavit enim illos malitia eorum.* Ad Romanos 1: *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non decent.* Ommitto plurima alia, & ratio iam eſt tacta; nam malum, quod eſt privatio boni vtilis, aut delectabilis, eſt pœna peccati, v. g. privatio ſalutis, divitiarum, &c: ergo etiam malum, quod eſt privatio honeſti, poterit eſſe pœna peccati ob rationes datas *num. præced.*

15 *Sextò.*

Denique probatur prima pars concluſionis: idem peccatum, formaliter vt peccatum, eſt aliquomodo pœna: ergo etiam vnum peccatum, formaliter vt tale, erit aliquomodo pœna alterius peccati; & conſequenter noſtrum originale peccatum, formaliter vt tale, erit pœna peccati actualis Adami, & hoc cauſa demeritoria noſtri originalis. Probatur antecedens: peccatum formaliter, vt peccatum, eſt privatio boni honeſti; ſed eadem privatio boni honeſti, & eſt formaliter culpa, & eſt formaliter pœna latè ſumpta: ergo, &c. Probatur minor: eadem privatio boni honeſti habet, & procedere activè à voluntate, & in voluntate recipi; ſed in quantum à voluntate activè procedit, eſt formaliter culpa, & in quantum in volun-

ta-

tate passivè recipitur, est formalitèr pœna, latè sumpta, vt ex dictis claret: ergo, &c.

16 *Doctrina Mag. Sent. & Scoti.*

Hæc est doctrina, quam tradit Scotus cum Magistro sententiarum, nam ad quæsitum: *Quomodo potest eadem carentia iustitiæ esse formalitèr culpa, & pœna formalitèr?* hæc ait Scotus *in 2. dist. 37. quæst. 2. §. Ad quæst. 3. Respondet Magister distinguendo carentiam, in quantum est privatio boni activè, vel passivè. Primò modo est culpa. Secundò modo est pœna. Hoc potest sic exponi, quod ipsa culpa est à voluntate, vt causa activa, sed tamen deficiente, & ipsa pœna est in voluntate, sicut in subiecto, quod per culpam privatur bono conveniente.* Claret ergo ex vtroque Magistro, quod eadem privatio boni honesti, vt est activè à voluntate, est culpa; & vt in voluntate passivè recipitur, est pœna. Quam doctrinam sumpserunt ex D. Augustin. *lib. 1. Confess. cap. 12.* dicente: *Iussisti Domine, & ita est, vt omnis inordinatus animus pœna sit sibi*, per quod patet efficatia nostræ vltimæ probationis.

D. Augustin.

17 *Arguit. 1.*

Ill. Godoy nullam ex his probationibus sibi obiecit, vndè nihil impugnandum habemus, solumque restat, illius argumento satisfacere. Arguit itaquè *numer. 24.* supponendo, quod peccatum actuale, acceptum formaliter, nequit esse pœna alterius peccati, cuius falsitas constat ex hucusque dictis; vndè hoc negato, quod est antecedens argumenti, totum ruit argumentum. Cœterum ex his, quæ adducit pro probatione consequentis, duplicitèr valet arguere. Primò: de ratione pœnæ est, quod sit à Deo; sed peccatum, sivè actuale, sivè habituale, sivè personale, sivè originale, nequit esse à Deo formalitèr sub ratione peccati: ergo nullum peccatum potest obtinere rationem pœnæ, & consequenter peccatũ actuale Adami non fuit causa demeritoria peccati originalis nostri, sumpti formalitèr.

18 *Respond. 1.*

Respondeo primò distinguendo maiorem: de ratione pœnæ, strictè acceptæ, est, quod sit à Deo, concedo maiorem; latè sumptæ, nego maiorem, & ommissa minori, distinguo similitèr consequens. Solutio claret ex *num. 10.* & per sequentia satis explicata, & roborata manebit. Respondo secundò alitèr distinguendo maiorem: quod sit à Deo infligente, causante, vel permittente, seu deserente, concedo maiorem; infligente, vel causante præcisè, nego maiorem, & distinguo minorem: peccatum formalitèr sub ratione peccati nequitesse à Deo infligente, vel causante, concedo minorẽ; permittente, vel deserente, nego minorem, & consequentiam.

Secundò.

Itaquè omnis pœna est à Deo, cum hoc tamen discrimine: quod si pœna est quid positivum, vt calor excedens, qui est disconveniens corpori, est à Deo, vt causante physicè. Si autem sit quid privativum, hoc stat duplicitèr. Vnum est, quod solum dicit carentiam boni physici convenientis naturæ, vt sunt carentia visionis, & fruitionis Dei, carentia visus, auditus, &c. & istæ licèt non sint à Deo physicè effectivè, eo, quod privatio non habeat causam effectivam physicam, sunt tamen à Deo vt à causa morali infligente, seu complacente, quia Deus non solum vult damnatos puniri pœnis inferni, sed etiam vult, illos carere visione, & fruitione beata. Aliud est, quod dicit carentiam boni moralis convenientis naturæ vt sunt privationes morales, v.g. peccata, & istæ, licèt non sint à Deo infligẽte, nec causante, quia Deus nec physicè, nec moralitèr causat peccatum, nec in illo complacet; est tamẽ à Deo permittente, vel deserente.

19 *Explicatur 2. solutio.*

Pro cuius clariori notitia, & inteligentia advertendum est: quod si permissio sit de cœteris peccatis, supposito primo, permissio, & derelictio possunt in idem coincidere. Si verò sit permissio primi peccati, permissio, & derelictio maximè distant; nam licèt omnis derelictio possit esse permissio; non tamen permissio est derelictio, quia derelictio supponit peccatum, quod non supponit permissio primi peccati. Derelictio autem duplex est; prima, quando Deus, positis auxilijs sufficientibus, non confert auxilia maiora. Secunda: quando non solum non confert maiora auxilia; verum, & simul permittit graviores tentationes, & occasiones peccandi, & hæc est prima maior, ad quam sequitur in peccatore propria obduratio.

20 *Permissio, & derelictio quomodo distinguantur.*

Derelictio est duplex.

Ex his denique liquidè constat, quomodo peccatum, quod est pœna alterius peccati, sit à Deo; nam volens Deus punire voluntatem in pœnam sui demeriti, vel peccati præcedentis,

21 *Quomodo peccatum, quod est pœna alterius, sit à Deo.*

illam deserit; vel illi negando auxilium efficax, ex cuius desertione voluntas cadet in aliud peccatum; vel vltrà hoc permittendo graviores tentationes, & occasiones peccandi, quibus obduratur voluntas creata, & difficilior redditur illius conversio, quorum vtrumque sæpè sæpius est in pœnam iustissimam peccatorum præcedentium.

22 *Respond. 3.* Deniquè respondeo tertiò, alitèr distinguendo maiorem: de ratione pœnæ est, quod sit à Deo, tanquam à causa physica, aut morali, vel tanquā à conditione sine qua non, concedo maiorem; tanquam à causa physica, aut morali præcisè, nego maiorem; distinguoque minorem: peccatum formalitèr sub ratione peccati nequit esse à Deo, tanquam à causa physica, aut morali, concedo minorem; tanquam à conditione sine qua non, nego minorem, & consequentiam. *Alitèr distinguo.* Alijs etiam terminis, distinguo maiorem: quod sit à Deo tanquam à causa physicè, vel moralitèr influente, nego maiorem; tanquam à causa non impediente, cum possit impedire, concedo maiorem; & distinguo minorem: peccatum non est à Deo, tanquam à causa physicè, vel moralitèr influente, concedo minorem; tanquam à causa non impediente, cum possit impedire, nego minorem, & consequentiam.

23 *Firmatur solutio.* Quando enim Deus in pœnam peccati præcedentis non impedit peccatum subsequens, cum possit impedire, Deus tantum induit rationem conditionis sine qua non, seu habet rationem causæ non impedientis, cū possit impedire; quia non impedire, cum possit impedire, est dumtaxat, esse conditionem sine qua non, seu esse causam non impedientem, cum possit impedire. Cum ergo sic Deus se habeat, non impediendo peccatum subsequens in pœnam præcedentis peccati (& idem est de ipso eodem peccato) Deus nunquā respectu peccati, quod sit pœna sui ipsius, vel alterius peccati præcedentis, est causa physicè, vel moralitèr influens, sed causa dumtaxat non impediens, seu conditio sine qua non, in quo nullum est inconveniens, quimimo à nullo videtur posse negari.

24 *Arguit. 2. Ill. Godoy.* Arguit secundò dicto *num.* 24: de ratione pœnæ est, quod sit involuntaria subiecto, pœnam patienti; sed peccatum formalitèr sub ratione peccati, sivè actuale, sivè habituale, sivè personale, sivè originale, est essentialitèr voluntarium: ergo nullum peccatum potest obtinere rationem pœnæ, & consequentèr nec peccatum originale nostrum, formalitèr sumptum, potest esse pœna peccati actualis Adami, neque hoc potuit esse causa demeritoria illius. Consequentia est legitima. Minor est certa ex à nobis dictis *disp.* 32. Maior vt vera supponitur ab Ill. Godoy.

25 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo maiorem: de ratione pœnæ est, quod sit involuntaria secundum affectum commodi subiecti, vel secundum illius inclinationem, concedo maiorem; absolutè, nego maiorem, & cum eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Solutio est Scoti *in 4. dist. 14. quæst. 1. §. De 3. artic.* docentis, quod omnis pœna est involuntaria secundum affectionem commodi subiecti; absolutè tamen potest esse voluntaria. Vndè licèt de ratione pœnæ sit esse involuntariam secundum affectionem commodi subiecti, vel secundum illius inclinationem, quomodo peccatum quodcumque sub ratione formalitèr peccati est involuntarium, vt est notorium, & claret ex dictis *num.* 12. *&* 13. De ratione tamen pœnæ non est, quod sit involuntaria absolutè; nam multi voluntariè assumunt pœnas, vt patet primo in pœnitentia, quam quisque voluntariè sibi infligit ad satisfaciendum pro peccatis. Secundò in Animabus Purgatorij, quæ patientur, & voluntariè pœnas subsinent.

26 *Respond. 2.* Respondeo secundò alitèr distinguendo maiorem: de ratione pœnæ est, quod sit involuntaria secundum quod displicet voluntati, concedo maiorem; secundum quod est à voluntate volita, nego maiorem; distinguoque minorem: peccatum est voluntarium, secundum quod est volitum, concedo minorem; secundum quod displicet voluntati, nego minorem, & distinguo similitèr consequens. Itaquè certum est, quod pœna ea parte, qua voluntaria est, non habet rationem pœnæ, imò aliquando est culpa, vt patet in ieiunante propter hypocrisim, & aliquando meritoria, vt claret in ieiunante propter

tèr Deum ; cæterum hoc non tollit, quod ipsum ieiunium secundum se, quatenus displicet voluntati, sit simplicitèr pœna; ita similitèr in præsenti; peccatum, quatenus est per accidens, vel indirectè à voluntate volitum, non habet rationem pœnæ; benè verò vt displicet voluntati, seu quatenus est voluntati disconveniens, ex dictis *num.* 13. Hæc solutio coincidit cum sequenti.

27 *Respond.* 3. Respondeo tertiò concessa maiori, distinguendo minorem: peccatum est essentialitèr voluntarium, in quantum à voluntate activè procedit, concedo minorem; in quantum in voluntate passivè recipitur, nego minorem; & distinguo similitèr consequens. Peccatum enim est voluntarium, & consequentèr culpa, in quantum procedit à voluntate, quæ potuit agere rectè, & non egit; ast in quantum peccatum est in voluntate, ipsa privans bono convenienti, scilicèt, rectitudine debita, est pœna, quia vt sic non est voluntarium; nam voluntas, vt subiectum, & passivè se habens ad peccatum, non habet illud in sua potestate. Solutio patet ex dictis *numer.* 15. essèque Scoti, diximus *numer.* 16.

§. IV.

Resolvitur tertia pars disputationis.

28 *3. Conclus.* PRo illius resolutione sit tertia conclusio: *Peccatum comestionis Adami fuit causa transfusionis culpæ originalis, non quia primum, sed quia tale; vndè si quodvis aliud prius tempore commisisset, non infecisset naturam.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *numer.* 39. Illam tamen expræsè docuit Scotus *in* 2. *dist.* 32. §. *Ad argumentum quæstionis quartæ* dicens: Quod in statu Innocentiæ erant dona ordinata, ita, quod iustitia originalis potuit esse sine gratia; non è converso. Scotum secuntur sui Discipuli, vltrà quos cõclusionem tenent Alexander Alensis, & Catherinus, *Opusculo de peccato Original, part. vltima.* Salmeron *in Epist. ad Roman. circà finem.* Montesinus *disp.* 11. *quæst.* 7. *num.* 94. Lorca *in præsenti quæst. in expositione art.* 2. Meratius *disp.* 14. *de Peccat. sect.* 4. & 15. Suarez 1. 2. *disp.* 9. *de Peccat. sect.* 3. Hurtado *disp.* 7. *difficult.* 10. Et alij.

29 Probatur conclusio primò: solum peccatum capitale potuit ad posteros derivari; at si prius tempore ad peccatum gulæ quodvis aliud committeret, estò sit gravius, capitale tamen non esset: ergo ad posteros non derivaretur. Probatur minor: nam peccatum Adami esse capitale, non ei conveniebat ex natura rei, quia videlicèt, erat naturale caput suæ posteritatis, vt ostensum manet *disp.* 33. & est communis Theologorum sententiæ; sed ex vi pacti, quo fuit constitutus caput morale suæ posteritatis; at pactum solum fuit cum Adamo innitum in ordine ad impletionẽ, aut transgressionem præcepti de non commedendo de ligno prohibito: ergo nullum aliud peccatum primo ab Adamo commissum, foret capitale. Probatur hæc minor: pactum namq̃ cum Adamo innitum, non aliundè colligitur, quam ex verbis iam adductis: *In quacumque die commederis ex eo, morte morieris*; atqui hæc comminatio solum respicit transgressionem illius præcepti positivi: ergo pactum in illa contentum, illius præcepti transgressioni assignatur.

Probatur concl. 1.

30 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 43. *in fine*, concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationem negat minorem, & ad illius probationem concessa maiori, distinguit minorem: explicitè concedit minorem; implicitè, & virtualitèr, negat minorem, & consequentiam. Hæc solutio est tota doctrina, qua in præsenti vtitur Ill. Godoy, & qua suam etiam conclusionem probat; vndè replicæ, quas contra ipsam faciemus, erunt etiam probationes nostræ conclusionis.

31 *Contra* 1. *& 2. prob. concluſ.* Contra primò, & probatur secundo conclusio: hæc comminatio: *In quacumque die commederis ex eo, morte morieris*, explicitè, & implicitè solum respicit transgressionem præcepti de non commedendo de ligno prohibito: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: prædicta comminatio solum respicit transgressionem illius præcepti in ordine, ad quod fuit pactum cum Adamo innitum; sed pactum cum Adamo innitum explicitè, & implicitè solum fuit in ordine ad impletionem, vel transgressionem de non commedendo de ligno prohibito: ergo, &c. Probatur minor: pactum cum Adamo innitum explicitè, & implicitè solum ex Scriptura colligi va-

let; sed ex nullo alio colligitur, nisi in ordine ad impletionem, vel transgressionem de non commedendo de ligno prohibito: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est manifesta, & ab Ill. Godoy concessa. Maior autem ab omnibus est indubitata.

32 *Contra 2. & 3. prob. conclus.*

Contra secundò, & probatur tertiò conclusio: Pactum cum Adamo initum explicitè, & implicitè, cum solum ex Dei voluntate dependeat, non nisi per revelationem nobis innotescere potest; ea enim, quæ solum ex Dei voluntate dependent, non aliter, quam per revelationem possunt cognosci; sed quotiescumq̃ in Scriptura Sacra de hoc pacto fit mentio, semper, & vnicè continetur in transgressione præcepti de non commedendo de ligno prohibito: ergo explicitè, & implicitè in transgressione talis præcepti est dumtaxat inclusum, & consequenter ruit allata solutio. Hæc ratio formata est ad hominem contra Ill. God. & vt clarius, & propriùs appareat.

33 *Aliter formo replicã ad hom. cõtra Ill. God.*

Sic eam aliter formo, & inconsequentiam in ipsum demonstro: decretum transfusionis peccati originalis, cum ex sola Dei voluntate dependeat, non nisi per revelationem nobis innotescere potest; **ea enim**, quæ ex sola Dei voluntate dependent, non aliter, quam per Dei revelationem possunt cognosci; sed quotiescumq̃ in Scriptura Sacra de huiusmodi decreto fit mentio, cum peccato Adami de commedendo, semper, & vnicè connectitur: ergo ex vi decreti, quod Deus habuit de facto circà transfusionem peccati originalis, peccatum originale non transfunderetur, Adamo non peccante peccato commestionis, & consequenter nulla est solutio Ill. Godoy.

34 *Consequentia legitima est, & maior certissima.*

Consecutio est legitima; deficiente enim termino connexionis decreti, necessum est, ipsum decretum deficere; ac proindè, si omne decretum de facto habitũ de transfusione peccati originalis est connexum cũ Adami peccato de commedendo, hoc peccato deficiente, nullum decretum de transfusione peccati originalis subsisteret ex his, quæ de facto existunt. Maior etiam certissima est; nam ea, quę ex sola Dei voluntate dependent, nullum medium in natura habent, per quod innotescere possint; ac proindè solum mediante Divina revelatione possunt à nobis cognosci. Vndè ad probationem minoris tota difficultas devoluitur.

35 *Prob. min. ex Script.*

Huius autem probatio ex testimonijs Scripturæ desumitur. Primum habetur Genes. 2. illis verbis: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne commedas*, quod fuit præceptum Adamo impositum. Secundum habetur Genes. 3. *In quocumque die commederis, morte morieris*, vbi Deus minatus est mortem Adamo, & nobis, solum propter commestionem. Tertium habetur etiam in Genes. illis verbis: *Sed quia commedisti*, vbi sola commestio assignatur pro causa impositionis pœnæ. Ex quibus testimonijs probatur minor: ratio transfusionis peccati originalis est cum illius decreto connexa; sed ratio transfusionis peccati originalis, in præallegatis testimonijs tradita, est peccatum commestionis Adami: ergo decretum transfusionis peccati originalis, quod Deus de facto habuit, est cum peccato commestionis Adami connexum, & consequenter Adamo non peccante peccato commestionis, nullum decretum de facto circà transfusionem peccati originalis habitum potest subsistere; ex quo vlterius fit, vt si Adamus non peccaret peccato commestionis, peccatum originale non transfunderetur ex vi præsentis decreti.

Probat. ratione.

36 *Ostenditur inconsequẽtia Ill. God.*

Hæc replica contra solutionem Ill. Godoy, quæ simul est nostræ conclusionis probatio, est (proportione servata) eadem ad litteram cum illa, quam adducit ex D. Thoma Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 34.* intendens contra nos, & Scotum probare, Verbum Carnem non assumere, Adamo non peccante. Vndè satis apparere videtur, quod vel illam opinionem retractare debuit, vel illa stante, non defendere in præsenti, peccatum originale transfundi, peccato commestionis deficiente.

37 *Contra 3. & prob. 4. conclusio.*

Contra tertiò, & probatur quartò conclusio: prædicta Ill. Godoy solutio est voluntaria, & absque fundamento: ergo ruit. Probatur antecedens: prædicta solutio nullum fundamentum habet in Scriptura: ergo est voluntaria, & sine fundamento. Antecedens patet. Primò: quia solutionem dictam, imò nec opinionem, in Scriptura fundat. Secundò: quia om-

nia

nia loca Scripturæ, in quibus fundari posset, sunt exptæsse contra ipsum ex dictis *num.* 35. Consequentia verò probatur: Solutio sine fundamento in Scriptura in rebus, quæ solum per Dei revelationem cognosci valent, est voluntaria, & absque fundamento; sed res, de qua loquimur, solum per Dei revelationem cognosci valet, vt ipsemet concedit in solutione, eiusq; solutio nullum habet in Scriptura fundamentum iuxtà concessa: ergo solutio illius est voluntaria, & absque fundamento.

38 *Contra 4. & prob. 5. concluſ.*

Contra quartò, & probatur quintò conclusio: lex de transfusione peccati originalis est odiosa: ergo strictè est interprætanda; atqui lex fuit: *In quacumque die commederis, morte morieris*: ergo ad commestionem dumtaxat est restringenda: ergo nec implicitè, aut virtualitèr extendenda est ad aliud peccatum: ruit ergo solutio. Antecedens est certum. Consequentia legitima, & regula in moralibus generalis. Sumpta est apud omnes certa. Consequentia verò ex illa illata est vera ratione prædictæ regulæ, & ita vera, vt in probabiliori sententia Theologorum, si Adamus non commedisset de ligno prohibito, non amisisset iustitiam originalem, etiam si habuisset voluntatem commedendi, quia cum prædicta lex sit odiosa, ad commestionem veram, propriam, & completam restringenda est.

39 *Contra 5. & prob. 6. concluſ.*

Contra quintò, & sexto probatur conclusio: pactum cum Adamo innitum de transfusione peccati originalis, limitatum præcisè ad peccatum commestionis, magis exaltat Divina attributa, nempè, illius clementiam, bonitatem, & propensionem ad bonum: ergo ad peccatum præcisè cõmestionis debet restringi: ergo nec implicitè, aut virtualitèr debet ad aliud extendi. Probatur antecedens primò: id magis exaltat prædicta attributa Divina, quo facilius humana natura in iustitia originali conservaretur; atqui facilius sic conservaretur cum pacto limitato præcisè ad peccatum commestionis, quam cum pacto extenso virtualitèr, ad quodcumque peccatum, vt de se patet: ergo, &c.

Probatur anteced. 1.

Secundò. Probatur secundò: id magis exaltat prædicta attributa Divina, quod suavius facit iugum de trasfusione peccati originalis; sed pactum limitatum præcisè ad peccatum commestionis facit suavius iugum de transfusione peccati originalis: ergo idem, quod antea. Consequentia est legitima. Maior est ab ipso Christo prolata, teste Matth. 11: *Iugum enim meum suave est.* Minor verò ex terminis apparet.

40 *Contra 6. & 7. prob. concluſ.*

Contra sextò, & septimò probatur conclusio: piè credendum est, Deum intendisse, pactum innire cum Adamo in eo, quo difficilius amitteretur iustitia originalis; sed cum pacto limitato ad peccatum commestionis præcisè, difficilius amitteretur iustitia originalis: ergo ad peccatum cõmestionis præcisè debet restringi pactum. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: pie credendum est, Deum pactum fecisse cũ Adamo, & non cum Heva, in ordine ad transfundendam, vel non transfundendam iustitiam originalẽ, quia Adamus habebat maiorem fortitudinem, & possibilitatem resistendi peccato: ergo paritèr. Consequentia est paritate legitima. Antecedens autem est certum, & est vna ex rationibus, quare peccatum Adami fuit gravius peccato Hevæ.

41 *Contra 7. & 8. prob. concluſ.*

Contra septimò, & octavò probatur conclusio: per quodcumque peccatum Adami, peccato commestionis non commisso, transfunderetur originale peccatum iuxtà solutionem Ill. Godoy: ad quid ergo fuit pactum Dei cum Adamo in ordine ad impletionem, vel gransgressionem præcepti de non commedendo de fructu vetito, vt transfunderetur, vel non transfunderetur originale peccatum? Certè iuxtà opinionem Ill. Godoy tale pactum superfluit; debuit enim Deus cum Adamo hoc pactum innire: *In quocumque die peccaveris, morte morieris.* Cum ergo non hoc pactum, sed pactum præcisè limitatũ ad peccatum commestionis Deus inniret cũ Adamo, signum evidens est, quod tale pactum, nec implicitè, vel virtualitèr se extendit ad aliud peccatum, consequentèrque peccato commestionis deficiente, non esset peccati originalis transfusio.

42 *Contra denique & vltimo prob. concluſ.*

Contra denique, & vltimò probatur conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: pactum circà transfusionẽ peccati originalis fuit innitum in pec-

cato commestionis: ergo non extenditur implicitè, aut virtualitèr ad aliud peccatum: ruit ergo solutio Ill. Godoy, & vera est nostra conclusio. Antecedens constat ex Scriptura, & conceditur ab ipso. Prima verò consequentia probatur primò: pactum circà transfusionem peccati originalis innitum cum Adamo, non extenditur implicitè, aut virtualitèr ad alium; sed iuxtà concessa pactum circà transfusionem peccati originalis fuit innitum in peccato commestionis, ergo, &c. Secundò: pactum circà transfusionem peccati originalis innitum cum Adamo respectu illorum, qui in eius lumbis continebantur, non extenditur implicitè, aut virtualitèr ad alios; sed iuxtà concessa pactum circà transfusionem peccati originalis fuit innitum in peccato commestionis: ergo idem, quod anteà.

Consequentia prob. 1.

Secundò.

Maior vtriusque prob. est Ill. Godoy.

Maior autem primæ probationis est Ill. God. *n.* 54. asserentis, quod si Adam non peccaret, peccante Cain, filij eius non contraherent peccatum originale, & *num.* 57. docentis, quod si Heva peccasset, Adamo non peccante, non contraherent filij peccatum originale. Maior verò secundæ probationis est etiam ipsius *num.* 55. dicentis: quod si Adamus peccasset post filios iam genitos, isti iam nati non contraherent culpam originalem, & *num.* 56. idem tenentis de homine miraculosè formato sine semine viri; & *num.* 66. idem etiam docentis de Heva, si hæc non peccasset antecedentèr ad virum.

Probatur conseq. 1.

Vndè solum potest esse difficultas in consequentia. In hac autem dubium non apparet, quia legitimè infertur ex præmissis, vltrà quod sic probatur primò: ita, eodem modo, & eisdem verbis narrat Scriptura, pactum circà transfusionem peccati originalis innitum fuisse cum Adamo, ac fuisse initum in peccato commestionis; atqui pactum innitum cum Adamo non extenditur implicitè, aut virtualiter ad aliū præter ipsum, & quia fuit respectu illorum, qui in eius lumbis continebantur, non extenditur implicitè, aut virtualitèr ad alios prætèr illos: ergo cum pactum fuerit innitum in peccato commestionis, non extenditur implicitè, vel virtualitèr ad aliu peccatum.

Probat. 2. ab opposito.

Ab opposito probatur secundò: ita, eodem modo, & eisdem verbis narrat Scriptura, pactum circà transfusionem peccati originalis innitum fuisse solum cum Adamo, ac solum innitum fuisse in peccato commestionis; atqui hoc non obstante, pactum extenditur virtualitèr, vel implicitè ad aliud peccatum, commestione deficiente: ergo illo non obstante, pactum extenditur implicitè, vel virtualitèr ad alium præter Adamum, Adamo non peccante: ergo etiam non obstante, quod pactum sit solum respectu illorum, qui in lumbis Adami continebantur, vt fatetur Ill. Godoy, extenderur implicitè, vel virtualitèr ad alios non sic contentos. Maior est indubitata, constatque ex illo *Genes. citat: In quocumque die commederis ex eo, morte morieris*, & cōceditur ab ipso in solutione. Minor est opinio illius, contra quam procedimus. Consequentia prima est contra ipsum *num.* 54. & 57. Et secunda contra eundem *num.* 55. 56. & 66. Per hæc denique patebunt inconsequentiæ, quas tradit Ill. God. in corollarijs.

§. V.

Argumentis Ill. Godoy occurritur

43

COntrarium nostræ conclusionis tenet Ill. Godoy *numer.* 39. authoritatibus D. Thomæ motus, quibus ommissis, quia ad nos non attinent, arguit primò *num.* 40: nam idcircò peccatum, quod de facto fuit primum, infecit naturam, & ad posteros transijt; quia per ipsum Adamus amisit iustitiam originalem, quę erat donum, illi, pro se, & sua posteritate commissum; at quodvis aliud peccatum, prius tempore commissum, eosdem effectus præstaret: ergo inficeret naturam, & ad posteros transiret; & consequentèr esset causa moralis transfusionis culpæ. Respondeo distinguendo maiorem: quia per ipsum Adamus, vt caput posterorum, & pacto innito in ordine ad illud, amisit iustitiam originalem, cōcedo maiorem; quia per ipsum vtcumque amisit iustitiam originalem, nego maiorem, & minorem; quia aliud vtcumque peccatum non commisisset Adamus, vt caput morale posterorum, nec de illo fuit pactum; vndè per aliud quodcumque peccatum sibi solum iustitiam originalem amitteret.

Arguit. 1.

Respond.

Replicat Ill. Godoy *num. citat*: alia

44

pec-

Replicat Ill. Godoy.

peccata, sivè superbia, sivè infidelitas, vtpotè, contra naturalia præcepta, graviora sunt, quam peccatum gulæ, quod de facto fuit primum: ergo si huic correspondet, vt pœna, privatio iustitiæ originalis, non solum vt erat singularis personæ, sed etiam vt erat donum commune toti naturæ, à fortiori, si quodvis aliud peccatum prius tempore committeret, illi vt pœna correspoderet carentia iustitiæ originalis, sub vtraque ratione.

Respondeo.

Respondeo negando consequentiam; quia privatio iustitiæ originalis in posteris, non fuit pœna prædicti peccati ratione suæ gravitatis specificæ; sed quia fuit capitale, ratione pacti, quod Deus Adamum constituit caput in ordine ad impletionem, vel transgressionē præcepti de non commedendo, quod pactum continetur *in cap. 2. Genes: In quacumque die commederis ex eo, morte morieris*; & idcirco, quamvis alia peccata graviora, prius tempore commissiset, ob illa non privarentur posteri iustitia originali.

45 *Replicat.*

Replicat ipse *num.* 41: nam pactum, quo Adamus fuit constitutus caput, colligitur ex mortis comminatione, in prædictis verbis contenta; at talis comminatio, etsi explicitè solum fiat ob peccatum gulæ, implicitè tamen, & virtualitèr etiam respicit quodvis aliud peccatum contra naturalia præcepta primo commissum: ergo pactū, quo Adamus fuit caput constitutus, intelligi debet in ordine ad quodvis peccatum, quod primo commiteret.

Prob. min. 1.

Probat minorem primò: nam si pœna mortis, & privatio originalis iustitiæ respectu totius posteritatis fuit comminata à Deo ob peccatum contra præceptum positivum, per locū à minori ad maius, etiam debet intelligi facta ob peccata graviora si prius committerentur: ergo saltim implicitè illos respicit dicta comminatio.

Secundò.

Secundò: nam etiam si comminatio mortis personalis Adami, solum fuerit expræssè facta contra peccatum gulæ, implicitè etiam facta intelligitur contra quodvis aliud peccatum, quod primum committeret; quo circa, si aliud præceptum, quodcumque illud esset, primo transgrederetur, immortalitatem amitteret: ergo paritèr: quamvis pœna mortis, & privatio iustitiæ originalis posterorū, solum fuerit expræssè imposita contra peccatum gulæ, implicitè tamen imposita intelligitur contra quodcumq; peccatum primo commissum.

46 *Respond. 1.*

Respondeo primò negando minorem, ad cuius primam probationem nego consequentiam; quia privatio iustitiæ originalis in posteris, non attenditur, vt diximus, pœnes gravitatem peccati, sed pœnes tale peccatum, nempè, capitale, ratione pacti suprà dicti. Cum ergo Deus posset innire pactum, & de facto sit innitum, in ordine ad peccatum minus grave, tale solum peccatum erit causa privationis iustitiæ originalis. Solutio claret, & retorqueri potest replica infinitis exemplis, pactum inniendo in ordine ad delictum minus grave. Vndè regula illa: *Per locum à minori ad maius*, licèt valere possit, vbi pactum non intervenit; pacto tamen interveniente, subsistere nequit, vt ex dictis apparet.

Ad 1. prob. minor.

47 *Ad 2.*

Ad secundam probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam vt Adamus, vt persona privata, amitteret iustitiā originalem, quodlibet peccatum erat sufficiens, vel ob oppositionem, quam habent ex natura rei iuxtà Ill. God. vel tantum moralem, vt nos sentimus. Ast vt posteris iustitiam originalem amitteret, necessarium fuit pactum, vt ipse fatetur *disp.* 33. cum ergo pactum fuerit in ordine ad peccatum commessionis, hoc peccatum erat necessarium, vt iustitiam originalem nobis amitteret, quod apertè constat ex dictis, & plenè, & planè apparebit retorsione sequenti.

48 *Respond 2. retorq. replicam.*

Respondeo secundò retorquendo replicam: pactum, quo Adamus fuit constitutus caput, colligitur ex mortis comminatione, in prædictis verbis contenta; sed talis comminatio, etsi explicitè solum fiat ob peccatum gulæ, implicitè tamen, & virtualitèr respicit etiam quodvis aliud peccatum, quod primum committeret: ergo pactum, quo Adamus fuit caput constitutus, intelligi debet in ordine ad quodvis peccatum, quod primo committeret. Totum est Ill. Godoy in replica.

49 *Infero contra Ill. God.*

Infero nunc: ergo per quodcumque peccatum, quod primo committeret, amitteret posteris iustitiam originalem. Hæc consequentia est ad

litte-

litteram ſecunda minoris probatio adducta ab Ill. God. in replica, quod etiam repetit *num.* 50. *in fine.* Nunc autem contra ipſum infero: ergo ſi Adamus primo committeret peccatum minus grave, quam peccatum gulæ, non amitteret poſteris iuſtitiam originalem. Hæc conſequentia eſt contra Ill. Godoy, & ad hominem contra ipſum probatur: ideò ſi Adamus primo committeret peccatum contra præcepta naturalia, amitteret poſteris iuſtitiam originalem, quia comminatio mortis facta ob peccatum gulæ, reſpiceret etiam virtualitèr, aut implicitè quodvis peccatum contra præcepta naturalia; ſed ſi Adamus primo committeret peccatum minus grave, quam peccatum gulæ, comminatio mortis facta ob peccatum gulæ, non reſpiceret virtualitèr, vel implicitè illud peccatum: ergo, &c. Probatur minor: ideò iuxtà Ill. Godoy comminatio mortis facta ob peccatum gulæ, reſpicit etiam implicitè, & virtualitèr quodvis aliud peccatum contra naturalia præcepta primo commiſſum, quia ſic debet intelligi facta per locum à minori ad maius; atqui ſi Adamus primo committeret peccatum minus grave, quam peccatum gulæ, comminatio mortis facta ob peccatum gulæ non poſſet intelligi ſic facta per locum à minori ad maius; cum potius eſſet per locum à maiori ad minus, vt eſt notorium: ergo, &c.

Declaratur retorſio, & inconſeq. Ill. Godoy oſtenditur.

Declaratur retorſio, & inconſequentia Ill. Godoy oſtenditur: tota ratio, cur pactum cum Adamo innitum de transfuſione peccati originalis ob peccatum gulæ reſpicit etiam virtualitèr, aut implicitè quodvis peccatum contra præcepta naturalia primo commiſſum, eſt ob illam regulam: *Per locum à minori ad maius*; atqui hæc ratio evidentèr convincit: pactum prædictum non reſpicere implicitè, aut virtualitèr quodcumq; peccatum primo commiſſum, quia reſpicere nequit peccatum minus grave, quam peccatum gulæ; alioquin non eſſet minus grave: ergo ratio Ill. Godoy evidentèr convincit, quod peccatum originale non transfunderetur in poſteros per quodcumque peccatum primo commiſſum: ergo cum hoc etiam ipſe aſſerat, vt dixi *num.* 48. inconſequentèr evidentèr procedit.

50 *Reſpond. 3. alitèr replicā ad hom. retorquēdo.*

Reſpondeo tertiò alitèr replicam retorquendo: hæc regula: *Per locum à minori ad maius*, eſt falſa reſpectu pacti cum Adamo inniti de transfuſione peccati originalis: ergo nulla eſt replica. Probatur antecedens: dicta regula eſt falſa reſpectu pœnæ taxatæ pro peccato originali: ergo eſt falſa reſpecu pacti cum Adamo inniti de transfuſsione originalis peccati. Conſequentia eſt paritate certa, & oſtenditur: nam ſicut comminatio explicitè facta ob minus peccatum, reſpicit implicitè, & virtualitèr peccatum maius, vt ipſe ait; ita taxatio explicita pœnæ maioris reſpicit implicitè, & virtualitèr taxationem minoris pœnæ. Antecedens verò patet in peccato originali, qui etſi gravius veniali, & ideò maiori pœna punitum; non tamen punitur pœna minori, nempè, ſenſus, qua punitur veniale; & vltrà probatur: pœna taxata pro peccato originali eſt pœna damni, & non ſenſus; ſed pœna damni eſt maior, & pœna ſenſus minor: ergo regula illa eſt falſa reſpectu pacti cum Adamo inniti de transfuſione peccati originalis. Conſequentia eſt legitima. Minor certa: quia pœna damni eſt privatio maximi, & infiniti boni, illamque vt certam ſupponit Ill. God. *diſp.* 38. *num.* 115. Maior eſt expreſſa illius ſententia *diſp. citat. §. 5. & 6.*

51 *Arguit. 2.*

Arguit ſecundò *num.* 42: eo ipſo, quod Adamus primo peccaret, amitteret dignitatem capitis in ordine ad transfundendam originalem iuſtitiam in poſteros; indecens namque appareret, quod Adamus carens iuſtitia originali, eſſet caput transfuſionis illius: ergo eo ipſo poſteri naſceruntur privati iuſtitia originali. Patet conſequentia: quia ſecundum præſens decretum ſtatutum à Deo, iuſtitia erat transfundenda in poſteros Adæ dependentèr ab illo, vt capite, vel dependentia meriti de congruo, vel ſaltim vt conditione. Tunc vltrà: ſed privatio iuſtitiæ in parvulis, vtpotè, pœna, debet ſupponere aliquam culpam: ergo cum perſonalis eſſe non poſſet, foret pœna primi peccati; & conſequentèr tale peccatum, quodcumque illud eſſet, ipſi imputaretur, ad illoſque tranſiret.

52 *Reſpondeo.*

Reſpondeo negando antecedens, quia caſu, quod Adamus primo peccaret alio peccato, quod non eſſet

gu-

gulæ, licèt amitteret sibi gratiam; non tamen illam nobis amitteret, quia de hoc non fuit pactum, nec tale peccatum commiteret, vt caput posterorum, sed vt persona privata; alioquim idem omninò esset, Adamum peccare, vt personam privatam, ac vt caput, & idem omninò etiam esset, Deũ pactum innire cum Adamo in ordine ad commessionem, ac inordine ad quodcumque peccatum, quod congruum non videtur, & cuius falsitas apparet ex hucusque dictis. Neque esset indecens, quod Adamus carens sibi iustitia originali, esset caput trãsfusionis illius, sicut indecens non esset, quod Pontifex carens sibi veritate, sit caput veritatis fide Divina credendæ, seu quod Pontifex, vt privata persona sit mendax, & vt caput Ecclesiæ nequeat errare.

Retorqueo. Retorqueo etiam contra Ill. God: indecens non apparet, quod Adamus sibi gratia, & gloria ornatus, vt de facto est, sit caput transfusionis peccati originalis: ergo paritèr: indecens non est, quod Adamus carens iustitia originali, esset caput transfusionis illius. Consequentia est legitima. Antecedens verò est de fide, & ratio Theologorum, quam etiam adducit Ill. Godoy *disp. 36. num. 17.* est: quia licèt peccatum Adami sit dimissum ea ratione, qua fuit personale; non verò parvulis. Similitèr ergo, licèt alio peccato, quod non esset gulæ, amitteret sibi gratiam; non tamen illam nobis amitteret.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

53 *1. Corollar.* EX dictis in hac, & præcedentibus disputationibus, Colligo primò: nullum aliud peccatum Prothoparentis præter peccatum commestionis, nec peccata proximorum parentum derivari ad posteros per originem. Corollarium habet duplicem partem, quarum secunda est Theologis communis, & constat primo ex Anselm. *lib. de Conceptu Virginali, cap. 23.* illis verbis: *Quare, quoniam nullus post Adam quivit filijs suis iustitiam servire, nullam video rationem, cur proximorum Parentum peccata filiorum debeant animabus imputari.* Id ipsum repetit *cap. 28.* Secundò ex Scriptura Paũl. *ad Rom. 5: Peccatum ex vno in condemnationem.* Tertiò ex eodem loco: *Vnius delicto multi mortui sunt, & per inobedientiam vnius peccatores constituti sunt multi.*

2. pars probat. 1.

Secundò.

Tertiò.

Prima verò pars corollarij est contra Ill. Godoy *num. 51.* & per oppositum ad illius rationem probatur: solum illud peccatũ derivatur ad posteros, quod fuit capitale; sed solum peccatum commestionis primi parentis fuit capitale: ergo solum illud derivatur ad posteros. Consequentia est legitima. Maior apud omnes certa. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, latè propugnata manet contra ipsum *§. præced.* Hęc ratio convincit etiam secundam partem corollarij, pro qua accedit, quod alij Parentes non fuerunt capita à Deo constituta, consequentèrq̃ peccatum eorum non potuit ad posteros derivari.

54 *1. pars corollarij probat.*

2. Corollar. Secundò ex dictis colligo: quod si Adam non peccaret, peccante Cain, non contraherent filij eius originale peccatum. Ita Ill. Godoy *num. 54.* sed inconsequentèr, vt diximus *num. 42. in fine*, ex quo valet hic contra ipsum formare argumentum ibi factum. Citat pro opposita sententia Scotum *in 2. dist. 32. §. Ad argumenta tertiæ quæstionis*; falsò tamen, quia Scotus ibi oppositum habet expræssè, ait enim, quod si pactum fuisset innitum cum Cain, sicut cum Adamo, filij Cain contraherent originale, & concludit: *Nunc autem nullus accepit formaliter*, nempè, iustitiam originalem, *nisi Adam*, & cum illo solum fuit innitum pactum, & ita ab illo solo contrahimus originale. Vndè tenet Scotus, quod ex vi legis modo statutæ solum ab Adamo contrahitur originale; ab alio tamen, nempè, Cain, contraheretur secundum aliam legẽ, fortè tunc statuendam, quod non est contra communem sententiam.

Testimoniũ Scoti explicatur.

Suppositа ergo falsitate in ordine ad Scotum, quam libentèr confitetur Ill. Godoy *citat. in fine*, citare poteram pro oppositа opinione D. Thomam, sicut Scotum citat ipse; nam *quæst. 5. de malo, art. 4. ad 8. asserit*: quod si aliquis ex posteris Adami peccasset, ipso non peccate, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adamus mortuus est; posteri autem eius morerentur quidem propter peccatum originale. Quod si dicat, vt Ill. Godoy dicit: eodem modo posse D. Thomæ sententiam explicari, dico

56 *Quodam D. Thomæ testimoniũ.*

de-

de mente D. Thomæ, quod ipse dixit de mente Scoti: libenter concedo; ad nos tamen non attinet examinare, quid senserit D. Thomas, nec sententiam nostrã illius dictis conformare.

57 *Prob. corollarium.* Probatur itaquè corollarium ratione communi: Peccatum Cain, etiã in tali casu, non foret capitale, sed personale: ergo ad posteros illius non derivaretur. Consequentia tenet ex sæpius repetitis. Antecedens autem probatur: nam de facto ex vi præsentis decreti, qualitèr corollarium procedit, solum intervenit pactum cum Adamo, ratione cuius fuit ipse solus constitutus caput morale suæ posteritatis: ergo peccatum, in tali casu commissum à Cain, foret non capitale, sed personale; & consequentèr ipsi soli nocuisset, sibiquè soli iustitiam originalem amisisset.

58 *3. Corollar.* Colligitur tertio cum Ill. Godoy *n. 55*: quod si Adamus peccasset post filios iam genitos, isti iam nati non contraherent culpã originalem. Probatur: nam etsi potuisset caput constitui etiam respectu illorum, qui iam extrà causas existerent, quando ipse peccaret, vt *disput. præced.* docuimus, de facto tamen non fuit constitutus caput morale nisi respectu illorum, qui in eius lumbis continebantur, quando ipse peccavit: ergo ad iam notos non transiret peccatum. Adverte tamen, in hoc corollario eamdem inconsequentiam committere Ill. Godoy, quam commisisse, diximus *num. 55*.

59 *4. Corollar.* Colligo quartò: quod si aliquis miraculosè formaretur sine semine viri, quamvis formaretur ex humana carne, peccatum originale non contraheret. Sic etiam Ill. Godoy *num. 56*. sed cum eadem inconsequentia relata. Corollarium probatur primò: nam peccatum originale in tantum contrahitur ad posteros, in quantum producuntur per communem propagationem: ergo illi soli tale peccatum contrahunt, qui ab Adamo per activam virtutem originem trahunt. Atqui homo miraculosè formatus sine semine viri, non descenderet ab Adamo per activam virtutem seminalẽ: ergo homo sic formatus, non contraheret peccatum originale ex Adamo.

Probat. 1.

60 *Secundò.* Probatur secundò: pactum de transfusione peccati originalis est odiosum, ex dictis *num. 38*: ergo restringendum est ad illos tantum, qui per communem propagationem producuntur; non verò ad miraculosè formatos. Tertiò: nam vt diximus *disp. præced.* Adamus de facto solum fuit caput morale illorum, quorum fuit etiam caput in ratione naturæ; at hominis sic miraculosè formati naturale caput non esset; cum ipsum in se non contineret, vt activum principium: ergo nec esset illius caput morale, & consequentèr non peccasset in ipso, nec ex illo peccatũ contraheret. *Tertiò.*

Ex hoc etiam apparet: quod si Deus auferret à Semine viri vim activam, aut illam impediret, & ex tali semine, & semine muliebri, tanquam ex materia, produceret hominem, talis homo non contraheret originale peccatum, quia non esset productus per communem propagationem. Apparet etiam, quod si quis naturaliter generaretur ex fœmina, quæ esset filia Adami, & ex viro ab Adamo non descendente, non contraheret originale; & ratio iam est tacta: nam pactum de transfusione peccati originalis est odiosum: ergo restringendum est ad hoc, quod vterque Parens sit filius Adami. An autem iuxtà alium rerum ordinem, & aliam Dei providentiam, homines prædicti peccatum contrahere possint? Id potuisse contingere, constat ex dictis *disp. præced.* 61 *Duo addita ad corollarium.*

62 *5. Corollar.* Deniquè colligo: quod si Eva peccasset, Adamo non peccante, non contraherent filij peccatum originale; benè verò è contra. Ita etiam Ill. God. *num. 57*. cum prædicta tamen inconsequentia. Hoc corollarium, quod est inter Theologos commune, probat Ill. Godoy *num. cit.* ex eo, quod Adamus, & non mulier, ad generationem activè concurrat. Cæterum cum hæc ratio sit apud nos falsa, vt diximus *lib. de Generat.* & corollarium verum, manifestè apparet, prædictam rationem esse omninò impertinentem, & ab ea præscindendo, imò & concursum activum mulieri etiam concedendo, vel ommittendo, probandum est corollarium. *Quædam ratio Ill. God. est omninò impertinens.*

63 *Probat. 1.* Probatur itaquè primò: nam pactum de transfusione peccati originalis solum cum Adamo fuit initum: ergo si Eva peccasset, Adamo non peccante, non contraherent filij peccatum originale. *Secundò.* Secundò: quia iuxtà Scripturam vnum solum peccatum

asſignatur pro cauſa culpæ originalis; quod peccatum Evæ non potuit eſſe, vt convincit ratio ſequens. Tertiò: nam ſi ſola Eva peccante, originale peccatum ad nos traduceretur, illius peccatum eſſet ſufficiens cauſa traductionis culpæ; hoc admitti non poteſt: ergo, &c. Probatur minor: quia cum peccatum Evæ tempore præceſſerit Prothoparentis culpam, ſi de ſe eſſet ſufficiens cauſa traductionis culpæ, ſequeretur, ante peccatum Adami eſſe iam amiſſam originalem iuſtitiam toti poſteritati; & conſequentèr peccatum primi Parentis nobis nihil nocuiſſe de facto, nec ad nos derivari, contra Paulum 1. *ad Corinthios* 15. & *ad Rom.* 5. Et Concilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *Canone* 2. & 3. Adami peccato attribuentia originalis culpæ traductionem, & naturæ infectionem.

Tertiò.

64

1. *quæſitũ.*

Pro complemento huius diſputationis vnum quærit Ill. Godoy, & duo debere quærere, neceſſarium nobis videtur. Inquirit itaquè *num.* 66: An ſi Eva non peccaſſet antecedentèr ad virum, in illo peccante peccaſſet, & iuſtitiam originalem ex illius peccato amiſiſſet? Negativè reſpondetur cum communi Theologorum ſententia, cuius ratio ex iam dictis habetur. Eva namque etſi ex coſta Adami formata, non tamen ex illius ſemine originem traxit: ergo cum Adamus ſolum fuerit conſtitutus caput morale reſpectu illorum, qui ab illo per generationem deſcendunt, non fuit caput morale mulieris in ordine ad culpam; & conſequentèr mulier in illo neutiquam peccaret, nec ex illius culpa iuſtitiam originalem amitteret, etiam ſi prius tempore non peccaſſet.

Reſponſio.

65

2. *quæſitũ.*

Secundum, quod debet inquiri, eſt: Quomodo peccatum originale traducatur in poſteros? Nam ex huius dubij reſolutione clariùs hucuſq; dicta apparebunt. Difficilè valdè hoc quæſitum viſſum fuit D. Auguſt. qui *lib. de moribus Eccleſiæ, cap.* 22. ait: Nihil eſſe notius, quam peccatum originale traduci, & nihil obſcurius, quã quomodo traducatur. Plures fuerunt errores in hac materia, quæ facilitèr reijciuntur, fatendo cum fide, tum: peccatum originale non eſſe à Deo. Tum etiam: animam rationalem eſſe Spiritum iuxtà Lateranenſe ſub Innocentio III. & immortalem iuxtà idem Concilium ſub Leone X. Hoc itaquè confeſſo contra errores Hæreticorum.

66

Reſponſio ad quæſitũ.

Reſpondeo cum Scoto *in* 2. *diſt.* 32. §. *Quantum ad* 3. Et §. *Ad argumenta tertiæ quæſt.* quem omnes Theologi ſecuntur; peccatum originale traduci in poſteros ab Adamo per ſeminalem propagationem, non aliqua cauſalitate, qua producatur virtute ſeminis, vel generationis; ſed indirectè, quatentus generatione naturali producitur homo, qui eſt filius Adæ, ex quo concipitur in originali ex pacto Dei innito cum Adamo, & poſteris eius. Vndè ad contrahendum originale tria requiruntur. Primum, quod deſcendat ab Adamo poſt peccatum ipſius. Secundum: quod ſit genitus per ſeminalem propagationem. Tertium: quod ſit incluſus in pacto de amittenda iuſtitia originali, ſi Adamus peccaret.

67

Declaratur

Per hæc itaquè dicta clareſcunt, & vt meliùs appareant, notandum eſt, quod in generatione hominis ſunt duæ actiones circà animam. Vna, qua creatur, & hæc eſt à ſolo Deo, & per hanc certum eſt, originale non intrare in animam; nam peccatum non eſt à Deo. Altera eſt vnitio, qua vnitur corpori, & hæc eſt ex Deo, & ex homine, & per hanc transfunditur originale. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in* 2. *diſt.* 21. §. 4. ad illa verba: *Natura quippè humana non opere Dei cum vitio eſt inſtituta, ſed ex voluntatis arbitrio priorum hominum.*

Mag. ſent.

DE ORIGINALI PECCATO QUANTUM AD SUAM ESSENTIAM.

DISPVTATIO TRIGESIMASEXTA.

In quo essentia peccati originalis consistat?

§. I.

Reijciuntur Hæretici.

Num. 1

VIsso iam disputationibus præcedentibus, an sit originalis culpa, & cognita illius causa effectiva, restat, vt in præsenti disputatione examinemus, in quo eius quidditas, & essentia consistat. Quæ difficultas adeò Divinum Augustinum ingenium opprimebat, vt suam ignorantiam profiteri non erubescens, à beato Hyeronimo cuperet edoceri, sic inter alia *in Epist. Ad Hyeronim.* inquiens: *Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum magnis mei cordis coarctor angustijs, neque quid respondeam prorsus invenio.* Vt autem in illa à facilioribus exordium sumamus: Primum, quid non sit, explicabimus, aliorum sententias impugnando, vt tandem ad id, quod in hac parte difficillimum est, nempè, veriorem explanare sententiam deveniamus.

Prima Hæresis.

2 *Error Ylirici.*

MAthias Ylíricus, Lutheri discipulus, *in bello de peccato originali dixit*: Peccatum originale esse animam rationalem, quæ tota substantialitèr corrupta fuit propter peccatum Adami, & ex Imagine Dei, quæ anteà erat, transformata fuit in Imaginem Diaboli, sicque facta est substantialitèr, & essentialitèr peccatum.

3 *Reiectus ab Eccles. August. & Trident.*

Hic error, qui incidit in amentiam Manichæorum, asserentium, peccatum esse quandam naturam, damnatus est ab Ecclesia contra Manichæos, & quod peccatum sit substantia reiecit D. August. *6. contra Iulianum, cap. 5. & 7.* repugnatq; Trident. *Sess. 5. Can. 5.* asserente: *Per Baptismum tolli totum id, quod habet veram, & propriam rationem peccati.*

Rationibus etiam reijcitur primò: quia anima rationalis est immortalis: ergo nequit substantialitèr transformari. Secundò: quia cum anima rationalis sit solum à Deo per creationem causata, si ipsa est peccatum, Deus esset causa specialis peccati. *Rationibus reijcitur.*

Secunda Hæresis.

4 *Lutherus, Calvinus, & alij hæretici.*

LVtherus, & Calvinus *lib. 2. instit. cap. 1.* dixerunt: peccatum originale formalitèr esse concupiscentiam, vel fomitem, quem Paulus vocat legem membrorum, ideſt, appetitum sensitivum deordinatum, & propensum ad malum, & repugnantem legi mentis. Hoc etiam alij hæretici dixerunt, sed diversimodè. Pro cuius diversitate intelligenda.

5 *NOTA.*

Nota ex D. Anselmo *lib. de Conceptu Virginali, cap. 5. & 16.* quod concupiscentia primo, & per se est in parte sensitiva; secundario verò in appetitu rationali, scilicèt, voluntate; in vtraque tamen est duplex, nempè, in actu primo, & secundo. Concupiscentia in actu primo in appetitu sensitivo est pronitas ad proprium illius delectabile. Concupiscentia in actu secundo est actualis tendentia in illud obiectum, quod si sit primo conveniens, dicitur appetitus concupiscibilis; si verò sit secundo conveniens, dicitur appetitus irascibilis. In voluntate autem concupiscentia in actu primo est pronitas naturæ ad delectabile sibi conveniens. In actu verò se-

cun-

cundo est operatio liberè elicita, illi pronitati conformis, & est etiam suo modo concupiscibilis, & irascibilis.

6 *In pura natura essent in homine concupiscentiæ.*

Istæ autem concupiscentiæ ait Scotus *in 2. dist. 29. §. Contra istud. ℣. Præterea illa rebellio.* Et *§. Potest dici.* Et *dist. 39. §. Contra istam viam. ℣. Tertium dubiũ est.* Essent etiam in appetitu sensitivo, & in voluntate hominis in puris naturalibus. Ratio pro appetitu sensitivo est, quia esset rebellio partis sensitivæ contra intellectivam; nam ex eo, quod appetitus sensitivus effrenatè tenderet in proprium delectabile, resultaret immoderata delectatio, dummodo voluntas non cohiberet eius connatum. Ratio verò pro voluntate est: quia esset in illa inclinatio ad condelectandum appetitui sensitivo, cui coniungitur circà propriũ delectabile, sicque esset illi difficilè, retrahi à tali condelectatione.

7 *Dices.*

Dices: ergo assignanda, & concedenda est alia concupiscencia pœnalis, quæ vt docet Trident. *Ex peccato originali est, & ad peccatum inclinat.*

Respond.

Nego consequentiam; quia eadem est; cum hoc tamen discrimine, quod concupiscentia in pura natura est negatio, & consequentèr non est pœna; at post peccatum est privatio iustitiæ originalis, & sic est pœna; vndè ex peccato derelicta fuit in homine aliqua maior propensio ad delectabile, & hoc est, quod Tridentinus docet. Solutio patet ex eo, quod homo in pura natura esset, sicut homo nunquam vestitus, quod est negatio, & non pœna; at homo post peccatum est, sicut homo spoliatus vestibus, quod est privatio, & pœna.

8 *Solidatur responsio.*

Hæc autem solutio optimè (meo videri) sic parificatur: nam eadem est concupiscentia in statu innocentiæ, & post peccatum; cum hoc tamen discrimine, quod in statu innocentiæ erat frænata iustitia originali, vt ad ordinatum inclinaret, vt est navis gubernaculo, & æquus fræno; at post peccatum mansit privata iustitia originali, & consequentèr, vt navis fracto gubernaculo, & æquus fracto fræno, consequentèrque in inordinatum inclinatur; hæcque fuit pœna peccati originalis. Ita Scotus *in 2. dist. 32. §. Circà istam materiam. ℣. Dico igitur:* ergo paritèr de concupiscentia in pura natura, & post peccatum. His itaquè notatis.

9 *Error Lutheri, & Calvini.*

Lutherus, & Calvinus dicunt: Peccatum originale esse concupiscentiam in actu primò, seu sumptam pro facultate concupiscibili, & irascibili, nos inclinante ad malum. Huic errori fabere videtur Hugo Victor. *lib. 1 de Sacram. cap. 7. & 26.* dicens expressè: Concupiscentiam esse peccatum originale, & *cap. 36.* subdit: hanc concupiscentiam non imputari ad culpam renatis.

Error aliorum.

Alij autem Hæretici dicunt: Peccatum originale esse concupiscentiam in actu secundò, seu sumptã pro actualibus motibus blasphemiæ, &c. qui nunquam ab homine separantur.

10 *Vterque error reijcitur 1.*

Ex his autem erroribus, secundus est absq; dubio maius delirium, quod patet; nam in pueris est originale peccatum, quin tales motus sint in illis. Deindè vterque error impugnatur primò: prędictæ concupiscentiæ sunt in pura natura, & in statu innocentiæ ex dictis *num. 7. & 8*: ergo nequeunt esse peccatum originale.

Secundò.

Secundò: per Baptismum tollitur in renatis quidquid habet veram, & propriam rationem peccati, iuxtà illud Pauli ad Romanos 8. *Nihil damnationis est in illis, qui sunt in Christo Iesu*, diffinitur que expræssè in Trident. *Sess. 5. Canon. 5.* Atqui concupiscentia non tollitur per Baptismum, vt constat ex Trident. *citat.* his verbis: *Manere autem concupiscentiam in baptizatis, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit:* ergo, &c.

11 *Error Marci Eremitæ.*

Ex his Tridentini verbis reiectus manet Marcus Eremita, *qui lib. de Baptismo, interrogatione 2.* dixit: Concupiscentiam non manere in baptizatis. Et ex ratione facta clarè colligitur: Concupiscentiam in non baptizatis non esse peccatum originale formalitèr; nam si eadem manet in baptizatis. Et ex ratione facta clare colligitur: concupiscentiam in non baptizatis non esse peccatum originale formalitèr; nam si eadem manet in baptizatis, & non baptizatis, si in baptizatis non est peccatum, neq; erit in non baptizatis.

12 *Obijciunt Hæretici.*

Obijciunt Hæretici plura Scripturæ loca, & plura D. Augustini testimonia, in quibus concupiscentia appellatur peccatum: ergo cum in parvulis contrahatur ex Adamo, verè in illis concupiscentia erit originale peccatum. Consequentia patet; alioquin

verba Scripturæ non proprie, sed methaphoricè explicarentur. Antecedens verò est certum, & authoritates ommitto, tum; quia passim Authores eas adducunt; tum etiam, quia eisdem solutionibus respondetur ad omnes.

13 *Respond. 1.* Respondeo itaquè primò: concupiscentiam vocari peccatum, non quia formalitèr peccatum sit, sed quia ex peccato est, nempè, originali, & ad peccatum inclinat, scilicèt, actuale, vt docet Trident. *Sess. 5. Can. 5.* Secundò: loqui de concupiscentia in actu secundo, quæ accedente consensu voluntatis est peccatum; non verò in actu primo. Vtraque hæc solutio est iuxtà mentem D. Augustini vt colligitur ex exemplo ab ipso adducto *lib. 5. contra Iulianum, cap. 3.* nempè, excæcatio, quæ est effectus peccati prædentis, & est causa subsequentis, & est etiam peccatum actuale accedente consensu voluntatis. Tertiò loqui de peccato pro materiali, vt exponit Scotus *in 2. citat. à nobis num. 8.* & hoc modo explicatur Hugo *num. 9.* relatus, & solvuntur rationes ab Hæreticis traditæ.

Secundò.

Tertiò.

14 *Concupiscia in actu 1. est materiale peccati originalis.* Quod autem concupiscentia in actu primo sit materiale peccati originalis, docuit etiam D. Thomas 1. 2. *quæst. 82. art. 3.* & tenet Ill. Godoy *num. 3.* Ratio autem est: nam sicut in ægritudine corporali privatio proportionis humorum est ægritudo formalitèr, & ipsi humores improportionati dicuntur materialitèr ægritudo; sic in peccato privatio rectitudinis est formale illius, & ipsæ potentiæ pravè sunt quasi humores improportionati, & materiale peccati. Solum est advertendum, quod sola concupiscentia pœnalis, & quæ est involuntate, est materiale peccati, vt notavit Scotus *citat.* nam peccatum formale solum est in voluntate propriè, & rigorosè, vt *disp. seq.* contra Ill. God. propugnabimus.

15 *Dices.* Dices: materiale peccati non manet, ablato formali, sicut non manet actus furandi, ablata malitia; sed ablata privatione iustitiæ originalis, manet concupiscentia, vt patet in renatis: ergo concupiscentia non est materiale peccati originalis. *Respondeo.* Respondeo: Maiorem esse falsam in peccato originali, quia cum hoc sit, sicut habituale, manere potest materiale illius, ablata malitia. Imò licèt sit aliquando vera in peccato actuali; non tamen semper, quia idem actus potest transire de bono in malum successivè, vt dixi *disp. 19. num. 15. & 16.*

Denique non inconvenit (vt intendebat argumentum) ad methaphoricam peccati acceptionem confugere in præsenti, propria relicta; tum: quia in Scriptura Sacra multoties in methaphorica acceptione vitur patur, vt constat ex illis verbis Pauli 2. *ad Corinthios 5: Eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit,* idest, Christum, qui nec peccavit, nec peccare potuit, fecit hostiam pro peccatis, vbi hostia pro peccatis oblata, peccatum vocatur, in quo sensu, scilicèt, methaphorico, dicebantur Sacerdotes commedere populi peccata, idest, hostias pro peccatis oblatas. Tū etiam: quia si verba Pauli in proprio sensu accipiantur, sequitur in Paulo contradictio manifesta; cum sæpissimè asserat, nihil damnationis in renatis manere, & ex alia parte in illis concupiscentiam inveniri, quæ duo stare non possunt, si concupiscentia sit formalitèr peccatum, qua propter, vt contradictionem vitemus, adstringimur, verba in contrarium adducta in methaphorico sensu interprætari. 16

§. II.

Aliqua Catholicorum placita impugnantur.

Prima opinio.

17 *Opinio tenens: peccatum originale esse morbidam qualitatē.* PPræter Hæreticos iam impugnatos, sunt aliquæ Catholicorum opiniones, quas ad integram peccati originalis intelligentiā brevitèr proponemus. Magister sententiarum *in 2. dist. 30. & 31.* Henricus *quodlib. 1. quæst. 11. & quodlib. 5. quæst. 23.* Gregorius *distinct. 31. artic. 2.* & alij, vt refert Scotus *in dist. 32. §. Ad primum dicitur,* senserunt: peccatum originalem esse quandam qualitatem morbidam, & pestiferam ex pacto Adæ in carne insitam, & ex carne in anima. Hanc qualitatem vocant fomes, lex membrorum, & tyranus.

18 *Impugn. 1.* Hanc opinionem impugnat Scotus *citat. §. Circà secundum artic.* Et primo sic à nobis impugnatur: nam solum in nobis experimur appetitum sen-

sensitivum inclinatem in delectabile contra rationem; sed iste appetitus non est illa qualitas morbida, vt apparet ex dictis *num. 5. & 6*: ergo non datur talis qualitas. Secundò: illa qualitas est corporea: ergo nequit inficere animam rationalem, quæ est spiritualis. Tertiò: quia incredibile apparet, quod tot annorum spatio, & per tot generationes non fuerit talis qualitas consumpta. Deniquè: peccatum sub ratione peccati est malum morale, & privatio boni: ergo qualitas morbida nequit esse peccatum.

Secundò.

Tertiò.

Deniquè.

19 *Obijcit.* 1. Obiciunt primò Augustinum *Primò de Nuptijs, & concupiscentijs cap.* 15. dicentem: *Originale peccatum est affectio quædam malæ qualitatis.* Et *cap.* 31. vocat illud *Morbidum affectum.* Secundò: *lib.* 4. *Hipag.* dicentem: *Libidinem in homine natam esse ex affatu Serpentis.* Tertiò: *lib.* 5. *contra Iulianum, cap.* 3. dicentem: *Animam in corpore vitiari, tanquam in vase vitiato.* Ad primum respondeo: intelligere appetitum sensitivum vitiatum carentia iustitiæ originalis. Ad secundum loqui methaphoricè, quatenus Diabolus Serpens sugestione sua infecit animam Adami, ex qua infectione orta est libido. Ad tertium respondet Scotus *citat. §. Ad argum.* 3. *quæst. 3. Ad argum. in oppositum*, intelligi, *in quantum anima est forma carnis, ex quarum vnione resultat filius Adæ, qui est debitor habendi iustitiam, qua caret.*

Secundò.

Tertiò.

Respondeo.

Secunda opinio.

20 *Opinio docens: esse actuale Adæ peccatũ extrinsicè denominans peccatores.* Pigius *controvers.* 1. *de Peccato originali.* Catherinus *Opusc. de Casu hominis, cap.* 8. Et Salmeron *ad Rom.* 5. *disp.* 45. 46. *&* 47. dicunt: peccatum originale esse ipsum actuale peccatũ Adami extrinsicè parvulos peccatores denominans. Vndè quatuor colligunt: Primò: peccatum originale esse vnum, & idem numero in omnibus. Secundò: hoc peccatum fuisse re ipsa in Adamo; in nobis autem solum per imputationem. Tertiò: nihil esse in parvulis inhærens, quod habeat rationem peccati. Quartò: privationem iustitiæ, reatum, & alia similia, non esse culpam, sed pœnam.

21 *Impugn.* 1. Hanc opinionem Theologi plures censurant, à quo abstineo, & impugnatur primò: peccatum Adæ est radix, & causa peccati originalis in posteros: ergo ipsum Adæ peccatum actuale nequit esse peccatum originale illorum. Consequentia patet: quia idem nequit esse causa sui ipsius. Antecedens verò est Pauli *ad Rom.* 5. his verbis: *Per vnius hominis inobedientiam peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, vbi particula *per* causalitatem significat. Secundò, & fortè efficacitèr: nam Paulus *citat. in fine capitis*, sic ait: *Sicut enim per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituti sunt multi*; at homines non iustificantur formalitèr per Christi obedientiam, sed solum effectivè; formalitèr autem per aliquid intrinsecum ab illa derivatum, & distinctũ: ergo parvuli etiam iniusti, & peccatores non constituuntur formalitèr per actualem Adami inobedientiam, sed effectivè; formalitèr autem per aliquid intrinsecum parvulis ab illa derivatum, & distinctum ab illa.

Secundò.

22 *Tertio.* Tertiò: peccatum Adæ, quod est origine vnum, ad nos, non imitatione, sed propagatione transfunditur, omnibusque inest, & vnicuique nostrum est proprium, vt conceptis verbis tradit Tridentinus *Sess.* 5. *Can.* 3: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum, & omnibus inest vnicuique proprium, &c*; atqui si omnes denominamur peccatores, à peccato in Adamo dumtaxat existente, non possent singuli dici peccatores peccato in se transfusso, sibi inhærente, & sibi proprio: ergo idem quod anteà.

23 *Quarto.* Quartò, & est vrgens confirmatio: quod nostra iustificatio fiat de facto per formam intrinsecam, inferunt Theologi ex Trident. *Sess.* 6. *cap.* 7. illis verbis: *Id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atquè ipsis inhæret.* At verbum *Transfundi*, & verbum *Inesse*, quibus Concilium vtitur, ad infectionem originalis culpæ in nobis explicandam, non minus denotant formam intrinsecam, quam verbum *Infundi*, & verbum *Inesse*: ergo paritèr: certum debet censeri, parvulos peccatores, & infectos constitui per aliquid ipsis intrinsecum, & non solum per actuale Adami peccatum, quod est quid extrinsecum ipsis.

Quintò. Quinto : nam Augustin. *lib. 2. de Nuptijs cap. 26. ad finem*, illis verbis: *Voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati*; at causa, & effectus in idem non veniunt : ergo parvulorum peccatum distinctũ quid est à peccato actuali primi parentis. Qua ratione vtitur Anselmus *lib. de Conceptu Virginali, cap. 25.* sic dicens: *Aliud fuit Adæ peccatum, & aliud Infantium. Illud enim fuit causa, istud effectus.*

24 *Deniq; ratione efficaci.* Deniquè ratione efficaci impugnatur: essentia peccati originalis debet constitui in aliquo intrinseco parvulis; at actus Adami, non nisi extrinsecè comparatur ad illos: ergo in actuali peccato Adami nequit constitui. Discursus tenet. Minor constat, & maior, præter quam quod ex Trident. clarè colligitur, in hunc modum probatur : Parvuli, etsi solum fuerunt peccantes in alio, sunt tamen verè, & propriè originaliter peccatores in se; at per formam illis extrinsecam, & in intrinsecam capiti, non possunt constitui peccatores in se, sed solum in capite; sicuti hac de causa, non in se, sed in capite solum peccarunt, quia actuale peccatum non fuit aliquid illis intrinsecum: ergo vt sint peccatores habitualiter, non in alio, sed in se ipsis, aliquid eis intrinsecum debet recognosci, in quo culpa originalis consistat.

25 *Declaratur* Declaratur ex Anselmo *citat. cap. 7.* dicente : *Sicut in Adam omnes peccavimus, quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus; sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est necessitas, vt cum essemus, peccaremus, quoniam per vnius inobedientiã, &c.* quæ verba valdè sunt ponderanda: non enim, inquit, per actualem Adæ inobedientiam nos constitutos esse peccatores; sed tantum factam esse in nobis necessitatem, vt cum erimus, statim in nostra conceptione culpam originalem contrahamus: adeo quod peccatum Adæ actuale inducit in nos dumtaxat debitũ contrahendi originale peccatum, quando erunt, non autem ipsam originalem culpam: id quod etiam Caietanus notavit *quæst. 81. art. 3.* dum ait ex illo Apost. dicto: *In quo omnes peccaverunt*, tantum deduci, omnes homines obnoxios esse peccato originali, quo ad debitum illud contrahendi : non autem quo ad actualem contractionem originalis culpæ : qua ratione communiter dici solet, quod licèt B. Virgo cum cæteris hominibus peccaverit in Adamo : hinc minimè deduci, quod peccatum originale ex hoc contraxerit, sed debitum dumtaxat illud contrahendi.

§. III.

Tertia aliorum opinio refutatur.

OB hæc igitur alij, & plures asserunt : originale peccatum esse ipsum Adæ peccatum, in parvulis per modum habitus moraliter perseverans, dum illis non condonatur. Ita Authores citati à Mastrio *in 2. disp. 4 quæst. 5. num. 75.* inter quos Pontius, & Vulpes ex nostris, prætendentes, hanc suam sententiam esse Scoti, & nullatenus coincidere cum opinione præcedenti iam impugnata. Ex hac duplici prætensione, primum est falsum, quia non esse de mente Scoti, patebit infrà. Secundum autem libenter fateor, sed fateor etiam, parum à prædicta opinione discordare, quia tale Adæ peccatũ neque in nos transfunditur, quia transit, neque nobis est intrinsecum, neque est vnicuique proprium, vt patet ex dictis, & evidenter convincit paritas de nostra iustificatione posita *numer. 21. & 23.* Vndè eisdem rationibus ac præcedens, hæc impugnatur opinio.

26 *Opinio asserens, esse peccatũ Adæ moraliter perseverans.*

Parum distat à præced.

Respondent contrarij ad impugnationem ex D. Paulo, quod idem, vt comparatur ad vnum, potest esse causa moralis, cur possit convenire alijs secundum aliam rationem; vndè idem Adami peccatum potest esse causa originalis posterorum, licèt ipsum sit originale ipsorum peccatum, nam quod fuerit physicè ab Adamo commissum, fuit causa, cur idem ad posteros transiret moraliter, & eos inficeret. Hæc tamen solutio, & Philosophiæ adversatur, & ab Scriptura discedit, & Trident. dissonat.

27 *Respondent ad rationẽ ex D. Paulo deductam.*

Contra primò: omnis causa, sivè physica, sivè moralis, adæquatè distinguitur à suo effectu; sed iuxtà solutionem peccatum Adæ actuale est causa moralis originalis nostri : ergo nequit esse nostrum originale peccatum. Secundò : ita iuxtà Paulum *cit.* se habet originale nostrum peccatum ad actuale Adami peccatum, sicut se habet mors ad nostrum originale; sed

28 *Contra 1.*

Secundo.

pec-

peccatum nostrum originale, quod est causa moralis mortis corporalis non est ipsa mors, quin potius est effectus ab illo distinctus: ergo paritèr de peccato actuali Adami respectu originalis nostri. Tertiò: ita per peccatum Adæ constituimur peccatores, sicut per meritum Christi constituimur iusti; sed non constituimur iusti per idem meritum Christi, in nobis per modum habitus moralitèr perseverans, sed per aliquid distinctū, vt ex Scriptura, & Trident. diximus *num.* 21. *&* 23: ergo similitèr de peccato Adami.

Tertiò.

29 *Respondent ad impugnat. ex Trident. 1.*

Ad impugnationem ex Trident. respondent primò: quod ipsum peccatum Adæ est moralitèr multiplicatum in nobis, licèt sit phisicè idem, & nobis moraliter, etsi non phisicè inhærens. Secundò: quod ly *propriū*, posìtum à Concilio, idem est, ac *verum*, hoc est non fictum, aut improprium, cum quo stat, esse omnibus commune. Tertiò: verba illa Concilij: *Peccatum Adæ, quod est origine vnum, in posteros transfundi*, probant, idem peccatum esse in omnibus; alioquin non benè diceret: *Transfundi, & inesse omnibus*, sed dicere deberet, quod ratione peccati Adæ alia peccata sint à posteris contracta.

Secundò.

Tertiò.

30 *Impugnat. 1. solutio.*

Nulla ex his solutionibus satisfacit, & suo ordine impugnantur. Prima: nam illa verba, quæ adducit Cocil. *Sess. 5. Can. 3.* declarat *Sess. 6. cap. 3.* ita debere intelligi, nempè, quod per propagationē ex iniustitia Adæ propriam contrahant iniustitiam omnes ab eo descendentes, sicut in Christo postea renascentes ex Christi iustitia, propriam contrahant iustitiam; atqui iustitia Christi ex eius meritis, non ita in nos transfunditur, vt solum moralitèr multiplicetur in nobis, & nobis solum moralitèr inhæreat: ergo nec iniustitia Adę in nos ita transfunditur. Vrgetur primò: peccatum Adæ transfunditur in posteros ad instar naturæ; sed natura non ita transfunditur, vt solum virtualitèr plurificetur, & inexistat nobis, sed realitèr, & formalitèr numero sit distincta: ergo similitèr de peccato. Secundo: eodem modo docet Concilium, ex peccato Adami culpam in nos transfundi, ac pœnas; sed pœnæ non ita in nos transfunduntur, vt solum moralitèr multiplicentur, & inhæreant: ergo paritèr de culpa.

Vrgetur 1.

Secundò.

31 *Secunda impugnat.*

Impugnatur secunda: ly *proprium*, posìtum à Concilio, negat, peccatum esse commune: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: ly *proprium* cadit suprà ly *vnicuique*, vt constat ex verbis Concilij: ergo ly *proprium* negat, peccatum esse commune. Secundò: ly *propriam iustitiam*, à Concilio posìtam, negat, iustitiam esse communem: ergo similitèr. Tertia impugnatur: illa verba: *Transfundi, & inesse omnibus*, optimè compaciuntur cum hoc, quod per propagationem peccatum in omnibus individualitèr plurificetur: ergo quin sit omnibus idem numero communicatum, & consequentèr ruit solutio. Probatur antecedens primò: iustitiam ex meritis Christi transfundi, & inesse nobis, optimè compatitur cum hoc, quod per regenerationem iustitia in nobis individualitèr plurificetur: ergo paritèr. Secundò: naturam humanam transfundi, & inesse omnibus, optimè compatitur cum hoc, quod per generationem natura humana in omnibus individualitèr plurificetur, vt est manifestum: ergo similitèr.

Tertia impugnatur.

Omitto aliàs adversariorum solutiones, quia vel omninò falsæ sunt, vel insufficientes ad eorum opinionem salvandam, quod evidentèr demonstratur duplici præfata paritate, desumpta ex iustitia per merita Christi, & natura humana, ex quibus prima habet maiorem efficatiam, tum; quia fundatur in comparatione adducta ab Apostolo inter damnationē primorum Parentum, & Christi Redemptionem: *Sicut enim per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituti sunt multi*, de qua diximus *num.* 21. Tum etiam; quia est Concil. Trident. *citat. num.* 23. *&* 30. ob quam necessariò dicendum est: peccatum originale esse in posteris realitèr, & formalitèr numero multiplicatum, & consequentèr non esse idem Adami peccatum, in parvulis per modum habitus moralitèr transfussum, & virtualitèr, moralitèrque in illis multiplicatum dumtaxat.

32 *Quælibet alia solutio impugnat.*

Arguitur primò ex D. Paulo ad Rom. 5: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt*

33 *Arguit. 1.*

multi, & vnius delicto multi mortui sunt, & in Adam omnes peccaverunt: ergo peccatum originale non est aliud, quam ipsum Adami peccatum. Probatur consequentia primò: Adæ posteri peccaverunt in ipso, quando ipse peccavit, iuxtà Paulum; sed illud peccatum est originale: ergo. Secundò: peccatū Adæ fuit etiam nostrum: ergo. Tertiò: peccatum Adę iuxtà Trid. *Sess. 5.* est vnum origine: ergo. Quartò: illud est originale peccatum, per quod mors intravit in mundum ex Paulo *citat*; sed per peccatum Adæ mors intravit in mundum iuxtà Genes. 2: ergo. Quintò: peccatum originale est, quod potest alijs nocere; sed peccatum Adæ nobis nocuit: ergo. Denique ex August. *Epist. 23. ad Bonif.* dicente: *Traxit ergo reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo*: ergo peccatum originale est idem Adami peccatum.

Prob. consequent. 1.

Secundò.

Tertio.

Quartò.

Quintò.

Sextò.

34 *Respondeo ad argum.*

Respondeo ad argumentum: Paulum loqui causalitèr, & effectivè; non verò formalitèr, vt demonstrat paritas ibi ab Apostolo inducta de obedientia Christi, posita *num.* 21. multotiesque repetita. Ex quo distinguo consequens: ergo peccatum originale non est aliud, quam ipsum Adami peccatum, causalitèr, concedo consequentiam; formalitèr, nego consequentiam. Solutio claret ex nostris probationibus, præsertim ex D. Anselmo *citat. num.* 25. qui hoc egregiè explicat. Ad primam probationem consequentię, distinguo antecedens distinctione data, similitèrque ad secundam. Ad tertiam explico Concilium: est vnum origine in propagatione, nego; vnum origine, & multiplex propagatione, concedo. Solutio claret ex verbis Concilij vt diximus *num.* 30. Ad 4. & 5. distinguo maiorem: peccatum originale originans concedo maiorem; originale originatum, nego maiorem, & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Itaque peccatum originale est duplex. Vnum originans, quod fuit origo, & causa omnium aliorum, & hoc est peccatum Adæ. Aliud originatum, quod vnusquisque in sua conceptione contrahit, & hoc est vnicuique proprium iuxtà Concilij, consequentèrque à peccato Adæ distinctum. Ad sextam respondeo sicut ad Paulum. Denique totum retorqueo paritate de iustitia ex meritis Christi, toties repetita.

Ad 1. & 2. probat.

Ad 3.

Ad 4. & 5.

Ad 6.

Vulpes *disp.* 140. *art.* 6. Triplicitèr arguit ex Scoto. Primo: nam *in* 2. *dist.* 32. §. *Ad argumenta quæstionum per ordinem.* Ponit peccatum originale voluntarium, pro eo, quod est in voluntate; sed peccatum voluntarium Adamo fuit actualis illius inobedientia: ergo peccatum originale est illa actualis inobedientia. Secundò *ibi cit.* docet: nos potuisse evitare peccatum in Adamo; sed peccatum Adæ fuit prædicta inobedientia, & hoc est, quod nos in illo evitare potuimus: ergo nostrum peccatum est peccatū Adæ. Tertiò: peccatum originale dicitur peccatum totius naturæ; sed solum peccatum Adæ fuit per se primum peccatum totius naturæ; secundario verò personale actuale ipsi Adamo, vt docet Scotus *citat.* ¥. *Ad vltimum*, dicens: *Adam non corrupisse per se primo hanc numero naturam, vel personam*: ergo peccatum originale est peccatum Adæ.

35 *Arguitur ex Scoto.*

Primò.

Secundo.

Tertio.

Ad primum respondeo: Scotum *citat.* tantum velle, quod peccatum originale sit voluntarium in Adamo, vt capite; vt constat ex illius verbis, quæ transcripsimus *disp.* 32. *num.* 13. & hoc modo intellecta maiori, distinguo minorem: peccatum immediatè voluntarium, concedo minorem; immediatè, & mediatè voluntarium, nego minorem, & consequentiam; quia vltrà actualem inobedientiam, quæ fuit peccatum immediatè voluntarium Adamo; nostrum etiam originale peccatum, ab illa inobedientia, vt à causa, procedens, fuit Adamo mediate voluntarium, idest, mediante inobedientia, cum vtrumque, hac differentia suppositā, fuerit in libera Adami potestate.

36 *Respondeo ad 1.*

Ad secundum concessa maiori, cuius verba ad litterā ex Scoto transcripsimus *disp.* 32. *num.* 14. distinguo minorem: peccatum Adæ, vt capitale, quod est causa, & origo nostri originalis, est quod nos in illo evitare potuimus, concedo minorem; alio modo, nego minorem, & consequentiam. Itaque certum est, quod ibi Scotus docet: parvulos potuisse, peccatum originale evitare in Adamo, à quo illud contraxerunt; ex hoc tamen nullatenus sequitur, peccatum originale eorum esse ipsum actuale

37 *Ad 2.*

ab Adamo commissum, quin potius oppositum; nam si originale in parvulis est illud, quod ex peccato Adami contrahitur, originale parvulorū non est ipsum Adami peccatum; alioquin nec esset contractum contra Scotum *citat*; nequè causa distingueretur adæquatè à suo effectu contra dicta *num.* 28. & contra omnem Philosophiam.

38 *Ad 3.* Ad tertium distinguo maiorem: peccatum originale originans, concedo maiorem; originans originatum, nego maiorem; negoque minorem; quia peccatum Adami per se primo fuit peccatum personale, & secundario, ac demeritoriè fuit peccatum totius naturæ, vt expræsse ait Scotus *citat.* his verbis: *Adam non corrumpit naturam hanc numero, sicut nec personam numero, sed corrumpit se peccato personali, & in hoc demeritoriè totam posteritatem suam.* Vndè ly *Naturam hanc numero, & personam*, non itellexit naturam, & personam Adami, sed naturam, & personam alicuius ex posteris, peccatum contrahentibus, vt luce clariùs apparet.

39 *Deniquè arguitur ex Scoto.* Deniquè potest argui ex Scoto *citat. ℣. Respondeo*, dicente: *Quod sicut meritum, quod transit in se, manet tamen in scientia, & acceptione Divina, quia ita præmiat pro eo, ac si esset præsens; ita condemeritum transit quantum ad actum, manet tamen in scientia Divina, quia ita punit pro eo, ac si esset præsens.* Et concludit dicendo: Deum non dare pueris iustitiam originalem ob demeritum Adæ in scientia Divina permanens: ergo peccatum originale parvulorum est ipsum Adæ peccatum moraliter permanens. *Respond.* Respondeo negando consequentiam; quia ex his verbis Scoti ad summum deduci valet, peccatum habituale Adami, vt personale, manere in scientia Divina, modo ab Scoto explicato, sicque habere existentiam sufficientem; nempè, moralem, vt sit causa efficiens demeritoria nostri peccati originalis, quod dixit Scotus *citat.* & nos cum ipso diximus *disp.* 35. *num.* 3. Ex quo apparet: nostrum originale non esse ipsum Adami peccatum; aliquin idem essent causa, & effectus, quod est falsum.

40 *Scotus ab hac opinione alienus.* Ex his itaquè manifestè convincitur: prædictam opinionem, scilicèt, peccatum originale esse ipsum Adæ peccatum, in parvulis per modum habitus perseverans, non esse de mente Scoti; imò clariùs convincetur §. 9. dum nostram sententiam cum Doctore statuamus.

§. IV.

Quarta, & communis opinio refellitur.

41 *Opinio docens: consistere in privatione iustitiæ originalis.* CElebris, & valdè plausibilis opinio est apud Theologos, peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis. Huius opinionis Author, vt testatur Scotus *in* 2. *dist.* 32. §. *Quoad* 1. videtur fuisse D. Anselmus, qui *lib. de Concept. Virg. cap.* 27. loquens de peccato originali, eiusque essentiam quærens, sic ait: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis Infantibus, nisi ipsam, quam suprà possui, factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem.* Sed licèt in hac opinione ferè omnes conveniant, in diversos tamen modos dividuntur secundum diversos modos, quibus de iustitia originali locuntur.

42 1. *dicendi modus.* Primus est aliquorum, qui distinguentes iustitiam originalem in habitualem, & actualem, asserunt: peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis actualis. Iustitiam originalem habitualem vocant gratiam habitualem, aliaque dona habitualia. Iustitiam originalem actualem appellant actus honestos, & supernaturales, subijcientes mentem Deo, & appetitum rationi. Ita Granados *controv.* 6. *tract.* 8. *disp.* 3. quem secuti sunt Arriaga, Oviedo, & alij recentiores.

43 *Secundus.* Secundus est ferè omnium Thomistarum asserentium: peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis habitualis, per quam intelligunt habitum gratiæ sanctificantis indistinctum à dono, quod animam Deo subdebat, carnem spiritui, & appetitum rationi.

Tertius. Tertius est ferè omnium Scotistarum docentium: consistere in privatione iustitiæ originalis habitualis, per quam intelligunt aliud donum distinctum à gratia sanctificante, cuius munus erat, carnem subijcere spiritui, & appetitum rationi.

44 Hoc itaquè donum iuxtà Scotum, non est vnus habitus, vt est gratia sanctificans, sed plures, quorum vnus

est

est in voluntate, & alij in alijs potentijs voluntati subditis, vt omnes sint voluntati subiectæ; vndè primarius effectus iustitiæ originalis non est solum coniungere mentem fini vltimo, sed coniungere etiam omnes potentias inferiores tali fini, vt sint subordinatę voluntati, quod non habet gratia sanctificans.

45 Isti autem habitus iustitiæ originalis sunt naturales quoad substantiá, & supernaturales quoad modum. Secundum est Scoti *in 2. dist. 29. §. Potest dici*, vbi iustitiam originalem vocat donum supernaturale, & patet ex eo, quod est habitus indebitus naturæ: ergo est supernaturalis quoad modum. Primum est etiam Scoti *citat. §. Ad 1.* vbi comparans gratiam cum hoc habitu ait: *Gratia coniungit fini, vt bono supernaturali, & vt supernaturalitèr per meritum attingendo tale bonum: non sic istud donum, sed tantum coniungebat illi bono, vt convenienti, & delectabili.* Idem insinuat *dist. 32. §. Ad argum. 4. quæstionis.* Et ratio est: quia talis iustitia originalis rectificat hominem tantum in ordine ad finem naturalem, aliàs esset habitus gratiæ; rursus efficit, vt potentiæ inferiores subordinentur rationi in ordine ad eundem finem: ergo in substantia est naturalis.

46 *Iustitia originalis realitèr distinguitur à gratia sanctificante.* Ex his itaquè manifestè apparent duo. Primò: quod iustitia originalis est donum realitèr distinctum a gratia sanctificante quod etiam probat Scotus *in 2. dist. 29. §. Ad 1. & Ad 4. dico, & dist. 32. in fine*, hac ratione: iustitia originalis in statu innocentiæ potuit esse sine gratia, & in hoc statu datur gratia sine iustitia originali: ergo realitèr distinguntur. Secundò: quod gratia est donum absolutè excelentius iustitia originali; licèt hæc aliquomodo, vel secundum quid excedat gratiam. Primum patet ex modo excellentiori, quo gratia coniungit hominem fini, vt ex Scoto dixi *num. præced.* Secundum constat: nam iustia originalis ita coniungit fini, vt faciat potentias subiectas voluntati, quæ coniunctio aliquomodo excedit coniunctionem, quam facit gratia. Vndè se habent, vt excedens, & excessum. Sit itaquè iustitia originali explicata, in illius dumtaxat privatione consistere peccatum originale, tuentur Scotistæ prædicti.

Quartus dicendi modus est Mastrij *in 2. disp. 4. quæst. 5. num. 126.* docentis: Peccatum originale formalitèr in vtriusque doni privatione consistere, tàm scilicèt, iustitiæ originalis, quam gratiæ sanctificantis debitę, adeò, vt singulæ privationes partialitèr, & inadæquatè concurrant ad integram, & adæquatam peccati originalis rationem constituendam. Pro hac opinione citat Mastrius Scotum, Concilium Tridentinum, & D. Anselmum, de quibus *infrà §. 6.* vbi rationes prædictæ opinionis solvemus. 47 *4. dicendi modus.*

§. V.

Impugnatur præfata opinio.

48 SEntentiam istam absque dubio valdè probabilem reddunt, tum authoritatis pondus; tum etiam rationes, quas *§. sequenti* pro illa adducemus. Ab illa tamen recedunt docti Thomistæ, quos pro nostra opinione citabimus, vltrà quos Magister Zumel *in præsenti quæst. artic. 3. disput. 2. concluf. 5.* Curiel *art. 1. dub. 4. §. 3.* Herrera *lib. de Concept. Virginis, cap. 15.* pro se referens Caietanum *in præsenti quæst. art. 1.* D. Bonavent. *in 2. dist. 30. quæst. 1.* Albertum *art. 2.* Burgensem *ad Rom. 5. Addition. 3.* cuius subscripsit Magister Martinez *in præsent. quæst. art. 1. dub. 1. concluf. 4.* Quibus adhæret Ill. Godoy *§. 6. & 7.* vbi prædictam opinionem, & modos in illa dicendi impugnat.

49 Etiam à dicta opinione recedunt docti Stotistæ, quos pro nostra opinione referemus. Meritò quidem, quia est contra Scoti principia ab omnibus Scotistis concessa. Quibus adhærens, & doctrina Scoti vtendo, impugnatur primo: nam gratia, & peccatum non opponuntur ex natura rei, sed tantum demeritoriè, ideòque possunt de potentia Dei esse simul, & peccatũ tolli sine gratia; atqui gratia, & eius privatio nec de potentia Dei absoluta possunt esse simul: ergo privatio gratiæ nec est peccatum actuale, nequè habituale: ergo nec privatio iustitiæ originalis. Secunda hæc consequentia est paritate evidens. Prima est legitima. Minor patet: nam gratia, & eius privatio sunt contradictoria. Maior autem est generalis Scotistarum doctrina cum Magistro *in 2. dist. 28. §. Ad quæstion.* Et *dist. 37.* *Impugn. 1.*

Et

Et *in* 3 *dist.* 28. Et *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad argum.* & alibi sæpè.

50 *Impugn.* 2. Impugnatur secundò: peccatum originale debet consistere in eo, in quo peccatum habituale Adami formaliter consistebat; sed peccatum habituale Adami non fuit privatio iustitiæ originalis actualis, vel habitualis, sivè distinctæ, sivè indistinctæ à gratia: ergo peccatum originale non consistit formaliter in privatione iustitiæ originalis quomodocumque acceptæ. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est certa primò: quia peccatum originale comparatur cum habituali, vt diximus *disp.* 32. *num.* 4. Secundò: nam peccatum habituale Adami, ad nos transfussum, est nostrum originale peccatum, vt in declaratione nostræ sententiæ dicemus, & probabimus.

51 *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius *cit. num.* 101. negando maiorem ob differentiam inter peccatum originale, & habituale; nam originale cum sit in omnibus æquale, consistere potest in privatione iustitiæ, per quam totum peccatū tollitur; alioquin vnum non esset gravius alio. Disparitatem fateor; sed Mastrium magis vrgeo. Primò: hæc disparitas impedit, peccatum habituale constitui per privationem iustitiæ; sed non impedit, quod originale constituatur per illud, quod habituale constituit: ergo disparitas non est ad rem, & manet efficatia nostræ rationis. Probatur minor primò: hæc disparitas non impedit, quod originale constituatur per reatum, vt tenet probabiliter Mastrius *artic.* 3. idem de habituali absolutè asserendo, vt asserit *disput.* 6. *quæst.* 9. & de vtroque æque propugnavit Gavatius: ergo, &c. Probatur secundò: hæc disparitas non impedit, quod originale constituatur per privationem rectitudinis debitæ, in qua consistit habituale, vt tenent plures Scotistæ, & quod iudico probabilius: ergo idem, quod prius. Consequentia est legitima. Antecedens verò vtriusque probationis est certum, quia, his stantibus sententijs, manet inter originale, & habituale peccatum disparitas à Mastrio assignata.

Vrgeo 1. *cōtra Mastrium.*

52 *Vrgeo* 2. Vrgeo secundò, probando maiorem, quam negat Mastrius: si peccatum actuale Adami esset in nos transfussum, nostrum originale peccatum consisteret formaliter in eo, quod formaliter consistebat actuale Adami peccatum; atqui peccatum habituale Adami est in nos transfussum: ergo peccatum originale debet consistere in eo, in quo peccatum habituale Adami formaliter consistebat: Nulla igitur est disparitas à Mastrio adducta.

53 *Vrgeo* 3. Impugnatur tertiò: privatio iustitiæ originalis, sivè actualis, sivè habitualis, sivè à gratia distinctæ, est effectus, vel pœna peccati originalis: ergo in tali privatione nequit essentia culpæ originalis consistere. Antecedens contra Scotistas probatum est ex Scoto *num.* 49. contra Thomistas verò probat Ill. Godoy ex D. Thom. *num.* 45. Hoc argumentum valdè torquet Authores contrarios, ad illudq̄ variè respondent Thomistæ, quorum solutiones adducit, & reijcit Ill. God. *à num.* 46. *vsquè ad* 52. Scotistæ verò, & pro ipsis Mastrius *num.* 140. respondet, se remittendo ad ab ipso dicta *numer.* 136. vbi ait: privationem iustitiæ originalis esse pœnam peccati actualis Adami; non verò peccati habitualis, quin potius est ipsum habituale peccatum, & consequentèr etiam nostrum originale. Vndè in forma negabit antecedens.

Respondet Mastrius.

54 *Contra* 1. Contra primò: privatio iustitiæ originalis est peccatū habituale Adami: ergo iustitia originalis, & habituale peccatum non potuerunt simul esse in Adamo de potentia Dei absoluta: ergo gratia, & peccatum habituale nequeunt de potentia Dei absoluta esse simul in nobis; quia eadem omnino est ratio. Atqui hoc est contra omnes Scotistas, & Scotum ex dictis *num.* 49. & contra Mastrium *in* 2. *disp.* 7. *quæst.* 2: ergo privatio iustitiæ originalis non est habituale Adami peccatum: ruit ergo solutio. Omnia sunt vera, si vera est prima consequentia. Hæc probatur: iustitia originalis, & eius privatio nequeunt esse simul de potentia Dei absoluta; sed iuxtà Mastrium privatio iustitiæ originalis est peccatum habituale Adami: ergo, &c.

Contra 2. Contra secundò: privatio iustitiæ originalis non est culpa: ergo nec fuit peccatum habituale Adami, nec est nostrum originale. Probatur antecedens: privatio iustitiæ originalis est pœna: ergo non est culpa. Conse-

quen-

quentia videtur certa, quia pœna, vt pœna, supponit culpam. Antecedens est certum apud omnes docentes, quod ideò iustitia originalis fuit nobis sublata, quia peccavit Adamus.

55 *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius *num.* 136. negando antecedens, ad cuius probationem concesso antecedenti, negat consequentiam; quia licèt talis privatio sit in vno sensu pœna; in alio est culpa; nam in quantum est carentia boni à voluntate activè procedens, est culpa, & in quantum in ipsa voluntate passivè recipitur, est pœna. Et hæc est clara Scoti doctrina *in* 2. *dist.* 37. qua cum ipso nos vsi sumus contra Ill. Godoy *disp. præced. §.* 3. *per totum.*

56 *Contra.* Contra: privatio iustitiæ originalis est pœna strictè sumpta: ergo nequit esse culpa. Antecedens patet; nam talis privatio habet omnes conditiones ad pœnam strictè sumptam requisitas, quas declaravimus *disput. præced. num.* 10. quarum vna est, quod sit à Deo volita, nam est effectus iustitiæ vindicativæ. Consequentia probatur: pœna strictè sumpta nequit esse culpa; sed per te privatio iustitiæ originalis est pœna strictè sumpta: ergo nequit esse culpa. Probatur maior: si pœna strictè sumpta esset culpa, culpa esset à Deo volita, sed hoc falsum, & repugnans est: ergo, &c.

57 *Explicatur Scotus.* Vndè Mastrio non fabet Scotus in illius solutione; Scotus namque à Mastrio citatus, solum intendit, quod culpa potest esse pœna latè accepta, quod vi rationis Scoti verificatur etiã de peccato formaliter, vt peccatum est, quod in quantum à voluntate procedit activè, est peccatum, & in quantum à voluntate passivè recipitur, est pœna latè sumpta; & hæc est doctrina, qua nos vsi sumus contra Ill. Godoy *disp. præced. §.* 3. *per totum.* Cæterum esse pœnam strictè acceptam, & esse culpam, est omninò repugnans, vt ibi etiam declaravimus, virtute cuius nunc dicimus; repugnare, quod privatio iustitiæ originalis, quæ est pœna strictè sumpta, sit culpa, & consequentèr, quod sit originale peccatum.

58 1. *dicendi modus impugnatur* 1 Sic itaquè impugnata sententia, in qua Authores relati conveniunt, nempè, peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis; impugnandi etiam sunt quatuor prædicti modi dicendi. Impugnatur primus primo: Iustitia originalis se habet in suo ordine, sicut iustitia sanctificans; sed dato, quod peccatum habituale in privatione iustitiæ sanctificantis consistat, non consistit in privatione iustitiæ sanctificantis actualis, sed habitualis: ergo dato, quod originale peccatum in privatione iustitiæ originalis consistat, non consistet in privatione iustitiæ originalis actualis, sed habitualis. Consequentia est paritate notoria.

59 *Impugn.* 2. Secundo impugnatur: nam ideò iuxtà hos Authores, peccatum originale consistit in privatione iustitiæ originalis, quia Concilium Arausicanum II. *cap.* 2. Et Trident. *Sess.* 5. *Canon.* 3. asserunt: peccatum originale esse mortem animæ; sed mors animæ est privatio iustitiæ habitualis: ergo peccatum originale est privatio iustitiæ originalis habitualis; & consequentèr non actualis. Minor, in qua poterat esse difficultas, est paritate ab oppositio manifesta; nam vita animæ est iustitiæ habitualis: ergo mors animæ est privatio iustitiæ habitualis.

60 2. *dicendi modus impug.* Impugnatur secundus: Adamus per peccatum se, & posteros privavit, non solum gratia habituali, verum etiam iustitia originali: ergo peccatum originale, dato, quod in privatione iustitiæ consistat, non consistit in sola privatione gratiæ habitualis. Consequentia patet, alioquin nec Adamus, nec eius posteri manssissent vtroque dono privati. Antecedens verò docet Concil. Trident. *Sess.* 5. *Decreto de peccato originali*; *Can.* 1. *&* 2. vbi ait: *Adam acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam perdidisse sibi, & nobis per inobedientiæ peccatum.* Vbi per *sanctitatem*, intelligit gratiam habitualem, & per *iustitiam*, donum iustitiæ originalis.

61 *Dices.* Dices: Concilium per *sanctitatem*, & *iustitiam* intellexisse vnum, & eundem habitum gratiæ, qui vocatur sanctitas, & iustitia, eo, quod reddit hominem sanctum, & iustum. *Contra.* Contra: Patres locuntur de iustitia originali, vt de dono à gratia habituali distincto, sivè sit habitus, vt tenet Scotus, sivè peculiaris Dei providentia in regimine potentiarum, vt alij defendunt: ergo in eodem sensu loquitur de illis, vt de donis distinctis, & consequentèr nulla est solutio. Alia

con-

contra hunc dicendi modum dicemus, dum quartum impugnemus.

62 *Modus Scotistarum refutatur.*

Tertius dicendi modus reiectus manet per dicta *à num.* 50. *vsquè ad* 58. & non esse de mente Scoti, constabit ex dicendis §. *sequenti* in solutione ad vltimum argumentum ex Scoto. Pro nunc autem refutatur ratione præcedenti: nam Adamus per peccatum se, & posteris æque privavit gratia habituali, ac originali iustitia: ergo peccatum originale, dato, quod in privatione iustitiæ consistat, non consistit in sola iustitiæ originalis privatione. Consequentia patet, & antecedens ex Concil. Trident. *citat.*

63 *4. modus reijcit. 1.*

Reijcitur quartus modus dicendi primò: nam ex modo dicendi Mastrij sequitur, quod gratia, & eius privatio possint simul esse de potentia Dei absoluta, vel quod gratia, & habituale peccatum nequeant simul esse, quorũ vtrumque est contra Scotum, & ipsum Mastrium ex dictis *numer.* 54. Secundò: privatio vtriusque doni est pœna strictè sumpta: ergo nequit esse culpa, consequentèrque nec originale peccatum, quod habet veram rationem culpæ, vt est de fide, cuius veritatem statuimus *disput.* 32.

Secundò.

64 *Tertiò.*

Tertiò: peccatum originale consistere debet, in eo, in quo stetit peccatum habituale Adami, vt ostendimus *num.* 50. 51. & 52. contra Mastrium, solutionem illius impugnando; sed peccatum habituale Adami non fuit vtriusque doni privatio: ergo nec originale est talis privatio. Probatur minor ad hominem contra Mastrium: peccatum habituale Adami stetit in eo, in quo stat quodlibet habituale peccatum; sed peccatum quodlibet habituale stat in reatu, & obligatione ad pœnam correspondentem peccato, vt habet Mastrius *in* 2. *disp.* 6. *quæst.* 9. *artic.* 6: ergo, &c. Vndè cum peccatũ originale cum habituali comparetur, inconsequentèr, meo videri, procedit Mastrius, constituens peccatum originale in eo, in quo essentiam peccati habitualis non ponit.

Quædam Mastrij inconsequentia.

65 *Quartò.*

Et ex hoc reijcitur quartò: peccatum originale iuxtà Mastrium consistit in alio, in quo stetit peccatum habituale Adami: ergo peccatum habituale Adami non est in nos transfusum, nec idem in specie cum originali, quorum vtrumque est contra ipsum, & contra omnes.

Quintò.

Quintò: peccatum nostrum originale, & peccatum habituale personale Adami sunt eiusdem speciei: ergo in eodem specificè debent consistere. Atqui habituale Adami peccatũ nõ consistit in vtriusque doni privatione iuxtà Mastrium: ergo nec originale. Antecedens est certum, & probatur: nam vtrumque tale peccatum causatur ex eodem specificè peccato actuali, nempè, Adami; sed ex eodem specificè peccato actuali nequeunt causari peccata habitualia specificè diversa: ergo, &c.

66 *Sextò.*

Sextò: privatio gratiæ, quę ex peccato antecedenti relinquitur in subiecto, duo habet: primum est ipsa privatio gratię per se sumpta. Secundum est respectus, quem dicit ad peccatum, à quo causatur, & in subiecto relinquitur. Atqui neutrum habet rationẽ culpæ: ergo peccatum originale non consistit in privatione gratiæ. Probatur minor: vtrumque est effectus Dei: ergo neutrum habet rationem culpæ.

1. *pars. anteced. prob.*

Antecedens pro ipsa privatione gratiæ est certum: nam sicut agens expellendo formam à subiecto, est causa privationis talis formæ in subiecto; ita Deus tollendo gratiam ab homine peccante, est causa privationis gratiæ in homine peccatore.

67 *2. pars probat.*

Pro respectu ostenditur antecedens: privatio gratiæ solum importat respectum ad peccatum, vt ad causam demeritoriam; sed Deus causat privationem gratiæ, vt pœnam, correspondentem peccato: ergo causat illam, vt dicit respectum ad peccatum, vt causam demeritoriam. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur: Deus conferendo præmium, scilicèt, beatitudinem, est causa illius, vt dicit respectum ad actus humanos præcedentes, tanquam ad causas meritorias; confert enim beatitudinem, vt præmium, correspondens illis actibus: ergo paritèr.

68 *Septimo impugnatur.*

Septimò impugnatur: privatio gratiæ solum procedit à peccato actuali, vt à causa dispositiva, vel demeritoria: ergo non habet veram rationem peccati habitualis. Probatur consequentia: omnis pœna procedit à peccato actuali, vt à causa dispositiva, vel demeritoria; sed non omnis pœna est peccatum habituale: ergo nec privatio gratiæ erit tale peccatum, & consequentèr nec originale; alioquim eadem esset ratio de quacumque pœna.

De-

Deniquè. Deniquè ex opinione Maſtrij, & aliorum Scotiſtarum ſequitur, quod per Baptiſmum non tollitur totum id, quod habet veram rationem peccati; conſequens eſt hæreticum: ergo prædicta opinio falſa eſt. Probatur ſequela: per Baptiſmum non reſtituitur iuſtitia originalis: ergo non tollitur illius privatio: ergo ſi prædicta privatio ſpectat ad formale peccati, non tollitur per Baptiſmum quidquid habet veram rationem peccati.

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

69 *Arguit.* 2. ARguitur primò ex Concilio Arauſicano II. *cap.* 2. Et Tridentin. *Seſſ.* 5. *Canone* 3. aſſerentibus: peccatum originale eſſe mortem animæ; ſed mors in privatione vitæ conſiſtit: ergo peccatum originale conſiſtit in privatione vitæ animæ noſtræ: ergo cum hæc ſit iuſtitia, animã cum Deo coniungens, in privatione talis iuſtitiæ conſiſtit originale peccatum.

Reſpond. 1. Reſpondeo primò: maiorem eſſe veram cauſativè, quatenus mors cauſatur à peccato originali; falſam verò formalitèr.

Secundò. Solutio patet retorſione ſequenti: peccatum actuale eſt mors animæ; ſed mors in privatione vitæ conſiſtit: ergo peccatum actuale conſiſtit in privatione vitæ animæ noſtræ, quæ eſt gratia, quod eſt falſum apud Authores prædictæ opinionis.

70 *Arguit.* 2 Arguitur ſecundò ex D. Anſelmo *lib.* 1. *de Conceptu Virginali, cap.* 27. tradito ab Scoto *in* 2. *diſt.* 32. §. *Quoad* 1. Verba Anſelmi ſunt: *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis Infantibus, niſi ipſam, quam ſuprà poſſui, factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes ſunt filij Iræ.* Atqui iuſtitiæ nuditas eſt privatio talis iuſtitiæ: ergo in illius privatione conſiſtit eſſentia peccati originalis. Ex hoc inferunt Thomiſtæ, peccatum originale conſiſtere in privatione gratiæ, gratiam intelligendo per ly *Iuſtitiæ*. Scotiſtæ ex vi ly *Iuſtitiæ debitæ*, inferunt, conſiſtere in privatione iuſtitiæ originalis, quia hæc eſt iuſtitia debita. Maſtrius deniquè *num.* 127. ex illis verbis: *Per quam omnes ſunt filij Iræ*, infert: in privatione vtriuſque iuſtitiæ conſiſtere, quia per vtrumque filij iræ conſtituimur; per gratiam formalitèr, & per originalem virtualitèr.

71 *Reſpond.* 1. Varias explicationes ad Anſelmum tradunt Authores. Ego verò reſpondeo primò: hoc argumentum ex Div. Anſelmo deductum, vrgere etiam Authores contrarios; nam omnes tenentur Anſelmum explicare. Authores namquè, qui primum dicendi modum tuentur, coguntur explicare de nuditate, ſeu privatione iuſtitiæ originalis actualis. Thomiſtæ de nuditate iuſtitiæ ſanctificantis dumtaxat. Scotiſtæ de nuditate ſolum iuſtitiæ originalis habitualis; & Maſtrius de nuditate vtriuſque ſimul iuſtitiæ habitualis, vt claret ex eorum opinionibus.

Argumentum vrget etiam contrarios.

72 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò: Anſelmum à poſteriori ſolum, & ab effectu explicuiſſe eſſentiam culpæ originalis per privationem iuſtitiæ, quæ ex peccato originali in nobis cauſatur, & omnibus eſt manifeſta. Nec mirum, quod à poſteriori ſolum eſſentiam culpæ originalis explicuerit, nam (vt §. *ſequenti* dicemus) id ipſum fecit Div. Auguſtinus, cui eſſentia originalis culpæ explicatu difficillima apparuit ex dictis *num.* 1.

73 *Tertiò.* Reſpondeo tertiò conceſſa abſolutè Anſelmi Authoritate, negando minorem; quia per ly *Iuſtitiæ debitæ*, non intelligitur iuſtitia originalis, ſivè eadem ſit cum gratia, ſivè diſtincta, ſed rectitudo debita actui Adami. Vndè per *nuditatem iuſtitiæ debitæ*, intelligitur privatio rectitudinis debitæ per modum termini cauſata ex actu ſecundo Adami, & in nos per generationem transfuſa, quæ eſt, per quam omnes ſunt filij iræ. Hæc erit noſtra opinio, & ita eſt pro nobis Anſelmus.

Quartò. Ex hiſque reſpondeo quartò: Anſelmum loqui de nuditate iuſtitiæ non formalitèr, ſed radicalitèr, quæ eſt privatio rectitudinis aſſignatæ. Et hoc modo explicatur, quod ex Concil. Tridentin. adducit pro ſe Maſtrius *num.* 128.

74 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: omnia, quæ de peccato originali dicuntur, conveniunt rectè privationi iuſtitiæ originalis, nempè, quod ſit averſio à Deo, quod nos Deo inimicos reddat, & ſic de alijs: ergo in tali privatione conſiſtit peccatum originale.

Reſpond. 1. *retorquendo.* Reſpondeo primò retorquendo argumentum: omnia, quæ de peccato actuali dicuntur, conveniunt rectè privationi gra-

tiæ, vt de singulis discurrendo apparebit: ergo in tali privatione consistit actuale peccatū, quod est contra omnes. Respondeo secundò distinguendo antecedens: conveniunt secundario, & ratione peccati concedo antecedens; primario, & ratione sui nego antecedens, & consequentiam.

75 *Arguit. 4.* Arguitur quartò, & est replica contra solutionem datam: si per possibile, vel impossibile esset in homine privatio iustitiæ originalis absque eo, quod præcederet originale peccatum, talis privatio esset privatio vnionis cum Deo ratione sui: ergo ratione sui, & quocumque alio secluso, esset moraliter mala. Atqui hoc idem habet de facto: ergo ratione sui, & quocumque alio secluso, est peccatum originale. *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens; quia in tali casu non esset privatio, quia non esset debita; vndè esset tantum negatio, & consequenter carentia vnionis cum Deo in data hypotesi, non esset moraliter mala, sed esset solum mala negativè, & phisicè, nempè, non esset vnio cum Deo.

76 *Firmatur 1. solutio retorq. contra Scotistas.* Hæc solutio firmatur ad hominem contra adversarios, retorquendo contra Scotistas: si per possibile, vel impossibile Deus non dedisset Adamo iustitiam originalem, sed esset in puris naturalibus, poterat adhuc illum constituere caput morale posterorum: ergo si tunc peccasset, peccatum originale posterorum non consisteret in privatione iustitiæ originalis: ergo nec nunc. Hanc consequentiam negant contrarij, dicendo, quod in data hypotesi carentia iustitiæ originalis esset solum negatio; non verò privatio, vti nunc est. Solutionem admitto, & contra ipsos infero: ergo similiter in casu argumenti, & consequenter vera est nostra solutio.

77 *Firm. 2. retorq. contra Thomistas.* Firmatur secundò, retorquendo contra Thomistas: quia si Deus non dedisset Adamo gratiam sanctificantem, poterat adhuc Deus illum constituere caput posterorum morale: ergo si tunc peccasset, originale peccatum posterorum non consisteret in privatione gratiæ sanctificantis: ergo nec nunc. Prima consequentia patet: quia nequit esse privatio gratiæ sanctificantis in natura non ordinata in finem supernaturalem. *Respond. Thomistæ.* Respondent Thomistæ negando secundam consequentiam, quia dicunt, quod in tali casu carentia gratiæ sanctificantis esset solum negatio; non tamen privatio, vti nunc est. Admitto solutionem, & contra ipsos infero: ergo similiter in casu argumenti contra nos facti: ergo vera est nostra allata solutio. *Contra. 1.*

78 *Respond 2. retorq. directè arg.* Respondeo secundò retorquendo directè argumentum: si per possibile, vel impossibile, esset in homine privatio gratiæ habitualis absquè eo, quod peccatum actuale præcederet, talis privatio esset privatio vnionis cum Deo ratione sui: ergo ratione sui, & quocumque alio secluso, esset moraliter mala. Atqui hoc idem habet de facto: ergo ratione sui, & quocumque alio secluso, est peccatum actuale. Hoc argumentum est contra omnes negantes, peccatum actuale consistere in privatione gratiæ, vndè quod omnes respondeant de privatione gratiæ in data hypotesi, erit nostra solutio de privatione iustitiæ originalis.

79 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: privatio iustitiæ originalis non est pœna: ergo est culpa: ergo in ea consistit originale peccatum. Probatur antecedens: vna pœna non est causa alterius pœnæ; sed privatio iustitiæ originalis est causa alicuius pœnæ: ergo, &c. Probatur minor: privatio iustitiæ originalis est causa privationis gloriæ; sed privatio gloriæ est pœna damni: ergo, &c. *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorē; quia si vnum peccatum potest esse causa alterius, vt diximus *disp. præced. §. 3.* etiam vna pœna poterit esse causa alterius. *Secundò.* Respondeo secundò omissa maiori, negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem; quia sola culpa originalis est causa privationis gloriæ, quæ est pœna damni; nam pœna damni, imo & dignitas pœnæ nascitur in parvulis ex aliquo antecedenti privationem iustitiæ originalis, nempè, ex privatione illius rectitudinis, in qua consistit originale peccatum. *Tertiò.* Respondeo tertiò: argumentum probare: privationem gratiæ esse peccatum actuale, ex quo fiat contra argumentum retorsio.

80 *Arguit. denique ex Scoto.* Mastrius *num. 126.* adducit Scotum *in 2. dist. 32.* pro sua opinione ex suppositione, quod originale peccatum consistat in privatione iustitiæ originalis, quod ex Scoto *citat. §. Quoad 1.* apparet; hæc enim sunt verba illius: *Est enim peccatum originale formaliter*

carentia iuſtitiæ originalis debitæ; idemque repetit *in 4. diſt. 1. quæſt. 6. §. Ad argumenta, & ad ſecundum* : ergo iuxtà Scotum peccatum originale conſiſtit formaliter in privatione iuſtitiæ originalis.

81 *Vera mens Scoti oſtenditur 1.*

Hoc Scoti argumentum, quod valdè fabet opinioni prædictæ, non debet iutelligi, vt verba ſonant. Quod oſtenditur primò: nam iuxtà Scotum *in 4. citat.* peccatum originale poteſt remitti de potentia Dei condonatione extrinſeca, & ſine iuſtitia originali, imò de facto remititur in Baptiſmo per gratiam habitualem; ſed privatio nequit tolli, niſi per ſuum oppoſitum: ergo ex Scoto claret, quod mens eius non eſt, quod peccatum originale ſit privatio iuſtitiæ originalis. *Secundò.* Secundò: iuſtitia originalis, & peccatum originale poſſunt eſſe ſimul de potentia Dei, eo, quod iuxtà Scotum non ex natura rei, ſed ſolum demetitoriè opponantur; vt de gratia, & peccato ex Scoto diximus *num.* 49; atqui iuſtitia originalis, & eius privatio nec de potentia Dei poſſunt eſſe ſimul: ergo ex Scoto liquet, quod privatio iuſtitiæ originalis non eſt peccatū originale.

82 *Tertio.*

Tertiò: poſt Baptiſmum manet privatio iuſtitiæ originalis; ſed non manet originale peccatum: ergo peccatum originale non eſt privatio iuſtitiæ originalis. Conſequentia patet: alioquim per Baptiſmum non tolleretur totum id, quod habet veram rationem peccati, quod eſt contra Tridentinum. Cum ergo dicere non valeamus, Scotum opponi Tridentino, dicere non valemus, Scotum ſenſiſſe, peccatum originale eſſe privationem iuſtitiæ originalis. *Quartò.* Quartò: peccatum originale iuxtà Scotum comparatur cum habituali, & in eo, in quo habituale Adami ſtetit, ſtat originale; atqui Scotus non poſſuit eſſentiam peccati habitualis Adami in privatione iuſtitiæ, quæ nobis transfunderetur, ſi non peccaſſet: ergo nequit eſſe mens Scoti, quod peccatum originale conſiſtat in privatione iuſtitiæ originalis. Præmiſſæ ſunt certæ. Conſequentia eſt legitima; alioquim inconſequentèr procederet Scotus, vt de Maſtrio diximus *numer.* 64. *Deniquè.* Deniquè: hoc idem convincunt dicta *§. antecedenti.*

83 *Reſpond. 1. ad argum.*

Ex his ad argumentum reſpondeo primò: Scotum velle: peccatum originale eſſe privationem iuſtitiæ originalis ex ordinatione Dei ſic volentis; non verò ex natura rei, ita, quod intrinſicè repugnet, vnum corrumpi, niſi per aliud, vt tenebræ per lucem, & cæcitas per viſſum. Primo modo peccatum originale vocatur privatio iuſtitiæ originalis; non verò ſecundo modo, quod erat neceſſarium, vt per talem privationem conſtitueretur. Hæc eſt Scoti doctrina *in 4. citat.* quam docuit etiam Lichetus *in 3. diſt. 30. 31. & 32.* & ſatis conſtat ex dictis *num.* 81.

84 *Secundò.*

Reſpondeo ſecundò: Scotum dixiſſe cum Anſelmo: peccatum originale eſſe formaliter privationem iuſtitiæ originalis, non quia hæc fuiſſet vera eius mens, ſed quia iudicavit, hanc ſententiam eſſe probabiliorem alijs, ab ipſo relatis. *Firmatur ſolutio.* Firmatur ſolutio: nam ſicut Scotus dixit cum Anſelmo: peccatum originale eſſe formaliter privationem iuſtitiæ originalis, ita dixit cum Auguſtino, eſſe reatum, vt fatetur Maſtrius *num.* 101; atqui non ob hoc hæc ſententia de reatu eſt de mente Scoti cenſenda, vt idem Maſtrius fatetur *num. citat*: ergo nec ſententia de privatione iuſtitiæ originalis eſt de mente Scoti cenſenda.

85 *Reſpond. 3.*

Reſpondeo tertiò: Scotum *citat.* explicuiſſe à poſteriori ſolum, & ab effectu eſſentiam peccati originalis, vt fecit Anſelmus, cuius rationem dedimus *num.* 72. *Quartò.* Reſpondeo quartò explicando Scotum: peccatum originale eſt formaliter carentia iuſtitiæ originalis, ſumpta radicaliter concedo antecedens; ſumpta formaliter nego antecedens, & diſtinguo ſimiliter conſequens. Hæc ſolutio patet: nam peccatum originale eſt formaliter carentia iuſtitiæ originalis, ſicut homo eſt formaliter riſibilis, quod verum eſt ſumpta riſibilitate non formaliter, ſed radicaliter. Quid autem ſit radix, vel cauſa carentiæ iuſtitiæ originalis, dicam, dum propriā mentē aperiam.

86 *Deniquè.*

Quælibet ex his quatuor ſolutionibus eſt in Scoti doctrina probabilior, vt ex dictis videtur manifeſtum. Si autem vellis, controverſiam de mente Scoti non habere in hac re, quæ ſine controverſia eſt explicatu valdè difficilis, & ita fuit Auguſtino viſſa, vt dixi *num.* 1. Reſponde: Scotū eſſe problematicum, vt claret ex tam varijs ſententijs Scotiſtarum, pro omnibus Scotum adducentibus. Vndè non ad Scoti authoritatem, ſed ad

ra-

rationem dumtaxat in hac materia ſtandum eſt.

§. VII.

Reijcitur quinta ſententia.

87 *Opinio de reatu.*

QVinta aliquorum opinio eſt: peccatum originale conſiſtere formalitèr in reatu; pro cuius intelligentia duplicem reatum diſtinguunt. Vnum culpæ, & alium pœnæ; nam cum reatus ſit obligatio ad pœnam, ſicut duplicitèr comparatur obligatio, ſcilicèt, ad culpam, ex qua contrahitur, & ad pœnam, ad quam ordinatur; ita duplicitèr ſumitur reatus, nempè, vt reſpicit culpam, ex qua contrahitur, & vt reſpicit pœnam, ad quam ordinatur. Primus eſt reatus culpæ, & vocatur dignitas pœnæ. Secundus eſt reatus pœnæ, & vocatur obligatio ad pœnam. De reatu culpæ locuntur; non verò de reatu pœnæ; ſeu de dignitate pœnæ; non verò de obligatione ad pœnam.

88 *Authores huius opinionis.*

Hoc itaquè animadverſo. Eſſentiam peccati originalis conſiſtere in reatu culpæ, ſeu dignitate pœnæ, docuerunt Roſenſis *artic. 2. contra Lutherum.* Altiſiodorenſis *tract. 28. cap. 2.* Durandus *in 2. diſt. 30. quæſt. 3. numer. 10.* Gavatius *diſput. 2. cap. 3 ſect. 4.* latè deducens hanc fuiſſe expreſſam Div. Auguſtin. opinionem, pro qua refert etiam Dioniſium *de Divinis nominibus, cap. 4* Hanc ſententiam vt probabilem defendit Salas *tract. 13. diſp. 11. ſect. 2.* ſolvens argumenta contraria, & plures citans pro illius probabilitate. Idē defendit Maſtrius *in præſent. artic. 3.* ob reverentiam Magno Patri Auguſtino debitam, vt ait *num. 98.*

89

Sed habita reverentia M. Patri Auguſt. debita, & in nullo amiſſa; cœteri Theologi oppoſitæ ſententiæ adhærent, de quorum numero eſt Ill. Godoy §. 4. cui prædicta ſententia viſa fuit improbabilis, vt fatetur *numer. 30.* Ab hoc diſcedo, quin de hoc curem, quia opus non eſt, facere contra Ill. Godoy diſputationem, quam ipſe non inſtituit. Vndè ſuprà poſita opinione in ſua probabilitate relicta, oppoſitam probabiliorem iudico, & vt ſolita claritate procedam, claraque dicenda maneant.

90 *NOTA.*

Noto cum Scoto *in 4. diſtinct. 16. quæſt. 2. §. Reſpondeo*: quod in Deo eſt hæc voluntas conditionata: *hominem graviter offendentem ordinato ad pœnam æternam.* Poſtea peccat homo actualitèr, & tranſacto actu peccati in primo inſtanti temporis, in quo homo incipit eſſe peccator habitualitèr, hæc omnia diſtinguntur. In primo inſtanti naturæ illa Dei conditionata ordinatio tranſijt in abſolutam, & ordinat hominem ad pœnam æternam, qui actus, vt exiſtens in Deo, dicitur offenſa paſsivè, & per illum dicitur Deus offenſus, quia reſpicit Deum, vt volentem vindicare peccatum actuale. In ſecundo ſigno naturæ intelligitur ille actus tranſire ſuper peccatorem, & ſic dicitur macula, & culpa, & homo per illam maculatus. In tertio ſigno intelligitur homo per illam maculam dignus formalitèr pœna æterna. In quarto intelligitur ordinatus ad pœnam æternam. In quinto deniquè intelligitur obligatus, ſeu reus pœnæ.

91

Vndè iſtæ propoſitiones cauſales ſunt veræ: *Quia homo actualitèr peccavit, Deus eſt offenſus. Quia Deus eſt offenſus, homo eſt formaliter maculatus. Quia homo eſt formaliter maculatus, eſt dignus pœna æterna. Quia eſt dignus pœna æterna, eſt ordinatus ad illam. Quia formaliter eſt ordinatus ad illam, eſt obligatus, & reus pœnæ.* Quod totum fit in eodem inſtanti temporis cum diverſitate inſtantium naturæ ordine prædicto. Hoc itaq̄ ſic notato.

92 *Prædicta opinio impugnatur.*

Prædicta de reatu opinio impugnatur hac vnica ratione: reatus culpę eſt dignitas pœnæ; ſed peccatum originale non conſiſtit in dignitate pœnæ: ergo nec in reatu. Probatur minor: dignitas pœnæ eſt proprietas conſequens culpam, ſicut dignitas præmij conſequitur meritum, & bonitatem moralem illius: ergo, &c. Conſequentia eſt legitima, & antecedens verum; nam ideò quis eſt dignus pœna, quia eſt peccator; non verò è contra.

93 *Reſpondet Maſtrius.*

Reſpondet Maſtrius *num. 103*: dignitatem pœnæ ſupponere culpam actualem, & ad illam conſequi; non verò culpam habitualem, quin potius hanc primario, & eſſentialitèr conſtituere. Hæc eſt ſolutio, quam dedit Salas, eamque triplicitèr reijcit Ill. God. *num. 32.* Sed tertia relicta, quia efficax non eſt, & optimè ſalvat Maſtrius *citat.* duplici adhæreo. Impugnatur primò: dignitas actualis pœnæ eſt proprietas conſequens culpam ac-

Reijcit. 1.

tualem: ergo dignitas habitualis, seu per modum termini est proprietas culpæ habitualis.

94 *Secundò.* Secundò: peccatum actuale, & est malum malitia morali, & est dignum pœna, malitia se habente primario, & essentialitèr, & dignitate pœnæ tanquam proprietate: ergo si transactum relinquit tanquam sui terminū dignitatem pœnæ, relinquit etiam per modum termini malitiam moralem, & consequentèr istam primario, vt essentiam peccati habitualis, consistentis in termino peccati actualis, illam verò secundario, & vt proprietatē moralis malitiæ habitualis. *Tertiò.* Tertiò: priùs est, hominem esse maculatum, quam esse dignum pœnæ: ergo priùs est habituale peccatum, quam dignitas pœnæ, & consequentèr ruit solutio Mastrij. Antecedens patet ex dictis *num.* 92. Consequentia est legitima, quia peccatum habituale idem est, ac macula.

95 *Impugn. 2. opinio allata.* Ex hac impugnatione impugnatur secundò: peccatum originale est macula, & dignitas pœnæ est reatus culpæ; sed macula præsupponitur ad dignitatem pœnæ: ergo peccatum originale præsupponitur ad reatum culpæ: ergo nequit originale peccatum in reatu culpæ consistere. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex præmissis. Ex his autem minor apparet ex dictis *num.* 91. vbi diximus, hanc causalem esse veram: *Quia homo est formalitèr maculatus, est dignus pœna.* Maior verò pro secunda parte est doctrina adversariorum, vt diximus *num.* 87. & pro prima est apud omnes certa cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. *in corpore*, & cum Scoto *in* 4. *dist.* 14. *quæst* 1. *§. Dico ergo*, vbi vterque Doctor peccatum habituale appellant maculam, quod idem est de originali dicendū.

96 *Arguit. 1. Mastrius Auth. August. Concil. & aliorum P.P.* Mastrius *à numer.* 94. *vsquè ad* 97. plurimas adducit Authoritates D. Augustini, collocantis peccatum originale in reatu culpæ, seu dignitate pœnæ damni. Alias ex Scriptura, & modo illius loquendi tradit *num.* 98. Ex modo loquendi Conciliorum, & aliorum Patrum præter Augustinum, adducit alias *num.* 99. intendens, omnes fabere opinioni de reatu suprà explicato.

97 *Respond. 1.* Respondeo primò: August. Scripturam, Concilia, & cœteros P.P. loqui, non strictè, & metaphisicè, sed iuxtà communem modum loquendi, in quo, sicut reus dicitur culpatus, ita reatus dicitur culpa, & est frasis in Scriptura frequens, v. g. Exod. 32. *Percussit Deus Populum pro reatu vituli.* Et Deuter. 21: *Et aufferetur ab eis reatus sanguinis*, vbi reatus sumitur pro culpa habituali, non quia hæc in reatu methaphisicè consistat, sed quia reatus ad ipsam necessariò consequitur.

98 *Secundò.* Respondeo secundò: August. Scripturam, Concilia, & cœteros P.P. à posteriori solum, & ab effectu explicuisse essentiam culpæ originalis per reatum, qui ex peccato originali oritur, vt illius proprietas, vt de privatione iustitiæ Anselm. locutum fuisse, diximus *num.* 72. vbi rationem etiam dedimus. *Tertiò.* Tertiò: loqui de reatu radicalitèr sumpto; non verò formalitèr accepto, quia sic est proprietas culpæ originalis, vt convincit nostra secunda impugnatio. *Quartò.* Quartò: loqui de peccato passionalitèr accepto; non verò essentialitèr capto.

99 *Retorqueo contr. Mastrium.* Denique retorqueo argumentum contra Mastrium: vi Authoritatum D. August. & Conciliorum, peccatū originale consistit formalitèr in reatu; sed vi Authoritatum D. Anselmi, & Concil. peccatum originale consistit in privatione iustitiæ originalis: ergo dicendum est, peccatum originali consistere formalitèr in reatu, & in privatione iustitiæ originalis, quod inconvenit, & opponitur omnibus ferè Theologis. Maior, & consequentia tenent. Minor patet: nam iuxtà Mastrium *num.* 110. D. Anselmus stat expræsse pro privatione iustitiæ originalis, pro qua, ait *num.* 112. stant etiam Concil. Arausic. & Trident. Imò *num.* 127. & 128. inquit: tàm Anselmum, quàm Trident. stare pro privatione vtriusque doni, nempè, iustitiæ originalis, & sanctificantis, pro viribus hanc opinionem tuendo.

100 *Arguit. 2. ex Scoto.* Adducit etiam Mastrius *num.* 101. pro opinione de reatu Scotum *in* 2. *dist.* 29. *§. Ad tertium*, vbi ait: quod reus privatur visione Dei propter reatum peccati. Et *dist.* 31. docentem: peccatum originale assimilari peccato in anima quiescienti post actum transeuntem, idest, habituali, magis, quam actuali; sed peccatum habituale personale ex eodem *in* 4. *dist.* 14.

quæst.

quæst. 1. consistit in reatu culpæ modo explicato : ergo in eodem consistit peccatum originale ; cum eadem ratio sit de vtroq; formaliter accepto.

101 *Respondeo ad 1.*

Respondeo ad primum explicando Scotum : reus privatur visione Dei propter reatum peccati, vt causa immediatior, concedo; vt causa primaria, nego. Itaquè, cum inter peccatum originale, & privationem visionis mediet reatus, vtpotè, peccati proprietas, privatio visionis oritur à reatu, vt à causa immediatiori ; non verò à causa primaria, quia hæc est formalitas peccati constitutiva, ex qua oritur reatus. Hæc est Scoti doctrina *in 4. dist. 22. §. Ad argumenta.* vbi distinguit malitiam peccati à reatu. Vnde nic applicari valet quadruplex responsio ad primum argumentum data, ex quo patet ad secundum, negando minorem; quia peccatum habituale personale non consistit in reatu. Et certè, cum hoc sit verum apud Mattrium, inconsequenter loquitur, non constituendo peccatum originale in reatu, vt fecit Gavatius, ne hanc inconsequentiam committeret.

Ad 2.

102 *Arguit. 3. paritate.*

Arguit etiam *num.* 102. paritate: meritum habituale est ius, seu condignitas ad præmium : ergo demeritum habituale est ius, seu condignitas ad pœnam. Respondeo negando antecedens ; quia sicut condignitas ad pœnam est demeriti habitualis proprietas, vt vtraque nostra impugnatio demonstrat, & claret etiam ex dictis *num.* 91; ita condignitas ad præmium est meriti habitualis proprietas, cum contrariorum eadem sit disciplina. Vt autem hoc benè, & optime intelligatur, philosophandum est de homine merente, sicut de peccante philosophavimus *num.* 91. proportione servata.

Respondeo.

103 *Arguit deniquè.*

Arguit deniquè : reatus culpæ est malus moraliter: ergo vel est actuale, vel habituale peccatum. Atqui non actuale, vt est apud omnes in cõfesso, quia subsequitur ad actuale peccatũ: ergo est peccatum habituale. Probatur antecedens : reatus culpæ est dignitas pœnæ ; sed dignitas pœnæ est mala moraliter: ergo reatus culpæ est malus moraliter. Maior, & consequentia tenent. Minor autem est D. Dionisij *de Divinis nominibus, cap.* 4. dicentis: *Puniri non est malum, sed esse pœna dignum.* Respondeo distinguendo antecedens: reatus culpæ est malus moraliter secundario, & per modum proprietatis, concedo antecedens; primario, & per modum essentiæ, nego antecedens, ad cuius probationem, distinguo similiter minorem, & hac distinctione explicatur Dionisius. Ratio solutionis est, quia reatus est proprietas malitiæ ; hæc enim habet suas proprietates, sicut habet bonum.

Respondeo.

§. VIII.

Placitum Ill. Godoy impugnatur.

104 *Opinio Ill. Godoy de positivo.*

Ill. Godoy *num.* 73. defendit: Peccatum originale nostrum consistere in positivo termino morali ex actuali transgressione Adami, prout fuit nostra, relicto, quo constituimur positivè legi diformes, realiter aversi à Deo, & conversi ad creaturam. Hanc sententiam tuetur ex suppositione, quod peccatum originale est illud ipsum peccatum, quod in Adam mansit habitualiter, transacto actuali, ad nos transfusum, quod habet, & firmat *num.* 66. 67. & 68. & ex suppositione, quod peccatum habituale Adami, manens in illo, transacto actuali, consistit in termino positivo morali, quo mansit habitualiter legi diformis, conversus in vltimum finẽ creatum, & aversus à Deo.

105 *Ill. Godoy verum, & falsum dicit, sed cõsequenter.*

Hæc est tota Ill. Godoy doctrina pro constitutivo peccati originalis, in qua partim verum dicit, partim falsum, & in toto consequenter procedit. Verum dicit in eo, quod peccatũ originale sit ipsum habituale Adami peccatum. Dicit falsum in eo, quod hoc Adami peccatum in positivo consistat. Consequenterque in toto procedit, quia consequenter ad constitutivum peccati actualis habituale constituit, & consequenter ad constitutivum habitualis peccatum originale constituit. Hanc consequentiam pauci ex vtraque Schola observant, ideòque censura inconsequentiæ notantur.

106 *Opinio Ill. God. impugnatur.*

Vndè vero relicto, de quo *§. sequenti*, & de consequente laudato, quod falsum est, ostenditur, opinionẽ illius impugnando : ideò peccatum originale iuxtà Ill. Godoy ante *n.* 75. consistit in positivo, quia in positivo stetit peccatum habituale Adami ; & ideò hoc iuxtà ipsum *num.* 70. stetit in positivo, quia in positivo

ſterit actuale illius peccatum; atqui falſum eſt, quod peccatum actuale Adami in poſitivo ſtitiſſet: ergo falſum etiam eſt, quod in poſitivo ſtitiſſet peccatum illius habituale, & conſequenter falſum eſt, quod in poſitivo conſiſtat noſtrum originale peccatum. Minor, in qua vnicè eſt difficultas, latè manet probata, & contra ipſum propugnata *diſp.25. per tot.* cuius ibi dicta non licet hic repettere.

107 *Arguit. 1.* Arguit primò *num.74.* illud ipſum, quod in Adamo, tranſacto actu peccati, obtinet rationem peccati habitualis, derivatum ad nos, habet rationem culpæ originalis; ſed terminus poſitivus fuit peccatum habituale Adami: ergo ſimilis terminus ad nos derivatus eſt id, in quo conſiſtit culpa originalis. Minorem probat *num. 69.* ex D. Thoma, cuius explicatio nobis non incumbit, & *numer.70.* ſupponit probatam *diſput. 25.* vbi nos contra ipſum ex profeſſo diſputavimus. Vltrà hæc tamen.

108 *Prob. min.* Probat minorem *num.72.* nam homo tranſacto actu peccati, non ſolum manet averſus à Deo, ſed etiam poſitivè converſus ad creaturam, vt ad vltimum finem: ergo manet in illo terminus poſitivus ſaltim moralis, quo ſit poſitivè legi diformis, à Deo averſus, & converſus ad creaturam, cumque hoc poſitivum omnem privationem præcedat, in illo peccatum habituale debet conſtitui. Illatio eſt legitima. Antecedens autem probat primò: nam amor vltimi finis eſt maximæ virtutis, maximæque efficaciæ: ergo relinquit hominem, veluti defixum, & permanenter inclinatum in ipſum moraliter, quo vſquè per amorem oppoſitum retractetur voluntas, vel per formam oppoſitam alteri fini vltimo poſitivè inclinetur; at omne peccatum eſt amor creaturæ tanquam vltimus finis: ergo hominem relinquit defixum poſitivè, & moralitèr habitualitèr inclinatum ad vltimum finem creatum.

Probatur anteced. 1.

109 *Secundò.* Secundò probat antecedens: nam homo ſemper habet aliquem finem vltimum, cui poſitivè adhæreat, vel actu, vel habitu: ergo ſicut quando exiſtit in ſtatu gratiæ, eſt poſitivè habitualitèr converſus ad Deum, ita exiſtens in ſtatu peccati, erit poſitivè ad creaturam, vt ad vltimum finem, converſus. *Tertiò.* Tertiò: nam averſio ab vno fine ſuprà converſionem ad alium fundatur; at tranſacto actuali peccato, manet homo averſus à Deo, vt ab vltimo fine morali: ergo datur in illo converſio habitualis ad vltimum finem creatum, ſuprà quam fundetur habitualis averſio à Deo.

110 *Deniquè.* Deniquè ſuadetur: nam poſtquam quis per actum charitatis ſe, & omnia ſua retulit in Deum, omnia bona, quæ facit, ſi capacia ſint, ordinantur ad Deum, ſaltim moralitèr, quo circa talia opera meritoria ſunt vitæ æternæ: ergo etiam ex tali actu manebit ipſum ſubiectum moralitèr poſitivè ordinatum, & converſum ad Deum, vt ad vltimum finem. Patet conſequentia: nam quia ſua retulit in Deũ, eo ipſo, quod fiant, referuntur ad illũ moralitèr, ſed etiam ſe ipſum retulit ad Deum, vt ad vltimum finem: ergo manet ipſum ſubiectum ad Deum, vt vltimum finem relatum moralitèr. Tunc vltrà: non minus eſt efficax actus peccaminoſus, ad referendum peccatorem ad vltimum finem creatum, quam charitatis actus, vt referat iuſtũ ad increatum finem: ergo ſi actus charitatis hominem relinquit moralitèr converſum, & relatum ad Deum: actus peccaminoſus relinquit ſubiectum, non ſolum averſum poſitivè à Deo, ſed etiam poſitivè converſum ad vltimum finem creatum.

111 Hoc argumentum probat, tum peccatum actuale in poſitivo conſiſtere; contra quod ſtant dicta à nobis *diſput.25.* Tum etiam probat: peccata ſumere diſtinctionem ſpecificam ex ordine ad obiecta, ſeu ex parte converſionis; contra quod ſtant omnia, quæ contra Ill. Godoy adduximus *diſput.26.* Vndè ad argumentum reſpondeo primò negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: converſione ſe habente de materiali concedo antecedens; ſe habente de formali nego antecedens, & hoc dumtaxat convincunt illius probationes, vt claret ex dictis *diſp.25. & 26.* *Reſpond. 1.*

112 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò admiſſo antecedenti, negando conſequentiam, cuius falſitatem demonſtrat ipſum antecedens; nam ex illo ſolum ſequitur, quod in homine, tranſacto actu peccati, maneat terminus poſitivus, quo ſit poſitivè ad creaturam converſus, & quod maneat terminus privativus, quo ſit privativè averſus à

Deo.

Deo. Ratio est: nam conversio dicitur ab actu; aversio verò à privatione; sed homo, transacto actu peccati, non solū est aversus à Deo, sed etiam cōversus ad creaturam : ergo in homine, transactu actu peccati, & manet terminus positivus, quo sit ad creaturā conversus, & terminus privativus, quo sit aversus à Deo. In quonam autem istorum stet habituale peccatum? discurrendum est iuxtà dicta de peccato actuali *disput.25.* & firmetur cum dictis *disput.26. num.15.& 16.* vbi duplicem speciem peccati assignavimus. Vnam positivam, de materiali se habentem, & aliam privativam, se habentem de formali, & in qua essentialitèr consistit peccatum.

113 *Arguit. 2.* Arguit secundò Ill. Godoy *num.75.* quia iuxtà Div. Thomam *infrà quæst. 113. artic. 1.* omnis iustificatio impij, prout à iustificatione non impij distinguitur, etiam prout extenditur ad parvulorum iustificationem, est motus, & non simplex mutatio; at motus, prout à simplici mutatione distinguitur, petit inter terminos positivos versari: ergo peccatum originale, quod est terminus *à quo* iustificationis parvulorum, quid positivum est ad minus morale. At suppositō, quod positivum sit, melius explicari non potest, quam per positivam deformitatem ad legem, positivamque conversionem ad vltimum finem creatum relictam per modum termini ex actuali tranfgressione Adami, quatenus fuit nostra: ergo in termino positivo, sic explicato, constitui debet culpa originalis.

114 *Respond.1.* Respondeo primò negando maiorem; quia iustificatio impij involvit duplicem mutationem. Vnam à peccato, vt à termino *à quo*, ad carentiam peccati, vt ad terminum *ad quem*; alteram à non esse gratiæ, vt à termino *à quo*, ad esse gratiæ, vt ad terminum *ad quem*, quarum nulla versatur inter terminos positivos. Hoc patet à simili; nam quando homo peccat, est duplex mutatio: Vna, per quam expellitur gratia, quæ est à Deo; & alia, per quam ponitur macula, quæ est ab homine.

115 *Confirmat. solutio.* Item: hoc indicat Concil. Trident. *Sess.6.cap.7.* his verbis: *Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & renovatio.* Et infrà: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo.* Denique idem docuit Synodus Moguntina *cap. 7.* dicens: *Quæ iustificatio cum peccatorum remissione etiam sanctitatem; & interni hominis renovationem confert.* Denique: hoc habet Chrisostomus *homil.20. in Genesim*, quibus adhærent omnes Scotistæ cum Doctore *in 4. dist.1. quæst.6. §. Ad argumenta.* Et *dist. 16. quæst.2. §. Respondeo*, & colligitur etiam ex D. Thoma ab Ill. God. *citat.* Et *quæst.28. de veritate, art.1.*

116 *Respond.2.* Respondeo secundò ommissa maiori, negando minorem; quia etiam motus, vt à simplici mutatione distinguitur, versatur inter terminos, quorum aliquis est privativus, vt habet Mastrius in Phisica, *disp.15. art.3.* Et ratio est: quia si aqua esset à Deo omni frigiditate privata absquè calore, & postea aqua se reddiret ad frigiditatem, motus proprissimè, vt à simplici mutatione distinguitur, esset in aqua; atqui eius terminus *à quo* erat privatio, sicut & terminus *à quo* mutationis: ergo motus, vt à simplici mutatione distinguitur, non petit inter terminos positivos versari.

Motus, vt à simplici mutatione distinguitur, non petit inter terminos positivos versari.

117 *Tertiò.* Cœterum, quia phisicè loquendo, opinio asserens, motum, vt à simplici mutatione distinctum, versari inter terminos positivos, verior est, & vt talem contra Mastrium propugnavi *lib. 3. Phisicorum.* Respondeo tertiò distinguendo minorem: motus phisicus omitto minorem: motus moralis nego minorem, imò & suppositum; quia non est motus moralis, qui mutationem non includat, vt patet in motu peccantis, & iustificationis impij, ex dictis in prima solutione.

Duplex Ill. God. arg. & vtriusque solutio. Arguit tertiò dicto *num.75.* & procedit argumentum ex suppositione, quod peccatum actuale Adami in positiva tendentia stetit; cuius falsitas apparet ex dictis *disput.25.* Denique arguit à sufficienti partium enumeratione, quod argumentum optimum esset, si probatum habuisset, peccatum originale non consistere in privatione habituali rectitudinis debitæ, ad quam explicandam aggredimur.

§. IX.

Explicatur vera sententia.

118 *1. Conclus.* VIdimus iam, quid non sit peccatum originale. Restat modo, vt quid sit, explicemus. Quod tribus conclusionibus explico. Prima conclusio:

Peccatum habituale Adami ad nos transfussum, est originale peccatum.

Peccatum originale est illud ipsum peccatum, quod in Adamo mansit habitualitèr, transacto actuali, ad nos transfussum. Hoc videtur debere esse Theologis commune. Habetque Ill Godoy *num.* 66. & suadetur primò ex Trident. *Sess.* 5. *Canon.* 3. illis verbis: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfussum, omnibus inest, &c.* Ex quibus tale formo argumentum: Adami peccatum ad nos transfussum est; at si id, quod in Adamo habuit rationem peccati, non esset peccatum in nobis, non diceretur verè peccatum Adami ad nos fuisse transfussum: ergo vt veritas Concilij subsistat, fatendum est, id, quod in Adamo habuit rationem culpę personalis, transfussum ad nos, esse id, in quo consistit culpa originalis.

Suadetur 1

119 *Secundo.*

Suadetur secundò: si quis suum consensum transferret in alterum, vt quidquid faceret, nomine suo factum censeretur, si ille alter peccaret, in vtroque resultaret idem terminus specifice, quo in facto esse peccatores constituerentur; atqui nos omnes peccavimus in Adamo ratione translationis nostrorum consensuum, non à nobis, sed à Deo facta, ob supræmum dominium: ergo terminus ex tali peccato ad nos derivatus, quo constituimur peccatores in facto esse, eiusdem speciei debet esse cum illo, qui in Adamo permanens, transacto actuali peccato, illum constituit habitualitèr peccatorem.

Tertiò.

Tertiò: ex eodem specificè peccato actuali non possunt causari peccata habitualia specificè diversa; sicut nec ex actibus eiusdem speciei habitus specificè diversi possunt causari; at peccatum nostrum originale, & peccatum habituale personale Adami causantur ex eodem specificè peccato actuali: ergo non possunt esse specificè diversi inter se, sed necessariò debent specificè convenire. Deniquè: nam peccante Adamo, omnes nos eodem peccato actuali peccavimus: ergo quidquid ex tali peccato actuali mansit per modum termini in Adamo, illum constituens peccatorem habitualitèr, derivatur ad posteros, illosque constituit originalitèr peccatores.

Quartò.

120 2. *Cõclusio, habituale peccatum*

Secunda conclusio: *Peccatum habituale Adami consistebat in privatione habitualis rectitudinis debitæ inesse actui Adæ causata per modum termini ex actu secundo in Adami voluntate. Vel in privatione habitualis conformitatis ad legem Adæ impositam, causatam per modum termini ex actu secundo in voluntate Adami.* Hoc ita certum videtur, supposita sententia, quod peccatum actuale consistat in privatione rectitudinis debitæ inesse actui, vel in privatione conformitatis ad legem, vt omnes, qui hanc opinionem de peccato actuali substinent, illam de habituali tueri cogantur, ne inconsequentèr procedant. *Adæ declarans.*

Et ostenditur primò: peccatum actuale Adami, quod fuit commissionis, consistebat in privatione rectitudinis debitæ inesse actui, vel in privatione conformitatis ad legem: ergo habituale peccatum relictum ex illo in simili privatione debuit consistere. Antecedens suppono ex opinione à nobis tradita *disput.* 25. quam plurimi Scotistæ, in hoc nobis adversantes, amplectuntur. Consequentia verò patet à paritate rationis. Secundò: homo transacto actu peccati, manet privatus rectitudine debita inesse actui, seu conformitate ad legem: ergo manet in illo per modũ termini privatio moralis talis rectitudinis, vel conformitatis: ergo in illa debet peccatum habituale consistere.

121 *Ostendit. 1.*

Secundò.

Tertiò: illud est formalitèr peccatum habituale, quod illud constituit in ratione peccati; sed talis est privatio rectitudinis debitæ, vel conformitatis ad legem: ergo hæc est peccati habitualis constitutiva. Probatur minor: privatio rectitudinis debitæ, & peccatum sunt penitus idẽ; sed privatio rectitudinis debitæ constituit peccatum in ratione peccati: ergo constituit etiam peccatum habituale. Cum ergo hoc non constituat privatio actualis rectitudinis, quia hæc est peccati actualis constitutiva; privatio habitualis rectitudinis erit habitualis peccati constitutiva.

122 *Tertiò.*

Quartò: peccatum actuale, & habituale specificè conveniunt, & in ratione peccati vnivocantur; vtrumque enim habent veram rationem peccanti: ergo id specificè idem, quod peccatum actuale constituit, constituit etiam habituale. Atqui privatio actualis rectitudinis debitæ, vel conformitatis ad legem, constituit peccatum actuale: ergo eadem specificè privatio, nempè, habitualis rectitu-

123 *Quarto.*

di-

dinis, constituit habituale peccatum. Antecedens, & consequenta patent. Sussumptam suppono veram, adhuc apud Scotistas contrarios, ex dictis *disp.* 25. Consequentia est legitima; alioquin falsum esset antecedens. Deniquè: hoc idem apparebit ex dicendis *infrà num.* 129.

Deniquè.

124 Tertia conclusio: *Peccatum nostrum originale consistit in privatione habitualis rectitudinis debitæ inesse actui Adæ, causata per modum termini ex actu secundo Adami, in nos per generationem transfussa.* Idem est de privatione conformitatis ad legem. Hæc conclusio est omninò, & absquè dubio conformior menti Scoti, constituentis peccatum actuale in privatione rectitudinis debitæ inesse actui, vt diximus *disp.* 25. Scotum secuntur plures, & gravissimi Scotistæ Licheus *in* 3. *dist.* 30. 31. *&* 32. Rada *in* 2. *controvers.* 16. *in fine.* Yribarne *de Pœnitentia, disp.* 1. *sect.* 6. *part.* 2. Vulpes *de Peccatis, disp.* 127. *artic. vltim. & disp.* 140. *art.* 5. *&* 6. Hugo Cavellus *in* 2. *dist.* 32. *in Scholio ad §. Contra istam materiam.* Herrera *de Peccatis, disp.* 25. *quæst.* 3. Et ex Thomistis fabent Sotus 1. *de natura, & gratia, cap.* 9. Caietanus 1. 2. *quæst.* 83. *artic.* 1. Zumel *quæst.* 82. *artic.* 3. *disp.* 1. *& difficult.* 2. Quos omnes citat, & sequitur Felix *de Peccatis, cap.* 10. *difficult.* 9.

3. Conclus. disp. responsiva

Scotus. Lichetus. Rada. Yribarne. Vulpes. Hugo Cav. Herrera. Sotus. Caietanus. Zumel. Felix.

125 Hæc est nostra sententia, de qua Mastrius mentionem non facit; illam autem ostendam contra Ill. Godoy, per oppositum ad probationes, quas pro sua tradit sententia. Probatur primò ex iam dictis: nam illud ipsum, quod in Adamo, transacto actu peccati, obtinet rationem culpæ habitualis, ad nos transfussum, habet rationem culpæ originalis, vt vidimus in prima conclusione; sed privatio habitualis rectitudinis debitæ, iam explicata in secunda conclusione, fuit peccatum habituale in Adamo: ergo talis privatio, ad nos transfussa, est id, in quo culpa originalis consistit.

Probat. 1.

126 Secundò: omnis iustificatio impij, prout à iustificatione non impij distinguitur, etiam prout extenditur ad parvulorum iustificationem, est mutatio propriè sumpta ex dictis *numer.* 114; sed mutatio petit versari inter terminum *à quo* privativum, & *ad quem* possitivum, vt de omni mutatione adquisitiva, qualis est iustificatio impij, est certum, & docuimus *lib.* 1. *Phisicorum*: ergo peccatumo riginale, quod est terminus *à quo* iustificationis parvulorum, est quid privativum, saltim morale. Atqui supposito, quod privativum sit, melius explicari non potest, quam per prædictam privationem rectitudinis debitæ, vel conformitatis ad legem, vt Ill. Godoy non renueret concedere iuxtà ab ipso dicta *numer.* 75. per quorum oppositum formata est hæc probatio: ergo in tali privatione peccatum originale consistit.

Secundò.

127 Tertiò: nam quia actuale Adami peccatum in privatione rectitudinis debitæ fuit possitum, optimè infertur, habituale Adami peccatum consistere in privativo, vt vidimus in secunda conclusione; atqui etiam illud ipsum actuale peccatum, quatenus nostrum, fuit quid privativum: ergo terminus ex illo nobis relictus, constitui debet in privativo. Quartò: peccatum originale non est ipsum actuale Adami peccatum, in parvulis per modum habitus moralitèr perseverans, dum illis non condonatur, vt vidimus §. 3; nec est privatio gratiæ, seu iustitiæ originalis, vt constat ex § 5; nec est reatus ex dictis §. 7; nec est quid possitivum, vt claret ex §. 8: ergo à sufficienti enumeratione non restat, in quo alio consistere possit, nisi in privatione habitualis rectitudinis debitæ, in nostra conclusione explicata.

Tertiò.

Quartò.

128 Sic itaquè probata conclusione per oppositum ad probationes Ill. God. illam quinto probo contra cœteros alios, in privatione cuiuscumque alterius illud constituentes: in hac nostra sententia magis propriè, & rigurosè intelliguntur illa Scripturæ loca, nempè: *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: : : *In quo omnes peccaverunt*: ergo cœteris est præferenda. Probatur antecedens: si peccatum originale consisteret in privatione cuiuscumque alterius, peccatū Adæ non esset ad nos transfussum; quia peccatum Adæ non est privatio alterius, quam rectitudinis debitæ, vel conformitatis ad legem: ergo in nostra solum sententia intelligitur Scriptura magis propriè, & rigurosè. Hoc claret ex dictis §. 5. *per totum.*

Quintò.

129 Probatur deniquè conclusio: inter cœtera alia differentialia, in pecca-

Prob. deniq̄

to-

tore habituali reperta, reperitur privatio rectitudinis, quæ debuit ineſſe actui: ergo inter omnia differentialia, in peccatore habituali reperta, hæc privatio eſt peccati habitualis conſtitutiva. Atqui hæc eſt habitualis privatio: ergo in hac peccatum habituale conſiſtit, & conſequentèr etiam originale. Antecedens eſt indubitatum. Probatur conſequentia: inter omnia differentialia, in peccatore habituali reperta, hæc privatio eſt, quæ primo reperitur in illo: ergo hæc eſt peccati habitualis conſtitutiva. Conſequentia eſt legitima; nam id, quod primo differentialitèr reperitur in re, eſt rei conſtitutivum. Antecedens probo: nam quod primo reperitur in peccatore habituali, eſt, quod primo relinquitur ex peccato actuali; ſed quod primo relinquitur ex peccato actuali, eſt habituale ipſius peccati, ſeu ipſum peccatum habitualitèr manens, ſeu moralitèr permanens: ergo cum peccatum actuale ſit privatio rectitudinis debitæ, hæc privatio rectitudinis eſt, quæ primo reperitur in peccatore habituali. Atqui hæc eſt privatio habitualis rectitudinis: ergo hæc eſt, quæ primo in peccatore habituali reperitur.

130 *Arguit. Ill. Godoy.* Arguit Ill. Godoy *num.* 75. *in fine*: peccatū originale non conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui: falſa igitur eſt noſtra concluſio: Probatur antecedens: hæc pribatio ita extrinſicè comparatur ad parvulos, ſicuti actus: ergo peccatum originale non conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui.

131 *Reſpond.* Reſpondeo negando antecedens, & eius probationem diſtinguendo: hæc privatio actualis rectitudinis, ita extrinſicè comparatur ad parvulos, ſicuti actus, concedo antecedens; habitualis, ſeu per modum termini, nego antecedens; & claritatis gratia, diſtinguo conſequens: ergo peccatum originale non conſiſtit in privatione actualis rectitudinis debitæ ineſſe actui, concedo conſequentiam; non conſiſtit in privatione habitualis rectitudinis, nego conſequentiam. Itaque ſicut privatio actualis rectitudinis debitæ eſt peccati actualis conſtitutiva, ita privatio rectitudinis habitualis eſt conſtitutiva peccati habitualis, & hoc eſt conſequentèr procedere, vt de poſsitivo procedit Ill. Godoy, vt diximus *num.* 115. vbi etiam aliorum inconſequentiam notavimus.

132 *Replicabis pro Ill. God.* Ill. Godoy nihil aliud adducit contra noſtram ſententiam; pro ipſo tamen replicabis: talis privatio eſt quid rationis, vel extrinſeca denominatio: ergo non ineſt nobis: ergo non eſt originale peccatum; nam hoc iuxtà Trident. *Seſſ.* 5. *Can.* 3. *Ineſt vnicuiq; proprium.* Hæc replica eſt contra omnes ferè ſententias, aſſerentes: peccatum habituale, & originale eſſe quid rationis, vel extrinſecam denominationem.

133 *Reſpondeo.* Ego autem reſpondeo diſtinguendo primum conſequens: non ineſt propriè, concedo conſequentiam; non ineſt, vt contra diſtinguitur ab imputatione, nego conſequentiam, & ſubillatam; quia Concilium non dixit, quod propriè inſit, ſed ſolum quod non ſit per imputationem, ad quod ſufficit, quod talis privatio ſit in nobis moralitèr exiſtens; ſic enim verificatur, quod quilibet poſterus habeat ſuum proprium peccatum originale, quia vnicuique ineſt, eo modo, quo ineſſe poteſt, nempè, moralitèr. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in* 2. *diſt.* 30. §. 6.

o)(§)(o

DISPVTATIO TRIGESIMASEPTIMA.

Cui subiecto insit culpa originalis?

§. I.

Notantur aliqua, & referuntur sententiæ.

Num. 1 *Suppono 1.*

In quo conveniant, & differãt peccatum habituale, & originale.

SVppono primò: quod peccatum originale, vt sæpè sæpius dictũ est disputatione præced. habet rationem peccati habitualis; differt tamen ab illo, quia peccatum habituale est personale; originale vero est generatione transfussum. Vndè licèt peccata hæc non differant specie secundum esse absolutum, seu in esse peccati; differunt tamen secundum esse respectivum; quia peccatum habituale dicit intrinsecum ordinem ad actuale; originale vero dicit ordinem intrinsecum ad generationem, tanquam ad conditionem necessariò requisitam, vt sit, & hæc est ratio, cur peccatum in Adamo non dicitur originale.

2 *Clarissimo manifestatur exemplo.*

Hæc convenientia, & differentia clarissimo manifestatur exemplo: nã si duo homines producerentur, vnus per generationem, & alter per creationem, vterque esset eiusdem speciei cum altero; non tamen vterque esset filius, quia filiatio illi soli convenit, cui natura est per generationẽ communicata. Ita similitèr: licèt vtrumque peccatum, habituale, scilicèt, & originale, sit eiusdem speciei cum altero; non tamen vtrumq; est originale, quia cum ad originale necessariò requiratur, quod sit per generationem communicatum, peccatum habituale Adami in illo non est originale.

3 *Suppono 2.*

Duo casus valdè diversi.

Suppono secundò: quod in hoc casu: *Si Deus statueret producere hominem aliquem absque voluntate, postquam eius voluntas fuit obligata in Adamo*, alitèr loquendum est, ac in hoc casu: *Si Deus statueret producere aliquem hominem absque voluntate, antequam eius voluntas esse obligata in Adamo.* Ratio sumitur ex alijs casibus valdè similibus; nam in casu, quod Deus tolleret ab homine voluntatem, postquam peccavit, alitèr loquendum esset de illo, ac in casu, quod Deus tolleret ab illo voluntatem, antequam peccaret: ergo paritèr de casibus suprà assignatis. Consequentia est paritate rationis nota. Antecedens est certum, & apparebit ex diverso modo, quo est in vtroque loquendum.

4 *Quid sit in vno dicendum.*

Si enim Deus, postquam homo peccavit, tolleret ab illo voluntatẽ, certum est, illum manere in peccato, quamvis voluntas sit subiectum immediatum peccati. Ratio est: nam manente subiecto mediato peccati, manet in illo peccatum; sed ablata voluntate, quę supponitur subiectum immediatum peccati, maneret anima, quæ est subiectum mediatum peccati: ergo maneret in illa peccatum. Hoc patet à pari in naturalibus: nam manente substantia, quæ est subiectum mediatum accidentium reliquorum à quantitate, manent in illa accidentia, etsi ab illa Deus aufferret quantitatem, quæ est subiectum immediatum illorum; nam substantia sustentans quantitatem, sustentare etiam valeret cœtera accidentia.

5 *Quædam advertẽtia.*

Est tamen advertendum: quod licèt substantia non posset sustentare aliqua accidentia, nisi mediante quãtitate; tamen privatio reliquorum accidentium conveniret illi substantiæ, à qua ablata esset quantitas. Cuius ratio est manifesta: nam privatio cuiuscumque formæ, non solum convenit subiecto immediato, sed etiam mediato; vt patet in homine, qui cœcus diceretur, non solum per privationem occulorum, qui sunt subiectum immediatum cœcitatis; sed etiã per privationem visus, qui mediate subiectatur in homine. Certum igitur est, quod si Deus postquam homo peccavit, tolleret ab illo voluntatem, maneret in illo peccatum, quamvis

voluntas esset subiectum immediatum illius.

6 *Quid sit dicendum in altero.*

Si autem Deus, antequam homo peccaret, tolleret ab illo voluntatem, implicatorium esset, quod homo ille peccaret actualiter, & consequenter quod peccatum haberet habituale. Ratio est: nam peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium; sed ille homo nullo modo posset elicere actum voluntarium: ergo nullum peccatum habere posset. Hoc patet etiam in naturalibus: si enim tollatur animalitas, nullatenus posset esse homo: ergo si tollatur voluntarium, nullo modo posset esse peccatum.

7 *1. casus parificatur ad presentem disput.*

Sic ita pariter omnino est in præsenti discurrendum: si enim Deus, postquam voluntas hominis fuit in voluntate Adami obligata, & peccato illius peccavit, tolleret ab illo voluntatem, remaneret in anima peccatum ab Adamo transfusum, etiam si voluntas esset subiectum immediatū illius. Et hoc sivè peccatum sit quid positivum, vt tenet Ill. Godoy, quia maneret anima, quæ esset subiectum mediatum, vt de substantia, & aliorum à quantitate accidentium diximus *numer.* 4. Sivè sit quid privativum, eo, quod privatio cuiuscumque formæ, tam de subiecto immediato, quàm mediato verificatur, vt diximus *num.* 5. & exemplo cæcitatis declaravimus.

8 *Parificatur secundus.*

Si autem Deus, antequam voluntas alicuius hominis esset in voluntate Adami obligata, statueret, illum voluntate spoliari, talis homo nullatenus traheret peccatum originale. Cuius duplex est ratio. Prima: quia voluntate ab illo ablata, nullatenus peccatū posset esse illi voluntarium, & consequenter nec peccatum ex dictis *num.* 6. Secunda: quia cum voluntatem nō haberet, non posset illius voluntas esse in voluntate Adami obligata, quod est necessarium, vt homo ille contraheret originale; nam ideò iuxta omnium sententiā contrahimus originale peccatum, quia nostræ voluntates fuerunt in voluntate Adami obligatę

9 *Corollariū.*

Ex hoc que liquidè constat, quod Adamus esset caput morale illius hominis, à quo, postquam talis homo peccavit in Adamo, Deus abstulit voluntatem, homoque ille esset membrum morale Adami. Ast respectu illius hominis, à quo, antequam in Adam peccasset, Deus decrevit, voluntatem illi non conferre, nec Adamus esset caput morale, nec homo ille esset illius morale membrum; phisicè autem, sivè in esse naturæ, & Adamus esset caput, & homo ille esset membrum. His suppositis.

10 *1. Sententia. Ill. Godoy. Thomistæ.*

Duplex ex diametro opposita est sententia. Prima asserit: peccatum originale quo ad essentiam subiectari immediatè in anima; quo ad proprietates, & effectus subiectari etiam in potentijs, nempè, in voluntate, & appetitu. Sic Thomistæ communiter, cum quibus Ill. Godoy in præsenti, qui per triplicem conclusionem suam declarat opinionem. Secunda sententia per oppositum docet: peccatum originale subiectari immediatè in voluntate; mediatè verò in anima; non autem in appetitu. Ita Scotus *in 2. dist. 32. §. Circa tertium, & §. Ad argumenta secundæ quæst.* Cum quo Scotistæ omnes. Div. Bonaventura *in 2. dist. 3. quæst. 2.* Durandus *in 2. dist. 31. quæst. 3.* Bazquez *disput. 133. cap. 4.* Hurtado *disput. 7. difficult. 12.* D. Anselmus *de Conceptu Virginali, cap. 3.* vbi probat: peccatum originale esse in voluntate, quia in ea est iustitia, quæ opponitur tali peccato. Hanc sententiam per triplicem conclusionem, vt facit Ill. Godoy, contra ipsum explicabo.

2. Sententia. Scotus. Scotistæ. D. Bonav. Durandus. Bazquez. Hurtadus. D. Anselm.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

11 *1. Cōclusio.*

PRima conclusio: *Peccatum originale subiectatur immediatè in voluntate, & mediatè in anima.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 2. & in sensu illius accipitur, nempè, quod peccatum originale priùs infecit voluntatem, & immediatiùs, quam animam. Probatur primò ex dictis: si Deus antequam obligaret voluntates descendentium ab Adamo in voluntate Adami, decerneret, non conferre alicui voluntatem, hic homo nullum posset habere peccatum, etiam originale: ergo anima non est capax peccati originalis, nisi mediante voluntate: ergo peccatum originale non recipitur in anima priùs, quam in voluntate: ergo peccatum originale subiectatur immediatè in voluntate. Antecedens duplici ratione demonstratum manet *num.* 8. quarum vtraque est Ill. Godoy *disput. 32. à numer 35. vsque ad* 42. in quo fatetur secundam. Imò pa-

Probat. 1.

ret

tet etiam ex eo, quod nec Adamus esset caput morale illius hominis; nec homo ille esset membrum morale Adami ex dictis *num.*9. Consequentia autem, & omnes ex illa illatæ, evidenter apparent.

12 *Respondet Ill. Godoy.*

Hoc argumentum prævidit Ill. Godoy *numer.5.in fine*, vbi talem hominem peccatum originale contrahere, sic probat: nam talis homo indigeret Baptismo, & Redemptione per Christum, & verè diceretur, Christum pro tali homine esse mortuum, & illum in Adamo peccante peccasse; at omnia ista sine originali peccato verificari non possunt: ergo contraheret originalem culpam. Sed licèt per hoc videatur, argumentum prævidisse, in rei veritate argumentum non prævidit; quia non distinguit, de quo homine loquatur; an de homine postquam eius voluntas fuit in voluntate Adami obligata? An verò de homine, antequam illius voluntas fuisset in voluntate Adami obligata? Si de homine in primo casu loquatur, verum dicit, & totum concessum habemus *numer.*4. & 5. Si autem loquatur de homine in secundo casu (quod non credo) falsum asserit, vt demonstratum manet *num.*8.

13 *Efficatia prædictæ probationis*

Imò: loquendo de homine in hoc secundo casu, mihi ita efficax argumentum videtur, vt penitus ignorem, quid possit ad illud respondere; nam tota doctrina, qua vtitur in solutione aliorum, prædicto certè argumento præcluditur, & illo solo sine alio recursu evidenter impugnatur. Et vt melius appareat, prædictam rationem confirmabo, posteaque aliquas rationes, quas soluit Ill. Godoy, adducam, vt eius solutiones præfato impugnetur argumento.

14 *Confirmat. ratio suprà posita.*

Confirmatur suprà posita ratio: ideò iuxtà omnes, cum quibus Ill. Godoy *disput.*32. *citat.* contrahimus originale peccatum, quia voluntates nostræ fuerunt in voluntate Adami obligatæ; sed si anima esset subiectum immediatum peccati originalis, sine voluntatis obligatione contraheremus tale peccatum: ergo anima non est tale subiectum. Probatur minor: præcisa obligatione voluntatis, stat Adæ peccatum, Dei cum Adamo pactum, generatio descendentium, & anima, quæ esset subiectum immediatum peccati originalis: ergo, &c.

Probatur secundò conclusio: peccatum essentialitèr est voluntarium; sed omne voluntarium subiectatur immediatè in voluntate: ergo & peccatum originale.

15 *Probat. 2. concluſ.*

Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num.*8. peccatum habituale esse voluntarium per modum termini, non per modū actus, licèt autem voluntarium, etiam per modum termini, debeat animæ competere media voluntate per modum causæ efficientis, non autem necessarium est, quod eidem competat media voluntate per modum subiecti; ex quo non tollitur, immediatè per modum subiecti recipi originalem culpam in anima.

Reijcitur.

16 *Reijcitur 1*

Reijcitur primò: si peccatum originale posset animæ competere sine mediatione voluntatis per modum subiecti, sequeretur, quod homo, à quo Deus tolleret voluntatem, antequam voluntates ab Adamo descendentium in voluntate Adami obligaret, contraheret peccatum originale; sed hoc est falsum ob dicta in prima probatione: ergo falsa est solutio Ill. Godoy. Probatur maior: ille homo esset per generationem ab Adamo productus, haberetque animam, quæ iuxtà Ill. Godoy est subiectum immediatè receptivum peccati: ergo contraheret originale.

17 *Secundò.*

Secundò: peccatum originale est voluntarium per modum termini: ergo debet convenire animæ nostræ, nostra mediante voluntate; alioquin non esset nobis voluntarium vllo modo. Atqui non convenit animæ nostræ, nostra mediante volūtate per modum causæ efficientis; quia peccatum originale non causatur à nostra voluntate, vt habet Ill. Godoy *disp.*35 *numer.* 2. & nos ibidem diximus: ergo peccatum originale convenit animæ nostræ, nostra mediante volūtate per modum subiecti: ruit ergo solutio.

18 *Probat. 3. concluſ.*

Probatur tertiò conclusio: peccatum nostrum originale est ipsum habituale peccatū Adami, ad nos transfussum; sed peccatum habituale Adami fuit in voluntate immediatè receptum: ergo nostrum originale immediatè in nostra volūtate recipitur.

19 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *numer.* 11. concessa maiori, & omissa minori, negando consequentiam; ratio autem, cur in Adamo priùs in voluntate; in nobis autem priùs suscipiatur in ani-

ma, constat ex dictis. Sic Ill. Godoy, & ad eius dicta attendendo, solutio alia esse non potest, nisi disparitas, quam *num.* 9. adducit inter peccatum habituale, personale, & originale, nempè, quod personale est terminus peccati actualis, immediatè ad illud secutus; peccatum autem originale, etsi effectivè à peccato actuali capitis, prout fuit nostrum, causetur; non tamen illius efficacia, nisi media generatione, vt conditione, & veluti applicatione exercetur, & quia aliàs pro priori, quo terminatur ad animam antecedentèr ad potentias, intelligitur in illa sufficiens capacitas ad culpam suscipiendam; consequens fit, quod in illa secundum substantiam priùs recipiatur.

20 *Impugn.* 1. Impugnatur primò hæc solutio, quæ est vnicum Ill. God. fundamentum: ideò iuxtà Ill. Godoy peccatum originale subiectatur in anima immediatè, quia efficatia peccati originalis exercetur media generatione, quæ priùs ad animam, quam ad potentias terminatur: ergo homo, à quo Deus tolleret voluntatem, antequam voluntates descendentium ab Adamo, in Adami voluntate obligaret, contraheret peccatum originale. Consequentia patet: nam ille homo esset generatione producendus, quæ priùs terminatur ad animam, in qua pro illo priori intelligitur sufficiens capacitas ad culpam suscipiendam, vt ait Ill. Godoy. Falsitas autem consequentis apparet ex nostra prima probatione, & eius confirmatione.

21 *Secundò.* Secundò: quod efficacia peccati originalis exerceatur media generatione, priùs ad animam terminata, non tollit, quod tale peccatum sit essentialitèr voluntarium: ergo non tollit, quod immediatè subiectetur in voluntate, & consequentèr ruit solutio. Probatur consequentia: omne voluntarium subiectatur in voluntate immediatè; sed iuxtà concessa quod efficacia peccati exerceatur media generatione, priùs ad animam terminata, non tollit, quod tale peccatum sit essentialitèr voluntarium: ergo non tollit, quod immediatè subiectetur in volũtate. Minor, & consequentia tenent. Maior autem constat ex dictis *num.* 15. & per sequentia manet solutio Ill. Godoy impugnata.

22 Tertiò: quod efficacia peccati originalis exerceatur media generatione priùs ad animam terminata, non tollit, quod peccatum nostrum originale se habeat ad peccatum actuale Adami, vt peccatum habituale, ex illo relictum: ergo nec tollit, quod immediatè subiectetur in voluntate. Probatur consequentia: peccatum habituale personale subiectatur immediatè in voluntate iuxtà solutionem Ill. Godoy; sed iuxtà concessa quod efficatia peccati originalis exerceatur media generatione, priùs ad animam terminata, non tollit, quod peccatum originale nostrum se habeat ad peccatum actuale Adami, vt peccatum habituale, ex illo relictum: ergo nec tollit, quod immediatè subiectetur in voluntate. *Tertiò.*

23 *Probat. 4. concl. iuxtà sentent. Ill. Godoy.* Probatur quartò conclusio iuxtà sententiam Ill. Godoy: peccatum originale nostrum consistit in positivo termino morali ex actuali transgressione Adami, prout fuit nostra, relicto, quo constituimur positivè legi difformes, realitèr aversi à Deo, & conversi ad creaturam; sed illud, quo cõstituimur positivè legi difformes, realitèr aversi à Deo, & conversi ad creaturam, subiectatur immediatè in voluntate: ergo & originale peccatũ. Maior est opinio Ill. Godoy *disput.* 36. *num.* 73. Probatur minor: id, quo constituimur positivè legi conformes, realitèr conversi ad Deum, & aversi à creatura, subiectatur immediatè in voluntate: ergo similitèr per oppositum Antecedens est certum; nam legi conformitas, aversio, & conversio respiciunt primo voluntatem. Consequentia videtur legitima; quia illi potentiæ, cui actus inest, inest habitus ex actu relictus.

24 *Respond. Ill. Godoy.* Respondebit Ill. Godoy distinguendo de difformitate legis, aversione, & conversione habituali personali, & originali, & assignando disparitatem ab ipso traditam *num.* 9. & pro ipso à nobis adducta *num.* 19. Cœterum hæc solutio triplicitèr manet ibi reiecta, & vltrà reijcitur: nam si hæc propositio, vt axioma recepta: *Illi potentiæ, cui actus inest, inest habitus ex ea relictus*, est vera, de habitu relicto per proprium actum, vera etiam debet esse, de habitu relicto per alienum actũ; cum hoc non tollat ab illo rationem habitus, nec exemplum in oppositum adducit Ill. Godoy; vndè voluntaria, *Reijcitur.*

fine

sine fundamento, & principium petens, videtur illius solutio.

25 *Probat. 5. contra rationem Ill. Godoy.*

Probatur quintò: ex ratione Div. Thomæ, quam Ill.Godoy amplectitur, sequitur, culpam originalem infecisse priùs intellectum, quam voluntatem; consequens est contra D.Thomam 1. 2. *quæst.* 83. *artic.* 3. ergo falsa est illius ratio, & consequenter conclusio ex illa illata. Probatur sequela: ex eo, quod culpa originalis derivatur in anima ex vnione ad corpus, & quod priùs vnitur secundum substantiam, quam secundum potentias, infert Ill.Godoy cum D.Thoma, priùs, & immediatiùs subiectari in anima, quam in potentijs; at etiam potentiarum infectio resultat ex vnione illarum ad animam, illique immediatiùs vnitur intellectus, quam voluntas: ergo ex vi istius rationis si aliquid probat, sequitur infici priùs intellectum, quam voluntatem.

26 *Respondet Ill.Godoy.*

Respondet Ill.Godoy *num.* 13. negando sequelam, & concessa maiori, & minori, negat consequentiam; quia intellectus infici non potest per culpā originalem, nisi ratione voluntatis: anima autem ratione sui est capax immediatè ad illius susceptionem, ex eo, quod est radix omnium potentiarum, & ratione sui rationalis, & volitiva radicalitèr. Quę doctrina est Div. Thomę *quæst.* 4. *de malo, artic.* 4. ibi: *Ad septimum dicendum, quod ipsæ potentiæ rationales derivantur ab essentia animæ; & ideò esse susceptivum peccati derivatur ad potentias ab essentia animæ.*

27 *Contra.*

Contra: etiam intellectus est ratione sui iuxtà D. Thomam, & Ill.Godoy, radix proxima voluntatis: ergo si anima, quia est illius radix remota, potest infici ratione sui morte per culpā originalem, eadem de causa poterit intellectus. Respondet Ill.Godoy *numer.* 14. quod intellectus, etsi medio illo voluntas dimanet à nostra anima, non tamen ita, quod fit, & dicatur potens velle, media voluntate; non enim de intellectu verificari potest, esse volitivum: anima autem talitèr est radix voluntatis, & intellectus, quod potest velle mèdia voluntate, & intelligere medio intellectu. Vndè dispar est inter vtrumque ratio.

Respondet Ill.Godoy.

28 *Impugn. 1. ex princi-*

Ill.Godoy hoc argumentum vltrà non progreditur; ego verò contra ipsum progredior, vltimam illius solutionem impugnando primò: hæc solutio adversatur catervæ Thomistarum, asserentium cum D. Thoma, peccatum originale consistere in privatione iustitiæ: ergo non est tuta in principijs D.Thomæ. Consequentia est manifesta. Antecedens verò probatur: si iuxtà prædictos Thomistas peccatum originale residet in intellectu, priùs in intellectu, quam in volūtate, debet residere; sed iuxtà illos residet in intellectu: ergo solutio allata adversatur prædictis Thomistis. Maior est certa ob rationem D.Thomæ positam *num.* 25. Minor probatur: ideò iuxtà illos Thomistas essentia peccati originalis constituitur in carentia iustitiæ, quia iustitia fuit primo Parenti concessa, pro se, & pro sua posteritate, sub conditione de non transgrediendo legem; sed fuit illi concessa iustitia, non solum vt rectificans animam, & voluntatem, sed etiam vt rectificans intellectum: ergo non solum carentia iustitiæ residens in voluntate, sed etiam quæ in intellectu invenitur, est mala moralitèr.

pijs D.Thomæ.

29 *Impugn. 2.*

Sed quia Ill.Godoy *num.* 19. negat, peccatum originale esse in intellectu, aliter contra ipsum impugnatur solutio: quod intellectus Petri non sit potens velle, media voluntate illius, non tollit, quod vi rationis D. Thom. & Ill.Godoy sit capax susceptivum peccati originalis priùs, quam voluntas: ergo dispar non est ratio inter animam, & intellectum. Probatur antecedens: quod intellectus Petri non sit potens velle media voluntate illius, solum tollit, quod intellectus sit capax susceptivum peccati actualis, & habitualis personalis: ergo. Antecedens patet: nam solum peccatum actuale, & habituale causatur in Petro ab illius voluntate. Consequentia legitima videtur vi rationis D. Thomę, & Ill.Godoy. Vndè disparitas, quam ipse ponit inter peccatum habituale personale, & originale, nunc contra ipsum insurgit, & validè.

30 *Tertiò.*

Tertiò: anima est radix remota voluntatis iuxtà Ill.God: ergo ita est radix volūtatis, vt solum remotè possit velle: ergo ita est radix voluntatis, vt solum remotè possit velle: ergo ita est radix volūtatis, vt solū remotè possit esse subiectum peccati originalis, & consequenter non est subiectum proximum, seu immediatū illius. Probatur hæc consequentia: in tantum ani-

ma est subiectum peccati originalis, in quantum talitèr est radix voluntatis, vt possit velle media voluntate; atqui vt est talis radix, solum remotè potest velle: ergo solum remotè potest esse subiectum peccati originalis. Maior est Ill. Godoy in solutione. Minor confessa. Consequentia legitima.

31 *Quarto.* Quartò: nullus homo peccavit in Adam, in quantum eius anima, vt radicalitèr volitiva, erat in illo; alioquin necessarium non esset, quod voluntas illius esset in voluntate Adami obligata, quod est contra omnes ex dictis *num.* 14: ergo anima, vt est radicalitèr volitiva, non est subiectum immediatum peccati originalis. *Quintò.* Quintò: anima vt est radix voluntatis, est capax immediatè ad susceptionem peccati originalis: ergo homo in casu posito *num.* 8. contraheret originale peccatum, cuius falsitas est ibi ostensa.

32 *Impugn. 6. & 6. prob. conclus. ad hom. contra Ill. Godoy.* Impugnatur sextò, & simul sextò probatur conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: ideò iuxtà ipsum anima est subiectum susceptivum immediatè peccati originalis, quia ita est radix voluntatis, vt possit velle media voluntate: ergo ideo anima est subiectum susceptivum peccati originalis, quia ita est radix voluntatis, vt possit peccare media voluntate: ergo anima nullo modo peccare potest, nisi media voluntate, & consequentèr nec originalitèr. Infero nunc: ergo anima non est subiectum immediatè susceptivum peccati originalis. Probatur hæc consequentia: anima nec originalitèr potest peccare, nisi media voluntate: ergo originale peccatum nequit esse in anima, nisi media voluntate: ergo, &c.

33 *Probat. 7. iuxtà nostrã, & aliorum doctrinam.* Probatur septimò in sententia constituente peccatum originale in privatione iustitiæ originalis, sivè à gratia distinctæ, sivè indistinctæ, & in sententia nostra illud constituente in privatione rectitudinis: peccatum originale iuxtà has sententias, vel est privatio iustitiæ originalis, vel rectitudinis debitæ; sed vtraque est immediatè in voluntate: ergo & originale peccatum. Probatur minor: iustitia originalis, & debita actus rectitudo, sunt immediatè in volũtate: ergo & vtriusque privatio. Consequentia patet: nã illi potentiæ, cui actus inest, inest etiã illius privatio, vt est apud omnes certum. Antecedens est certum: nam iustitia est rectitudo, quæ primo est in voluntate. Eadem ratio est de aversione habituali, in qua alij essentiam culpæ originalis statuerunt.

34 *Deniq; probat.* Deniquè potest probari conclusio. Tum: quia in originali peccato est deordinatio ipsius animæ; sed deordinatio non est in anima, nisi media potentia: ergo nec peccatum originale. Tũ etiam: quia anima non est subiectum capax immediatè susceptivum meriti: ergo nec demeriti: ergo nec originalis peccati. Nec valet solutio de differentia peccati habitualis personalis, & originalis, quia reiecta manet *num.* 20. 21. & 22. & si alia quæcumque tribuatur, satis est impugnata per dicta.

§. III.

Argumentis Ill. God. occurritur.

35 *Arguit. 1.* ARguit primò Ill. Godoy *num.* 2: culpa originalis contrahitur media generatione; at generatio priùs terminatur ad animam, illam corpori vniendo, quam ad potentias, quæ consecuntur illam: ergo peccatum originale ptiùs, & immediatiùs inhæret animæ secundum essentiam, quam illius potentijs.

36 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo maiorem: culpa originalis contrahitur dispositivè media generatione concedo maiorem; formalitèr, vel vt causa totalis peccati originalis nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam. Itaquè generatio est conditio ad contractionem peccati originalis; non verò tota causa illius, quia vltrà requiritur possibilitas ad deordinationem peccati, quæ primo convenit voluntati, etsi generatio animæ priùs conveniat, vt dictum manet. Solutio est Scoti, & D. Bonaventuræ *citat.*

37 *Secundò.* Respondeo secundò concessa maiori, distinguendo minorem: generatio priùs terminatur ad animam, in genere entis concedo minorem; in genere moris nego minorem, & consequentiam. Anima enim in genere entis constituitur per generationem; at in genere moris constituitur per voluntatem cum ordine ad legem, & vt est agens liberum; vndè licèt generatio priùs terminetur ad animam in esse entis, scilicèt, quatenùs est terminus generationis, & forma corporis; non tamen priùs terminatur ad ipsam in

ge-

genere moris, quia hoc habet per voluntatem. Cum ergo anima non sit subiectum peccati originalis in genere entis, sed in genere moris, & hoc illi media voluntate conveniat, media tantum voluntate est subiectum talis peccati.

38 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num.6.* restaurando primum argumentum: illud priùs inter partes animæ, quæ sunt culpæ capaces, recipit in se culpam originalem, quod priùs per generationē corpori vnitur; at priùs vnitur corpori per generationē anima rationalis secundum essentiam, quam secundū potentias: ergo priùs, & immediatiùs recipitur originalis culpa in anima secūdum essentiam, quam secundū potentias. Illatio est legitima. Minor certa: nam inter animam, & corpus, cui vnitur, nulla animæ potentia mediat; inter potentias autem, & corpus mediat anima secundum substantiam. Probatur maior: nam peccatum originale derivatur ad animam ex vnione ad corpus per generationem factam medio semine deciso ab Adamo: ergo secundum id intelligitur primario recipere culpam, secundum quod primo intelligitur vniri corpori, & primario terminare generationem.

39 *Confirmat.* Confirmat hoc *num.citat*: pro illo priori, quo intelligitur anima generationem terminans, & corpori vnita, intelligitur homo constitutus mēbrum, & filius Adæ: ergo cum aliàs anima secundum substantiam sit capax subsceptivum culpæ originalis, intelligetur pro illo priori iam culpa contracta; at non ratione potentiarum, quæ pro illo tunc nondum intelliguntur: ergo ratione animæ secundū suam essentiā; & consequentèr in illa prout sic, recipitur immediatius originalis culpa, quā in potentijs.

Hæc autem nihil nobum ad argumentum præcedens addunt. Vndè ad argumentum respondeo primò distinctione data: recipit dispositivè, vel formalitèr, concedo maiorem; formalitèr præcisè, nego maiorem; ad cuius probationem distinguo similitèr antecedens. Secundò: quod priùs per generationem corporis vnitur in genere moris, concedo maiorem; in genere entis, nego maiorem; cuius probationem similitèr distinguo, & explicatur vt suprà. Ad confirmationem distinguo antecedens: intelligitur homo constitutus membrum, & filius Adæ in genere entis, concedo antecedens; in genere moris, nego antecedens; quia homo non constituitur membrum, & filius Adę in genere moris, nisi per generationem terminatam ad animam, prout habentem voluntatem, vt manet dictum.

40 *Respond. 1. ad argum.* *Secundo.* *Ad confirmation.*

Deniquè Bazquez *citat.* retorquet rationem D. Thomæ contra ipsum eo, quod ex illa sequitur, totum cōpositum esse subiectum immediatum receptivum peccati originalis, quia priùs, quam anima, generationem attingit. Et licèt occurrat Ill. God. *numer.4.* dicendo: D. Thomam loqui de subiectis, quæ sunt culpæ capacia, de quorum numero non est totum cōpositum; potest tamen retorqueri paritate intellectus *num.29.* assignata, & meliùs, fortiùsquè, & efficaciùs retorqueo: nam ex ratione D. Thomæ necessariò sequitur, quod homo, à quo Deus tolleret voluntatem, antequam voluntates hominum in volūtate Adami obligaret, contrahæret originale peccatum, cuius falsitatem ostendimus *num.8.*

41 *Retorqueo.*

Arguit tertiò *num.5*: anima secundum suam essentiam est capax recipiendi immediatè culpam originalē: ergo est tale illius subiectum. Probatur antecedens primò: quia anima secundum suam essentiam est rationalis, & ex illa ad potentias, quod rationales sint, derivatur; at potentiæ sunt capaces culpæ, quia rationales sunt: ergo à fortiori anima secundū suam essentiam erit capax recipiendi culpam, quæ non consistit in actu. Secundò: nam anima est capax recipiendi immediatè rectitudinem habitus; etsi non sit capax rectitudinis consistentis in actu: ergo paritèr.

42 *Arguit. 3.* *Probatur anteced. 1.* *Secundò.*

Deniquè: nam si Deus de potentia sua absoluta suspenderet potentiarum effluxum in homine, descendente ex Adamo per seminalem propagationem, verè in tali homine inveniretur culpa originalis; at non in potentijs, quibus talis homo careret: ergo in anima reciperetur; & consequentèr in illa est capacitas ad immediatè recipiendam culpam habitualē. Probat minorem: tam talis homo indigeret Baptismo, & Redemptione per Christum, & verè diceretur, Christum pro tali homine esse mortuum, & illum in Adamo peccante

43 *Deniquè.*

peccasse; at omnia ista, sine originali peccato verificari non possunt: ergo culpam originalem contraheret.

44 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando antecedens. *Ad 1. prob.* Ad primam probationem distinguo maiorem: anima secundum suam essentiam est rationalis remotè, & per modum radicis, concedo maiorem; proximè, & per modum principij, nego maiorem; distinguo minorem: potentiæ sunt capaces culpæ, quia rationales sunt proximè, & per modum principij, concedo minorem; remotè, & per modum radicis, nego minorem, & distinguo consequens: ergo anima secundum suam essentiam erit capax recipiendi culpam mediatè, concedo consequentiam; immediatè, nego consequentiam. Et hoc tantum probatio convincit, vt apparet ex ipsa, & ex retorsione sequenti. *Retorqueo.* Retorqueo probationem: anima secundum suam essentiam est rationalis, & ex illa potentiæ; sed potentiæ sunt capaces culpæ actualis, & immediatè illius receptivæ: ergo etiam anima secundum suam essentiam, quod est contra Ill. Godoy. *Ad 2.* Ad secundum nego antecedens, quod non probat Ill. God.

45 *Ad 3.* Ad tertiam distinguo maiorem: si suspensio potentiarum fieret postquã homo peccavit, concedo maiorem; si fieret antequam peccaret, nego maiorem, & cum eadem distinctione minoris, nego consequentiã. Ad probationem minoris distinguendo maiorem distinctione data, & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Hæc solutio constat ex dictis *à num. 3. vsquè ad 10.* Imò, quod si suspensio potentiarum fieret, antequam homo peccaret, talis homo non contraheret peccatum originale, sæpè sæpiùs dictum est, & est nostræ conclusionis ratio præcipua, qua sola corruunt omnia, quæ Ill. Godoy opponere valet contra verissimam Scoti opinionem.

§. IV.

De subiecto malitiæ originalis.

46 *2. Cõclusio.* SEcunda conclusio: *Malitia moralis originalis est in voluntate, & in anima; non verò in appetitu.* Hæc conclusio quoad primam, & secundam partem patet ex dictis, eamque probat Ill. Godoy *num. 15. & 16.* discurrendo per sententias de constitutivo peccati originalis, ex quibus facilimè in nostra sententia probatur: malitia moralis peccati originalis est privatio conformitatis ad legem ex dictis *præced. disput. num. 124*; atqui in voluntate, & in anima residet talis privatio: ergo in vtraque est malitia moralis peccati originalis. Consequentia est legitima, & minor, in qua poterat esse difficultas, constat ex *num. 5.*

47 *3. pars probata manet* Quoad tertiam vero partem est contra Ill. Godoy *num. 15.* sed inconsequentèr procedit, vt videbitur *numer. seq.* Eam tamen docet Scotus *in 2. dist. 32. §. Ad argum. secundæ quæst.* dicens: *Originale non est, nisi in voluntate*, intellige per exclusionem aliarum potentiarum, & latè probata manet per à nobis contra Ill. Godoy dicta *disput. 18.* vbi contra ipsum propugnavimus: nec peccata, nec vitia esse contra naturam hominis sensitivam, adhuc prout est nata obedire rationi. Videatur ibi, ne repetamus. *Prob. ex D. Thom.* Pro nunc autem patet ex D. Thoma *1. 2. quæst. 83. art. 1.* dicente: *Peccatum originale non esse in carne, tanquam in subiecto; benè vero tanquam in instrumento.* Et hoc est, quod docuit Scotus *citat.* scilicèt, quod caro solum potest esse causa instrumentalis culpæ, in quantum in ipso semine est vis activa producendi filium Adæ, qui per hoc est debitor iustitiæ originalis.

48 *Probatur 1. concl. ad hom. contra Ill. Godoy.* Ex quo sic ad hominem contra Ill. Godoy probo conclusionem primo: peccatum originale non est in carne, tanquam in subiecto: ergo malitia moralis peccati originalis nõ est in appetitu. Consequentia est legitima. Antecedens est D. Thomæ *citat.* & illud expræssè fatetur Ill. Godoy in fine disputationis dicens: quod caro est incapax culpæ. Ex quo illius claret inconsequentia. *Secundò.* Secundò: quia iuxtà D. Thomam *citat.* caro solum est subiectum pœnæ, quod sic probat: idem est subiectum virtutis, & vitij; sed caro non potest esse subiectum virtutis: ergo nec peccati originalis. Ex quo sic etiam ad hominem contra Ill. Godoy probationem formo: Caro solum est subiectum pœnæ: ergo & appetitus sensitivus: ergo in hoc non est culpa, & consequentèr nec malitia moralis peccati originalis.

49 *Arguit. 1. Ill. Godoy.* Ill. Godoy *numer. 17. & 19.* arguit contra nostram conclusionem, argumentum sumendo ex diversis senten-

tijs

tijs de constitutivo peccati originalis, quin de nostra faciat mentionem; iuxtà illam autem sic valet arguere: malitia moralis peccati originalis est privatio rectitudinis debitæ, vel conformitatis ad legem; sed inrectitudo, vel defformitas est etiam in appetitu: ergo in illo etiam est originale peccatum. Probatur minor: appetitus Adami fuit legi difformis: ergo inrectitudo, vel defformitas etiam est in appetitu. *Respond.* 1. Respondeo primò distinguendo minorem: defformitas est in appetitu, vt in causa instrumentali concedo minorem; vt in subiecto nego minorem, & distinguo similitèr probationem. Solutio est D. Thomę, & Ill. Godoy, vt claret ex *num.* 48. *Secundò.* Respondeo secundò alitèr distinguendo minorē: defformitas habitualis est in appetitu nego minorem; actualis subdistinguo: secundario, & per derivationem ab actu voluntatis, concedo minorē; primario, & per se nego minorem, & distinguo similitèr probationem. Ex hac solutione subdistinctio coincidit cum dictis *disput.* 18. *citat.* & claret ex dictis *disput.* 23. §. 2. *per totum*, præsertim *num.* 24. & 25. Distinctio autem clarebit ex solutione sequentis argumenti.

50 *Arguit. 2. pro Ill. God.* Arguitur secundò pro Ill. Godoy: peccatum originale est peccatum gulæ, in nos transfussum; sed peccatum gulæ est in appetitu sensitivo: ergo malitia originalis peccati est in appetitu sensitivo. Consequentia legitimè infertur. Maior est vera, & minor est nostra sententia cum Scoto docens: actus exteriores addere suprà actum interiorem voluntatis bonitatem, vel malitiam, vt docuimus *disput.* 23. §. 2. *per totum.* *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: peccatum originale est peccatum gulæ habituale concedo maiorem; actuale nego maiorem, & distinguo minorem: peccatum gulæ habituale est in appetitu sensitivo nego minorem; actuale subdistinguo: primario nego minorem; secundario concedo minorem, & nego consequentiam; quia peccatum originale est habituale, quod solum est in voluntate.

51 *Explicatur solutio.* Explico solutionem: quando enim dicimus: actum externum addere ad internum bonitatem, aut malitiam, non loquimur de bonitate, & malitia habituali, quia hanc supponimus, esse solum in voluntate; sed loquimur de bonitate, & malitia actuali, quam secūdario esse in actu externo, dicimus; non primario, quia solus actus voluntatis est primario liber. Vndè ex hac nostra opinione inferre nō licet, quod sit in appetitu sensitivo peccatum originale, adhuc secundario; quia est habituale peccatum, quod solum est in voluntate.

52 *Retorqueo.* Deniquè retorqueo argumentum: hæc consequentia est mala: *Peccatum originale est peccatum gulæ; sed peccatum gulæ in Adamo fuit actus: ergo peccatum originale est actus.* Infero nunc: ergo mala etiam est hæc consequentia: *In actu comestionis Adami fuit malitia exterior: ergo in nostra potentia comedēdi est malitia ex Adamo transfussa.* Probatur hæc consequentia: ideò prima consequentia est mala, quia fit transitus de actu ad non actum, nempè, de peccato actuali Adami ad peccatum originale, quod non est actus, sed habitus, vel habituale; atqui idem fit transitus in secunda consequentia, nempè, ex actu comedendi Adami, ad nostram potentiam comedendi, quæ non est actus sed potentia: ergo cum prima sit mala, mala est etiā secunda.

53 *Arguit. 3. pro ipso.* Licèt autem ex adductis ab Ill. Godoy aliud in nos opponi nequeat, pro ipso tamen arguitur tertiò: ad cohibendas delectationes carnales ponuntur in appetitibus sensitivis dona, quę sunt partes iustitiæ originalis: ergo in eisdem appetitibus erit aliquid peccati originalis. Consequentia est iuxtà à nobis dicta *num.* 33. vbi diximus, quod illi potentię, cui actus ineſt, ineſt etiam illius privatio. Antecedens est Scoti *in* 2. *dist.* 29. & doctrina à nobis tradita *disput. præced. num.* 44.

54 *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: ad cohibendas delectationes carnales in appetitibus sensitivis ponuntur dona, quæ sunt partes iustitiæ originalis, vt formalitèr oppoſita peccato originali, nego antecedens; vt oppoſita alicui pœnæ, ortæ ex originali peccato, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaquè verum est, nos cum Scoto asserere, iustitiam originalem esse plures habitus, qui ponuntur in intellectu, voluntate, & alijs potentijs inferioribus, vt istæ magis connaturalitèr rationi delectabilitèr obediant; sed ponuntur solum ad impediendum revelionem appetitus con-

tra rationem, quæ est pœna ex originali orta.

§. V.

De subiecto culpæ originalis quo ad essentiam.

55 3. Concluſ.

TErtia conclusio: *Peccatum originale quo ad essentiam in sola voluntate recipitur.* Sic Scotus *citat. num.*47. Est tamen contra Ill. Godoy *num.*29. asserentem: Peccatum originale secundum suam essentiam in sola anima recipi; in potentias autem secundum suas proprietates, cuius oppositum nos asserimus, nempè, in sola voluntate recipi peccatum originale secundum suam essentiam; in anima verò secundum suas proprietates, & effectus. Hæc conclusio sic intellecta, vt sumitur ab Ill. Godoy, deducitur ex vtraque præcedenti conclusione, & per oppositum ad probationem illius firmanda venit à nobis.

56 Probatur concluſ.

Probatur conclusio: essentia peccati originalis est vna vnitate, non ordinis, aut compositionis, sed vnitate simplicitatis: ergo non potest in pluribus subiectis inesse; sed vni tantum: ergo cum resideat primo in voluntate ex prima conclusione, asserendum est, soli voluntati quoad essentiam inhærere. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti. Antecedens verò probatur primò: essentia culpæ actualis est vna vnitate simplicitatis: ergo paritèr: essentia peccati habitualis, quod sivè personale, sivè originale sit, est terminus peccati actualis, est vna vnitate simplicitatis. Secundò: essentia gratiæ habitualis est vna vnitate simplicitatis: ergo etiam essentia peccati originalis. Mitto alias probationes, quia idem fatetur Ill. Godoy *num.*31.

Prob. anteced. 1.

Secundò.

57 Mituntur aliqua argument Ill. God. & quære.

Ex his autem, quæ tradit in favorem suæ conclusionis, optimè convincit, essentiam peccati originalis esse vnam vnitate simplicitatis; subiectari autem in sola anima, potiùs, quam probet, supponit ob ab ipso dicta conclusione prima, nempè, peccatum originale priùs in anima, quam in voluntate recipi; cum ergo nos in prima conclusione oppositum sustineamus, videlicèt, peccatum originale priùs in voluntate, quam in anima, suscipi, supponere etiam debemus, in sola voluntate recipi quoad essentiã; in anima autem secundum suas proprietates, & effectus. His itaque relictis, quia relinqui debent, vt iam ex prima conclusione supposita.

58 Arguit. 1. Ill. Godoy.

Arguit primò Ill. Godoy *num.*32. peccatum originale est mors animæ, vt tradit Trident. *Sess.*5. *Canon.* 3. *Decreto de peccato originali*, quod in frequentiori sententia explicatur in sensu formali; ita, vt formalitèr in privatione vitæ gratię consistat; sed mors corporalis, etsi privatio sit animæ, & potentiarum ipsam consequentium, essentialitèr tamen in privatione vitæ radicalis, quam anima præstat, consistit: ergo paritèr mors spiritualis animæ, etsi privationem vitæ radicalis, & vitæ proximę importet, in illa tamen adæquatè quoad essentiam consistet.

59 Respondeo.

Respondeo: maiorem esse veram causalitèr; non vero formalitèr; alioquin peccatum originale consisteret in privatione gratię contra Ill. Godoy; imò, & actuale, quod apud omnes est falsum, & diximus *disp. præced. num.*69. Vndè paritas argumenti non tenet; quia mors corporalis est formalitèr privatio vitæ; & cum vita sit primo in anima, in privatione vitæ adæquatè consistit mors corporalis quo ad essentiam; peccatum verò originale, nõ est formalitèr privatio gratiæ, vt fatetur etiam Ill. Godoy, sed privatio rectitudinis debitæ, & cum hæc sit primo in voluntate ex dictis *num.* 33. in privatione huius rectitudinis mors spiritualis quoad essentiam consistit.

60 Arguit. 2.

Arguit secundò *num. citat.* nam casu, in quo Deus suspenderet potentiarum effluxum in homine descendente ab Adamo seminali propagatione, peccatum originale contractum adæquata essentia peccati originalis gauderet, sicut, & adæquatam essentiam formæ iustificantis per Baptismum illi applicatum, reciperet; & tamen in tali casu, solum esset moralitas animæ essentiam inficiens: ergo in hac sola moralitate consistit essentia originalis culpæ.

61 Respondeo.

Respondeo distinguendo maiorem: si suspensio potentiarum fieret, postquam illius voluntas fuit in voluntate Adami obligata, concedo maiorem; si fieret antequam illius voluntas obligata fuisset in voluntate Adami, nego suppositum; nam in hoc casu talis homo non contraheret originale peccatum, vt totiès dictum est. Ex quo in sensu, in quo maiorem conce-

do,

do, distinguo minorem: in tali casu solum esset, & fuisset moralitas animę essentiam inficiens nego minorem; quia priùs voluntas fuisset infecta, vt supponit casus; esset præcisè concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio est nottoria ex dictis *à num.* 3. *vsque ad* 10.

62 *Arguit. deniquè.* Deniquè potest argui: in anima est malitia moralis, per originem traducta; sed peccatum originale consistit in malitia morali, per originem traducta: ergo in anima residet peccatum originale quoad essentiam. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: in anima est malitia moralis, per originem traducta mediatè, & consecutivè concedo maiorem; primò, & immediatè traducta, nego maiorem. Distinguo minorem: peccatum originale consistit in malitia morali, per originem primo, & immediatè traducta, concedo minorem; mediatè, & consecutivè traducta, nego minorem, & consequentiam.

63 *Explicatur solutio.* Explicatur solutio: nam sicut peccatum originale non consistit in privatione iustitiæ originalis, quamvis esset mala moralitèr, quia non est prima, quæ invenitur in illo, sed supponit aliam priorem, scilicèt, privationem rectitudinis debitæ; ita malitia moralis residens in anima, quia aliam priorem supponit traductam, in voluntate residentem, non constituit peccatum originale essentialitèr, sed ad illud comparatur per modum passionis, vel effectus.

64 *Corollar.* Concludimus ergo ex dictis: peccatum originale esse in voluntate, & etiam animam inficere; priùs tamen in voluntate, quam in anima residere. In appetitu autem non esse, quia caro est incapax culpæ, ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 83. *art.* 1. & fatetur etiam Ill. Godoy *in fine disput.* ob quod inconsequentèr procedere ad suam secundam conclusionem, diximus, & ostendimus *num.* 48. Nostrum tamen corollarium claret ex dictis, & docuit Scotus *in* 2. *dist.* 32. §. *Ad argumenta secundæ quæstionis.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 31. §. 14. ad illa verba: *Adeoque ipsum peccatum dicitur manere in carne.*

DISPVTATIO TRIGESIMAOCTAVA.

Quæ, & qualis pœna peccato originali respondeat?

POstquam existentiam, & essentiam culpæ originalis (sic incipit Ill. Godoy, & nos cum ipso) pro nostro tenui captu tradidimus, illiusque subiectum, & causas examinavimus, rectus doctrinæ ordo postullare videtur, vt peccati originalis effectus consideremus, inter quos, quia præcipuum locum obtinet pœna, de ipsa sit.

§. I.

Pœnæ peccati originalis in hac, & alia vita declarantur.

Num. 1 *Pœnæ huius vitæ.* POEnæ aliæ sunt huius vitæ, & aliæ alterius. Pœnæ huius vitæ sunt nobis experientia notæ, vt mors, ægritudo, concupiscientia, aliæque erumnæ, quas patimur in hac vita. *Pœnæ alterius vitæ:* Pœnæ alterius vitæ sunt duæ. Vna est pœna damni, quæ in privatione beatitudinis consistit. Altera est sensus, quę talis dicitur, vel quia sequitur apprehensionem sensitivam, vel quia medio aliquo sensibili infligitur. Vtrā que pœnam adultos in Inferno pati non dubitatur; quia sine controversia est, quod beatitudine carent, & æternos cruciatus experiuntur ab igne. Vndè difficultas est tantum de parvulis cum solo originali decedentibus, quas, scilicèt, pœnas patiantur, pœnas vtriusque vitæ comprehendendo.

2 *Peccatum originale aliqua pœna puniri, est de fide.* Aliqua pœna originalem culpam puniri, citra controversiam est, & vt veritas Catholica communi Theologorum sensu approbatur. Hoc ostendit ex Scriptura Sacra Ill. Godoy *num.* 1. *&* 2. & ne in re tam clara immoremur, hac suadetur ratione: Reatus tam culpæ, quàm pœnæ, seu quod

idem est, tàm dignitas pœnæ, quàm obligatio ad illam, est effectus peccati originalis: ergo originale peccatum aliqua pœna punitur. Consequentia est legitima. Antecedens verò pro reatu culpæ, seu dignitate pœnæ est à nobis ostensum *disp. 36. §. 7.* & pro reatu pœnæ, seu obligatione ad pœnam, est omnium Theologorum vniformis sententia, quæ sufficit ad veritatem antecedentis, vt vera sit consequentia.

3 *Mors, & aliæ erumnæ sunt pœna peccati originalis.*

Secundò certum apud omnes est: mortem corporalem, & alios defectus proximè disponentes ad illam, vt est ægritudo, & aliæ erumnæ, quas patimur in hac vita, esse pœnam peccati originalis. Hoc probat Ill. Godoy *num. 7. 8. & 9.* ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, & sufficiat illud ad Rom. 5: *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Et quibus apertè colligitur, mortem non futuram, si homo nunquam peccasset.

4 *Quomodo homo esset immortalis, si non peccasset.*

Vndè si Adamus non peccasset, esset immortalis in hoc sensu, nempè, nunquam moreretur, sed ad statum gloriæ trasiret sine interventione mortis, & idem est de illius posteris dicendum; cum originalem iustitiam pro se, & nobis acceperit, sub conditione, quod non peccasset. Nec obest, quod B. Virgo mortua sit, & Christus etiam moreretur, etiam si non fuisset violentèr interfectus. Non (inquam) obest, quia mors in Christo, & eius Matre, non fuit pœna peccati, quia illud non habuerunt, sed fuit conditio naturæ, quæ contrarijs qualitatibus erat composita, & in qua erat perpetua actio, & reactio; at in nobis merito dicitur pœna peccati originalis, quia mors, quæ esset in pura natura, & ablata erat per iustitiam originalem, revixit per peccatū, quod destruxit statum iustitiæ. Cætera, quæ Hæretici opponunt, solvit optimè Ill. God, *à num. 10. vsq; ad 24.*

Occurritur cuidam obiectioni.

5 *Concupiscientia, seu fomes est pœna peccati originalis. Probat. 1.*

Tertiò exploratum est apud omnes Catholicos: concupiscientiam, seu fomitem in rebellione appetitus contra rationem, vel in privatione subordinationis ad illam, esse pœnam peccati originalis. Brevitèr probatur primò: concupiscientia est rebellio appetitus contra rationem; sed hic est effectus, vel pœna peccati originalis: ergo etiam concupiscientia. Probatur minor: rebellio appetitus contra rationem oritur ex perditione iustitiæ originalis; sed hæc perdita fuit per peccatum originale: ergo ex hoc oritur rebellio, & consequentèr est effectus illius.

6 *Secundò.*

Probatur secundò: concupiscientia, vel est peccatum, vel effectus peccati; sed non est peccatum: ergo est effectus peccati. Consequentia est legitima. Maior est certa; nam Paulus ad Rom. 6. 7. & 8. concupiscientiam appellat peccatum, quod verum nequit esse, nisi sit, vel peccatum, vel effectus peccati. Minor est de fide, quia vt ait Trident. *Sess. de peccato original, Can. 5*: Concupiscientiam vocat peccatum, non quia peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Imo hoc contra Lutherum, Calvinum, Marcum Eremitam, & alios Hæreticos ostendimus, illorumque argumenta solvimus *disput. 36. à num. 4. vsquè ad 17.* Et esse peccati effectum, propugnat Ill. God. *in præsenti §. 2.*

7 *Parvuli sine Baptismo decedentes puniuntur pœna damni.*

Quartò fide certum est: parvulos cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, puniri de facto pœna damni, quæ consistit in carentia beatitudinis supernaturalis. Oppositum huic veritati sentierunt quidam Vicentius, quem refert, & refellit Augustinus *lib. 1. de Origine Animæ, cap. 9.* Et *lib. 3. cap. 13.* Zuinglius, Bucerus, Calvinus, Bullingerus, & alij, quos refert Bellarminius *lib. 1. de Baptismo, cap. 4.* Contra omnes stant Theologi, prædictam veritatem confirmantes ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, pro quibus videatur ex nostris Mastrius *in 2. disp. 4. quæst. 6.* Et pro Thomistis Ill. Godoy *in præsenti disput.* vbi hoc egregiè more solito defendit *§. 5.*

8 *Catholica veritas probatur.*

Brevitèr tamen sic à nobis probatur Catholica veritas ex illo Ioann. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regno Cælorum.* Confirmatur ex Trident. *Sess. 7. Can. 5: Si quis dixeri Baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* Et ratio est: quia cum originale sit peccatum mortale, quippè peccatum Adæ in nos transfusum, dignum est aliqua pœna gravi; hæc est carentia beatitudinis: ergo. Et confirmatur: nam qui habet origina-

le, caret gratia, quæ dat ius ad gloriam: ergo caret beatitudine.

9 *Dicti parvuli non puniuntur pœna sensus.*

Quintò certum, & ita certum est apud Theologos huius temporis, quod parvuli cum solo peccato originali ex hac vita decedentes, non puniantur pœna sensus, vt ab hac opinione recedere, tutum non est, licèt nota hæresis careat, & erroris. Sic Ill. Godoy *num.* 88. qui *vsquè ad numer.* 124. hanc veritatem propugnat. Cæterum advertendum est pro veritate huius asserti, intelligendum esse de pœna sensus, proveniente ex Divina iustitia punitiva, seu iustè, aut iuxtà Leges Divinas; non vero de pœna iniustè, & tyranidè à Dæmone (Deo permittente) inflicta, qualis est carceratio, quam de facto patiuntur infantes in Lymbo; pro quo, ne in æquivoco laboretur, dicta videantur *disp.* 14. *num.* 4. *cum sequentibus, & præcipuè num.* 21. 22. 23. & 24. Hoc itaquè sic intellecto, assertim prædictũ dicta veritate gaudet, quam tuetur ex nostris Mastrius *citat.* & brevissimè ostenditur: pœna debet proportionari culpæ; sed pœna sensibilis non proportionatur culpæ originali: ergo nec respondet illi. Maior cum consequentia tenet. Minor probatur: nam acerbitas pœnæ sensibilis respondet delectationi culpæ, vt constat ex Apocalips. *cap.* 18: *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus*; sed in peccato originali nulla delectatio invenitur; delectatio namque operationem consequitur: peccatum autem originale non consistit in operatione: ergo, &c.

10 *Non habebunt dolorẽ tristitiam ve interiorem.*

Sextò: etiam est certum apud Scotum *in* 2. *dist.* 33. cum quo Scotistæ, & ex his Mastrius *citat.* & apud Div. Thom. *in* 2. *dist.* 33. *quæst.* 2. *artic.* 2. & *quæst.* 5. *de malo, artic.* 3. cum quo Thomistæ, & ex his Ill. God. §. 7. *per totum*: quod parvuli ex hac vita migrantes cum solo peccato originali, nullum sustinebunt dolorem, interiorem ve tristitiam ex carentia boni amissi. Hoc latè probant Mastrius, & Ill. Godoy *citat.*

11 *Ostenditur.*

Ostenditur hac brevi ratione: ideò parvuli cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, non puniuntur pœna positiva sensus, quia peccatum originale delectationem non infert, nec fuit propria, sed aliena voluntate commissum, pœna autem sensus magnum excitat dolorem, & in passione personali consistit; sed hæc ratio, qua vtuntur communitèr Theologi pro excludenda pœna sensus, pari efficacia militat de tristitia, aut dolore interiori orto ex carentia boni amissi: ergo non sunt his passionibus puniendi.

12 *Difficultas examinanda.*

His itaquè suppositis, aliquibus de fide certis, alijs Theologis communibus, in quibus omnibus sine controversia nos, & Ill. Godoy convenimus, quia illam in his Magistri non habent. Dubium, quod restat videndum, & in præsenti disputandum circà pœnam peccati originalis, est: An attenta gravitate culpæ originalis sub ratione offensæ Dei, possit vtraque pœna damni, & sensus, absquè vlla iniustitia puniri? Pro quo.

§. II.

Referuntur sententiæ, & nostra conclusio statuitur.

13 1. *Sentẽtia. Ill. Godoy solus.*

PRima sententia asserit: peccatum originale, attenta illius gravitate sub ratione offensæ Dei, posse vtraque pœna damni, & sensus absquè vlla iniustitia puniri. Ita solus Ill. Godoy *num.* 40. dicens: hanc opinionem in nullo ex antiquioribus, nec ex recentioribus expræssam inveniſſe, sed nec contrarium illius, fortè, quia quæstionem versant solum quoad pœnam, de facto taxatam à Deo. Secunda sententia ex diametro opposita id omnino negat. Sic solus ego contra Ill. Godoy.

2. *Sentẽtia. solus ego.*

14 *Deceptio Ill. God. exprimitur.*

Sed licèt verum sit, quod hanc difficultatem expræssam in nullo invenerit Ill. Godoy; falsum tamen iudico, quod contrarium illius non invenerit; quia tàm antiquiores, quam recentiores, hanc quæstionem versantes quoad pœnam de facto taxatam à Deo, illam etiam quoad pœnam debitam culpæ originali sub ratione offensæ Dei, implicitè absquè fortè versant; nam rationes præcipuæ pro pœna à Deo de facto taxata, militantes, militant etiam pro pœna illi sub tali consideratione debita, vt ex nostris clarebit probationibus. Vndè Ill. God. in hac sua singulari opinione, vt ex dicendis apparebit, omnibus Scotistis absquè dubio opponitur, & meo videri, cæteris omnibus negantibus: parvulos in solo peccato

ori-

originali decedentes, pati de facto pœnam ſenſus, imò & ſibi ipſi, idem §.6. neganti.

15 *Concluſio.* Concluſio: *Attenta gravitate culpæ originalis ſub ratione offenſæ Dei, nequit vtraque pœna damni, & ſenſus, abſquè vlla iniuſtitia puniri.* Hæc concluſio colligitur evidentèr ex Scoto omnibus locis, quibus negat, peccatum in ratione offenſæ eſſe ſimpliciter infinitum, de quo diximus *tom. 1. in 3. ſent. diſp. 1.* Eſt etiam expreſſa doctrina D. Thomæ, quidquid dicat Ill. Godoy, & probatur primò ex illo *in 2. diſt. 33. quæſt. 2. art. 1.* vbi inquirens: An peccato originali debeatur pœna ſenſibilis ſecundum ſe? Negativè reſpondet in corpore articuli: ergo ſentit, peccato originali inſpecto ſecundum ſe, etiam non attenta mittigatione pœnæ ex iuſtitia Divina, non deberi pœnam ſenſus. *Probat. 1. ex D. Thom.*

16 *Confirm. 1.* Confirmatur primò: nam *in corp. artic.* probat culpæ originali non deberi pœnam ſenſus, quia pœna debet proportionari culpæ; pœna autem ſenſibilis non eſt proportionata culpę originali, in qua nulla ſenſibilis delectatio interceſsit; ſed demeritum peccati inſpecti ſecundum ſe, non extenditur ad pœnam peccato improportionatam, ſicuti nec meritum actus boni ad præmium improportionatum extenditur: ergo peccatum originale attentum ſecundum ſe, non eſt dignum pœna ſenſus. *Confirm. 2.* Confirmatur, & vrgetur ſecundò: ſi Deus puniret peccatum pœna ipſi improportionata, non eſſet iuſta punitio; ſed pœna ſenſus eſt improportionata cum peccato originali: ergo ſi Deus pro peccato originali infligeret pœnam ſenſibilem, iniuſtè in illius punitione procederet.

17 *Reſpond. Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *num. 49.* ly *ſecundum ſe* poſitum à D. Thoma non excludere mittigationem Divinæ miſericordiæ, nec ab illa præſcindere; ſed alia peccata, ita vt ſenſus ſit: *An peccato originali ſecundum ſe accepto, hoc eſt, ſeorſim ab alijs peccatis, debeatur pœna ſenſibilis?* Ex eo autem, quod D. Thom. titulo ſic explicato, negativè reſpondeat, non ſequitur, excludere ab illo, inſpecto ſecundum ſe præciſivè à mittigatione Divinæ miſericordiæ, dignitatem pœnæ ſenſibilis. Quod inferre conatur ex D. Thom. *in 4. diſt. 46. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiunc. 1. ad 4.* Vndè concludit: D. Thomam loqui de peccato originali, ſuppoſita taxatione pœnæ, & mittigatione miſericordiæ Divinæ, qua ſtatuit, non punire peccatum originale adæquatè ad eius condignitatem, ortam ex ratione averſionis offenſivæ Maieſtatis infinitæ.

18 *Ad 1. confirmat.* Ex hiſque ad primam confirmationem reſpondet: proportionem pœnæ ad culpam poſſe dupliciter ſumi: vel ad culpam ſecundum ſe, vel ad culpam ſuppoſita mittigatione Divinæ miſericordiæ, quæ ſtatuit non punire peccata adæquatè ad illorum dignitatem. Quæ doctrina eſt expreſſa D. Thomæ *in 4. diſt. 46. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiunc. 1. ad 1*: in priori acceptione proportionis pœna ſenſibilis proportionatur cum peccato originali, ſecus autem in ſecundò. Et ſic explicandus eſt D. Thomas; ſicque authoritate eius explicata, diſtinguit minorem: ad pœnam improportionatam ipſi accepto ſecundum ſe, concedit minorem; ad pœnam cum illo improportionatam, ſuppoſita mittigatione miſericordiæ Divinæ, negat minorem, & conſequentiam.

19 *Ad 2.* Et ex eadem doctrina ad ſecundam confirmationem diſtinguit maiorem: ſi puniret peccatum pœna ipſi improportionata accepto ſecundum ſe, concedit maiorem; pœna cum illo improportionata, ſuppoſita mittigatione Divinæ miſericordiæ, negat maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, negat conſequentiam. Hæc eſt doctrina tota, qua vtitur Ill. Godoy in ſolutione omnium argumentorum, ſivè ex Scriptura, Concilijs, & Patribus ſumantur, ſivè ratione formentur. Hæc tamen doctrina efficacitèr eſt impugnanda, ſi deſtruenda eſt illius opinio. Hic opus, hic labor.

20 *Impugn. 1. tota Ill. Godoy doctrina.* Impugnatur primò: D. Thomas loquitur de pœna peccati originalis ſecundum ſe, præciſivè à taxatione pœnæ, & mittigatione miſericordiæ Divinæ: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: D. Thom. *in 2 diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 5. ad 2.* hæc habet: *Ad 2. dicendum, quod ex hoc, quod contra infinitum peccat, debetur ſibi pœna infinita.* Et paulo infrà: *Et quia actualitèr peccavit, debetur ſibi, non ſolum pœna damni, ſed etiam ſenſus.* Ex quibus verbis ſic probationem formo: D. Thomas hic loquitur de pœna peccati actua-

lis secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione misericordiæ Divinæ: ergo, &c.

21 *Antecedens patet 1.*

Antecedens est manifestum primò: quia pœna infinita non est pœna taxata peccato, vt docet D. Thomas immediatè ad prima verba, ait enim: *Non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed recompensatur per durationem infinitam, quia creatura rationalis durationis infinitæ capax est.* Ecce taxationem pœnæ. Secundò: quia hoc fatetur Ill. Godoy *num.* 41. vbi ex hac numero authoritate probat ex Div. Thoma suam conclusionem, nempè, peccatum originale esse dignum pœna infinita, quod solum verificatur de peccato originali secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione misericordiæ Divinæ, vt est indubitatum apud ipsum.

Secundò.

22 *Cõseq. probat. ad homin. contra ipsum.*

Consequentia est paritate notoria, & ad hominem contra Ill. Godoy probatur: ex eo, quod peccatum actuale est dignum pœna infinita, quia est contra Deum infinitum, vt ait D. Thom. per illa verba: *Ex eo, quod contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita*, infert Ill. Godoy *num.* 41. quod peccatum originale secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione misericordiæ Divinæ, est dignum pœna infinita, quia est contra Deum infinitum: ergo ex eo, quod peccatum actuale est dignum pœna damni, & sensus, quia est actuale, vt ait D. Thomas per hæc verba: *Et quia actualitèr peccavit, debetur sibi, non solum pœna damni, sed etiam sensus*, debet inferre, quod peccatum originale secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione misericordiæ Divinæ, non est dignum pœna damni, & sensus, quia non est peccatum actuale.

23 *Confirm. ad hom. contra ipsum.*

Confirmatur, & vrgetur ad hominem contra Ill. Godoy: D. Thom. *citat.* duo expræsè præscindit in peccato actuali, scilicèt, & esse contra infinitum, & esse actuale: atqui quia peccatum originale est contra infinitum, infert Ill. Godoy, quod originale secundum se, & præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione Divinæ misericordiæ, est dignum pœna infinita: ergo quia actuale non est originale peccatum, inferre debet, quod originale secundum se, & præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione Divinæ misericordiæ, non est dignum pœna damni, & sensus. Hoc mihi efficax apparet in littera D. Thomæ, quia in textu allegato vniformitèr loquitur de pœna peccati actualis sub consideratione, qua est contra infinitum, & qua actuale est; sed magis tamen efficax contra Ill. Godoy ob dicta, & quia occasionè magnam tribuit ad hanc D. Thomæ intelligentiam; nam *num.* 41. & 52. vbi vtitur hoc textu in suum favorem, tacuit illa verba: *Et quia actualitèr peccavit, debetur sibi, non solum pœna damni, sed etiam sensus*, & nunquam sibi hunc textum obiecit.

Efficatia prædictæ impugnationis.

24. *Impugn. 2.*

Impugnatur secundò: pœna sensus est improportionata culpæ originali; sed hæc improportio non provenit à taxatione pœnæ pro culpa originali: ergo præcisivè à taxatione est prædicta improportio, & consequentèr ruit solutio. Maior est Ill. Godoy *num.* 95. & communitèr admissa. Minor probatur primò: proportio pœnæ damni cum culpa originali non provenit à taxatione pœnæ pro illa: ergo nec improportio pœnæ sensus cum culpa originali. Consequentia est paritate certa. Antecedens verò constat ex eo, quod culpa originalis præcisivè à taxatione pœnæ, constituit subiectum dignum ira, & indignatione Divina, & indignum gratia, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 62. vtraque constabit ex sequẽtibus minoris probationibus.

Prob. min. 1.

Secundò.

Probatur secundò dicta minor: improportio pœnæ cum culpa sumitur ab intrinseco culpæ, scilicèt, à dignitate, vel non dignitate culpæ; sed taxatio pœnæ est ab extrinseco, nempè, à Deo: ergo improportio pœnæ sensus cum culpa originali non provenit à taxatione pœnæ pro culpa originali. Tertiò: taxatio pœnæ non dat proportionem, sed iuxtà illam taxat; alioquin non esset iusta: ergo nec dat improportionem pœnæ cum culpa, sed illam supponit; alioquin non esset iusta: ergo idem, quod priùs. Quartò: improportio præmij cum merito non provenit à taxatione præmij pro illo, sed à dignitate intrinseca meriti: ergo paritèr. Quintò: taxatio pœnæ, si iusta est, est declaratio huius, vel illius pœnæ, seu tantæ, vel tantæ pœnæ, attenta dignitate culpæ: ergo proportio, vel improportio pœnæ cum culpa supponit dignitatem, vel non dignitatem culpæ: ergo idem, quod antea. Deni-

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Sextò.

què: taxatio domus, & aliorum in humanis, ſupponit in domo dignitatem pro valore taxato: ergo taxatio pœnę ſupponit in culpa dignitatem pro pęna taxata; ergo idem, quod prius.

25 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò: peccatum originale, præciſivè à taxatione pœnæ, non poteſt iuſtè puniri, pœna poſitiva, & ſenſibili; ſed ſolum peccatum actuale, propria voluntate commiſſum, præciſivè à taxatione pœnæ, poteſt iuſtè puniri, pœna poſitiva, & ſenſibili: ergo peccatum originale nequit tali pœna puniri abſquè iniuſtitia, & conſequentèr ſub tali præciſione ſumptum, non eſt dignum pœna ſenſus: ruit ergo ſolutio. Omnes conſequentiæ ſunt legitimæ. Antecedens verò quoad vtramque partem probatur primò: licèt Princeps poſsit ab aliquo officio iuſtè reijcere illum, quem cognovit indignum, eo, quod careret habitu iuſtitię, aut eſſet pronus ad furtum; iniuſtè tamen illum ob id puniret pœna poſitiva, & ſenſibili, niſi ob ipſum furtum actuale, propria voluntate ab illo commiſſum: ergo paritèr: licèt Deus poſsit à Regno Cœlorum iuſtè excludere parvulos, quos novit indignos, eo, quod careant habitu gratiæ, & ſint proni ad peccatum actuale, propria voluntate commitendum ob peccatum originale; iniuſtè tamen illos ob id puniret pœna poſitiva, & ſenſibili, niſi ob peccatum actuale, propria voluntate ab illis commiſſum.

Vtraq; pars antec. prob. 1.

26 *Dices pro Ill. Godoy.* Nec valet dicere pro Ill. Godoy: eſſe diſparitatem: nam in caſu poſsito dici nequit, eſſe peccatum; at de parvulis poteſt dici, in Adamo peccaſſe. *Contra.* Non, inquam, valet: nam de parvulis ſolum dici poteſt, peccaſſe originaliter, & per extrinſecam tantum denominationem, à peccato actuali Adami deſſumptam; non autem, quod peccato actuali in ſe, & ſibi proprio peccaſſent; ſed ad ſummum, quod aliquomodo in ipſo, & cum ipſo peccaſſent, quatenùs eorum voluntates incluſſæ erant in voluntate Adami, vt capitis moralis. Nec minùs dici poteſt, quod habuerint in ſe delectationem inordinatam, quam habuit Adamus, vetitũ fructum comedendo, quia comedere, eſt actus externus, ſub quo non fuerunt incluſi. Vndè cum de parvulis dici nequeat, peccaſſe peccato actuali, propria voluntate commiſſo, nec delectationem inordinatam habuiſſe, dicendum eſt, pœna ſenſibili non debere puniri, & conſequentèr, quod inſufficiens eſt ad propoſitum allata diſparitas, cuius inſufficientia magis clarebit probatione ſequenti.

Secundò. Probatur ſecundò vtraque pars prædicti antecedentis: & ſupponamus, quod Rex concedit feudum Petro, & eius poſteritati ſub conditione, quod ſi Petrus in Regem delinquat, ſtatim Petrus cum tota ſua poſteritate excludatur à feudo, & à Regis Aula. Suppono etiam, Petrum in Regem delinquere. In hoc caſu Petrus poteſt iuſtè puniri, non ſolum privatione feudi, & excluſione ab Aula Regis, ſed etiam poſitiva pœna, qua per peccatum factus eſt dignus, præciſivè à taxatione pœnæ; atqui parvuli, & eius poſteri, etſi iuſtè poſsint puniri privatione feudi, & excluſione ab Aula Regis; non poſſunt iuſtè puniri pęna poſitiva: ergo ſimilitèr de peccato originali, & actuali. Conſequentia vi paritatis apparet. Antecedens autem claret ex terminis; nam punire pęna poſitiva parvulos, qui nec propria voluntate Regem læſerunt, nec conſcij peccati ſui Parentis fuerunt, iniuſtum eſſet abſque dubio.

27 *Impugn. 4.* Impugnatur quartò: taxatio pœnæ non fit à Deo cum lęſione Divinæ iuſtitiæ; ſed ſi peccatum originale, præciſivè à taxatione pœnæ, eſſet dignum pœna ſenſus, taxatio pœnæ pro illo, fieret à Deo cum læſione Divinę iuſtitię: ergo peccatum originale, præciſivè à taxatione pœnæ, non eſt dignum pœna ſenſus: ergo iniuſtè puniretur tali pœna. Probatur minor: ſi peccatum originale, præciſivè à taxatione pœnæ, eſſet dignum pœna ſenſus, dignum eſſet infinita pœna ſenſus; ſed ſi eſſet dignum infinita pœna ſenſus, taxatio pœnæ pro peccato originali fieret à Deo cum læſione Divinæ iuſtitiæ: ergo, &c. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt opinio Ill. Godoy, eam probans *num.* 42. ex eo, quod peccatum originale, eſt in ratione punibilis ſimplicitèr infinitum.

28 *Prob. min.* Minor verò probatur: ſi peccatum originale, præciſivè à taxatione pœnæ, eſſet dignum infinita pœna ſenſus, taxatio pœnæ pro illo deberet à Deo fieri cum aliqua pœna ſenſus, ne læderetur iuſtitia Divina; ſed taxatio pœnæ pro peccato originali fit à Deo

abſ-

absquè vlla pœna sensus, vt diximus *num.9.* & tenet Ill.Godoy *§. 6. per totum*: ergo, &c. Probatur maior primò: quia enim personale peccatum mortale, præcisivè à taxatione pœnæ, est dignum infinita pœna sensus iuxtà Ill.Godoy, taxatio pœnæ pro illo fit à Deo cum aliqua pœna sensus, ne lædatur Divina iustitia: ergo, &c.

Prob. mai. 1.

Secundò. Secundò: nam quia peccatum veniale, præcisivè à taxatione pœnæ, est dignum pœna sensus, taxatio pœnæ pro illo fit à Deo cum aliqua pœna sensus, ne iustitia Divina lædatur: ergo idem, quod anteà.

Tertio. Tertio: quia namquè peccatum originale, præcisivè à taxatione pœnæ, est dignum pœna infinita damni, taxatio pœnæ pro illo fit à Deo cum aliqua pœna damni, ne lædatur Divina iustitia: ergo idem, quod priùs.

29 *Impugn. 5.* Impugnatur quintò: solum peccatum actuale, suppositâ taxatione pœnæ, & mitigatione Divinæ misericordiæ, punitur pœna sensus: ergo quia præcisivè à dicta taxatione, & mitigatione, est dignum tali pœna; alioquim taxatio pœnæ esset vltrà condignum, & consequentèr iniusta. Atqui peccatum originale non punitur pœna sensus, taxatione, & mitigatione suppositâ: ergo quia non est dignum tali pœna, præcisivè à taxatione, & mitigatione prædictâ. Probatur hæc consequentia: si peccatum originale esset, sicut actuale, dignum pœna sensus, præcisivè à taxatione, & mitigatione prædictâ, Deus in taxatione pœnæ esset inæqualis, & iniustus, vt patet: ergo ideò suppositâ taxatione, & mitigatione, non punitur pœna sensus peccatum originale, quia præcisivè à taxatione, & mitigatione, non est dignum tali pœna.

30 *Impugn. 6.* Impugnatur sextò: peccatum originale, & veniale, præcisivè à taxatione pœnæ, se habent sicut excedens, & excessum; sed non sic se haberent, si præcisivè à taxatione pœnæ, peccatum originale esset dignum pœna sensus: ergo non habet talem dignitatem, & consequentèr iniustè tali pœna puniretur. Consequentia est legitima. Maior patet: nam licèt originale privet amicitia Dei, in quo excedit veniale, tamen veniale est expræssè voluntarium, & personale, in quo excedit originale, vt cum D. Thoma *in 2. dist 33. quæst. 2. artic. 1. ad 2.* fatetur Ill.Godoy *num.116.* Minor probatur: si præcisivè à taxatione pœnæ, peccatum originale esset dignum pœna sensus, in hac, vtpotè, infinita, iuxtà Ill. Godoy, excederet veniale; sed dubiũ non est, quod illud excederet in pœna damni: ergo non se haberent, sicut excedens, & excessum.

31 *Impugn. 7.* Impugnatur septimò: reprehensio, & vituperatio non sunt pœnæ proportionatæ originali peccato: ergo nec pœna sensus, & consequentèr hac punirentur iniustè. Consequentia est legitima. Antecedens patet ex eo, quod nemo vituperavit descendentes ex Adamo ob culpam originalem, nec reprehensione dignos propter illam existimavit; & vltrà probatur ex Aristotele *3. Æthic. cap. 3.* dicente: nullum esse reprehensione, & increpatione dignum, nisi propter illa, quæ sunt in sua potestate; sed peccatum originale est ex sola culpa Adami contractum: ergo reprehensio, & vituperatio non sunt pœnæ proportionatæ peccato originali. Eadem ratio potest formari de Verme conscientiæ, qui est pœna sensus, peccato originali improportionata.

32 *Respondet Ill.Godoy.* Hanc rationem sibi obiecit Ill.Godoy *infrà num.56.* excepta Aristotelis Authoritate, ad ipsamque respondet *num.58.* negando antecedens, vt enim docet D.Thom. *1. 2. quæst. 81. artic. 1. ad 5. Illud, quod est per originem, non est increpabile, si consideretur ille, qui nascitur secundum se; sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse increpabile, sicuti aliquis, qui nascitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicuius potentiarum causatam*: verba sunt D.Thomę: ex quibus apertè deducitur, infectum culpa originali, etsi inspectum personalitèr, increpatione dignus non sit; quia non peccavit voluntate propria, & personali; si tamen consideretur vt pars humanæ naturæ, & vt capitis voluntate peccavit, dignè posse increpari, & reprehendi. Ad rationem autem pro Verme conscientiæ similem solutionem adhibet *num.57. in fine.*

33 *Insufficiẽtia solutionis declaratur.* Hæc tamen solutio admittenda non est, loquendo de reprehensione, vituperatione, & Verme conscientię, quæ sunt pœnæ sensus; alioquim teneretur Ill.Godoy concedere; parvulos de facto patì pœnam sensus, quod est contra ipsum *§. 6.* Et ratio est: nam

dubitare non possumus, quod Dæmones ob culpam originalem vituperent pueros in Limbo, & iustè, si dignè possunt vituperari, illosque cogat, vt recordentur culpæ originalis, in quo stat Vermis conscientiæ: ergo si hic Vermis, & illa vituperatio sunt pœnæ sensus, illas de facto pueri patiuntur, quod est contra D. Thom. & Ill. Godoy: ergo D. Thomas non loquitur de vituperatione, quæ est pœna, & consequenter ruit solutio. Sed vt hoc magis clarescat.

34 *Impugn. 8.* Impugnatur octavò: Vermis conscientiæ sumptus pro afflictione orta ex recordatione culpæ propria voluntate commissæ, non est proportionata pœna culpæ originali: ergo peccatum originale secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione Divinæ misericordiæ, dignum non est tali pœna: ergo nec est in ratione punibilis simpliciter infinitum. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 57. Prima consequentia est legitima. Secunda probatur: quod est in ratione punibilis simpliciter infinitum, est dignum omni pœna, tam damni, quam sensus, possibili creaturæ; sed peccatum originale secundum se, præcisivè à taxatione pœnæ, & mitigatione Divinæ misericordiæ, non est dignum pœna Vermis conscientiæ, sumpta ex recordatione culpæ propria voluntate commissæ, quæ est pœna sensus, creaturæ possibilis: ergo non est in ratione punibilis simpliciter infinitum. Maior est Ill. Godoy *num.* 42. Minor experientia constat in damnatis. Consequentia legitima est.

35 *Impugnat. denique.* Denique impugnatur, & suppono: quod sicut omnes filij illius, qui crimen lęsæ Maiestatis commisit, dicuntur infecti Patris crimine; ita nos infecti sumus peccato, ex peccato Adę transfuso; nam sicut nos ab Adamo recepimus naturam in Adamo crimine maculatam; ita illi receperunt naturam, quæ fuit in Patre crimine maculata m. Hæc est proprijssima peccati originalis explicatio, & ipsa tupposita, sic arguo: licèt illi filij iustè puniantur pœna privativa honoris, & famæ, ob crimen ex Patre contractum; iniustè tamen punirentur propter illud pœna positiva, v.g. Capitis, exilij, flagellorū, &c: ergo similiter: licèt nos iustè puniamur à Deo pœna privativa honoris, scilicèt, beatitudinis, ob peccatum ex Adamo contractum; iniustè tamen puniremur propter illud pęna positiva, v.g. ignis.

Sic itaque doctrina Ill. Godoy impugnata, & nostra conclusione firmata, quælibet enim impugnatio est nostræ conclusionis probatio. Probatur secundo per oppositum ad principale fundamentum Ill. Godoy: peccatum originale in ratione punibilis non est simpliciter infinitum: ergo non meretur omnem pœnam possibilem creaturæ, & consequenter non meretur pœnam sensus. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti. Antecedens autem probatur: peccatum originale in ratione offensæ non est simpliciter infinitum: ergo nec in ratione punibilis. Consequentia est legitima. Antecedens verò est nostra cum Scoto contra Ill. God. opinio, & propugnata manet *tom.* 1. *in* 3 *sentent. disput.* 1. Confirmatur: peccatum mortale in ratione offensæ non est ita supperioris ordinis, vt nequeat à pura creatura condignè satisfieri: ergo peccatum originale non excedit omnem satisfactionem puræ creaturę possibilem, & consequenter nec excedit omnem pœnam possibilem, neque est omni pœna possibili dignum. Omnia secuntur ex antecedenti. Antecedens autem est sententia, quam contra Ill. Godoy docuimus *tom. citat. disput.* 2.

36 *Probat. 2. concluſ.*

Probatur tertiò conclusio per oppositum ad aliud fundamentum Ill. Godoy: Deus non punit citrà condignum peccatum originale: ergo solum meretur pœnam damni, & consequenter iniustè pœna sensus puniretur. Vtraquè consequentia est legita. Antecedens verò, quod est contra Ill. Godoy, docuimus *tom. citat. disput.* 1. *numer.* 65. & ratio ibi data est: nam quando Theologi dicunt: *Deum punire culpam citrà condignum*, non locuntur de pœna damni, quæ est privatio beatitudinis, sed de pœna sensus, non ex extensione illius, sed intensione, quatenus culpa, licèt in æternum punita, adhuc tamen non sic intensivè punitur, quantum meretur, & ideò peccatum mortale personale condignè punitur pœna damni; non verò pœna sensus, de qua dumtaxat Theologi locuntur. Vndè peccatum originale, pœna damni punitum, condignè, & ad æqualitatem punitur, quia alia pœ-

37 *Probat. 3. concluſ.*

na

na non est dignum, nec Theologi de hoc locuntur.

§. III.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

38 *Arguit.* 1. ARguit Ill. Godoy *num.* 40. primò ex D. Thoma *in* 4 *dist.* 46. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. illis verbis: *Ad* 4. *dicendum, quod pro peccato originali secundum rigorem iustitiæ, non solum debetur naturæ pro pœna carentia visionis Divinæ, sed etiam ipsius anihilatio, & ideò, ex hoc ipsò, quod conservantur pueris non baptizatis naturalia bona, citrà condignum puniuntur.* Vndè Trenorum *cap.* 3. *Misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti.* Sed peccatum, quod meretur subiecti anihilationem, dignum est omni pœna lædente, extinguenteque subiectum, cum pœnæ illæ positivæ, eatenus malæ sint, quatenus ad non esse subiecti tendunt quantum est de se: ergo peccatum originale inspectum secundum se, & non attento ordine de facto à Deo statuto, & ad pœnę taxaxionem liberè constitutam ab ipso, dignum est vtraque pœna, scilicèt, damni, & sensus.

39 *Respond.* 1. Respondeo primò distinguendo maiorem: anihilatio debetur naturæ pro peccato originali per se, nego maiorem; per accidens, concedo maiorem, & cum eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Itaquè originale non causat per se, & directè anihilationem, aliamque pœnam lędentem, & extinguentem subiectū; sed solum per accidens, indirectè, & tanquam removens prohibens; nam eo ipso, quod removet à subiecto iustitiam originalem, ad quam secuntur ægritudo, mors, & alia, quæ ad non esse subiecti tendunt, relinquitur subiectum conditioni naturæ, ad quã mors, & anihilabilitas sequitur. Vndè illæ non sunt pœnæ pro peccato originali, sed pro carentia iustitiæ originalis, quæ immortalitatem præstabat, vt diximus *num.* 4.

40 *Secundò.* Hæc solutio traditur ab Ill. God. *num.* 110. asserens: esse doctrinam D. Thomæ *in* 2. *dist* 33. *quæst.* 2. *artic.* 1. *ad* 3. Si autem non placuerit, nobis cum incumbit, authoritatem D. Thomæ explicare. Vndè illa omnissa, ad verba Trenorum in argumento adducta respondeo: esse intelligenda ob peccata actualia; non vero ob originale; sicque cessat difficultas, quia oppositum non probat Ill. Godoy. Et dato, quod ob originale loquatur, respondetur solutione tradita, quæ vera est etiam apud ipsum, vt dixi.

41 *Arguit.* 2. Arguit secundò *num.* 41. etiam ex D. Thom. *in* 2 *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 2. illis verbis: *Ex hoc, quod peccator contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita, non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per infinitam durationem, &c.* Sed peccatum originale est contra Deum infinitum: ergo est dignum pœna infinita. Tunc vltrà; sed quod infinitam pœnam meretur, sola pœna damni non punitur ad æqualitatem: ergo potest absquè vlla iniustitia puniri, non solum pœna damni, sed sensus.

42 *Confirmat.* Confirmat *num. citat*: pœna, de qua loquitur D. Thom. est pœna sensus; ait enim, esse acerbitate infinitam, & insuper non esse in creatura capacitatem ad illam, quia creatura finita non est capax infinitæ qualitatis; sed peccatum originale dignum est pœna, de qua ibi agit Angelicus Doctor: ergo est dignum infinita pœna sensus. Probat minorem: dignitas illius pœnæ convenit peccato ex parte aversionis à Deo, & prout est offensa Maiestatis infinitæ, vt constat ex verbis relatis, & etiam ex corp. artic. Et insuper: nam ex parte conversionis peccatum infinitum non est; sed peccatum originale avertit à Deo infinito, & Maiestatem infinitam offendit: ergo est dignum pœna, de qua loquebatur D. Thom. *ibi*; & consequentèr meretur pœnam acerbitate infinitam.

43 *Respond.* 1. Respondeo primò: ad nos non attinere, mentem D. Thomæ explanare. Explico: nam D. Thom. *citat.* loquitur de peccato actuali, & duplicem pœnam, quam meretur, explicare; nam in primis verbis: *Ex hoc, quod peccator contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita*, exprimit pœnam damni, nempè, privativam boni infiniti; in sequentibus autem: *Non autem potest esse infinita acerbitate, &c.* pœnam sensus explicare, vt evidentèr apparet ex ipso contextu, sic enim prosequitur Div. Thomas: *Et quia actualiter peccavit, debetur sibi, non solum pœna damni, sed etiam sensus.* Quæ verba tacuit Ill. Godoy, & si non taceret, hac D. Thomæ authoritate non vteretur, nisi ad op-

positum suæ opinionis, vt nos contra ipsum vsi sumus *num.* 20. Stante igitur hac vera, litterali, & ingenua mente D. Thomæ.

44 *Respond.* 2. Respondeo ad argumentum secundò concessa minori, distinguendo consequens: ergo peccatum originale est dignum pœna infinita, privativa, seu damni concedo consequentiam; positiva, seu sensus nego consequentiam; distinguo similiter sumptam, & nego consequentiam. *Ad cõfirm.* Ad confirmationem distinguo maiorem: pœna, de qua loquitur D. Thom. in secundis verbis est pœna sensus concedo maiorem; in primis verbis nego maiorem; & distinguo minorem: peccatum originale dignum est pœna, de qua ibi agit in primis verbis Angelicus Doctor, concedo minorem; in secundis verbis nego minorem, cuius probationem distinguo similiter. Hac igitur solutione notorium est. Tùm: Ill. Godoy confundere pœnas, quas D. Thomas expræsit. Tùm etiam, nullum esse illius argumentum, quin potiùs contra ipsum stare, vt evidenter appareat ex dictis *à numer.* 20. *vsque ad* 24. ex quibus retorsiones fiant, vt factæ sunt. *Retorque.*

45 *Arguit.* 3. Arguit tertiò *num.* 42. peccatum originale est in ratione punibilis simpliciter infinitum: ergo meretur omnem pœnam, creaturæ possibilem, & consequenter non solum pœnam damni, sed etiam pœnam sensus. Secunda consequentia ex prima evidenter colligitur; nam vtraque pœna continetur in linea pœnæ possibilis. Prima ex antecedenti constat; nam punibile dicitur per comparationem ad pœnam. Antecedens autem probat primò ex eo, quod sit simpliciter infinitum in ratione offensæ, qua supposita infinitate, probat secundò ex eo, quod etiam est simpliciter infinitum in ratione satisfactibilis, & illa ablata, probat tertiò ex eo, quod est superioris ordinis ad omnem satisfactionem, puræ creaturæ possibilem, & consequenter inadæquabilem in ratione punibilis omni punitione possibili. *Responsio vera ad argum.* Respondeo negando maiorem cum probationibus; nihil enim certius apud nos, quam peccatum mortale, nec esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, nec in ratione satisfactibilis, imò nec superioris ordinis ad satisfactionem, puræ creaturæ possibilem, vt contra Ill. Godoy propugnavimus *tom.* 1. *in* 3. *sent. disp.* 1. *&* 2.

Ex hac quæ doctrina Scotistarum generali apparet, falsum esse, quod dixit Ill. Godoy *num.* 40. scilicèt, in nullo ex antiquioribus, nec ex recentioribus inveniſe contrarium suæ opinionis; stant enim adversus ipsam omnes Scotistæ, tàm antiquiores, quàm recentiores. Thomistæ verò, qui cum ipso tuentur, peccatum mortale esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, & in ratione punibilis, vel esse ad minus superioris ordinis ad satisfactionem, puræ creaturæ possibilem, hoc cum negatione dignitatis ad pœnam sensus in peccato originali component, & pro ipsis, prædicta sententia supposita, sic mihi componi videtur. 46 *Quædam deceptio Ill. God.*

Respondeo pro Thomistis, concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo meretur omnem pœnam creaturæ possibilem, & peccato originali dignam, debitam, vel correspondentem concedo consequentiã; non dignam, debitam, nec correspondentem nego consequentiam; ad cuius probationem distinguo antecedens: punibile dicitur per comparationem ad pœnam, punibili debitam, dignam, & correspondentem concedo antecedens; indebitam, non dignam, nec correspondentem nego antecedens; & distinguo consequens distinctione data. 47 *Solutio pro Thomistis.*

Dices. Dices cum Ill. Godoy: esse simpliciter infinitum in ratione punibilis, est esse dignum omni pœna possibili; sicut meritum esse simpliciter infinitum, est esse dignum omni præmio: ergo ruit solutio. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, & disparitas est: quia omne præmium correspondet, & proportionatur cum quocumque meritò simpliciter infinito; ast non omnis pœna correspondet cuicumque peccato, etsi simpliciter infinito, nec cum illo proportionatur.

48 *Retorqueo ad hom. cõtra Ill. God.* Et vt hæc pro Thomistis appareat solutio, pro illis, & pro me retorqueo argumentum contra Ill. Godoy: peccatum originale est in ratione punibilis simpliciter infinitum: ergo meretur omnem pœnam, creaturæ possibilem: ergo meretur pœnam Vermis conscientiæ, sumptam pro afflictione orta ex recordatione culpæ, propria voluntate commissæ. Atqui hoc est contra Ill. Godoy *num.* 57: ergo ipse

etiam solvere tenetur argumentum, quod contra nos objicit. Omnia sunt Ill.God, excepta secunda consequentia; hæc autem probatur ad hominē contra ipsum: nam hæc vermis pœna continetur in linea pœnæ possibilis: ergo illam meretur. Solvat ipse,& solvent Thomistæ.

49 *Arguit. 4.* Arguit quartò *num.* 46: ex communi Theologorum axiomate, asserente, Deum adeò esse misericordē, vt citrà condignum puniat, & suprà condignum præmiet, quod etiam in punitione peccati originalis verificari debet, vt docet D.Thomas *in 4. dist. 46. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc.* 1; sed si peccatum originale solam pœnam damni mereretur, esset à Deo ad æqualitatē punitum carentia visionis Dei: ergo est dignum, inspectum secundum se, pœna damni, & pœna sensus. *Respond.* 1. Respondeo primò negando antecedens pro peccato originali, vt diximus *num.* 37.

50 *Secundò.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: Deus citrà condignum punit peccatum originale: ergo illud de facto punit pœna sensus; sed hoc est contra Ill. Godoy §.6: ergo etiam est contra ipsum obiectio. Probatur consequentia: etsi Deus de facto puniret peccatum originale pœna sensus, illud puniret citra condignum: ergo verificatur axioma, etsi Deus pœna sensus puniat de facto peccatum originale. Antecedens, in quo potest esse difficultas, patet ex dictis *num.* 37. & paritate de peccato actuali evidentèr apparet.

§. IV.

Quid sit de Beatitudine naturali sentiendum?

51 *Hæc diffic. disputata* HAnc difficultatem circà beatitudinem naturalem parvulorum cum solo peccato originali ex hac vita migrantium, duplici conclusione comprehendit Ill. Godoy, hic repetendo, quod iam dixerat *disput.* 14. Ab hoc abstineo, quia dicta per vnam integram disputationē repetere, nulli (credo) conveniens videbitur,& mihi sanè molestum apparet. Videantur enim dicta *disput.* 14. vbi duplicem statuimus conclusionem, quarum prima negat parvulis beatitudinem naturalem perfectam simpliciter, & absolutè, & hoc est, quod ad summum convincere valet Ill.Godoy sua secunda conclusione. Est tamen discrimen in ratione probativa, nam ipse aliqua vtitur, quę omninò falsa est, & à nobis impugnata *disp. citat. à numer.* 4. *vsquè ad* 15. Alia conclusio, quam *num.* 22. statuimus, concedit parvulis aliqualem beatitudinem naturalem, cui non opponitur Ill. Godoy, imò ab omnibus ferè Doctoribus defendi debere, vbi probavi.

manet disput. 14.

52 *Corollariū.* Ex dictis infert Ill. Godoy *numer.* 173. quæ & qualia dona habituri, & non habituri sint Infantes cum peccato originali morientes, & supponendo cum ipso, quod nulla pœna positiva sunt puniendi, & solum pœnis privativis, scilicèt, beatitudine supernaturali, & naturali perfecta, quin ex hoc aliqua tristitia, vel dolore torquantur ex dictis *à num.* 7. *vsquè ad* 12. habituri sunt omnia illa, quę dixi dicta *disp.* 14 *num.* 2. *&* 4. *& à num.* 22. *vsquè ad finem.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 33. §. 3. ad illa verba: *Pro ea nullam aliam ignis materialis, vel conscientiæ vermis, pœnam habituri.* Et hæc de isto tractatu dicta sufficiant.

)(§)(

TRACTATUS QUINTUS.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD OPERANDUM benè moraliter.

PLuribus gratiæ acceptionibus omissis, accipitur gratia in præsenti pro beneficio suprà totum naturæ debitum, nobis per Christum exhibito in ordine ad nostram salutem, qua ratione accipienda est, quotiès in Sacra Pagina nomen Gratiæ absolutè profertur. Hæc est Theologica gratiæ consideratio, in qua defensanda contra Pelagium Pontifices, Concilia, & Patres plurimum insudarunt. De ea agunt Scholastici cum Magistro *in 2. distinct. 26. vsque ad* 30. Et Thomistæ cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 109. pro cuius explicatione (vestigia Ill. Godoy vsquè in finem nostri operis sequentes) sequentes disputationes subijcimus.

DISPVTATIO TRIGESIMANONA.

Qua ratione D. Thomas appellat Gratiam principium extrinsecum humanorum actuum?

HAnc disputationem (quam, ni fallor, de nomine iudico) movet Ill. Godoy, & vt ex ipsa constat, nobis illam investigare non incumbit, quia rationem D. Thomæ quærere in his, quæ ab ipso sunt prollata, sui Sectatores tenentur dumtaxat. Thomistæ litigent, & vt certum habeatur: Gratiam intrinsicè inhærere immediatè voluntati, vt docuit Scotus *in 2. distinct. 26.* licèt ex intrinsecis subiecti non dimanet, quia à Deo suprà omnem naturæ exigentiam est nobis infussa.

DISPVTATIO QUADRAGESIMA.

Utrùm homo lapsus possit cognoscere omne verum speculativum naturalis ordinis absque speciali gratiæ auxilio?

§. I.

Quæ extra controversiam sunt, præmittuntur.

Num. 1 *Potest homo lapsus verum aliquod cognoscere.*

IN hac disputatione certum est primò: posse hominem lapsum aliquod verum absque mixtione erroris cognoscere. Quod contra Lutherum ostendunt plura Scripturæ loca, & ratione patet. Primo: nam actus fidei, & prophetiæ veri sunt, omnem excludentes errorem, vtpotè, nitentes Dei revelatione, cui falsum subesse non potest; sed isti eliciuntur ab homine in natura lapsa: ergo homo lapsus potest aliquod verum absque mixtione erroris cognoscere. Secundo ad hominem contra ipsum: nam si non potest homo in natura lapsa veram cognitionem habere: ergo omnis Lutheri cognitio fuit erroribus plena; ac proinde falsum asserit docens, non posse hominem in natura lapsa aliquod verum absque errore cognoscere.

2 *Ad verum supernaturale cognoscendum requiritur gratia supernaturalis per Christum.*

Certum est secundò: hic non loqui de vero ordinis supernalis, vt ex titulo apparet, quia omnes fatentur, quod ad quodvis verum supernaturale fide Divina credendum, vel certa, & infalibili cognitione cognoscendum, necessaria est præter revelationem extrinsecam gratia supernaturalis per Christum. Quod esse de fide, docuerunt plures, & ostendit Ill. Goy *num.* 2. Ratio autem est manifesta: nam vires requisitæ ad elicientiam actus, proportionari debent cum obiecto formali; at obiectum formale actus fidei est supernaturale, nempè, revelatio Divina, imò & materiale obiectum in præcipuis nostræ fidei misterijs est supernaturale: ergo vires ad actum credendi exactæ, sunt supernaturales excedentes facultatem naturæ.

3 *Aliquæ sũt*

Tertiò certum est: hic non loqui de omnibus veritatibus obiectorum entitativè naturalium; quia indubitatum est apud omnes, plures veritates obiectorum entitativè naturaliũ, non posse ab homine solo lumine naturæ absquè speciali gratia certo cognosci. Huiusmodi sunt cogitationes cordis, vt patet ex *cap.* 17. Hieremiæ: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Futura contingentia, quæ in causis naturalibus non sunt infallibilitèr determinata ad esse; & præterita, quæ nullum sui vestigium reliquerunt iuxtà Ecclesiasten *cap.* 8: *Ignorat homo præterita, & futura.* Et vniversalitèr omnia illa obiecta, quæ quamvis secundum se sint proportionata cum nostro intellectu; sunt tamen sensibus velata, & occulta, vt multa, quæ sunt inter orbes Cœlestes, & quæ intra viscera terræ, vel maris continentur, vt claret ex Ecclesiastico *cap.* 1: *Arenæ maris, & pluviæ guttas, & dies sæculi, quis enumerabit?* Ratio est: quia cum omnis nostra cognitio pro hoc statu dependeat à sensibus, ea, quæ à sensibus remota sunt, & cum sensibus connexionem non habent, nequeunt naturalitèr pro hoc statu cognosci.

veritates obiectorum naturaliũ, quæ absq; gratia speciali nequeunt cognosci.

4 *Explicatur præsens difficultas.*

Vndè in præsenti tantum loquimur de veritatibus obiectorum naturalium, quæ vel per experientiam cognosci possunt, vel quæ ex principijs per se notis per evidentem consequentiam possunt deduci. Quare nomine *Veri naturalis* intelligitur quidquid cognoscitur ex sensibilibus, & absquè revelatione, sivè sint prima principia, quæ cognoscuntur absquè discursu, sivè conclusiones, quæ per discursum cognoscuntur. Nomine *Speculativi* intelligitur, quod consistit in mera contemplatione intellectus, & non ordinatur ad regu-

lan-

landas operationes voluntatis, itaquè nomine *Veri naturalis speculativi* intelliguntur naturales disciplinæ, vt *Phisica, Logica, &c.*

5 *Aliquorum deceptio in disp. intelligentia.*

Atque hinc se se aperit aliquorum deceptio, loquentium de omni veritate naturali, ideòque asserentium, hominem lapsum non posse absquè speciali gratia cognoscere singulas veritates naturales speculativas. Et ne videatur, hoc à me sine fundamento asseri, hæc fuit deceptio Durand, qui *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. fol. 7.* hac deceptione ductus, procedit contra Gonetum; eo solo fundamento motus, scilicèt, de cogitatione cordis, causa æstus, seu fluxu, & refluxu maris, de quibus non est sermo in præsenti, vt diximus *num. 3.* & fatetur Ill. Godoy *num. 4.*

6 *Amplius explicatur difficultas.*

Quartò certum est: quod ad cuiuscumq̃ veri cognitionem indiget homo, in quocumque statu consideretur, concursu generali Dei. Quod omnes Theologi docent contra Durandum, cuius sententia, vt erronea, à communi Theologorum sententia reijcitur. An autem præter hunc generalem concursum requiratur aliqua gratia specialis, est difficultas, quæ non procedit de gratia habituali sanctificante, sed de gratia actualis auxilij, quæ sit ordinis naturalis; nam multi peccatores, imò & Infideles habent veras scientias speculativas sine errore, quia licèt per peccatum fuerit atenuatum lumen naturale, non fuit tamen omninò extinctum, vt dixit Scotus *in 2. dist. 7. §. De 2. dico.*

7 *Potentia phisica, & moralis declarantur.*

Sic itaquè certis declaratis, & explicata difficultate, pro illius resolutione notandum est, quod duplex est potentia: phisica vna, & moralis alia. Potentia phisica est illa, quæ atenditur pœnes intrinsecam entitatem potentiæ, abstrahendo ab omnibus impedimentis. Moralis est, quæ convenit potentiæ, omni impedimento extrinseco attento. Exemplum potentiç phisicæ est in homine vinculis detento, qui habet potentiam phisicam ad ambulandum; non vero moralem; quia non est liber ab impedimentis. Exemplum potentiæ moralis est in homine à vinculis libero, qui vltrà potentiam phisicam ad ambulandum, habet etiam moralem, quia est liber ab impedimentis.

8 Ex his clarissimè constat, id, quod in discrimen vertitur, esse: An homo lapsus potentia phisica, & morali possit absquè speciali gratia ordinis naturalis cognoscere omne verum speculativum naturalis ordinis ex illis, quæ per experientiam cognosci possunt, vel ex principijs per se notis per evidentem consequentiam possunt deduci. Quæ difficultas non procedit de cognitione erronea, sed de certa, aut probabili, habita, non per species infusas, quam habuit Adam in statu innocentiæ, sed habita propria industria, & inventione, aut consueta via disciplinæ. Nec procedit de hac, vel illa veritate naturali, quia aliquas hominem lapsum sine speciali gratia certo cognoscere, ita certum est, vt est certum, cognoscere demonstrativè, Deum esse. Vndè difficultas procedit de omni prædicto vero, tàm divisivè, quàm collectivè. Pro cuius explicatione sit.

Sensus disputationis.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

9 1. *Cõclusio.*

PRima conclusio: *In homine lapso est potentia phisica ad cognoscendas singulas veritates naturales speculativas, tàm divisivè, quàm collectivè; Non autem moralis absquè speciali gratia.* Hæc conclusio quoad primam partem est Scoti *in 2. dist. 37. §. Ex ista*, & est communis apud Theologos, illamque habet Ill. Godoy *numer. 15.* Quoad secundam vero partem sumptam pro ly *divisivè*, est contra plures Scotistas, citantes Scotum *in 1. dist. 2. quæst. 3.* docentẽ: ex naturalibus cognosci, esse vnum Deum tantum. Est etiam contra Ill. Godoy *num. 6.* Mihi autem rationi conformior videtur, quin principijs Scoti opponatur, vt patebit ex dicendis *§. sequenti* in solutione tertij argumenti.

10 *Probat. 1. pars.*

Prima pars probatur: in homine lapso est phisica potentia ad cognoscendam totam collectionem istarum veritatum: ergo & ad eas divisivè cognoscendas. Consequentia est à fortiori vera. Antecedens vero probatur: tota harum veritatum collectio est proportionata cum intellectu hominis secundum se inspecto, & secundum suam intrinsecam entitatẽ, alioquin tales veritates naturales non essent; sed per peccatum nihil entitatis deperdit intellectus homi-

nis:

nis: ergo adhuc post lapsum manent proportionatæ: ergo, &c.

11 *Dices.* Dices: homo lapsus per peccatum contraxit ignorantiæ vulnus: ergo nequit sine gratia esse potens ad prædictas veritates cognoscere. *Respond.* 1. Respondeo primò distinguendo antecedens: homo lapsus per peccatum contraxit ignorantiæ vulnus, respectu veritatum supernaturalium, concedo antecedens; respectu naturalium, nego antecedens, & consequentiam. *Secundò.* Secundo concesso antecedenti, distinguo consequens: nequit sine gratia esse potens moraliter ad prædictas veritates cognoscere, concedo consequentiam; physicè, nego consequentiam. Solutio patet ex dictis *numer.* 7. & est Scoti *in* 2. *citat.* dicentis: Sicut homo vulneratus nullam partem sui amittit, sed redditur minus habilis ad suas operationes; ita homo vulneratus per peccatum est tantum minus idoneus, ad operandum, quam in statu innocentiæ, & consequenter vulnus ignorantiæ non tollit potentiam, sed illam minus tantum idoneam reddit. *Tertiò.* Tertiò: argumentum probat: hominem lapsum nullam veritatem sine errore cognoscere posse, quod valdè durum est apud Theologos fatentes: hominem lapsum *Deum esse* demonstrare.

12 *2. pars pro collectione omnium probat.* 1. Secunda pars pro collectione omnium veritatum, in qua cum Ill. Godoy convenimus, probatur primo: homo vulneratus est minus habilis ad suas operationes, vt cum Magistro diximus *num. anteced.* sed homo lapsus est vulneratus: ergo nequit cognoscere omne id, quod cognosceret, si vulneratus non esset. Atqui homo non vulneratus potest ad summum totam veritatum collectionem absquè speciali gratia cognoscere: ergo hoc non potest homo vulneratus & consequenter nec homo lapsus. *Secundò.* Secundò: quia scientiæ sunt penè infinitæ, & pœnè infinita impedimenta ad illas collectivè addiscendas, nempè illarum multitudo, vitæ brevitas, occupatio in somno, & ad res humanæ vitæ necessarias distractio: ergo nequit sine speciali gratia illas omnes collectivè cognoscere. *Tertiò.* Tertio: nullus ex hominibus omnes scientias hucusque absque errore propria industria adquisivit: ergo signum est, quod non adest in natura potentia moralis ad illas collectivè cognoscendas absquè gratia speciali. Consequentia patet ex illo proloquio: *Quod natura nunquam fecit, signum est, quod non potest facere.* Argumenta solvit Ill. God. §. 5.

13 *Pro omnibus divisivè prob. à quodā Scotista.* Secunda vero pars conclusionis pro omnibus divisivè, in qua ab Ill. Godoy discedimus, probatur a quodam Scotista ad hominem contra Gonet procedente, & ratio est hæc: Gonet *disput 9. de Angelis docet*: Vnum Angelum non posse naturaliter cognoscere secretum, nec cogitationem alterius: ergo homo non potest naturaliter, & absquè gratia speciali cognoscere singulas veritates. Probatur consequentia: cogitatio cordis sivè humani, sivè Angelici, est veritas naturalis, quam homo cognoscit, dum per auxilium speciale elevatur, vt patet in Prophetis, & non aliter: ergo datur aliqua veritas naturalis, ita abstrusa, & occulta vt ab homine cognosci non possit absquè auxilio speciali Divinę gratiæ.

14 *Confirmat.* Quod etiam confirmat: nam causa æstus, seu fluxus, & refluxus maris, est veritas naturalis, quam Adamus in statu Innocentiæ cognovit, & quam Philosophi non cognoverunt evidenter naturaliter, nec cognoscent; nā si esset moraliter cognoscibilis vi naturali, aliquis ex antiquis eam cognovisset: ergo datur aliqua veritas in sinu naturæ, quæ licet sit physicè proportionata cum intellectu hominis lapsi, non potest cognosci secluso Divinæ gratiæ auxilio, impedimenta, & improportionem moralem causantia removente.

15 *Ratio, & confirm. est insufficiēs, & non est ad rem.* Hæc tamen ratio, simul & confirmatio ortum habet ex deceptione, cum qua procedit Durand in hac disputatione, & quam ostendi *num.* 5; vndè vtraque est insufficiens, & nulla ad rem, quia ipse loquitur de omni veritate naturali per inclusionem earum, quæ sunt sensibus velatæ, & occultæ, vti sunt cogitationes cordis, fluxus, & refluxus maris, de quibus non loquimur ex dictis *num.* 3; sed de veritatibus, quæ per experientiam cognosci possunt, vel ex principijs per se notis per evidentem consequentiam possunt deduci, de quibus in præsenti est sermo, vt diximus *numer.* 4. & 8. & de quibus nullam probationem adducit Scotista prædictus. Vndè hac omnissa ratione.

Sic

16 *Pro omnibus divisivè prob.* 1.

Sic à nobis pro omnibus divisivè probatur. Primò: id, quod hactenus factum non est, fieri non potest naturaliter; sed nullus hactenus inventus est homo, qui omnes veritates naturales speculativas divisivè cognoverit: ergo nullus eas divisivè potest naturaliter cognoscere. Maior est Ill. Godoy *num.* 17. hac ratione probantis: omnes veritates collectivè, sine speciali gratia cognosci non posse. Imo ipsam assumit ex D. Hieroymo *Diaiogo* 1. *contra Pelagium*; vbi ex eo probat: non posse hominem proprijs naturæ viribus absq; peccato vivere, quia id nunquam absque gratia contingit. Probatur minor: nam quot veteres Philosophi extiterunt, plura non invenerunt, & inventis gravissimè erraverunt, vt apud omnes est certum: ergo, &c.

17 *Secundò.*

Probatur secundò: intellectus in statu Innocentiæ potentior moraliter est, quam intellectus in statu naturæ lapsæ: ergo intellectus in statu naturæ lapsæ agnoscere nequit omnes veritates divisivè. Antecedens patet primo: quia intellectus in statu Innocentiæ non haberet cæcitatem, quam habet in statu naturæ lapsæ. Secundò: quia in statu Inocentiæ non essent impedimenta, quæ in statu naturæ lapsæ reperiuntur; nam aggravatio spiritus à corpore, & vitæ brevitas, quæ in statu naturæ lapsæ reperiuntur, in statu Innocentiæ non essent, quia in hoc corpus esset perfectè animæ subiectum, & vita longior, vt iuxta omnes est certum. Tertiò: quia hoc fatetur Ill. Godoy expræssè *num.* 35. Quartò: quia id docuit Scotus ex dictis *num.* 11. & est vniversaliter verum.

Prob. consequent.

Consequentia probatur: intellectus in statu Inocientiæ potentior moraliter esset per te, quam intellectus in statu naturæ lapsæ; sed intellectus in statu Innocentiæ ad summum potens moraliter esset ad omnes veritates divisivè cognoscendas, vt fatetur Ill. Godoy *num. dicto*: ergo intellectus in statu naturæ lapsæ cognoscere nequit omnes veritates divisivè; alioquim intellectus in statu Inocentiæ potentior moraliter non esset, quam intellectus in statu naturæ lapsę, quod est contra te.

18 *Probat.* 3.

Probatur tertiò: intellectus practicus magis vulneratus est per peccatum originale, quam intellectus speculativus: ergo intellectus practicus hominis in statu naturæ lapsæ minus potens est ad attingendas veritates practicas, quam intellectus speculativus ad veritates speculativas attingendas. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 16. citantis D. Thom. *suprà quæst.* 85. *artic.* 3. *circa finem corporis*, vbi ait: *Per peccatum ratio hæbetatur præcipuè in agendis*, vbi ly *præcipuè* manifestè denotat, hæbetationem etiam in speculabilibus, & si minus principaliter. Id ipsum, & si non ita clarè docet Div. Thom. *in* 2. *dist.* 23. *quæst.* 2. *artic.* 1. *ad* 3. Et 1. *part. quæst.* 94. *artic.* 1. *ad* 3. Id etiam docet 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 2. *ad* 3. his verbis: *Magis natura humana corrupta est per peccatum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri* Consequentia est legitima; alioquim non magis vulneratus esset intellectus practicus, quam speculativus, quod est contra D. Thomam.

Sussummo: atqui iuxtà Ill. Godoy *num.* 14. potest intellectus practicus in illo statu omnes veritates practicas divisivè cognoscere: ergo poterit intellectus speculativus omnes collectivè cognoscere. Vel formetur è contra sussumpta: sed iuxtà ipsum intellectus speculativus solum valet omnes veritates divisivè cognoscere: ergo hoc non potest intellectus practicus. Vtraque consequentia est contra Ill. Godoy, & quælibet claret ex antecedenti D. Thomæ.

19 *Quarto.*

Probatur quartò: voluntas hominis lapsi propter vulnus malitiæ non potest singula præcepta legis naturæ adimplere: ergo nec intellectus propter vulnus ignorantiæ singulas veritates cognoscere. Antecedens est D. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. Et cum ipso Ill. Godoy *disput.* 42. *num.* 6. Et Gonet *tom.* 4. *disput.* 1. *artic.* 4. §. 2. quatenùs in his locis asserunt: hominem lapsum non posse sine speciali auxilio, Deum, vt Authorem naturæ, super omnia diligere, quod est primum præceptum. Consequentia probatur: hæc consequentia est bona iuxtà Ill. Godoy: voluntas propter vulnus malitiæ non potest omnia præcepta legis naturæ collectivè adimplere: ergo nec intellectus omne verum collectivè cognoscere; sed voluntas hominis lapsi propter vulnus malitiæ non potest singula præcepta legis naturæ adim-

ple-

plere: ergo nec intellectus propter vulnus ignorantiæ singulas veritates cognoscere; quia ita vna, ac altera consequentia infertur.

20 *Probatur deniquè.*

Deniquè probatur: omnes rationes, quibus probat Ill. Godoy, hominem lapsum non posse absque errore cognoscere omnes prædictas veritates collectivè, probant etiam, quod nec divisivè: ergo vera est nostra conclusio. Probatur antecedens: Prima ratio ipsius *numer.* 16. est vulnus ignorantiæ in intellectu speculativo. Secunda *numer.* 17. est, quod nullus ex hominibus totã huiusmodi veritatũ collectionem hucusquè absque errore propria cognovit industria. Tertia tandem est, quod veritates istæ pennè sunt infinitæ, & ad cuiusque illarum cognitionem tempore indiget summo, vtpotè, per discursum illam adquirens, impedimenta autem passim occurrenda sunt plura, quæ enumerat D. Thomas 1. *contra Gentes, cap.* 4. Atqui istæ rationes probant, quod nec divisivè possit illas veritates cognoscere: ergo probant etiam, quod nec divisivè.

21 *Probatur minor quod omnes partes.*

Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *citat.* Minor autem pro prima parte est manifesta; nam quod veritates divisivè sumantur, non tollit ab intellectu ignorantiæ vulnus. Secunda constat ex *num.* 16. Tertia denique adhuc evidentius apparet. Primò: nam omnes prædictæ veritates etiam divisivè sunt penè infinitæ; non enim excedit numerus illarum collectivè ad numerum illarum divisivè. Secundò: quia eadem etiam numero sunt impedimenta ob eandem rationem. Tertiò: quia si homo lapsus iuxtà Ill. Godoy indiget summo tempore ad cuiusque illarum veritatum cognitionem, vtpotè, per discursum adquirens, vbi erit tempus in brevitate vitæ hominis lapsi, vt omnes divisim cognoscere valeat? Penitus certè illud non capio.

§. III.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy.

22 *Arguit.* 1.

ILl. Godoy *num.* 7. arguit primò ex D. Thoma *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *artic.* 5. vbi indiscriminatim affirmat: ad ea, quæ naturaliter possunt cognosci, non indigere hominem lapsum speciali illustratione gratiæ. Et 1. *part. quæst.* 93. *artic.* 3. docet: Adamum habuisse scientiam omnium rerum, de quibus homo naturaliter natus est instrui. *Et hæc sunt*, inquit D. Thom. *omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principijs per se notis, quæcumque, scilicèt, naturaliter homines cognoscere possunt.* Et *in præsenti artic.* illis verbis: *Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicèt, ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea, scilicèt, in quorum notitiam per sensibila possumus devenire*; at hæc omnia non potest collectivè cognoscere, vt constabit *infrà*: ergo saltim potest omnes illas veritates sigillatim sine speciali gratia cognoscere.

23 *Respond.*

Respondeo: quod D. Thomas in primo testimonio loquitur de illis, quæ potentia physica, & morali possunt naturaliter cognosci, quod non negabit Ill. God; quod autem hæc sint omnes prædictæ veritates divisivè, non dicit Angelicus Doctor. In secundo loquitur de potentia physica, secundum quam homo naturaliter natus est instrui; non autem de potentia morali; alioquim homo lapsus esset ita expeditè potens ad tot veritates speculativas cognoscendas, ac homo in statu Innocentiæ, quod est contra omnes, & contra Ill. Godoy *num.* 35. In tertio loquitur etiam de potentia physica, vt claret ex illis verbis: *Quod est de se sufficiens.* Et ex his distinguo minorem: hæc omnia non potest, potentia morali collectivè cognoscere concedo minorem; potentia physica nego minorem, & distinguo consequens: ergo saltim potest, potentia physica, omnes istas veritates sigillatim sine speciali gratia cognoscere concedo consequentiam; potentia morali nego consequentiam; quia eadem est de illis ratio, sivè collectivè, sivè divisivè sumantur, vt claret ex dictis *num.* 20. & 21.

24 *Arguit.* 2.

Arguit secundò *num. citat*: singulæ veritates naturales sunt proportionatæ physicè, & moraliter cum intellectu hominis lapsi: ergo potest illas absque speciali gratia cognoscere. Consequentia tenet: nam specialis gratia solum est necessaria ad tollendam improportionem aliquam physicam, vel moralem, vt ex discursu materiæ constabit. Antecedens pro prima parte est certum; cum proportio physica etiam in tota veritatum collectione

cum intellectu noſtro inveniatur. Pro ſecunda probatur: impedimenta nam què, quæ improportionem moralem cauſant ad totam huiuſmodi veritatum collectionem, videlicèt, illarum multitudo, vitæ brevitas, occupatio in ſomno, & ad res humanæ vitæ neceſſarias diſtractio, reſpectu ſingulorum non militant; cum tempus ad illarum quamlibet requiſitum, non ita longum ſit, vt naturalem vitæ noſtræ periodum excedat, neq; cum occupationibus huius vitę non poſsit componi: ergo nedum phiſicè, verum etiam moralitèr proportionatæ ſunt cum intellectu hominis lapſi.

25 *Reſpondeo,*

Reſpondeo negando antecedens pro ſecunda parte, ad cuius probationem nego etiam antecedens. Tum, quia veritates prædictæ ſunt penè infinitæ. Tum, quia homo lapſus habet ignorantiæ vulnus. Tum, quia nullus hucuſque illas abſque errore cognovit, quod totum claret ex dictis *num.* 21. Tum deniquè: quia alioquim hæc neceſſariò ſequerentur. Primò: quod intellectus in ſtatu naturæ lapſæ eſſet æquè moralitèr potens, ac intellectus in ſtatu Innocentiæ. Secundò: quod intellectus practicus non eſſet magis vulneratus, quam ſpeculativus, ex quo vlterius ſequeretur, vel quod ſpeculativus poſſet omnes veritates collectivè cognoſcere, vel quod practicus hoc non poſſet; quæ omnia ſunt contra Ill. Godoy, & conſtant ex dictis *num.* 17. & 18.

26 *Arguit. 3.*

Arguit tertiò *num.* 8. paritate deſſumpta ex his, quæ de Deo haberi poſſunt, eſtque argumentum, quo Scotiſtæ vtuntur, & ad hanc formam reducitur: nulla veritas ſpeculativa eſt ita improportionata cum intellectu pro hoc ſtatu, quam illæ, quæ de Deo haberi poſſunt: v.g *Deum exiſtere, Deum eſſe vnum*; ſed vtraque hæc veritas poteſt cognoſci ex ſolis viribus naturæ: ergo & omnes ſigillatim ſumptæ poſſunt pro hoc ſtatu ſolis naturæ viribus cognoſci. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem probatur: nulla veritas ſpeculativa eſt ita diſtans à quidditatè materiali, & ſenſibili, quam illæ, quæ de Deo haberi poſſunt: ergo, &c. Antecedens patet ex eo, quod Deus eſt ſummè immortalis. Conſequentia videtur legitima, quia cum intellectus pro hoc ſtatu dependeat à ſenſibus, id, quod magis diſtat à materia ſenſibili, eſt minus proportionatum cum intellectu pro hoc ſtatu.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: nulla veritas ſpeculativa eſt ita improportionata, ſumpta improportione ex defectu materiæ ſenſibilis, concedo maiorem; improportione ſumpta ex principijs, ex quibus cognoſcuntur, nego maiorem, & hoc tantum convincit probatio, vt ex ipſa apparet. Itaque licèt prædictæ veritates, ſcilicèt, *Deum exiſtere, & Deum eſſe vnum*, ſint magis improportionatæ cum intellectu pro hoc ſtatu, ſumpta improportione ex defectu materiæ ſenſibilis; non tamen ſunt ſic improportionatæ, ſumpta improportione ex principijs, ex quibus cognoſci valent, & de facto cognoſcuntur. Imo cognitio prædictarum veritatum eſt omnium aliarum facilior, vel comparatione præciſſa, eſt facillima. Quod ſi probo, probata manebit inefficatia prædicti argumenti, & noſtram ſententiam non eſſe contra Scotum, apparebit.

27 *Reſpondeo.*

Probo itaquè primò de prima propoſitione ad hominem contra Thomiſtas, & Scotiſtas: hæc propoſitio: *Deus exiſtit*, eſt per ſe nota iuxta Thomiſtas, cum quibus Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. diſput.* 2. & plures etiam Scotiſtas, quos retuli *tom.* 1. *in* 1. *ſent diſput.* 2. *num.* 20. Et referam *tom. de quæſtionibus ſelectis, quæſt.* 1: ergo cognitio huius propoſitionis: *Deus exiſtit*, eſt naturaliſsima, & evidentiſsima, vtpotè, per ſe nota, & conſequentèr facillima. Secundò ad hominem contra Ill. Godoy: id, quod non poteſt invincibilitèr ignorari, facillimè cognoſcitur, vt de ſe patet; ſed *Deum exiſtere*, nequit invincibilitèr ignorari, vt fatetur ipſe *tom. citat. diſput.* 3. *num.* 252. & 253: ergo facillima eſt cognitio huius propoſitionis: *Deus exiſtit.*

28 *1. ratio inefficatiæ ad hom. contra Thom. & plures Scotiſtas.*

2. ad hom. contra Ill. Godoy.

Tertiò: hæc propoſitio: *Deus exiſtit*, demonſtratur evidentèr ex principijs naturalibus ſpeculativis evidentibus: ergo eſt facillimæ cognitionis. Conſequentia eſt legitima. Antecedens verò eſt communis doctrina Theologorum, cum quibus Ill. Godoy *tom. citat. diſput.* 3. §. 6. & 8. & nos etiam docuimus *tom.* 1. *in* 1. *ſentent. diſput.* 3. §. 8. & 9. Et ex hoc apparet pro ſecunda propoſitione probatio: nam hæc propoſitio: *Deus eſt vnus*, demonſtratur

29 *3. apud omnes communis, vtrãq; propoſitionẽ amplectens.*

evi-

evidenter ex principijs naturalibus: ergo facillimæ est cognitionis. Antecedens ita certum est, vt D. Thomas 1. *contra Gentes, cap.* 42. septemdecim adducat rationes, Deum esse vnum demonstrantes, & Scotus id sex vijs demonstret, vt vidimus *tom. & disput. citat. num.* 146. *& seqq.*

§. IV.

Statuitur secunda conclusio, & aliqua inferuntur ex dictis.

30 2. Cõclusio. SEcunda conclusio: *Gratia desiderata ad cognoscendas prædictas veritates, tàm divisivè, quàm collectivè, non est supernaturalis quoad substantiam, sed quo ad modum, non absolutè, sed respectivè, & referenda per Christũ.* Conclusio habet quatuor partes apud Scotistas certas, illasque habet Ill. Godoy *num.* 25. Et quia semel conclusione probata de collectione omniũ veritatum, probata potiori iure manet de omnibus divisivè, conclusionem per partes de collectione probabimus.

31 1. *pars probat.* 1. Prima pars probatur primò: nam per hoc, quod Deus superinfundat homini species omnium rerum naturalium, & scientias illarum, erit potens expeditè ad omnium cognitionem; at species, & scientiæ sic superinfusę supernaturales quoad substantiam non sunt, vtpotè, eiusdem rationis cum speciebus, & scientijs adquisitas à nobis, vt de scientia indita Adamo docet communis Theologorum sententia: ergo gratia desiderata ad posse expeditè respectu totius collectionis verorum supernaturalis quoad substantiam non est.

32 *Secundò.* Probatur secundò: nam collectio omnium cognitionum, & omnium veritatum ordinis naturæ, non est supernaturalis quoad substantiam: ergo non petunt pro sui expedito principio gratiam entitativè supernaturalem; & consequenter sine tali gratia poterit obtineri. Patet consequentia: nam omne id, quod exigit pro sui principio supernaturalem formam, est entitativè supernatutale.

33 2. *pars probat.* Secunda pars conclusionis probatur: nam id est supernaturale quo ad modum, cuius entitas non excedit facultatem naturæ, modus autem quo habetur, illius facultatem excedit; at gratia debita ad posse totam veritatum collectionem cognoscere quoad entitatem, non excedit facultatem humanæ naturæ, vt proximè ostendi, excedit tamen eius facultatem quo ad modum quo acquiritur; cum sint species superinfusæ à Deo, non expectato rerum naturalium occursu, & concursu: ergo sunt supernaturales quoad modum.

34 3. *pars probat.* Tertia pars conclusionis probatur: id est supernaturale quo ad modum supernaturalitate absoluta, quod excedit quo ad modum, quo habetur, omnis naturæ exigentiam; quod autem vnius, & non omnis naturæ exigentiam excedit, gaudet supernaturalitate respectiva quo ad modum; at omnium istarum specierum infusio, etsi excedat moralem exigentiam humanæ naturæ, Angeli tamen exigentiam non superat: ergo non est supernaturalis quo ad modum supernaturalitate absoluta, benè tamen respectiva. Minor cum consequentia tenet. Maior probatur: supernaturalitas absoluta quo ad substantiam petit superexcessum ad omnem naturæ exigentiam: ergo supernaturalitas absoluta quo ad modum petit superexcessum, non vnius, vel alterius, sed omnis naturæ in modo acquisitionis; vtraque namque supernaturalitas in ratione supernaturalitatis convenit cum solo discrimine penes esse talem quoad substantiam, vel modum.

35 4. *pars probat.* Vltima pars conclusionis probatur: quod prædicta gratia sit per Christum conferenda, seu ex meritis Christi, cedit in gloriam, & excellentiam Christi: ergo cum non implicet, est illi concedendum. Alias huius veritatis rationes, & ad hominem contra Bazquez, simul cum solutionibus ad illius argumenta videndas relinquo in Ill. Godoy *§. 6. & 7.* quia nobis in hoc ampliùs immorari non licet.

36 1. *Corollar.* Ex dictis in discursu disputationis colligo primò contra Ill. Godoy *numer.* 34: hominem in natura lapsa non posse potentia morali cognoscere omnes veritates practicas in vniversali divisivè, aut collectivè absquè speciali gratia. Probatur quoad vtrãque partem: homo in natura lapsa non potest potentia morali cognoscere omnes veritates speculativas collectivè, aut divisivè, vt diximus in probationibus primæ conclusionis: ergo nec est potens ad veritates practicas, sivè collectivè, sivè divisivè.

37 *Secundum.*

Colligo ſecundò: hominem conditum in pura natura, non habiturum potentiam moralitèr expeditam ad omnes veritates ſpeculativas, ſivè collectivè, ſivè diviſivè. Hoc corollarium quoad ſecundam partem eſt neceſſario contra Ill. Godoy, & probatur: nam in illo ſtatu eſſent omnia impedimenta, ex quibus in ſtatu lapſus provenit impotentia moralis, ſcilicèt, vitæ brevitas, ad res humanæ vitæ neceſſarias diſtractio, corporis aggravatio, & alia enumerata *num.* 12. *&* 20: ergo eſſet moralitèr impotens ad prædictas veritates collectivè, & diviſivè.

38 *Tertium.*

Colligo tertiò: nec in ſtatu naturæ lapſæ, per gratiam ſanctificatæ, gaudere hominem potentia expedita moralitèr ad prædictas veritates, ſivè collectivè, ſivè diviſivè. Hæc ſecunda pars eſt neceſſariò contra Ill. Godoy; & probatur: quia gratia ſanctificans prędicta impedimenta non tollit; cum non ſe habeat per modum auxilij, elevantis intellectum ad cognitionem rerum naturalium: ergo nec tollit naturalem impotentiam, provenientem ex prædictis impedimentis ad cognitionem illarum, ſivè collectivè, ſivè diviſivè.

39 *Advertentia.*

Adverto tamen cum Ill. Godoy *num.* 34. *propè finem*, quod cum hoc ſtat, hominem iuſtificatum eſſe minus impeditum moralitèr ad veri naturalis cognitionem, quam homo exiſtens in peccato mortali, vitijſque dedito, ſi cætera paria ſint quoad complexionem, & acumen ingenij. Quod patet: nam homo exiſtens in peccato mortali frequentèr maiori cogitationum fluxu erga ſenſibilia agitatur, quam exiſtens in gratia; at hoc eſt vnum ex impedimentis ex D. Thoma 4. *contra Gentes*, *cap.* 4. ad veri contemplationem: ergo cæteris paribus, homo exiſtens in gratia, & amicitia Dei promptior eſt ad veri contemplationem, quam exiſtens in peccato mortali.

40 *Quartum.*

Colligo quartò cum Ill. Godoy *num.* 35: hominem conditum in iuſtitia originali habere moralem potentiam ad plures veritates ſpeculativas naturalis ordinis cognoſcendas, quã homo in ſtatu lapſus; imò gaudere expedita potentia ad omnia principia ſpeculativa, & communiores veritates, ex illis deductas. Primum patet: nam vita eſſet longior; vulnus ignorantiæ non eſſet, nec aggravatio ſpiritus à corpore: ergo poſſet expeditè plures veritates naturales cognoſcere, quam in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Secundum probatur: nam numerus veritatum priorum vniverſalium, & communiorum veritatum deductarum ex illis, non eſt tantus, vt computatis adiumentis prædictis, non poſsit homo in ſtatu Innocentiæ illarum cognitionem adquirere: ergo gauderet ad illa expedita potentia.

41 *Quintum.*

Deniquè colligo: hominem conditum in iuſtitia originali non habere moralem potentiam ad omnes veritates naturales cognoſcendas, ſivè collectivè, ſivè diviſivè. Hoc corollarium pro ſecunda parte eſt etiam contra Ill. Godoy ob rationem datam *num.* 37. Et quoad vtramque probatur: nam etiam ſi aliqua impedimenta in ſtatu naturæ lapſæ deficiant in ſtatu Innocentiæ; hic tamen ſtatus eſt vitæ finitæ, licèt longioris, & non tollit, quod prædictæ veritates ſint infinitæ, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 35. *in fine*: ergo nec in tali ſtatu haberet homo moralem potentiam ad illarum cognitionem, ſivè collectivè, ſivè diviſivè.

)(§)(

DISPVTATIO
QUADRAGESIMAPRIMA.

An homo lapsus possit absque speciali gratia aliquod bonum opus morale ordinis naturæ efficere?

§. Unicus.

Resolvitur sine litte difficultas.

Num. 1 *Gratia fidei non est ad id necessaria.*

DE fide est, fidem ad id necessariam non esse, vt constat ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. *propositione* 26. vbi damnatur Michael Baius asserens: omnia opera Infidelium esse peccata, estque diffinitum in Tridentin. *Sess.* 6. *Canon.* 7. his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, anathema sit.* Etiam est de fide, gratiam sanctificantem ad id necessariam non esse, vt constat ex prædicta Bulla *propositione* 35. & 40. contra dictum Michaelem, estque diffinitum per verba relata Tridentin. *citat.* Et *Sess.* 14. *cap.* 4. & *Canon.* 5. per hæc verba: *Si quis dixerit, eam contritionem* (loquitur de peccatore) *facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, anathema sit.*

Nec etiam gratia sanctificans.

2 *Punctus difficultatis.*

Vndè difficultas est de gratia actuali, non in sua entitate supernaturali, cum hic sermo sit de opere ordinis naturalis, quod nequit exigere formâ entitativè supernaturalem; sed de gratia actuali, in sua entitate naturali, licèt supernaturali quoad modum, vt diximus *disput. præced. num.* 33. quæ tamen vel sit gratia Theologicè, idest, ad iustificationem conducens, vel ad minus sit gratia specialis Dei conditoris naturæ? Et licèt variæ sint sententiæ, quas refert Ill. Godoy *numer.* 2. 3. & 4. cum ipso convenimus, & ideò sine litte triplici conclusione difficultatem brevissimè resolvemus.

3 1. *Concluſ.*

Prima conclusio: *Homo lapsus potest sine speciali gratia efficere aliquod opus bonum morale naturale.* Sic Scotus *in* 2. *dist.* 28. Et *in Report. in* 2. *distinct.* 7. *quæst.* 3. §. *Ideò magis videtur.* Sic etiam D. Thomas citatus ab Ill. Godoy *numer.* 5. cum quo & ipse. Probatur hac ratione: omnes causæ naturales possunt sine auxilio speciali suas operationes exercere: ergo & voluntas circa obiecta naturalia sibi proposita; aloquin voluntas per peccatum non solum esset vulnerata, sed extincta, quod est contra Tridentin. *Sess.* 6. *Canon.* 5: ergo potest voluntas hominis lapsi per sua naturalia aliquod bonum morale naturale efficere. Hanc rationem alitèr efformatam adducit Ill. Godoy *num.* 8. & argumenta contra conclusionem solvit §. 3.

Probatur.

4 2. *Concluſio*

Secunda conclusio: *Vt homo lapsus de facto efficiat aliquod opus bonum ordinis naturæ, non indiget efficaci gratia Theologica.* Sic contra Bazquez Ill. Godoy *num.* 13. Conclusionemque probat ex Concilijs, Pontificibus, & Augustino, vsque ad *num.* 19. quod in ipso videndum relinquo, & ratione sic probo primò: gratia Theologica est quæ datur ad opus conducens ad iustificationem; sed opera bona moralia ordinis naturæ, etsi nulla mala circunstantia vitientur, ad iustificationem nec proximè, nec remotè conducunt: ergo vt de facto fiant ab homine lapso, gratia Theologica necessaria non est. Probatur minor; opera facta ex viribus liberi arbitrij nullo modo ad iustificationem conducunt: ergo nec opera bona moralia ordinis naturæ. Antecedens traditur à Concilijs, & Patribus. Consequentia probatur: ideò iuxta Concilia, & PP. opera facta ex viribus liberi arbitrij nullo modo conducunt ad iustificationem, quia sunt in ordine inferiori ad formam iustificationis; sed in eodem ordine sunt opera bona moralia ordinis naturæ: ergo à linea iustificationis sunt excludenda.

Probat. 1.

5 *Secundò.*

Probatur secundò: si aliqua gratia Theologica esset necessaria ad aliquod opus bonum morale, maxime cogitatio congrua, seu efficax; sed ista

non est gratia Theologica: ergo nulla. Probatur minor primò: cogitatio sufficiens non est gratia Theologica iuxtà Bazquez: ergo nec cogitatio congrua seu efficax. Consequentia est legitima, quia auxilium sufficiens, & efficax sunt in eodem ordine. Secundò: Pelagius negare non potuit necessitatem cogitationis congruæ; cũ hæc solum consistat in propositione intellectus cum actu voluntatis coniuncto; sed Pelagius damnatur à Patribus, quia non admisit necessitatem gratiæ Theologicæ à Concilijs exactę: ergo cogitatio congrua non est gratia Theologica. Tertiò: cogitatio congrua non excedit facultatem naturæ; sed gratia Theologica à Concilijs, & Patribus contra Pellagium exacta, superat naturæ facultatem: ergo idem quod priùs.

6 *Tertiò.* Probatur tertiò: prima gratia inter Theologicas est gratia fidei; sed gratia fidei non est necessaria ad aliquod opus bonum morale ordinis naturæ eliciendum: ergo vt de facto eliciatur, gratia Theologica necessaria non est. Consequentia est legitima. Minor est de fide, vt diximus *numer.* 1. Maior autem probatur: prima gratia in sensu Theologico est iuxtà Bazquez primum iustificationis initium; sed primum iustificationis initium sumitur à vocatione fidei, vt docent Trident. & D. Augustin. locis ab Ill. Godoy *citat. num.* 19. ergo, &c.

7 *Quartò.* Denique probatur conclusio: vt homo lapsus de facto efficiat aliquod opus bonum morale absque omni mala circunstantia, non indiget gratia speciali Dei conditoris naturæ: ergo multo minus indigebit gratia Theologica. Consequentia est legitima. Antecedens verò constabit conclusione sequenti. Quod autem ad has rationes respondet Bazquez, impugnat Ill. Godoy §. 4. & argumenta in oppositum solvit §. 5.

8 *3. Concluſ.* Tertia conclusio: *Vt homo lapsus de facto efficiat aliquod bonum opus morale absque omni mala circunstantia, non indiget gratia speciali Dei conditoris naturæ.* *Probatur.* Probatur: homo lapsus habet potentiam physicam, & moralem ad efficiendum sine speciali gratia Dei, conditoris naturæ aliquod opus bonum morale: ergo vt illud de facto eliceat, non indiget illa gratia. Antecedens constat ex prima conclusione. Consequentia probatur: habenti potentiam physicam, & moralem ad actum debetur, vt in aliquo individuo ad actum reducatur; sed homo lapsus habet potentiam physicam, & moralem ad efficiendum sine gratia speciali Dei, aliquod opus bonum morale: ergo, &c. Maior, in qua poterat esse difficultas, apparet in igne, cui ad calefaciendum debetur concursus, & in homine, cui etiam debetur ad ambulandum, eo, quod vterque habeat potentiam physicam, & moralem. Ex quo etiam apparet, quod auxilium efficax, seu congrua cogitatio debetur homini lapso ad aliquod opus bonum morale eliciendum. Reliqua videantur in Ill. God. §. 6. & 7.

9 *1. Corollar.* Ex dictis colligo primò: ad victoriam levis tentationis ex motivo honesto naturali, non est necessaria specialis gratia, sivè Theologica, sivè Dei conditoris naturæ. Sic Ill. Godoy *numer.* 61. cuius prima pars constat ex dictis *numer.* 4. & ostenditur: gratia Theologica est illa, quæ datur ad opus ad æternam vitam conducens; at victoria levis tentationis ex motivo honesto naturali ad vitam æternã nullo modo conducit; cum sit opus entitativè naturale, quod nullatenùs potest ad vitam æternam conducere; ergo ad victoriam levis tentationis gratia Theologica necessaria non est. *1. pars probat.*

10 *2. pars probat.* Secunda pars constat ex dictis *numer.* 8. & hac brevi ratione ostenditur: victoria levis tentationis est opus facilè non excedens, nec physicè, nec moraliter vires hominis etiam infirmi: ergo ad illam homo in statu lapsus, speciali gratia Dei Conditoris naturæ non indiget. Antecedens certũ videtur: non enim fundamentum aliquod potest assignari, vt adeò vires hominis lapsi extenuemus, vt proportionem physicam, & moralem non habeat ad victoriam levis tentationis. Consequentia constat ex dictis *num.* 8.

11 *2. Corollar.* Colligo secundò cum Ill. Godoy *infrà num.* 62. hominem lapsum non indigere gratia Theologica, nec speciali Dei conditoris naturæ, vt de facto eliceat practicam cognitionem moralem, nec sufficientem ad movendam voluntatem, nec efficacem. *Probatur.* Probatur: quia ad sufficientem minus requiritur, quam ad bonum opus morale, ad efficacem autem non am-

pliùs requiritur; at ad opus bonum morale gratia Theologica necessaria non est, nec specialis Dei conditoris naturæ: ergo neque ad cogitationem moralem sufficientem, seu efficacem aliqua ex prædictis gratijs est necessaria.

12 *3. Corollar.* Deniquè colligo contra Ill. Godoy *num.* 63: hominem lapsum indigere speciali gratia efficaci Dei conditoris naturæ ad cognoscendas omnes veritates speculativas ordinis naturalis divisivè. Probatur per oppositum ad probationem Ill. Godoy: nam vt diximus *disputatione præced.* homo in statu lapsus non habet vires sufficientes moraliter ad omnem veritatem speculativam ordinis naturæ cognoscendam: ergo indiget ad id gratia efficaci Dei conditoris naturæ. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 28. Et *dist.* 41. §. 1. ibi: *Cumque intentio.* *Probatur.*

DISPVTATIO QUADRAGESIMASECUNDA.

Utrùm ad diligendum Deum, Authorem naturæ, super omnia, dilectione efficaci indigeat homo speciali gratia, & quali?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1 *2. pars disput. est de subiecto nõ supponente.* DVplicem partem habet proposita disputatio, vt ex ipsa patet, & licèt vtraque locum habeat apud Ill. Godoy, illam proponentem; apud nos tamen locum non habet secunda illius pars, nempè, *& quali*, quia est de subiecto non supponente, vt apparebit ex nostra resolutione. Quo non obstante, illam proposuimus, quia sic Ill. Godoy illam proponit, & ab hoc non deficere, promissum habemus. Pro resolutione autem primæ partis.

2 *Amor Dei duplex. Naturalis, & supernaturalis.* Notto primo: amorem Dei esse duplicem. Vnus naturalis, quo Deus, vt Author naturæ diligitur super omnia. Alter supernaturalis, quo Deus, vt Author gratiæ, & gloriæ diligitur super omnia. Hanc distinctionem dilectionis Dei non admittunt Bazquez, & Curiel, negando amorem amicitiæ naturalem Dei, contra quos stat Scotus *quodlibet.* 17. *artic.* 1. Et D. Thom. 1. *part. quæst.* 60. *art.* 1. Et 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. Et 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 3. Et propugnat Felix *de Gratia, cap.* 4. *difficult.* 8. Sed quidquid sit de hoc, hæc dilectionis distinctio supponi debet; ne via ad huius disputationis decisionem præcludatur, vt ait Ill. Godoy *num.* 1. Inter hos autem fermo non est de amore supernaturali, hunc enim non posse ab homine elici ex proprijs viribus, est certum de fide, vt definit Concilium Tridentin. *Sess.* 6. *Can.* 3.

Notto secundò: quod amor Dei, vt est Author naturæ, est duplex, scilicèt efficax, seu perfectus, & inefficax seu imperfectus. Efficax est ille, qui ex se potest inducere media ad placendum Deo necessaria, & excludere omnia impedimenta. Inefficax est simplex complacentia de Divina bonitate, quæ non inducit prædicta media, nec præfata impedimenta removet. Inter hos autem amores, difficultas non est de amore inefficaci, quia hunc posse haberi ab homine lapso sine speciali gratia, constat ex eo, quod talis amor proportionatus est physicè, & moraliter cum homine lapso, vt diximus *disp. præc. num.* 3. 3 *Amor efficax, & inefficax.*

Notto tertiò: quod amor efficax adhuc est duplex, scilicèt, affectivus, & effectivus. Affectivus, qui appellatur apreciativus, seu extensivus, vt loquitur Scotus *in* 3. *dist* 27. §. *De primo*, est, quo ita diligitur Deus, vt voluntas plus vellet, omnia alia non esse, quam non esse Deum. Effectivus, qui intensivus vocatur, est, quo ita Deus 4 *Amor efficax affectivus, & effectivus.*

dili-

diligitur, vt voluntas maiori affectu, & intensione vellit Deum esse, quam aliam quamcumque rem. Ex his autem non loquimur de amore efficaci effectivo, vel intensivo, quia vt docuit Scotus citatus, non tenemur, in via Deum diligere super omnia intensivè.

5 *Amor efficax affectivus, actualis, & habitualis.*

Notto quartò: quod amor naturalis efficax effectivus est duplex, scilicèt, actualis, & habitualis. Actualis est, qui pro parvo tempore durare potest, & in aliqua occasione elici valet. Habitualis est, qui per multum tempus potest durare, & in omnibus occasionibus valet elici. Ex his autem non loquimur de habituali, quia certum est, hominem, sivè in natura lapsa, sivè in pura natura, non posse seclusa gratia per multum tempus, & in omnibus occasionibus, Deum, vt Authorē naturæ, diligere super omnia dilectione perfecta, seu efficaci.

6 *3. hominis status. Puræ naturæ. Innocētiæ, & naturæ corruptæ.*

Deniquè notto: hominem posse considerari in triplici statu. Primus est puræ naturæ, quem homo de facto non habuit; potuit tamen habere, si conditus esset cum solis perfectionibus sibi debitis sine gratia habituali, & supernaturali auxiliante, ac etiam sine originali, de qua diximus *disput. 36. §. 6.* Secundus est Innocentiæ, in quo fuit homo conditus, & vocatur status naturæ integræ, eo, quod in illo pars inferior, scilicèt, sensitiva, subiecta erat superiori, scilicèt, rationali, & ratio Deo, quos effectus iustitia originalis præstabat. Tertius est naturæ corruptæ, in quē ob Adami culpam cæcidimus, in illoque potest homo considerari, vel sine gratia habituali, vel cum illa; nam cum gratia habitualis revelionem carnis ad rationem non tollat, etiam illa supposita, perseverat homo in statu naturæ corruptæ.

7 *Sensus difficultatis explicatur.*

Ex his igitur iam apparet, quod præsens disputatio procedit de amore naturali efficaci affectivo actuali, seu pro brevi tempore durante. Quam his terminis proponit Ill. Godoy *numer. 3*: Tota ergo difficultas ad actum dilectionis efficacem devoluitur, non quidem ad efficacem efficacia exequenti actum per longum tempus observantiam totius legis imperante; cum namque de isto eadem ratio sit, ac de totius legis naturæ adimpletione, de qua in sequenti articulo, quod ibi de legis observantia dixerimus, de dilectione efficaci exequenti dictum intelligetur. De actu simplici efficaci, efficacia quantum est de se effectiva, & ad totius legis observantiam sufficiente, de hoc inquam actu, vt pro brevi tempore durante, nostra disputatio procedit. Et licèt de homine in triplici statu supradicto posset examinari difficultas, de homine tantum in statu puræ naturæ, & corruptę disputatur, difficultatem pro statu innocentiæ, seu integritatis ad disputationem vltimam reservando, vt facit Ill. Godoy, nobis in vcusque dictis conveniens.

His itaque ita suppositis. Duplex opposita, vt ad nostrum facit intentū, versatur sententia. Prima tenet: hominem in vtroque statu indigere speciali gratia Dei ad prædictum actum, etiam pro brevi tempore eliciendum. Sic Ill. Godoy in præsenti, pro eaque plures citat *num. 6.* licèt varient in assignanda gratia pro statu naturæ corruptæ. Secunda sententia docet: in neutro ex his statibus specialem gratiam requiri ad prædicti actus elicientiam. Sic Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad argumenta*, vbi se refert ad *dist. 1. quæst. 4.* Tenet tamen *in 3. dist. 27. §. Istis igitur rationibus.* Insinuat etiam *in 2. dist. 28. §. Ad quæstionem, in fine.* Scotum secuntur plures, quos expræsso nomine refert Ill. Godoy *num. 4.* & alij ex Thomistis, quos non nominat. Sit ergo.

8 *1. Sentētia. Ill. Godoy. 2. Sentētia. Scotus.*

§. II.

De homine condito in statu puræ naturæ.

9 *1. Cōclusio.*

PRima conclusio: *Homo in pura natura conditus potest sine speciali gratia Deum, naturæ Authorem, super omnia diligere dilectione efficaci, pro brevissimo tempore durante.* Hæc conclusio est Scoti *citat.* & ex diametro opponitur primæ conclusioni, quam *numer. 6.* statuit Ill. Godoy. Eam tuentur Scotistæ, qui sic primò illam probant: voluntas cum solo concursu generali potest amare id, quod intellectus cum solo concursu generali ostendit, esse diligendum; sed intellectus cum solo concursu generali cognoscit, Deum esse super omnia diligendum: ergo cum solo concursu generali potest voluntas, Deum super omnia diligere. Consequentia legitima apparet.

1. *Scotistarū probatio*

Maior qua druplicitèr ostenditur.

Ex præmissis autem maior patet primo: quia æque potens est voluntas ad prosequendum, quam intellectus ad cognoscendum, positis omnibus ex vtraque parte requisitis. Secundò: nam voluntas versatur circà totum ens, sicut intelectus; vel versatur circà totum bonum, sicut intellectus circà totum verum. Tertiò: quia voluntas in amando non est debilior intellectu in cognoscendo. Quartò: nam intelligere ordinatur ad amare, vt dixit Anselmus *lib. Cur Deus homo: Rectissimus ordo intelligere, vt ames.* Minor est manifesta: nam intellectus virtute naturali cognoscit, Deum esse primam causam, Authorem naturæ, perfectiorem, & digniorem omnibus, esseque super omnia diligendum, vtpotè, primum principium.

10

2. Scotistarũ probatio

Probant secundò Scotistæ: ideò intellectus non indiget speciali gratia, ad cognoscendum Deum, vt Authorem naturæ; quia Deus, vt Author naturæ, non excedit vires naturales intellectus; sed Deus, vt est Author naturæ, non excedit vires naturales voluntatis: ergo ad illius dilectionem super omnia non indiget voluntas speciali gratia. Maior patet: nam ideò intellectus indiget speciali gratia, ad cognoscendum Deum, vt Authorem gratiæ, quia Deus, vt Author gratiæ, excedit vires naturales intellectus. Minor verò probatur primò: id, quod nõ excedit vires naturales intellectus, non excedit vires naturales voluntatis; sed iuxtà concessa, Deus, vt est Author naturæ, non excedit vires naturales intellectus: ergo nec voluntatis. Secundò: si Deus, vt Author naturæ, excederet vires naturales voluntatis, non excedendo vires naturales intellectus, sequeretur, quod homines, qui non possent excusari à cognitione Dei, vt Authoris naturæ, possent excusari à dilectione illius; cum ad impossibile nemo teneatur; sed hoc est falsum; quia æque nota est bonitas Dei, quam illius veritas: ergo Deus, vt est Author naturæ, non excedit vires naturales voluntatis.

Prob. min. 1.

Secundò.

11

Cæterum neutra ex his probationibus, nisi aliquid addatur, probat intentum; quia vnicè probat: voluntatem posse physicè Deum, Authorẽ naturæ diligere super omnia, quod non negat Ill. Godoy, nec alius ex Thomistis. Ratio est: quia vtraque convincit, hominem in pura natura conditum, posse sine speciali gratia Deum, Authorem naturæ, per longum tempus diligere super omnia, quia sic potest ab intellectu proponi. Item: posse illum diligere in præsentia gravis tentationis. Item: posse omnia legis naturæ præcepta collectivè adimplere. Quæ omnia sunt contra Scotum. Vndè, vt prædictæ probationes vim habeant, & efficaciam, debent intelligi, dummodo non adsit aliquod impedimentum, quod in præsenti erit gravis tentatio, vt ex dicendis constabit.

12

Quædam solutio ex doctrina Ill. Godoy.

Sic itaquè prædictis Scotistarum probationibus intellectis, ad illas respondere valet Ill. Godoy doctrina ab ipso tradita *disp. 40. num. 16.* & ex D. Thoma deducta, scilicèt, voluntatem per peccatum magis læsam mansisse, quam intellectum, ideoque non valere: intellectus viribus naturæ cognoscit, Deum esse super omnia diligendum: ergo voluntas poterit eisdem viribus, Deum super omnia diligere; ex quo in forma negabit maiorem cum probationibus. Et certè Montesinos *disp. 27. quæst. 6.* hanc tradit doctrinam.

Impugn. 1.

Impugnatur primò: nam falsum est, voluntatem per peccatum magis læsam mansisse, quam intellectum.

Secundò.

Secundò: quia hoc dato, solutio non obest: ergo ruit. Probatur antecedens: per hoc quod intellectus per longũ temporis spatium possit cognoscere viribus naturæ, Deum esse super omnia diligendum, & voluntas per tale tempus non possit viribus naturæ Deum diligere, salvatur, voluntatem per peccatum esse magis læsam, quam intellectum; sed hoc non obest, vt pro brevissimo tempore possit voluntas illum super omnia diligere: ergo illo dato, non obest solutio.

Tertiò.

Tertio: quia solutio allata non tollit, quod homo in pura natura possit Deum, naturæ Authorem, super omnia diligere; sed hoc est contra Ill. Godoy: ergo solutio illi non fabet. Maior patet ex ipsa solutione, quæ est doctrina Montesinos, qui nobiscum in conclusione convenit, loquendo de homine in pura natura, à nobisque discedit, loquendo de homine in natura lapsa, seu pro

hoc

hoc ſtatu. Minor, & conſequentia tenent.

13 *Probat. 3. concluſ.* Probatur tertiò concluſio: homo in puris naturalibus tenetur naturali præcepto Deum Authorem naturæ ſuper omnia diligere; at ſine potentia non ſtat obligatio, aliàs Deus obligaret ad impoſsibile, contra illud Ioannis 5: *Mandata eius gravia non ſunt.* Et contra Tridentin. *Seſſ. 6. Can. 8*: ergo poſſet prædictum actum dilectionis elicere; at non per gratiam, cum ſtatus purorum naturalium omnem gratiam excludat: ergo poſſet ex proprijs viribus in dilectionem efficacem Dei conditoris naturæ.

14 *Reſpond. Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *numer.* 17: poſſe quidem hominem in pura natura, cæterum non ex proprijs, ſed per gratiam ſpecialem, quam Deus per ſpecialem providentiam homini præpararet, nec ſtatus purorum naturalium excludit omnem gratiam ſpecialem, ſed ſolum gratiam ſupernaturalem entitativè, vel natutalem, communicatam per modum habitus, & formæ permanentis, quaſi foret in ſententia aliquorum gratia ſanans naturam, integramq; illam conſtituens integritate purè naturali.

15 *Refellit. 1.* Refellitur primò, hæc ſolutio: homo in pura natura conditus, non poteſt ex proprijs viribus in dilectionem efficacem Dei conditoris naturæ iuxta ſolutionem: ergo eſt abſolutè impotens ad adimplendum præceptum de diligendo Deo conditore naturæ ſuper omnia: ergo iniuſtum eſſet tale præceptum, nec ad illud eſſet obligatus homo. Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima autem eſt contra Concil. Trident. *Seſsion. 6. cap. 11.* & probatur: homo dicitur abſolutè impotens ad id, quod non poteſt ex proprijs viribus; ſed homo in pura natura conditus non poteſt ex proprijs viribus in dilectionem efficacem Dei conditoris naturæ: ergo, &c. Probatur maior: homo dicitur abſolutè impotens ad id, ad quod indiget conſortio alterius; ſed ad id, quod homo non poteſt ex proprijs viribus, indiget conſortio alterius: ergo, &c. Probatur maior: homo, qui ad portandum pondus vt octo, indiget conſortio alterius, dicitur abſolutè impotens ad talem portationem, vt de ſe apparet, & ab oppoſito conſtat; nam qui non indiget conſortio alterius, dicitur abſolutè potens: ergo, &c.

16 *Secundò.* Refellitur ſecundò, & præcluditur doctrina, quam tradit Ill. Godoy *num.* 18: præceptum diligendi Deum Authorem naturæ ſuper omnia, eſt homini impoſitum ex lege naturæ præciſsè: ergo homo in pura natura præciſsè conditus, eſt obligatus ad illud: ergo ex proprijs debet eſſe potens ad illius dilectionem. Secunda conſequentia eſt legitima; quia vt lex naturalis inexcuſabilitèr obliget, debet ſupponere virtutem moralitèr expeditam, vt fatetur Ill. Godoy *numer. citat.* Prima verò ex antecedenti infertur. Antecedens autem probatur primò: præceptum diligendi Deũ Authorem naturæ ſuper omnia, eſt naturale, primum, & præcipuum: ergo eſt homini impoſsitum ex lege naturæ præciſsè. Secundò: præceptum honorandi Parentes eſt homini impoſitum ex lege naturæ præciſsè: ergo etiam præceptum diligendi Deũ Authorem naturæ ſuper omnia.

17 *Probat. 4. concluſ.* Probatur quartò concluſio: vt homo in pura natura conditus diligat Deum Authorem naturæ ſuper omnia, non indiget ſpeciali gratia ordinis naturalis: ergo hæc ad prædictum amorem ſuperfluit. Probatur antecedens primò: gratia ſpecialis datur raro, & ad productionem actus ſpecialis; ſed dilectio Dei Authoris naturæ ſuper omnia, eſt actus cõmunis, generalis, & ordinarius, à quo nemo excuſatur: ergo, &c. Secundò: Deus vult, diligi ab omnibus; cum ratio naturalis dictet, Authorem naturæ eſſe diligendum ſuper omnia: ergo diligitur mediante gratia, omnibus communi, & generali: ergo idem, quod anteà. Tertiò: concurſus ideò dicitur generalis, quia eſt ſufficiens, & ideò ditur naturalis, quia datur ad actus naturales; ſed dilectio Dei conditoris naturæ eſt actus naturalis: ergo concurſus generalis eſt ad illum ſufficiens: ergo idẽ, quod priùs.

§. III.

Ex doctrina Ill. Godoy, & ad hominem contra ipſum probatur concluſio.

18 PRobatur quintò concluſio ad hominem contra Ill. Godoy:

An-

Probat. 5. ad hom. cõtra ipsum.

Angelus ante lapsum potuit ex proprijs viribus Deum Authorem naturæ diligere super omnia: ergo etiam homo in pura natura conditus potuit sic Deum diligere. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy *num.* 16. Consequentia est paritate notoria.

19 Probat. 6. paritate desumpta ex ipso.

Probatur sexto paritate dessumpta ex Ill. Godoy: voluntas sine speciali gratia potest velle aliquod bonum morale: ergo & Deum, vt Authorem naturæ, super omnia diligere. Antecedens est Scoti *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. *quæst.* quod fatetur Ill. Godoy *disput.* 44. *num.* 1. Consequentia probatur: hoc ipso, quod voluntas sine speciali gratia possit velle aliquod bonum morale, potest potiori iure Deum, vt Authorem naturæ, super omnia diligere; sed per te voluntas sine speciali gratia potest velle aliquod bonum morale: ergo & diligere Deum, vt Authorem naturæ, super omnia. Probatur maior: hoc ipso, quod voluntas sine speciali gratia possit velle aliquod bonum morale, potest potiori iure velle maius bonum morale, præsertim, si tale bonum est primum principium, & per se notum; sed Deus, vt est Author naturæ, est tale bonum: ergo, &c. Consequentia tenet. Minor verò est apud omnes certa; quia Deus est excellentissimum bonum, & quod Deus sit super omnia diligendus, est primum principium, & per se notum. Maior autem constat ex eo, quod maius bonum fortiùs, & efficatiùs movet voluntatem.

20 Respond. Ill. Godoy.

Ad hanc rationem respondere valet Ill. Godoy, negando paritatem, eo, quod dilectio efficax Dei conditoris naturæ continet virtualitèr adimpletionem totius legis naturæ, quæ sine speciali gratia est impossibilis homini in pura natura condito; quod non habet quodlibet aliud bonũ morale.

21 Reijcitur 1

Hæc solutio reijci valet primò per duplicem Scotistarum probationem positam *à num.* 9. *vsquè âd* 13. nempè, quod efficax dilectio Dei conditoris naturæ contineat virtualitèr adimpletionem totius legis naturæ, non obest, vt voluntas in pura natura cõdita possit sine speciali gratia illum super omnia diligere, vti valet intellectus sine gratia speciali cognoscere, Deum esse super omnia diligendum. Vltrà quod reijcitur secundò ad hominem contra Ill. Godoy: homo in pura natura conditus potest adimplere totam naturæ legem: ergo & Deũ super omnia diligere. Probatur antecedens: non aliundè colligitur impotentia in homine ad totius legis naturæ adimpletionem, nisi ex infirmitate, quam per culpam contraxit; sed homo in pura natura conditus non habet talem infirmitatem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est evidens. Maior autem traditur ad litteram ab Ill. God. *disp.* 43. *num.* 16.

Reijc. 2. ad hom. cõtra Ill. God.

22 Reijcit. 3. destruendo doctrinam illius.

Reijcitur tertiò destruendo doctrinam illius, & ad hominem contra ipsum: ideò homo purus non potest Deum conditorem naturæ diligere super omnia dilectione efficaci, quia in hac dilectione clauditur virtualitèr propositum efficax observandi totam legem naturæ perseverantèr, & ad longum tempus, quod est moralitèr impossibile tali homini viribus naturæ: sed hac impossibilitate stante; potest prædictus homo tale propositum habere: ergo & supradictam dilectionem. Maior est Ill. Godoy *numer.* 11. Probatur minor: stante in homine iusto impossibilitate vitandi omnia peccata venialia collectivè per longũ tempus ex auxilijs communibus gratiæ, potest homo iustus cum prædictis auxilijs habere propositum efficax vitandi illa per longum tempus: ergo paritèr.

23 Prob. antec.

Probatur antecedens: stante in homine iusto impossibilitate vitandi omnia peccata venialia collectivè per longum tempus ex auxilijs communibus gratiæ, potest homo iustus cum prædictus auxilijs vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè: ergo & habere propositum efficax vitandi illa per longum tempus. Antecedens est Ill. Godoy *disp.* 45. *num.* 40. Consequentia probatur: homo iustus potens cum auxilijs gratiæ communibus vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè, potens est habendi propositum efficax vitandi illa per longum tempus cum prædictis auxilijs: ergo potest habere propositum efficax vitandi illa per longum tempus. Consequentia est legitima.

24

Antecedens autem hac paritate probatur: si homo purus posset cum auxilijs naturæ communibus observare pro aliquo brevi tempore totam

legem

legem naturæ collectivè, posset habere propositum efficax, illam per longum tempus observandi cũ præprædictis auxilijs; sed iuxtà concessa potest homo iustus cum auxilijs gratiæ communibus vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè: ergo pariter. Probatur maior: si homo purus posset cum auxilijs naturæ communibus observare pro aliquo brevi tempore totam legem naturæ collectivè, posset cum prædictis auxilijs pro aliquo brevi tempore Deum conditorem naturæ diligere super omnia; atqui in hac Dei dilectione clauditur virtualiter efficax propositum observandi totam legem naturæ collectivè per longum tempus: ergo etiam posset habere propositum efficax, illam per longum tempus observandi cum prædictis auxilijs. Maior ex se apparet. Minor est Ill. Godoy *num.* 11. consequentia legitima.

25 *Prob. deniq; conclus. ex doctrina Ill. Godoy.*

Deniquè probatur conclusio ex doctrina Ill. Godoy: si homo in pura natura conditus, esset moraliter impotens ad dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, esset propter impedimenta, nempè, rebelionem, & pugnam appetitus, ex quibus oriuntur graves tentationes: ergo si pro aliquo parvo tempore non occurrant tales tentationes, pro illo parvo tempore erit talis homo moraliter potens ad dilectionem prædictam. Atqui pro parvo tempore non occurrunt tales tentationes: ergo homo in pura natura conditus, est pro parvo tempore moraliter potens ad diligendum Deum Authorem naturæ super omnia. Antecedens traditur ab Ill. Godoy *num.* 21. *in solutione*, & *num.* 22. *ad vltimam.* Consequentia est legitima. Minor est certa; quia non semper occurrunt graves tentationes. Cosequentia est optimè illata.

26 *Confirmat. & vrgetur 1. contra ipsum.*

Confirmatur hæc ratio, & vrgeo contra Ill. Godoy primo: homo in pura natura conditus potest sine speciali gratia aliqua legis naturæ præcepta adimplere: ergo & præceptum de diligendo super omnia Deum, Authorem naturæ. Antecedens supponitur verum apud Ill. Godoy; nam si id facere potest homo lapsus, vt fatetur *disp.* 44. *num.* 1. multo melius id facere posset homo in pura natura conditus, vt extrà controversiam apparet. Consequentia probatur: ideo homo in pura natura conditus potest sine speciali gratia aliqua legis naturæ præcepta adimplere, quia pro aliquo instanti, vel tempore, non occurrit gravis tentatio; sed pro illo instanti, vel tempore, potest adimplere præceptum de diligendo super omnia Deum Authorem naturæ: ergo hoc etiam potest. Consequentia est optima.

27 *Maior est certa.*

Ex præmissis autem maior certissima est: nam pro tempore, quo gravis occurrit tentatio, nequit homo in pura natura conditus adimplere aliquod præceptum legis naturæ sine speciali gratia; nam hæc requiritur ad victoriam gravis tentationis, vt fatetur Ill. Godoy *citat. à nobis num.* 22. & nos etiam fatemur. Vndè si semper occurreret gravis tentatio, numquam esset homo expeditè potens ad aliquod præceptum legis naturæ adimplendum. Minor patet: nã cum impedimentum sit gravis tentatio, hac deficiente, nullum adest pro illo instanti, vel tempore, impedimentum, & consequenter homo in illo instanti esset moraliter potens ad adimplendum præceptum de diligendo super omnia Deum Authorem naturæ.

28 *Vrgetur 2.*

Vrgeo secundò contra Ill. God: inquirere: an homo in pura natura conditus indigeat speciali gratia, ad diligendum Deum Authorem naturæ super omnia? Aliud, & valdè diversum est, ac inquirere: an homo in pura natura conditus indigeat speciali gratia ad superandam gravem tentationem? Hoc patet primò: quia ista quæsita separatim proponuntur ab Authoribus, & consequenter, vt diversa. Secundò: quia prædicta quæsita de homine in natura lapsa separatim proponit Ill. Godoy, vt patet ex hac, & sequenti disputatione, & consequenter vt distincta. Hoc itaq; vt certo apud ipsum, & absque controversia supposito.

29 *Infero 1.*

Infero primò contra ipsum: ergo ex eo, quod homo in pura natura cõditus indigeat speciali gratia, ad superandam gravem tentationem, non valet inferre: ergo indiget speciali gratia, ad diligendum super omnia Deum Authorem naturæ; alioquim eadem essent quæsita, contra Ill. Godoy. Atqui hæc est illius doctrina, vt

pa-

patet ex dictis *num.* 22: ergo nulla est doctrina illius. Secundò: ergo homo in pura natura conditus, liber ab omni gravi tentatione, non indiget speciali gratia ad diligendum super omnia Deum Authorem naturæ. Probatur hæc consequentia: in tantum talis homo indigeret speciali gratia ad dilectionem prædictam, in quantum indigeret illa ad superandam gravem tentationem; sed ad hanc superandam non indiget speciali gratia, qui est liber à tentatione: ergo nec ad prædictam dilectionem indiget homo liber à tali tentatione.

Secundo.

§. IV.

Duo argumenta Ill. Godoy diluuntur.

30 *Arguit.* 1. ARguit primò Ill. Godoy *num.* 6: nam quia homo in statu naturæ corruptæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, non potest actum efficacem dilectionis Dei Authoris naturæ elicere, nisi sanetur per gratiam; sed homo in puris naturalibus conditus eodem modo sequeretur bonum privatum, ac in statu corruptionis: ergo estò non indigeret gratia sanante in prædicto statu, cum non esset infirmus, indigeret tamen gratia speciali Dei conditoris naturæ. Maiorem supponit Ill. Godoy ex D. Thoma 1. 2. *quæst* 109. *art.* 3. Minorem probat: quod homo in statu corruptionis sequatur bonũ privatum, provenit ex eo, quod natura inferior inclinat in bonum sensibile absquè fræno rationis; at in puris naturalibus natura sensitiva portioni superiori subordinata non esset, sed in proprium bonum propenderet, absque subordinatione ad rationem, cum hæc subordinatio solum in statu integritatis homini competat: ergo eodem modo sequeretur bonum privatum, ac in statu naturæ corruptæ.

31 *Respond.* 1. Respondeo primò, quidquid sit de D. Thoma, de quo litiget Ill. God. cũ Caietano, & alijs suæ Scholæ, negando suppositum maioris; supponit namque, quod homo in natura lapsa non possit, Deum Authorem naturę super omnia diligere, quod est falsum, vt apparet ex suprà positis rationibus, quæ etiam convincunt de homine lapso, & vltrà ostendemus §. 6. Nec obest, quod homo lapsus sit inclinatus in bonum proprium, & privatum, quia etiam est inclinatus in dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, quod fatetur ipse *num.* 21. *in solutione.*

32 *Dices* 1. Dices primò cum ipso *num.* 21: inclinatio in dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, non est sana: ergo non est expedita. Secundò cum eodem *num.* 22: quando natura gaudet duplici inclinatione contraria, tunc vna aliam retardat, & impedit, ne possit moraliter in adæquatũ terminum: ergo inclinatio in bonum proprium, & privatum impedit inclinationem in dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, ne possit moraliter illam elicere. Respondeo ad primum concesso antecedenti negando consequentiam; alioquim non solum esset non sana, seu infirma, sed esset manca, truncata, & mortua in operationibus naturalibus, quod esse falsum, docet Ill. Godoy *disp.* 43. *num.* 14. ex D. Thoma. Et ex hoc ad secundum nego antecedens pro secunda parte ob eadem rationem. Respondeo secundò: vtrumque solum probare, non posse hominem lapsum, nec in pura natura, elicere prædictã Dei dilectionem continuo, in qualibet occasione, facilè, & perseverantèr; non vero raro, in aliqua occasione, seu pro parvo tempore, vt dictum manet, & ex dicendis constabit.

Secundò.

Respondeo ad 1.

Ad 2.

Respondeo advtrumq;

33 *Respond.* 2. *ad argum.* Respondeo secundò ad principale argumentum distinguendo maiorem: non potest continuo in qualibet occasione actum efficacem dilectionis Dei Authoris naturæ elicere, nisi sanetur per gratiam, concedo maiorem; in aliqua occasione, & pro parvo tempore nego maiorem; & omissa minori distinguo similiter consequens. Solutio patet: nam quod natura lapsa sit infirma, & hæc simul cum natura in puris naturalibus sit inclinata in bonum proprium, & privatum, solum convincit, neutram posse, continuo, & in qualibet occasione Deum Authorem naturæ diligere super omnia; non verò quod hoc non possit aliquando, & pro parvo tempore; cuius duplex est ratio: prima est, quia natura nec ratione infirmitatis perdidit naturales vires, nec ratione inclinationis in bonum privatum est viribus naturæ spoliata. Secunda est: quia natura ratione infirmitatis non est manca, truncata, aut

Explicatur solutio.

mortua ad naturales operationes, & multo minus natura in puris naturalibus condita. Omitto replicam, quã facit *num.*8. quia eandem facit contra ſolutionem argumenti ſequentis.

34 *Arguit.* 2. Arguit ſecundò *num.*9. in efficaci dilectione Dei conditoris naturæ virtualitèr continetur totius legis naturæ adimpletio: at homo purus abſquè ſpeciali gratia totam legem naturæ adimplere non poteſt: ergo nec actũ efficacis dilectionis elicere. *Reſpond.*1. Reſpondeo primò diſtinguendo maiorem: totius legis naturæ adimpletio in effectu, virtualitèr continetur in efficaci dilectione Dei conditoris naturæ nego maiorem; in affectu ſub diſtinguo: actuali concedo maiorem; habituali nego maiorem; & cum eadem minoris diſtinctione nego conſequẽtiam. Solutio patet ex dictis *num.*4. & 5. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò conceſſa maiori, diſtinguo minorem: homo purus abſquè ſpeciali gratia totam legem naturæ adimplere non poteſt, adimpletione formali, & expreſſa concedo minorem; virtuali nego minorem, & conſequentiam. Vndè licèt dilectione affectiva habituali, ſeu per longum tempus, nequeat purus homo totam legem naturalem adimplere, imo nec adimpletione formali; poteſt tamen illam adimplere dilectione affectiva actuali, ſivè pro parvo tempore, & conſequentèr adimpletione virtuali, quatenùs prædicta Dei dilectio continet virtualitèr adimpletionem totius legis naturæ.

35 *Replicat.* Replicat Ill.Godoy *num.citat.* nam in actu prædicto, vt pro brevi tempore elicito, totius legis obſervatio naturæ etiam per longum tempus virtualitèr continetur; cum ſit de ſe ſufficiens ad totius legis naturæ adimpletionem per totam vitam imperandam, etiam in præſentia difficultatũ, & tentationum gravitèr vrgentium: ergo ſi ad totius legis naturæ adimpletionem per longum tempus indigeret homo in prædicto ſtatu gratia ſpeciali, eadem gratia ad præfati actus elicientiam, etiam pro brevi tempore indigeret.

36 *Reſpond.*1. Reſpondeo primò diſtinguendo antecedens: in actu prædicto, vt pro brevi tempore elicito, totius legis obſervatio naturæ etiam per longum tempus virtualitèr continetur, vt obſervanda per longum tempus nego antecedens; vt obſervanda pro parvo tempore concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo ſi ad totius legis naturæ adimpletionem per longum tempus, vt per longum tempus adimplendam, indigeret homo in prædicto ſtatu gratia ſpeciali, eadem gratia ad præfati actus elicientiam, etiam pro brevi tempore indigeret nego conſequentiam; vt pro parvo tempore adimplendam concedo conſequentiam. *Secundò.* Secundò aliter diſtinguo antecedens: virtualitèr continetur, vt obſervanda, obſervatione virtuali concedo antecedens; formali, aut expreſſa nego antecedens, & conſequentiam.

37 *Declaratur ſolutio.* Fatemur itaquè: quod homo in pura natura conditus poteſt ſine ſpeciali gratia Deum conditorem naturæ diligere ſuper omnia, dilectione efficaci affectiva actuali, ſeu pro parvo tempore. Et cum hæc dilectio ſit virtualis totius legis naturæ adimpletio, conſequentèr fatemur, hominem in illo ſtatu poſſe pro parvo tempore totam legem naturæ adimplere.

38 *Nec obeſt.* Nec obeſt, quod in prædicta dilectione contineatur virtualitèr obſervantia totius legis naturæ etiam per longum tempus, vt ex indè inferatur, quod eadem gratia indiget homo ad dilectionem prædictam, ac ad obſervantiam totius legis naturę per longum tempus. Primò: quia non continetur, vt obſervanda obſervatione formali; ſed ſolum vt obſervanda obſervatione, virtuali, quatenus prædicta dilectio eſt virtualis obſervantia totius legis naturæ; ſicque qui Deum conditorem naturæ diligit ſuper omnia, omnia legis naturalis præcepta adimplet, non adimpletione formali, ſed virtuali dumtaxat. Secundò: quia non continetur, vt obſervanda per longum tempus; alioquin prædicta Dei dilectio eſſet affectiva habitualis, de qua non loquimur iuxta dicta *numer.*5. Vel terminis Ill.Godoy vtendo, eſſet efficax efficacia exequenti, de qua non eſt ſermo, vt fatetur *num.*3.

39 *Equivocatio, & fallacia replicæ Ill.God.* Iam ex hoc apparet magna æquivocatio, & fallacia, qua vtitur in replica Ill.Godoy; nam in antecedenti loquitur de obſervatione legis, vt virtualitèr contenta in dilectione actuali vel efficaci efficacia de ſe ſufficiente ad totam legis obſervantiam, pro brevi tempore durante, de qua difficul-

cultas procedit. Ait in consequentia loquitur de adimpletione formali legis, ad quam certum est, hominem egere speciali gratia, vt dicemus *disput.* 44. sicut etiam est certum, egere ad dilectionem Dei affectivam habitualem, seu efficacem efficacia exequenti actu per longum tempus observantiam totius legis imperante, & de qua non est sermo, vt cum Ill. Godoy diximus *num. præced.* Vndè in replica transitum facit de virtuali totius legis adimpletione ad formalem illius adimpletionem.

40 *Respond. 3.* Deindè respondeo tertiò distinguendo antecedens: virtualitèr continetur in affectu concedo antecedens; in effectu nego antecedens. Continetur in affectu, quia affectus efficax servandi totam legem, & vincendi gravem tentationem datur sine gratia, posita conditione ex parte obiecti, *si datur gratia in executione*, quæ conditio non obest ad efficaciam affectus, quia gratia non requiritur ad affectum, sed ad effectum. Non continetur in effectu, quia prædicta dilectio solum valet elici pro parvo tempore, in quo nequit tota lex adimpleri effectivè, quia nequit tota lex in parvo tempore occurrere. Ex quo nego consequentiam; quia vt eadem gratia requireretur ad observationem totius legis naturæ per longum tempus, ac ad actum dilectionis Dei conditoris naturæ, eo, quod hic actus continet virtualitèr observationem prædictã, necessarium erat, quod illam contineret in effectu, & non tantũ in affectu.

41 *Quartò.* Deniquè respondeo quartò, doctrina Ill. God. vtendo, distinguendo antecedens: in prædicto actu, vt efficaci efficacia, quantum est de se sufficiente ad totius legis observantiam, & pro brevi tempore durante, continetur virtualitèr observatio totius legis naturæ, etiam per longum tempus concedo antecedens; in prædicto actu, vt efficaci efficacia exequenti actu per longum tempus observantiam totius legis naturæ imperante nego antecedens, & consequentiam; quia ad illius veritatem necessarium erat, quod hoc secundo modo observantia totius legis in prædicto actu contineretur, vt patet, & fateri debet Ill. Godoy vi solutionis, quæ est illius doctrina *numer. 3.*

§. V.

Cæteris argumentis Ill. Godoy occurritur.

42 *Arguit. 3.* ARguit tertiò *num.* 11. de obiecto moralitèr impossibili est impossibile etiam moralitèr propositũ efficax; at in dilectione efficaci Dei conditoris naturę implicitè clauditur efficax propositum observandi totam legem naturæ perseverantèr, & ad longum tempus, quod est moralitèr impossibile viribus hominis in statu puræ naturæ: ergo actus iste, tale claudens propositum, est moralitèr impossibile viribus hominis in prædicto statu.

43 *Prob. mai.* Quia autem aliqui negant absolutè maiorem, eam triplicitèr probat Ill. Godoy, ex quibus prima, & secunda omissis, quia ex D. Thoma procedunt, tertia sic se habet: de obiecto phisicè impossibili est phisicè impossibile propositum efficax, quo circa repugnare viribus naturæ appetitum efficacem visionis beatificæ, cum Ill. Godoy monstravimus *tom. 1. in 1 sentent. disput. 10. num. 2*: ergo paritèr: de obiecto moralitèr impossibili in executione impossibile erit moralitèr propositum efficax; cum eadem sit ratio.

44 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo maiorem: est impossibile moralitèr propositum efficax in effectu concedo maiorem; in affectu nego maiorem; & cum eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Vel iuxta doctrinam Ill. Godoy aliter distinguo maiorem: est impossibile moralitèr propositum efficax, efficacia de se sufficiente nego maiorem; efficacia exequenti concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Prima ex his solutionibus constat ex dictis *num.* 40. & secunda *ex num.* 41.

45 *Retorqueo contra Ill. Godoy arg.* Et vtraque firmatur, retorquendo contra ipsum argumentum: de obiecto moralitèr impossibili in executione est moralitèr possibile propositum efficax: ergo vera est tradita solutio. Probatur antecedens: vitare omnia peccata venialia collectivè per longum tempus est in executione impossibile homini iustificato per gratiam ex auxilijs gratiæ communibus; sed in homine iustificato per gratiam est possibile ex auxilijs gratiæ communi

bus propositum efficax, vitandi omnia peccata venialia collectivè per longum tempus: ergo de obiecto moraliter impossibili in executione, est moraliter possibile propositum efficax. Maior, & consequentia tenent. Minor autem, quam negat Ill. Godoy *num.* 12 probata manet *num.* 23. & 24. & sic ostenditur.

46 *Prob. min.* Homo iustificatus per gratiam potest ex auxilijs gratiæ communibus vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè: ergo, &c. Antecedens est Ill. Godoy *disp.* 45. *num.* 40. Consequentia probatur: si homo purus posset sine speciali gratia observare pro aliquo brevi tempore totam legem naturæ collectivè, habere posset propositum efficax ad illam observandam perseverantèr, & ad longum tempus; sed iuxta concessa talis homo potest ex auxilijs gratiæ communibus vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè: ergo, &c. Probatur maior: si homo purus posset sine speciali gratia observare pro aliquo brevi tempore totam legem collectivè, posset pro brevi tempore Deum conditorem naturę super omnia diligere dilectione efficaci; sed in hac Dei efficaci dilectione clauditur implicitè efficax propositum observandi totam legem naturę collectivè perseverantèr, & ad longum tempus: ergo, &c. Maior est per se nota. Minor est Ill. Godoy in argumento. Consequentia legitima est.

47 *Ad probat. maioris.* Et iuxta hanc doctrinam ad probationem maioris positam *numer.* 43. distinguo antecedens duplici distinctione data *num.* 44. & per subsequentia retorqueo primò contra ipsum, sumendo paritatem de morali ad physicum. Nec obest, quod *tom. ibi citat.* dixerimus, repugnare viribus naturæ efficacem appetitum visionis beatificæ, quia ibi locuti sumus de appetitu efficaci, efficacia exequenti, seu effectiva; non vero efficacia de se sufficiente, vel affectiva; in hoc enim sensu efficacem appetitum non negavimus, quin potius diximus *num.* 1. esse quæstionem de nomine, quia cum illa difficultas dependeat ex diffinitione appetitus efficacis, aliter, ac nos, intelligunt appetitum efficacem Authores nobis ibi contrarij.

Retorq. 1.

48 Imo hoc idem fatetur Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 10. *num.* 1. his ad litteram verbis: *Affirmativam sententiam tenet Henrice loco suprà allegato, eamque latè prosequitur Martinez de Ripalda libro* 1. *de Ente supernaturali, disput.* 14. *sect.* 13. *referens pro ea Patrem Salas, Granadum, Basquium, quibus adiungit Bañez, & Suarez, eo, quod inefficaciam affectus erga supernaturalia, reducunt in defectum virtutis executivæ, ex quo solum arguitur, non posse appeti affectu efficaci intrinsecè, & extrinsecè: non autem quod non possint appeti appetitu ab intrinseco, & quantum est de se efficaci. Cæterum eadem ratione posset, omnes Thomistas pro sua recensere sententia; cum omnes ex illo capite argumentum desumant, vt denegent appetitum efficacem ex viribus naturæ elicitum erga supernaturalia, vt apud illos potest videri.* *Verba Ill. God.*

Ex quibus probationem contra ipsum retorqueo secundò: de obiecto physicè impossibili est physicè possibile propositum efficax quantum est de se, vel efficacia de se sufficiente: ergo paritèr: de obiecto moraliter impossibili in executione, erit possibile propositum efficax efficacia de se sufficiente. Consequentiam nequit negare Ill. Godoy supposito antecedenti. Antecedens autem est ipsius doctrina in verbis proximè relatis; alioquim pro sententia affirmativa de appetitu efficaci visionis beatæ, efficacia de se sufficiente, non posset Ripalda, omnes Thomistas recensere, cuius oppositum ait expræsè.

49 *Retorq.* 2.

Retorqueo tertiò: paritas de appetitu efficaci visionis beatæ, vel est contra Ill. Godoy, vel non est ad rem: ergo nulla est. Probo antecedens: quãdo loquitur Ill. Godoy de appetitu efficaci visionis beatę, vel loquitur de efficacia de se sufficiente, vel de efficacia exequenti? Si primò modo, paritas est contra ipsum, quia dari appetitum efficacem visionis beatæ, efficacia de se sufficiente, fatentur omnes Thomistæ, alioquim non possent pro hac sententia recenseri omnes Thomistæ, quod est contra ipsum, vt visum est. Si secundò modo, non est ad rem, quia hic non loquitur de efficacia exequenti, vt ore aperto fatetur in præsenti *num.* 3: ergo paritas de appetitu efficaci visionis beatæ, vel est contra Ill. Godoy, vel non est ad rem.

50 *Tertiò.*

Respondeo iam secundò ad suprà positum argumentum, concessa maiori,

51 *Respond* 2. *ad argum.*

iori, distinguendo primam partem minoris duplici distinctione data *numer.* 36. qua etiam distinctione è contra distinguo secundam illius partem, ly, scilicèt, *quod est moraliter impossibile viribus hominis in statu puræ naturæ*, & nego consequentiam, cuius ratio declarata est *num.* 37. & 38. & æquivocatio, simulque fallacia, qua procedit Ill. Godoy, ostensa est *num.* 39.

52 *Arguit. 4.* Arguit quarto *num.* 14. cui est impossibilis moraliter electio mediorũ, est etiam moraliter impossibilis efficax intentio finis; at totius legis naturæ observantia est electio in dilectione Dei conditoris naturæ, vt in efficaci intentione contenta, & est impossibilis moraliter homini in pura natura: ergo etiam est illi moraliter impossibilis naturalis efficax dilectio. Consecutio cum minori tenet. Maiorem autem probat multipliciter Ill. Godoy, cuius probationes omitto, quia distincta non indigent solutione.

53 *Duplex responsio.* Respondeo primò distinguendo maiorem duplici distinctione data *num.* 44. & triplicitèr retorquendo per sequentia. Secundò: concessa maiori, distinguendo primam, & secundam partem minoris, vt distinxi *num.* 51. per quod patet ad quinque maioris probationes, quas adducit Ill. Godoy in argumento.

54 *Arguit deniquè.* Deniquè arguit *num.* 16. homo in puris naturalibus, si in peccatum incideret, estò per peccatum solum averteretur à Deo, prout est Author naturæ, non posset ex proprijs viribus actum dilectionis efficacis elicere: ergo nec ante culpam posset. Consequentia videtur bona; nam per peccatum nullum ex principijs amitteret, quibus ante culpam gauderet: ergo si post culpam non posset proprijs viribus illum elicere, nec ante illam vires sufficientes haberet. Probatur antecedens: nam prædictus actus esset vltima dispositio ad remissionem culpæ; at non posset se vltimo ad remissionem culpæ disponere, sicut nec debitam sibi facere remissionem illius: ergo non posset actum istum dilectionis elicere.

55 *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem nego minorem; quia licèt homo pro hoc statu non possit, se vltimo disponere ad remissionem culpæ, quia nequit se disponere ad iustificationem per actũ naturalem, vt clamat Tridentin. *Sess.* 6. *Canon.* 3. tamen homo in puris naturalibus posset se vltimo disponere ad remissionem culpæ, quia culpa solum est contra Deum, Authorem naturæ, consequentèrque nullum est inconveniens, vt per actum naturalem se vltimo disponeret ad remissionem illius, nec contra hoc stat Concilium aliquod; cum omnes dumtaxat loquãtur de dispositione ad iustificationem, quæ necessariò debet esse supernaturalis, eo, quod omne peccatum ab homine pro hoc statu commissum, sit offensa contra Deum finem supernaturalem. Imò: miror, & miror certè, hoc argumentum contra nos obijcere, cum nostra solutio sit expressa illius doctrina *num.* 50. vbi hæc habet: *Actus efficax dilectionis Dei, vt naturalis Authoris, sufficientèr disponit ad remissionem culpæ, prout est offensa illius sub ista ratione.* Nihil clarius pro nobis, & contra se, ex quo fiat retorsio.

56 *Secundò.* Respondeo secundò omisso antecedenti, negando consequentiam, cuius imbibitam distinguo: nullum ex principijs physicis per peccatum amitteret concedo; ex moralibus nego. Solutio in nostra sententia est notoria his paritatibus: homo in puris naturalibus non potest ex proprijs viribus super omnia diligere Deum conditorem naturæ in præsentia gravis tentationis, & tamen ante illam potest. Item: homo in puris naturalibus potest viribus proprijs Deum conditorem naturæ pro parvo tempore super omnia diligere; & tamen non potest per longum tempus. Ratio vtriusque est: quia licèt homo in neutro casu amittat aliquod ex principijs Physicis, non tamen habet eadem principia moralia.

Firmatur solutio in nostra opinione.

Deniquè retorqueo primò contra Ill. Godoy: homo in puris naturalibus potest ex proprijs viribus adimplere aliqua legis naturæ præcepta: ergo & omnia. Antecedens est Ill. Godoy, vt diximus *num.* 16. Consequentia est contra ipsum, & videtur bona: nam habet eadem principia. Secundò: homo iustus potest cum auxilijs gratiæ communibus vitare pro aliquo brevi tempore omnia peccata venialia collectivè: ergo & per longum tempus. Antecedens est Ill. Godoy *disput.* 45. *num.* 40. Consequentia est contra ipsum, & videtur bona; quia

57 *Retorq. 1.*

Secundò.

habet eadem principia. Tertiò: homo lapsus existens in gratia non indiget ad diligendum sufficienter Deum Authorem naturæ super omnia, auxilio supernaturali, & gratia habituali, vt principio expediente: ergo nec ea indiget homo lapsus existens in peccato mortali. Antecedens est Ill. Godoy in præsenti *numer.* 46. Consequentia est contra ipsum, & probatur: quia per peccatum nullum ex principijs amitteret, quibus ante peccatum gauderet. Omitto alia, quia solutio Ill. Godoy ad has retorsiones, erit ad suum argumentum solutio.

Tertiò.

§. VI.

De homine in statu naturæ corruptæ.

58 *2. Cõclusio.* Secunda conclusio: *Homo in statu naturæ corruptæ potest sine speciali gratia Deum Authorem naturæ super omnia diligere dilectione efficaci, pro brevissimo tempore durante.* Hæc conclusio colligitur ex prima, & est contra Ill. Godoy; tum, *num.* 28. vbi supponit, indigere speciali gratia Dei naturali entitativè; tum etiam *num.* 46. vbi statuit: hominem lapsum existentem in peccato mortali indigere auxilio supernaturali, & gratia habituali, vt principio expediente, ad diligendum sufficienter Deum Authorem naturæ super omnia. Contra totum hoc stat nostra conclusio, quæ est Scoti locis *citat. num.* 8. Et de homine in statu naturæ corruptæ.

59 *Prob. de homine in statu naturæ corruptæ.* Probatur: homo in pura natura conditus potest sine speciali gratia, etiam entitativè naturali, Deum Authorem naturæ super omnia diligere, dilectione efficaci, pro parvo tempore: ergo etiam homo lapsus. Antecedens propugnatum habemus contra Ill. Godoy per vcusquè dicta. Consequentia probatur primò: natura hominis lapsi, nec ratione infirmitatis perdidit naturales vires, quibus gauderet in pura natura, nec ratione inclinationis in bonum proprium, & privatum, est viribus naturæ spoliata: ergo si potest in pura natura, poterit etiam in natura lapsa. *Probatur consequentia.* Secundò: natura ratione infirmitatis non est manca, truncata, aut mortua ad naturales operationes: ergo idem, quod anteà. *Secundò.* Tertiò: rationes, quibus probavimus de homine in pura natura condito, convincunt etiam de homine in statu naturæ corruptæ: ergo idem, quod priùs. Totum claret ex dictis *numer.* 31. 32. & 33. *Tertiò.*

60 *Probat. 1. de homine existente in peccato mortali.* De homine in peccato mortali existente probatur. Primò: D. Thom. 1. *part. quæst.* 60. *artic.* 5. *ad* 5. admittit in Angelo, & homine peccantibus dilectionem naturalem Dei super omnia. Et *in* 2. *dist.* 33. *quæst.* 2. *artic.* 2. *ad* 5. prædictam Dei dilectionem admittit in pueris in Limbo existentibus: ergo iuxtà D. Thomam potest homo existens in peccato mortali viribus naturæ Deum Authorem naturæ diligere super omnia dilectione efficaci.

61 *Secundò.* Probatur secundò: potest homo existens in peccato mortali solo lumine naturali ductus, mori pro Deo Authore naturæ; sed hoc esset, illum super omnia diligere dilectione efficaci viribus solius naturæ: ergo sine speciali gratia potest homo existens in peccato mortali Deum Authorem naturæ super omnia diligere efficaciter. Consequentia est legitima. Minor claret ex illo Ioannis 15. *Maiorem Charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, quod proportionabiliter debet intelligi de morte pro Deo Authore naturæ, & non solum pro Deo Authore gratiæ.

62 *Prob. mai. 1.* Maior verò probatur primò ex Philosopho 9. *Æthicor. cap.* 9. dicente: quod fortis politicus debet se exponere morti pro bono Reipublicæ, & consequenter plusquam se ipsum debet Rempublicam diligere: ergo multo melius pro Deo Authore naturæ. *Secundò.* Secundò: potest aliquis existens in peccato mortali, solo lumine naturali ductus, mori pro Patria; sed qui pro Patria moritur, per istum actum magis Deum, quam Patriam diligit; cum hanc habeat pro fine proximo, Deum verò pro vltimo fine: ergo, &c.

63 *Respond. Ill. Godoy. ad 1. prob.* Ad primam ex D. Thoma probationem respondet Ill. Godoy *num.* 52. loqui D. Thom. in præallegatis locis de amore naturali Dei, vt est vniversale bonum, à quo omnis creatura dependet, sub qua ratione posse ab homine naturaliter diligi, dum est in peccato, non negat; imò ad talem actum specialis gratia Dei Authoris naturæ necessaria non est; quia cum sit quidam singularis actus totius legis observantiam non continens, non est vndè gratiæ necessitas ad eius elicientiam probetur. Non autem loquitur

D. Thom. de actu amoris, quo diligitur Deus super omnia, vt amicus, & vniversalis Legislator.

64 *Ad 2.* Ad secundam respondet *num.* 55. negando maiorem, ad cuius primam probationem respondebit, concesso antecedenti, negando consequentiam ob præfatam rationem. Ad secundam concessa maiori, distinguit minorem: magis Deum diligit, vt bonum vniversale concedit minorem; vt amicum, & Legislatorem vniversalem, negat minorem, & distinguit consequens: illudque negat de morte pro Deo, vt amico, & vniversali Legislatore; & concedit de Deo, vt principio omnis boni, quomodo Deum super omnia diligi ab existente in peccato mortali, falsus est, & fatetur.

65 *Reijcit. 1.* Cæterum hæc solutio est omnino insufficiens, & reijcitur primo: homo existens in peccato mortali potest iuxtà Ill. Godoy solo lumine naturali ductus, diligere Deum, vt bonum vniversale: ergo etiam poterit illum diligere super omnia, seu vt amicum, & Legislatorem. Probatur consequentia: ideo prædictus homo potest Deum, vt bonum vniversale, diligere, quia ratio naturalis dictat, Deum, vt bonum vniversale, esse diligendum; sed ratio naturalis dictat, Deum esse diligendum super omnia, seu vt amicum, & Legislatorem: ergo etiam vt talem valet illum diligere.

Secundò. Secundo: homo potens mori pro Patria, potens est mori pro Deo Authore naturæ, seu vt amico: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ideo homo potens est mori pro Patria, quia ratio naturalis dictat, Patriam esse plus diligendam, quam se ipsum; sed ratio naturalis etiam dictat, Deum Authorem naturæ, seu vt amicum, esse plus diligendum, quam Patriam: ergo homo potens mori pro Patria, potens est mori pro Deo Authore naturæ, seu vt amico.

66 *3. ad hom. contra Ill. God.* Reijcitur tertiò ad hominem contra Ill. Godoy: ideo iuxta solutionem ipsius potest homo in peccato mortali existens diligere Deum, vt bonum vniversale, quia hic actus est singularis, totius legis observantiam non continens: ergo ideo iuxta ipsum nequit homo in peccato mortali existens diligere Deum, vt amicum, & Legislatorem, quia hic actus continet observantiam totius legis. Atqui potest homo in peccato mortali existens observare totam legem naturæ pro aliquo brevi tempore cum auxilijs naturæ communibus: ergo potest etiam diligere Deum, vt amicum, & Legislatorem. Probatur minor: potest homo iustus cum auxilijs gratiæ communibus vitare omnia peccata venialia collectivè pro aliquo brevi tempore: ergo paritèr. Antecedens est Ill. Godoy *disput.* 45. *num.* 40. Consequentia est legitima, cuius efficacia constat ex dictis *num.* 23. & 24. ad hominem contra ipsum.

67 *Reijcitur deniquè.* Denique reijcitur: ex eo, quod homo in peccato mortali existens nō possit totam legem naturæ observare, nequit inferri, quod non possit diligere Deum Authorem naturæ, seu vt amicum, & Legislatorem: ergo nulla est ratio adducta pro solutione ab Ill. Godoy. Probatur antecedens: inquirere: an homo in natura lapsa indigeat gratia speciali ad diligendum Deum, Authorem naturæ, seu vt amicum? Aliud, & valdè diversum est, ac inquirere: an talis homo indigeat speciali gratia, ad observandum totam legem naturæ? ergo, &c. Consequentia est legitima; alioquin eadē essent prædicta quæsita. Antecedens est Ill. Godoy; tum, quia prædicta quæsita, vt diversa, cognoscit *num.* 3. cuius verba retulimus *num.* 7. Tum etiam: quia vt distincta proponit; nam primum quærit in præsenti, & secundum quærit *disput.* 44.

§. VII.

Occurritur argumentis Ill. Godoy.

68 *Arguit. 1.* OMisso argumento, quod ex D. Thoma adducit *numer.* 46. Arguit primo *numer.* 47. prædictus actus dilectionis cum peccato simul esse non potest in eodem subiecto; & aliàs peccatū à subiecto expellere nequit; cum sit entitativè naturalis; ac proindè impotens ad peccati expulsionem, sivè dispositivè, sivè formaliter: ergo indiget auxilio gratiæ entitativè supernaturalis, dispositivè concurrente ad gratiæ infusionem, per quam formaliter expellatur peccatum, illum actum impediens. Consecutio cum minori tenet. Maior ostēditur primo: quia omne peccatum in homine elevato averttit à Deo, non solum vt est gratiæ, sed etiam vt est Author naturæ; actus autem dilectionis efficax

con-

convertit efficacitèr hominem ad Deum, vt finem naturalem; at implicat, esse simul hominem aversum, & conversum respectu eiusdem finis: ergo implicat simultanea existentia peccati, & efficacis dilectionis Dei naturalis. Secundò: per peccatum homo habet creaturam pro vltimo fine, per actum dilectionis Deum super omnia dilectum; at implicat, hominem habere simul duos vltimos fines adæquatos: ergo actus efficax dilectionis non potest componi cum prædicto actu.

69 *Respond.* Respondeo negando maiorem, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: averttit à Deo, etiã vt Author naturæ, non stante aliquo, hanc aversionem tollente, concedo maiorem; aliquo stante, illam tollente nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Ad secundam distinguo minorem: respectu eiusdē concedo minorem; respectu diversorum nego minorem, & consequentiam. Itaque, si homo existens in peccato mortali, eliceret actum, quo Deum, Authorem naturæ, efficacitèr super omnia diligeret, tunc talis homo esset aversus a Deo fine supernaturali, & conversus ad Deum finem naturalem, consequentèrque haberet duos vltimos fines adæquatos respectu diversorum, quod nullatenùs implicat.

70 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num.* 50. actus efficax dilectionis Dei, vt naturalis Authoris, sufficientèr disponit ad remissionem culpæ, prout est offensa illius sub ista ratione; at Deus nunquam culpam remittit dimidiata venia: ergo non stat, hominem tali dilectione diligere Deum, quin adæquatè offensam remittat. Tunc vltra, sed ista dilectio se sola ad adæquatam culpæ remissionem non disponit: ergo non potest prædicta dilectio sola sine alio actu supernaturali in homine elevato, & in culpam lapso inveniri.

71 *Respond.* Respondeo concessis præmissis, negando consequentiam; quia cum offensa contra Deum finem supernaturalem sit maior, quam offensa contra illum finem naturalem, & prima non tollatur per amorem efficacem Dei, vt Authoris naturæ, nec secunda tollitur, quia Deus nunquam culpam remittit dimidiata venia. Vndè in homine existente in peccato mortali vtraque iniuria, vel culpa reperitur, etiam si haberet dilectionem efficacem Dei, vt Authoris naturæ, cuius ratio data est, & explicatur. Reperitur iniuria contra Deum finem supernaturalem, quia dilectio Dei, vt Authoris naturæ, nequit illam tollere, quia est naturalis, & consequentèr inferioris ordinis. Reperitur etiã iniuria contra Deum finem naturalem, quia licèt prædicta dilectio sufficientèr disponat ad remissionem illius, Deus nunquam culpam remittit dimidiata venia.

72 *Replicat Ill. Godoy.* Replicat Ill. Godoy *infrà num.* 50: Deus nunquam negat homini remissionem, ad quam se homo sufficientèr disponit; at per actum dilectionis naturalis se sufficientèr disponit ad remissionem culpæ, vt est offensa Dei conditoris naturæ: ergo homini sic diligenti nunquam Deus negat remissionem culpæ prout sic; & cum aliàs nunquam dimidiet veniam, semper ei totam offensam remittet; at nisi simul actum supernaturalem efficiat, adæquatè culpam nunquam remittit: ergo nunquam iste actus sine alio supernaturali in homine existente in peccato invenitur.

73 *Respond.* Respondeo distinguendo maiorem: Deus nunquam negat homini remissionem adæquatam, ad quam se homo sufficientèr disponit, concedo maiorem; inadæquatam, nego maiorem; & distinguo minorem: in statu puræ naturæ, concedo minorem; in statu naturæ corruptæ, nego minorem, & consequentiam. Verum itaquè est, quod homo in statu puræ naturæ, in quo non esset elevatus ad finem supernaturalem, sufficientèr se disponeret ad remissionem culpæ, vt est offensa Dei conditoris naturæ, & consequentèr Deus illam remitteret, quia prædicta dilectio esset in illo statu sufficiens, & remissio esset adæquata.

74 Oppositum verò evenit in statu naturæ corruptæ; quia in hoc statu homo existens in peccato mortali, nequit per actum dilectionis naturalis Dei sufficientèr se disponere ad remissionem culpæ, vt est offensa Dei, Authoris supernaturalis, vt est manifestum, & consequentèr nec ad remissionem culpæ, vt est offensa Dei Authoris naturæ; quia cum Deus nunquam remittat culpam dimidiata venia, vel debet esse ad remissionem

vtriusquè culpæ sufficiens, vel ad neutram. Cum ergo ad vtramque sufficiens non sit prædicta Dei naturalis dilectio, vt est de fide, ad neutrã sufficit, eo, quod non datur in Deo inadæquata remissio, & hoc est, quod asserunt Patres dicentes: talem amorem naturalem nihil præstare ad remissionem peccati.

75 *Arguit. deniquè.* Deniquè arguere valet Ill. Godoy doctrina ex D. Thoma deducta in tota hac quæstione, & qua vtitur *disp. sequent. num.* 14. quæ ad hanc formã reduci valet: homo per peccatum mansit infirmus, & liberum eius arbitrium viribus attenuatum, etsi non extinctum: ergo licèt ex proprijs possit efficere aliqua bona opera; non tamen perfectissimum opus, vti est dilectio Dei super omnia: ergo hanc nequit viribus naturæ homo lapsus efficere. Antecedens vt certum supponit Ill. Godoy. Consequentiã probat exemplo hominis naturali infirmate laborantis, qui etsi possit ex proprijs motum aliquem hominis sani efficere; non tamen potest ad motum perfectissimum: ergo paritèr.

76 *Respond. 1.* Respondeo primo distinguendo antecedens: homo per peccatum mansit infirmus, & liberum eius arbitrium viribus attenuatum, respectu operum supernaturalium, concedo antecedens; naturalium, nego antecedens, & consequentiam. Solutio claret ex dictis *disput.* 40. *num.* 11. iuxta quam nego paritatem probationis, quia homo naturali infirmitate laborans, est infirmus ad motus naturales; ad quos infirmus non est homo per peccatum. *Secundò.* Secundò: ommisso antecedenti, distinguo consequens: ergo licèt ex proprijs possit aliqua bona opera efficere, non tamen perfectissimum opus, continuo, in qualibet occasione, perseverantèr, vel ita facilè, ac homo in statu naturæ integrę, concedo consequentiam; raro in aliqua occasione, seu pro parvo tempore, in quo gravis tentatio non occurrat, nego consequentiam. Solutio patet ex dictis *num.* 33. ex quibus retorqueo contra Ill. Godoy: homo per peccatum non est viribus naturæ extinctus: ergo potens est ad opus naturale perfectissimum, dummodo aliundè non impediatur. Constat retorsio ex dictis *num.* 26. *& seqq.*

77 Respondeo tertiò distinguendo antecedens: homo per peccatũ mansit infirmus moralitèr, concedo antecedens; phisicè, nego antecedens. *Tertiò.* Claret solutio ex dictis *disp.* 40. *num.* 11. ex quo ad probationem nego paritatem. Disparitas est: nam infirmitas naturalis est phisica, & causat in homine phisicam virium naturalium diminutionem, ideòque illum phisicè impotentem reddit ad perfectissimum motum hominis sani. At infirmitas per peccatum contracta non est phisica, & sic nullam phisicam virium naturalium diminutionem causat; cum naturalia phisicè integra post peccatum remaneant, ideòque non reddit hominem phisicè impotentem ad perfectissimum opus hominis sani. Si ergo aliquo in tempore non occurrat gravis tentatio, vt potest non occurrere, erit pro illo tempore phisicè, & moralitèr potens ad tale opus perfectissimum. Hanc solutionẽ connatur impugnare Ill. Godoy *disput. sequenti num.* 16. sed non sunt ad rem, quia prædictam disparitatem potiùs, quam impugnet, supponit, & nihil præter impotentiam moralem probat, quod ibi locum habet, vt videbimus *disput. citat. num.* 8. non verò in præsenti, vbi moralis impotentia tollitur per non occurrentiam gravis tentationis. *Replicæ Ill. God. præcluduntur.*

78 *1. Corollar* Ex dictis in discursu disputationis aliqua colligit Ill. Godoy, & alia nos colligere debemus. Colligo primò: hominem in pura natura conditum facilius posse Deum super omnia diligere, quam homo lapsus. Hoc corollarium non negaret ipse, si nobiscum assereret: hominem in vtroque statu posse diligere Deum super omnia. Ratio corollarij est: quia homo in pura natura conditus non est infirmus, sicut homo lapsus: ergo facilior est à Deum super omnia diligendum.

79 *2. Corollar.* Colligo secundò: ad prædictam Dei dilectionem, non esse necessariam gratiam habitualem, nec per modum principij elicientis, nec per modum termini, nec concomitantèr in eodem instanti. Hoc corollarium pro secunda parte est Ill. God & patet: quia illa dilectio est naturalis: ergo exigere nequit pro principio eliciente gratiam habitualem. *2. pars probat.* Pro tertia est etiam ipsius, & est manifesta; quia gratia habitualis, nec est termi- *Probat. 3.*

nus

nus prædictæ dilectionis, vt principij efficientis, cum non efficiatur a gratia; nec per modum dispositionis, cũ dilectio sit naturalis, & consequentèr impotens ad præstandum concursum dispositivum ad formam supernaturalem.

80 *1. pars ostenditur cõtra Ill. God.*

Prima verò pars, & pars quarta est contra Ill. Godoy *num.* 66. contra quem sic prima probatur: nam ideò iuxtà ipsum esset necessaria gratia habitualis, quia vt de facto eliceretur prædicta Dei dilectio, requireretur expulsio peccati; sed hoc est falsum, vt apparet ex dictis *à num.* 71. *vsquè ad* 75: ergo non est necessaria gratia habitualis. Ex quibus per bonam consequentiam infertur contra Ill. God. quarta pars corollarij, scilicèt, non esse necessariam concomitanter in eodem instanti, vt expediente subiectum à peccato.

4. prob. contra eundẽ.

Deniquè infertur: hominem in vtroque statu sine speciali gratia, posse amare Deum super omnia amore concupiscientiæ efficaci affectivo, pro brevissimo tempore durante. Hoc corollarium pro eo, quod supponit, esse posibilem amorem concupiscientiæ Dei super omnia, est Ill. God. *num.* 65. quod ita intelligo, nempè, quod inter res amatas mihi, Deum super omnia illa mihi amo. Pro eo autem, quod corollarium explicat, est contra ipsum *num. citat.* & probatur eisdem omninò rationibus, quibus de amore amicitiæ hominis in vtroque statu probatum manet. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 28. §. 1. ad illa verba: *Vt scilicèt sit donum Dei scientia, quæ sine charitate inflat, & non sit donum Dei ipsa charitas.*

81 *3. Corollar.*

Mag. sent.

DISPVTATIO QUADRAGESIMATERTIA.

Utrùm ad victoriam gravis tentationis indigeat homo lapsus speciali gratia, & quali?

§. I.

Resolvitur prima pars disputationis?

Num. 1 *Quid, & quotuplex sit tentatio, & à quo provenit?*

TEntatio est, quæ inducit ad malum, & retrahit à bono. Provenireque potest ex triplici causa. Primò ex sugestione Dœmonis. Secundò ex inclinatione appetitus. Tertiò ex occasionibus, quæ in hominum convictu se offerunt. Estque duplex. Vna est levis, & est, quæ levitèr inducit ad malum, & retrahit à bono. Alia est gravis, & quæ vehementèr inducit ad malum, & retrahit à bono. Tentatio autem non dicitur gravis, aut levis ex parte materiæ, hoc est, quia materia sit gravis, aut levis; nam in levi materia potest esse gravis tentatio, & levis in materia gravi; sed per comparationem ad subiectum, quod tentatur, ideòque tentatio, quæ comparativè ad hominem iracundum est gravis, comparativè ad mansuetum est levis, & sic de alijs. Vndè vt gravitas, vel levitas tentationis generalitèr describatur, illa dicenda est levis, quæ levitèr allicit voluntatem, & illa gravis, quæ valdè, vel vehementèr voluntatem allicit.

Ex his autem Ill. Godoy *uumer.* 1. difficultatem de tentationibus levibus omittit, quia communitèr certum est contra Bazquez, & alios, posse hominem lapsum sine speciali gratia vincere quamcumque tentationẽ levem, quod optimè propugnat Suarez *cap.* 23. Lorca *disp.* 6. & noster Felix *de Gratia, cap.* 4. *difficult.* 11. *dub.* 1. Vndè solum de gravibus disputationem instituit. Et licèt in conclusione conveniamus, quia tamen in aliquibus ab illo dissentimus, necessaria cõtra ipsum proponemus, quin sufficientia pro disputatione omitamus.

2

In

3 *Certum est* 1.

In qua tria sunt certa. Primum est: gratiam iustificantem non requiri ad victoriam vnius, vel alterius gravis tentationis, quia vt experientia constat, plures in peccato existentes vincere aliquando solent graves tentationes. Secundum est: ad victoriam tentationis ex parvo motivo, v. g. quando tentatio superatur alio peccato, vt quando avaritia vincitur peccato luxuriæ, non est necessaria gratia. Quod patet: nam tunc non est victoria, quin potius est actus peccaminosus, ad quem non datur gratia. *Secundò.*

Tertiò. Tertium est: ad victoriam tentationis ad salutem proficuam, v g. quando tentatio vincitur actu conducente ad gloriam, necessariam esse specialē gratiam auxiliantem. Hoc apparet: nam ex Concilijs passim habemus, nihil cum fructu ad salutem conducens, posse haberi à nobis sine spiritu gratiæ, in quo, vt in fidei dogmate, vno ore Theologi consentiunt.

4 *Punctus cōtroversiæ, & ratiō dubitandi.*

Vnde punctus controversiæ in eo tantum consistit; an scilicèt, ad victoriam gravis tentationis ex motivo honesto virtutis acquisitæ necessariū sit speciale gratiæ auxilium? Ratio dubitandi, eaque non modica est; quia non resistentia gravis tentationis imputatur homini ad culpam; at nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo est in potestate hominis illi resistere; & consequentèr speciali gratia ad illius resistentiam non indiget.

5 1. *Sententia.*

Qua dubitandi ratione quidam victi, in negativam sententiam inclinant, pro ea inter plures alios, Scotum *in 2. dist. 18. quæst. 2. & 3.* referentes, vt ait Ill. Godoy *num. 3. in relatione primæ sententiæ.* Cæterum falsò, & immeritò; nam Scotus ibi, nec tales adducit quæstiones, neque in illa distinctione de hoc aliquid dicit. Referunt etiam D. Thom. 1. 2. *quæst. 77. artic. 7. & quæst. 80. artic. 3. & quæst. 109. artic. 4. & 8.* sed cum eadem veritate, ac Scotum; nam in vtriusque Schola vniformis sententia est: *quod vt homo lapsus vincere possit quamlibet gravem tentationem ex motivo honesto adquisitæ virtutis, indiget speciali gratia Dei.*

2. Sententia. ferè omnibus communis.

6 *Conclusio nostra, & Ill. Godoy.*

Hæc est nostra conclusio, quam etiam docet Ill. Godoy *num. 5.* illamque ex Scriptura, & Patribus optimè probat *à num. 10. vsque ad 14.* Et reiectis aliorum rationibus, quarum inefficaciam ostendit *à num. 5. vsquè ad 10*; sic *num. 14.* à priori illam probat ratione ex doctrina D. Thomæ in tota hac quæstione desumpta: homo per peccatum manet infirmus, & liberum eius arbitrium viribus attenuatum, etsi non extinctum: ergo ex proprijs solum potest efficere ea bona opera, quæ facilia sunt, ad difficilia vero, qualis est gravis tentationis victoria, proprijs viribus extendi non potest, sine Dei speciali adiutorio. Patet consequentia ab exemplo hominis naturali infirmitate laborantis, qui etsi possit ex proprijs sine alterius adminiculo motum aliquem hominis sani efficere, non tamen potest ad motum perfectum, nisi alterius ope adiubetur: pari ergo ratione de homine post peccatum infirmo philosophandum erit; quod scilicèt, possit ex proprijs vnum, vel alterum actum elicere, in quibus difficultas non est; ad eos vero, in quorum elicientia maxima difficultas intervenit, speciale Dei adiutorium requirat.

Prob. conclusionē Ill. Godoy.

7 *Displicet Ill. Godoy. probatio.*

Sed sicut aliorum rationes Ill. Godoy displicuerunt, ita hæc nobis placere nequit; nam non solum probat, hominem lapsum esse moraliter impotentem, ad superandam gravem tentationem; verum etiam physicè; sed hoc est falsum, vt constat ex dictis *disput. 40. num. 11. & disput. 42. numer. 56.* & fatetur Ill. Godoy *disput. præced. num. 16.* patetque ex eo, quod omnia naturalia integra physicè post peccatum remanserunt: ergo multū, & consequentèr nihil probat Ill. Godoy. Probatur maior: quod nequeat homo lapsus ex proprijs gravem tentationem superare, probat ipse, exemplo hominis, naturali infirmitate laborantis, qui ex proprijs nequit efficere motum perfectum hominis sani; atqui talis homo nec moraliter, nec physicè potest efficere talem motum, vt diximus *disput. præced. num. 77:* ergo, &c.

8 *Occurritur replicis illius.*

Nec obstant replicæ, quas facit *numer. 16.* quia, vt ex ipsis constat, solum convincunt, hominem lapsum esse moraliter impotentem, seu non habere potentiam expeditam, ad superandam gravem tentationē, quod asserit nostra conclusio, sicut & esse impotentem moraliter ad servanda omnia præcepta naturalia collectivè,

quod

quod etiam cum ipso dicemus *disp. sequent.* Non tamen impedire valent, quod ratio illius probet etiam phisicam impossibilitatem, quod est inconveniens à nobis deductum, imò & ab ipso ibi satis confessum, quia disparitatem, in qua fundatur inconveniens, nullatenus impugnat, & re vera supponit. Vndè licèt optimæ sint ad moralem impotentiam concludendam, ad rem non faciunt pro evitando incovenienté prædicto.

9 *Vera conclusionis probatio.*

Quare hac Ill. Godoy ratione ommissa, aliter est à nobis suadenda conclusio, & sic probatur: tentatio gravis est, quæ vehementer inclinat ad malũ, & retrahit à bono: ergo inhabilitat moraliter voluntatem ad bonũ prosequendum. Antecedens est apud omnes certum ex dictis *num.* 1. Consequentia pater primo: ideò levis tentatio non inhabilitat moraliter voluntatem, quia levitèr inclinat ad malum: ergo gravis tentatio, quæ vehementer ad malum inclinat, inhabilitat moraliter voluntatem; alioquim non esset inter levem, & gravem tentationem tanta differentia, quanta ratio dictat, & experientia docet. *Prob. consequent.* 1.

10 *Secundo.*

Secundo: gravis tentatio est impedimentum moraliter inhabilitans voluntatem ad dilectionem Dei super omnia, vt sæpè diximus *disp. præced.*: ergo si, stante hoc impedimento, est necessaria specialis gratia ad dilectionem prædictam, etiam erit necessaria ad tale impedimentum vincendum. Tertio: si gratia communis esset sufficiens ad vincendam gravem tentationem, eadem gratia sufficeret ad Deum efficaciter super omnia diligendum in præsentia gravis tentationis, vt patet; sed hoc est apud omnes falsum: ergo non sufficit gratia communis, & consequentèr voluntas cum gratia communi inhabilis moraliter est, ad gravem tentationem superandam. *Tertiò.*

11 *Denique.*

Denique: nam cuivis agenti connaturale est operari secundum prævalentem inclinationem: ergo cum vrgente gravi tentatione prævaleat inclinatio ad bonum delectabile, connaturale erit, quod voluntas illud sequatur, & præternaturale, quod sequatur honestum; & consequentèr illud amplecti, atque à Deo ad id determinari, contra id, quod connaturaliter iuxtà prævalentem, tunc inclinationem petit, speciale beneficium erit.

§. II.

Ratio dubitandi solvitur, & resolvitur secunda pars disputationis.

12 *Vera rationis dubitãdi solutio.*

AD rationem dubitandi posítam *num.* 4. variè respondent Authores, vt videri potest apud Ill. Godoy *à num.* 18. *vsque ad* 34. Sed his ommissis. Respondeo cõcessa maiori distinguendo minorem: nemo peccat in eo, quod vitare non potest, potentia antecedenti de se, & consequenti per gratiam, concedo minorem; in eo, quod vitare non potest potentia merè consequenti, nego minorem, & distinguo consequens: ergo potest illi resistere potentia antecedenti sine gratia, & consequenti per illam, concedo consequentiam; consequenti est proprijs, nego consequentiam. Itaquè vt ad actualem culpam non resistentia gravis tentationis homini imputetur, sufficit, quod possit potentia antecedenti gravi tentationi resistere, hancque hominem habere, est apud omnes certum; nam tentatio, etsi gravissima sit, non tollit libertatem, & consequentèr nec potentiam antecedentem ad actum oppositum, & negationem actus.

13 *Firmatur solutio.*

Hæc solutio clarissimè patet: nam homini carenti auxilio efficaci imputatur peccatum præcisè per hoc, quod habeat auxilium sufficiens, vt traditur in materia de auxilijs. Nec potest aliquis Theologorum in hoc discordare; etsi inter se dissideant in constitutione gratiæ efficacis; & tamen homo carens efficaci auxilio ad dilectionem instante præcepto, non habet potentiam consequentem ad illam; cum potentia consequens sit illa, quæ coniungenda est cum actu.

14 *Solutio est D. Thom. & Ill. Godoy.*

Hæc est solutio, quam ad litteram adducit Ill. Godoy *num.* 35. & esse ex propria illius sententia, fatetur, vt constat ex nota, quam *ad num.* 34. facit in margine. Imò *infrà num.* 35. ait: esse expræssam D. Thomæ *quæst.* 24. *de Verit. art.* 12. illis verbis: *Ad duodecimum dicendum, quod cupiditas non potest intelligi esse cogens liberum arbitrium, quia semper est liberum à coactione, sed dicitur cogens, propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest*

re-

resistit, licèt cum difficultate. Sentit ergo D. Thom. difficultatem esse antecedentem, impotentiam vero adhuc consequentem. Id ipsum docet *in solutione ad* 13. *argumentum.* Hæc pro nunc sufficiat solutio. Primò: quia de hoc latè agitur, dum agitur de concordia libertatis creatæ cum efficatia gratiæ. Secundò: quia omnes tenentur ad solutionem, & hæc inter omnes clarior est, & probabilior. Tertiò: quia cum Ill. Godoy in illa convenimus.

15 *Ostenditur quædam in consequentia Ill. God.*

Cæterum hoc non obstante, omittere non possùm magnam, & clarissimam inconsequentiam, quam (ni fallor) in Ill. Godoy reperio. Ostendo illam: iuxtà illius solutionem datur in homine lapso ex proprijs viribus potentia antecedens, qua resistere possit gravi tentationi, & ob quam illi imputatur non resistentia: ergo specialis gratia, qua indiget ad resistendum, non dat homini lapso potentiam antecedentem. Hæc consequentia est notoria, & patet ex veritate antecedentis. Infero nunc: ergo datur in homine lapso ex proprijs viribus potentia antecedens, qua possit observare totam legem naturæ quoad substantiam, & ob quam illi imputetur non observantia: ergo gratia specialis, qua indiget ad totam legem naturæ observandam, non dat homini lapso potentiam antecedentem. Hæc secunda consequentia est notoria, & patet ex veritate primæ.

16 *Veritas cõsequentiæ apparet, & sussummo contra ipsũ.*

Prima autem consequentia est legitima à paritate, à ratione, & ad hominem contra Ill. Godoy; nam ad argumentum ab imputabilitate culpæ desumptum ex non observantia totius legis naturæ, aliam solutionem non adducit, nisi datam in præsenti, vt patet ex ab ipso traditis *disput.* 44. *num.* 17. cuius verba sunt hæc: *Secundo opponi solent argumentum ab imputabilitate culpæ desumptum, quod disp. præced. diluimus.* Sussummo nunc: atqui dicta *disp.* 44. *num.* 7. pro conclusione statuit, quod specialis gratia, qua indiget homo lapsus ad observandam totam legem naturæ quoad substantiam, dat antecedentem potentiam: ergo oppositum asserere, vt expressè asserit in solutione data, est magna, & clarissima inconsequentia.

17

Circà secundam partem disputationis, scilicèt, qua gratia indigeat homo ad vincendam gravem tentationem? Variæ sunt opiniones, quas refert, & reijcit Ill. Godoy *§. vltimo.* Nos autem dicimus: quod requiritur gratia illius ordinis, in quo versatur præceptum, contra cuius observantiam insurgit tentatio gravis, nempè, supernaturalis ordinis, si tentatio sit contra ea, quæ in finem ordinant supernaturalem; & naturalis, si sit contra præceptum naturale, hoc secundo intellecto ex natura rei; non vero ex ordinatione Divina, quia hac supposita, requiritur gratia ordinis supernaturalis, etiam si tentatio sit contra præceptum naturale; nulla tamen ex his est physicè prædeterminans voluntatem.

Resolvitur 2. pars disput.

Hæc nostra resolutio quoad omnes partes (vltima excepta) credo, quod non negabitur ab Ill. Godoy; vltima tamen est contra ipsum *num.* 49. *in fine.* Probatur prima pars: gravis tentatio ita efficacitèr allicit voluntatem, vt sola gratia generali adiuta, sit moralitèr impossibile, non succumbere illi: ergo indiget gratia speciali, vt illi non succumbat. Hoc patet ex conclusione suprà posita. Infero nunc primò: ergo si tentatio est contra ea, quæ ordinant in finem supernaturalem, indigebit gratia supernaturalis ordinis. Consequentia est certa, per eamque patet prima pars nostræ resolutionis. Pro secunda autem inferò secundò: ergo si tentatio est contra præceptum naturale, indigebit gratia naturalis ordinis ex natura rei. Hæc consequentia claret; nam sicut præceptum naturale est viribus naturæ ex natura rei observabile, ita & victoria tentationis contra ipsum valet solum exigere ex natura rei gratiam specialem ordinis naturalis.

18 *1. pars probat.*

Probatur secunda.

Tertia pars probatur: homo lapsus est elevatus in finem supernaturalem: ergo sicut per opus pravum ordinis naturalis recedit etiam à fine supernaturali; ita è converso, per opus bonum ordinis naturalis ad finem supernaturalem accedit. Atqui nequit ad finem supernaturalem accedere, nisi per gratiam ordinis supernaturalis: ergo cum per victoriam gravis tentationis contra præceptum naturale accedat etiam ad finem supernaturalem, gratia, qua indiget ad victoriam prædictam, debet esse ordinis

19 *3. probat.*

ſupernaturalis. Tunc ſic: ſed tali gratia non indiget ex natura rei: ergo ex ordinatione Divina, ſeu ex eo, quod eſt ordinatus in finem ſupernaturalē.

20 *2. ſimul, & 3. probat.*

Item: ſecunda, & tertia pars ſimul oſtenditur: homo in pura natura conditus mediante ſpeciali gratia ordinis naturalis, poſſet vincere gravem tentationem: ergo ſignum eſt, quod ad vincendam gravem tentationem contra præceptum naturale ſufficit in homine lapſo gratia ordinis naturalis ex natura rei: ergo cum requiratur ſpecialis gratia ordinis ſupernaturalis, non ex natura rei, ſed ex Divina ordinatione requiritur. Et certè hoc videtur ſenſiſſe Ill. Godoy, cum idem dicat de gratia ſpeciali requiſita in homine lapſo ad obſervantiam totius legis naturæ, vt claret ex ipſo *diſp. 44. num. 37.*

21 *Vltim. pars oſtenditur contra Ill. Godoy.*

Vltima deniquè pars, quæ eſt contra Ill. Godoy, nempè, talem gratiam non eſſe qualitatem phiſicè prædeterminantem, conſtat ex eo, quod talis gratia tolleret libertatem, vt docent omnes noſtri Scotiſtæ, & omnes Patres Societatis in materia de Auxilijs, & nos ſpecialitèr contra Ill. Godoy oſtenſum habemus *tom. 2. in 1. ſentent. diſput. 36.* vbi decretum antecedens reijcimus §. 5. ex Concilijs; & Patribus §. 6. ex Scoto §. 7. alijs rationibus §. 8. ex D. Thoma §. 9. & deniquè ex Thomiſtarū doctrina §. 10. Idem etiam, etſi brevius oſtendimus *tom. citat. diſp. 67. per totam.*

22

Inquires pro complemento diſputationis, an gratia iſta ad gravis tentationis victoriam conferatur per Chriſtum? Reſpondeo affirmativè, quod indubitatum eſt, ſi detur ad victoriam ex motivo ſupernaturali imperatam, ſed etiam ſi detur ad illam ex motivo honeſto merè naturali, conſtat ex dictis, iam enim probavimus, omnem gratiam ſpecialem eſſe meritis Chriſti tribuendam; at gratia iſta ſpecialis eſt: ergo debet Chriſti meritis adſcribi. Hoc patet: quia vt diximus *diſput. 40. numer. 35:* quod gratia prædicta ſit per Chriſtū conferenda, cedit in laudem Chriſti, & excellentiam illius.

Brevis difficultas reſolvitur.

23 *Aliæ ſit ſatis.*

Inquires ſecundò: an ea, quæ diximus de homine lapſo, ſint intelligenda de homine iam iuſtificato per gratiam? Reſpondeo affirmativè. Cuius ratio eſt: nam in homine iuſtificato manet revellio appetitus contra rationem, ex qua provenit moralis virium debilitas; vndè ſicut hac ratione indiget ſpeciali gratia ad cognoſcendas omnes veritates ſpeculativas, ſivè collectivè, ſivè diviſiuè, vt dictum reliquimus *diſput. 40. num. 38.* & etiam ad totius legis naturæ obſervantiam, vt dicemus *diſputatione ſequenti*, ita ad gravis tentationis victoriam. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 2. diſt. 28. §. 2.* ad illa verba: *Sed ipſa, niſi gratia Dei liberetur, & vt victoria ſuperet, adiuvetur.*

Mag. ſent.

(§)

DISPVTATIO QUADRAGESIMAQUARTA.

Utrùm homo lapſus indigeat ſpeciali gratia, & quali, ad obſervanda omnia præcepta naturalia collectivè quoad ſubſtantiam?

§. I.

Certis declaratis, referuntur ſententiæ, & prima concluſio ſtatuitur.

Num. 1

HÆc difficultas eadem eſt, ac illa, vtrum homo lapſus poſſit ſine gratia vitare omnia peccata legis naturæ, perſeverando multo tempore in obſervatione illius. Eſtque ſermo de omni præcepto ſub mortali cadente; nam omnia venialia peccata hominem adhuc iuſtum evitare non poſſe ſine ſpeciali Dei prævilegio, eſt vniformis omniū

Theo-

Theologorum consensus, vt dicam *disput. sequenti*. Sic itaque disputatione intellecta, antequam ad eius resolutionem aggrediamur, quæ certa sunt, veniunt declaranda.

2 *Certum est 1.*

Primò certum de fide est contra Lutherum, & Calvinum, hominem lapsum posse per gratiam omnia legis naturæ præcepta adimplere, & contra Pelagianos non posse absque gratia Dei adimplere totam legem, tam naturalem, quàm supernaturalē, prout ad salutem opportet meritoriè, & dispositivè, vt est diffinitum in pluribus Concilijs, & ex pluribus locis Scripturæ, & Patrum authoritatibus constat, & tradit Ill. Godoy *numer. 2. 3 & 4.*

3 *Secundò.*

Secundò certum est: hominem lapsum posse sine speciali gratia adimplere aliqua legis naturalis præcepta, in quo omnes Theologi conveniunt, & satis constat ex dictis *disput. 42. §. 6.* & supponit Ill. Godoy *num. 1.* Vndè non de vno, vel altero legis naturæ præcepto loquimur, sed de omni collectivè quoad substantiam. Pro quo sciendum est, præcepta naturalia dupliciter posse considerari. Primò quoad substantiam, vt quando observatur id, quod præceptum, vel prohibitum est propter bonitatem, vel honestatem ipsius actus. Secundò: quo ad modum, vt quando id, quod præceptum, vel prohibitum est, observatur, eo modo, quo Deus præscripsit, nempè, ex fine supernaturali, puta, & charitate. Et quia tertiò certum est de fide contra Pelagianos, quod sine speciali gratia nequit homo lapsus talia præcepta quo ad modum adimplere, vt dictum est, relinquitur difficultas ad omnia præcepta naturalia quoad substantiam.

NOTA.

4 *1. Sentētia.*

Liberatur Scotus ab hac opinione, pro qua illū refert Ill. Godoy.

His igitur suppositis, inter Catholicorum sententias prima affirmat: posse hominem lapsum sine speciali gratia omnia præcepta legis naturæ quoad substantiam adimplere, pro qua Ill. Godoy *num. 5.* refert Scotum *in 2. dist. 28. quæst. 1. §. Ad quæstion.* Immeritò certè; nam Scotus *ibi citat. & §. Ad argumenta*, oppositum docet, & ad summum vult, talem hominem posse servare aliqua naturæ præcepta; non verò omnia collectivè; & quando de omnibus collectivè loqueretur, loquitur de potentia physica; non verò de morali; & hoc est, quod Scotus ratione ibi tradita convincit, vt dixi *disput. 42. num. 11.* Et certè meliùs ego citare poteram pro hac sententia D. Thom. *in 2. dist. 28. quæst. 1. ab art. 1.* & si ego non facio, quia eam retractavit 1. 2. *quæst. 109. artic. 4.* meliùs certè debuit Ill. God. Scotum non citare, cum retractatione non egisset.

5 *2. Sentētia.*

Liberatur Scotus ab hac opinione.

Secunda sententia docet: posse hominem lapsum in totius legis naturæ adimpletionem sine gratia habituali; non verò sine auxiliante. Pro hac sententia refert etiam Ill. Godoy *num. 6.* ex Vasquio Scotum pro prima citatum. Sed ita falsò ac pro prima. Tum: quia Scotus *citat.* expressè docet: quod si vitare peccatum sit, à peccato surgere, non potest homo sine gratia habituali vitare peccatum de facto, quæ est sententia omnium Catholicorum eo, quod de facto sola gratia habitualis est forma animæ sanativa. Tum etiam; quia aliter loquēdo, Scotus tantum docet, quod non requiritur gratia habitualis ex natura rei; non verò, quod non requiratur ex Divina ordinatione, vt ex dicendis contra Ill Godoy clarebit.

6 *3. Sentētia.*

Tertia sententia vtriusque gratiæ necessitatem adstruit, ad totius legis naturæ præcepta quoad substantiam adimplendo. Hæc est nostra, & Ill. Godoy opinio; sed modo valdè diverso, pro cuius explicatione veram sententiā sequentibus assertionibus explano.

7 *1. Cōc lusio.*

Prima conclusio: *Homo in statu lapsus non potest totam legem naturæ quoad substantiam implere sine speciali gratia; non dante antecedentem potentiam, sed potentiam consequente.* Hæc conclusio quoad vtramque partem est Scoti *in 2. dist. 28. §. Ad quæst. & §. Ad argumenta, & §. Contra hoc arguitur.* Prima autem pars est Ill. Godoy *num. 7.* quam ibi ex Scriptura probat, eamque firmat ex quatuor Concilijs, nempè, Africano, Arausicano, Tridentino, & Milevitano, quæ citat *num. 10.* & huius verba adducit, solutionesque impugnat *vsquè ad num. 13. inclusivè.*

Probat. 1 pars Script & Cōcilijs

8 *Ratio probativa Ill. Godoy.*

Ratione autem sic probat Ill. Godoy *num. 14.* homo infirmus non valet ex proprijs ad opus perfectissimū hominis sani, hoc dictante naturali ratione, & exemplo illius, qui naturali infirmitate laborat; sed opus perfectissimum, quod homo integer, & sanus ex proprijs viribus efficere posset, es-

set totius legis naturæ observantia quantum ad substantiam operum: ergo ad illud non valet homo lapsus ex proprijs, sed indiget speciali gratia Dei. Hæc tamen ratio est omnino falsa absolutè, eo, quod non solum probat, hominem infirmum per peccatum esse moralitèr impotentem ad opus prædictum; verum etiam phisicè, vt demonstrat exemplum de homine naturali infirmitate laborante, quod inconveniens numquam salvabit Ill. Godoy, & constat ex dictis *disput. 42. num. 77. & disput. 43. num. 8.*

Reijcitur ratio.

9 *Probatur conclus.*

Vndè hac relicta ratione, sic conclusio à nobis probatur: hominem lapsum posse omnia legis naturę præcepta mortalia quoad substantiam observare, idem est, ac posse, non peccare mortaliter; sed nequit homo lapsus sine speciali gratia non peccare: ergo nequit sine tali gratia omnia naturæ præcepta mortalia quoad substantiam observare. Minor est expressa doctrina Scoti *in 2. citat. §. Ad quæstionem*, dicentis: *Dico, quod liberum arbitrium non potest ex se cavere omne peccatum mortale pro statu isto.* Et ratione probatur: homo lapsus non potest non peccare, nisi vincere possit omnes graves tentationes, quæ in longa vita deesse non possunt; sed homo lapsus sine speciali gratia nequit tales vincere tentationes, vt fere, & absque controversia diximus cum Ill. Godoy *disput. præcedenti*: ergo, &c.

10 *2. pars conclus. prob. 1*

Secunda pars conclusionis, quæ est etiam Scoti probatur primò: homo lapsus tenetur observare omnia legis naturæ præcepta, à Deo imposita; sed Deus non iubet impossibilia: ergo homo lapsus est potens ad illorum observationem. Atqui non potentia consequente sine gratia speciali: ergo potentia antecedenti: ergo hanc habet homo lapsus absque gratia speciali: ergo gratia specialis, qua indiget homo lapsus ad observandam totam legem naturæ quoad substantiam, non dat potentiam antecedentem. Hæc ratio desumpta est ex multis Scripturæ locis, & Conciliorum testimonijs, in quibus asseritur: legis observantiam esse homini possibilem, Deumque impossibilia homini non iubere, pro quibus sufficiat Tridentinum *Sess. 6. de Iustificatione, cap. 11.* dicens: *Deus impossibilia non iubet.*

11 Respondet Ill. Godoy *num. 17.* verum esse, quod præcepta Dei homini impossibilia non sunt, quia illa potest adimplere per gratiam; non quia ex proprijs viribus ea possit implere, vt constat ex Tridentin. *citat.* suprà relata verba hæc addens: *Sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Impugnatur primò: hæc solutio concedit in homine ex proprijs viribus potentiam antecedentem: ergo potiùs est pro nobis. Probatur antecedens: Tridentin. per ly *facere, quod possis*, potentiam antecedentem expræssè declarat; sed hæc convenit homini ex proprijs viribus: ergo solutio concedit in homine ex proprijs viribus potentiam antecedentem. Probatur maior: potentia antecedens dicitur, quæ non est coniungenda cum actu; sed per ly *facere, quod possis*, declarat potentiam non coniungendam cum actu; alioquim superfluerent verba sequentia: scilicèt, *petere, quod non possis*, vt de se patet: ergo Tridentin. per ly *facere, quod possis*, expræssè declarat potentiam antecedentem.

Respond. Ill. Godoy.

Impugn. 1.

12 *Declaratur efficatia huius rationis, & impugn. 2.*

Explicatur efficacia huius rationis, & impugnatur secundò: nam Tridentin. *citat.* duplicem potentiam declarat. Vnam per ly *facere, quod possis.* Alteram per ly *petere, quod non possis*; sed potentia declarata per ly *facere, quod possis*, non est potentia consequens: ergo est potentia antecedens. Maior est notoria. Minor probatur: si illa potentia esset consequès, non haberet homo quid petendum ad posse, & consequentèr superfluerent illa verba: *Et petere, quod non possis*; sed hoc dici nequit: ergo potentia declarata per ly *facere, quod possis*, non est potentia consequens. Probatur maior: potentia consequens est potentia coniungenda cum actu; sed homo habens potentiam coniungendam cum actu, non habet quid petendum ad posse: ergo, &c.

13 *Impugn. 3.*

Tertiò: potentia potens, & non potens, est potentia antecedens; sed in ly *facere, quod possis*, declaratur potentia potens, & per ly *petere, quod non possis*, declaratur, quod prædicta potentia est non potens: ergo potentia declarata per ly *facere, quod possis*, est potentia antecedens. Maior patet: nam potentia potens, & non potens, est potentia non coniungenda cum actu, quæ est potentia antecedens. Mi-

nor

nor pro prima parte est evidens. Pro secunda autem ex terminis patet: quia si potentia explicata per ly *facere, quod possis*, non esset potentia non potens, malè adderet Concilium, & *petere, quod non possis*; debebat enim hæc verba non addere, & si superfluè addebat, oppositum debebat dicere, scilicèt, *petere, quod possis*. Consequentia legitima est.

14 *Quartò.* Quartò: per ly *petere, quod non possis*, vult Concilium, hominem à Deo petere gratiam sibi non debitam, ad quam homo ex proprijs viribus non potest, vt per eam sit potens ad illa, ad quæ non est potens ex proprijs viribus; sed hæc potentia per gratiam ad illa, ad quæ non est potens ex proprijs viribus, est potentia consequens; nam est coniungenda cum actu: ergo potentia priùs declarata à Concilio per ly *facere, quod possis*, est potentia antecedens. Vndè verum fatendo Tridentin. appertè stat pro nostra sententia.

15 *Probat. 2. pars 2. conclusionis.* Probatur secundò: non observantia omnium legis naturæ præceptorum collectivè quoad substantiam, imputatur homini ad culpam; sed nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo est potentia in homine ad illa observanda. Atqui hæc non est potentia consequens; quia hæc non datur sine speciali gratia; alioquin sine hac posset homo totam legem naturæ observare, quod est contra Ill. Godoy: ergo est potentia antecedens: ergo hanc habet homo lapsus absquè speciali gratia: ergo gratia specialis non dat potentiam antecedentem.

16 *Respond. Ill. Godoy.* Hoc argumentum ab imputabilitate culpæ desumptum (ait Ill. Godoy *numer.* 17.) solutum habet *disput. præced.* Solutio autem est, quam dedit *disput. citat. num.* 35. & nos posuimus *dicta disputatione num.* 12. Cæterum solutionem ibi traditam esse doctrinam, quam nos in præsenti docemus, luce clarius apparet ex ibi dictis *numer.* 12. 13. & 14. sicut per dicta *num.* 15. & 16. demonstratur magna inconsequentia Ill. Godoy, quam sic pro nunc brevitèr formo: gratia specialis, qua indiget homo lapsus ad vincendam gravem tentationem, non dat potentiam antecedentem iuxtà ipsum *citat*: ergo cum eodem modo discurrat de gratia speciali, qua indiget ad observantiam totius legis naturæ, & oppositum ex diametro in præsenti doceat, inconsequentèr absquè dubio procedit. Recolantur dicta *disput. præced.* vbi hoc latiùs dictū est.

Insufficientia responsinis.

Probatur tertiò præfata pars conclusionis: qui potest aliqua præcepta adimplere, potest etiam & totam collectionem; sed homo lapsus potest aliqua præcepta legis naturæ adimplere: ergo & omnia collectivè. Atqui ad hæc omnia non adest in homine lapso potentia consequens, vt dictum est *num.* 15: ergo adest potentia antecedens: ergo hanc habet homo lapsus absquè speciali gratia: ergo gratia specialis non dat potentiam antecedentem. Ad hoc argumentum (ait Ill. Godoy *num.* 17. *in fine*) se responsurum infrà agendo de venialibus, ne eadem pluriès repetat.

17 *Probat. 3.* *Respond. Ill. Godoy.*

Sed sine periculo repetendi, ex his, quæ ibi adducit, ad hominem contra ipsum probo nostram conclusionem: iuxtà Ill. Godoy *disput.* 45. *num.* 24. impotentia ad omnia venialia collectivè vitanda, non est phisica, sed moralis: ergo impotentia ad omnia præcepta legis naturæ collectivè quoad substantiam observanda, non est phisica, sed moralis: ergo est potentia phisica. Atqui hæc est potentia antecedens: ergo hanc habet homo lapsus absquè speciali gratia: ergo gratia specialis non dat potentiam antecedentem. Idem argumentum fiat de impotentia intellectus ad cognitionem omnis veri, quæ non est phisica, sed moralis, vt diximus *disput.* 40. *num.* 9. & fatetur Ill. Godoy eadem *disput. num.* 15.

18 *Ex illius solutione probat. ad homin. nostrā conclus.*

Vndè verum fatendo, non capio, quid vellit dicere Ill. Godoy illis verbis suæ conclusionis, nempè, *dante antecedentem potentiam*; nam per hanc potentiam, vel intelligit potentiam phisicam, vel moralem? Si phisicam apertè sibi contradicit ad dicta *disput.* 40. *num.* 15. & *disput.* 45. *num.* 24. vbi ad cognitionem omnis veri, & ad omnia venialia vitanda, homini lapso ex viribus proprijs phisicam potentiam concedit. Si moralem, vltrà hoc, quod nos concedimus moralem potentiam à gratia provenire, sibi etiam contradicit, illam vocando, antecedentem. Primò: quia phisica est prior, & consequentèr antecedens. Secundò: quia potentia moralis est coniungenda cum actu, & consequentèr non antecedens, sed consequens, vt fatetur ip-

19 *Ill. Godoy. inconsequētèr procedere vndequaque, manifestatur.*

ſe in præſenti *num.*15. Denique quomodocumque ſit, illam vocando *antecedentem*, ſibi contradicit ad dicta *diſput.*43.*num.*35. Quare vndequaque manifeſtum eſt, Ill. Godoy inconſequenter procedere.

§. II.

Argumenta Ill. Godoy contra ſecundam partem concluſionis ſolvuntur.

20 *Arguit.* 1. ARguit primò *num.*15. ex illis verbis Concilij Milevitani *Can.*4. *Non autem per illud nobis præſtari, vt quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit*; in quibus, per ly *diligamus*, potentiam conſequentem ad totius legis obſervantiam excludit; quæ eſt potentia coniungenda cum actu; ſuperaddens autem, *atque valeamus*, impotentiam antecedentem ſatis inſinuat; cum impotentia conſequens per verbum *diligamus* eſſet ſignificata.

21 *Reſpond.* Reſpondeo: Concilium ibi nullatenus diſtinguere potentiam antecedentem, & conſequentem, quia per ly *diligamus*, non potentiam, ſed actum inſinuat, vt claret primò ex ipſo verbo *diligamus*. Secundò ex intento Concilij, quod erat docere: non ſolum intellectum indigere gratia ad cognoſcendum, quod facere debemus, verū & voluntatem ad id faciendum, vt claret ex eodem Concilio *cap.*4. dicente: *Cum ſit vtrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus.* Tertiò: quia per ly *valeamus*, nequit inſinuare impotentiam antecedentē, quia antecedenter ad gratiam eſt potentia antecedens, vt dicitur *in Epiſtol. Patrum Concilij prædicti*, quæ habetur *in Epiſtol.*89. Auguſtini, his verbis: *Vndè ſatis apparet, quod ad non peccandum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, eius tamen poteſtas non ſufficit, niſi adiuvetur infirmitas.*

22 *Retorq.* 1. Retorqueo primò argumentum contra ipſum: Concilium Milevitanum, & Tridentinum non ſibi contradicunt: ſed Tridentin. apertè exprimit potentiam conſequentem, & antecedentem, hancque homini convenire ex proprijs viribus antecedenter ad gratiam, vt diximus *à num.*11. *vſque ad*15: ergo Concilium Milevitanum nequit huic contradicere. *Secundò.* Secundò ad hominem contra ipſum: nam ſi per ly *valeamus*, vult Concilium, gratiam darè potentiam antecedentem, quæro: An hæc potentia ſit phiſica, vel moralis? Sed quodcumque dicat, ſibi implicationem involuit, vt conſtat ex dictis *num.*19: ergo per ly *valeamus*, nequit Conciliū intendere, quod gratia det potentiam antecedentem.

23 *Arguit.* 2. Arguit ſecundò *num.citat.* ex Div. Thoma, probando impotentiam moralem, quam nos non negamus; illam autem vocare antecedentem, eſt procedere contra ab ipſo dicta *diſput.*43. *num.*35. vbi antecedenter ad gratiam fatetur, eſſe in homine lapſo potentiam antecedentem ad gravem tentationem ſuperandam, quod etiam confirmat ex D. Thom. vt vidimus *diſput. citat. num.*14. Vndè numquam ſalvare poterit, ſe D. Thomæ contradicere, inconſequenterque procedere iuxtà dicta *numer.*19. ex quibus variæ fiant contra Ill. Godoy retorſiones. Quare ad argumentum in forma reſpondeo concedendo, in homine lapſo eſſe moralem impotentiam ex proprijs viribus ad obſervantiam totius legis naturæ quoad ſubſtantiam; non tamen talem impotentiam eſſe antecedentem, ob hucuſque dicta, præſertim *num.*19.

Variæ inconſequentiæ, variæq; retorſiones, & ſolutio in forma.

24 *Arguit.* 3. Arguit tertiò *numer.*16. paritate ſumpta ex impotentia intellectus ad totius veri cognitionem, quam vocat antecedentem ratione impedimentorum. Ad quod reſpondemus per dicta *num. anteced.* & addimus, in hoc argumento ſibi Ill. Godoy contradicere, ob ab ipſo dicta *diſput.*40.*num.*15. vbi pro concluſione ſtatuit: in homine lapſo eſſe potentiam phiſicam ad totam collectionem veritatum abſquè ſpeciali gratia, quod nos etiam docuimus *diſput. citat. num.*9. & dictum eſt *in præſenti num.*19. cum quo repugnat potentia antecedens; nam ſi hęc eſſet, eſſet phiſica. *Reſpond.*

25 *Arguit deniquè.* Deniquè arguit *numer. citat*: quia non ſolùm numquam eventurum, in quo conſequens impotentia conſiſtit, ſed etiam non poſſe evenire, in quo conſiſtit impotentia antecedens, cenſetur cum fundamento, vt homo ex duabus naturis inter ſe pugnantibus compoſitus, ſemper vni conformis ex proprijs evadat, niſi ab extrinſeco agente, & fortiori adiuvetur; at homo lapſus ex duplici natura coaleſcit,

rationali nempè,& sensitiva,quarum illa inclinat ad bonum rationis, hæc ad bonum sensibile , quod efficatiùs movet:ergo impossibile debet censeri, vt sibi relictus , & viribus gratiæ destitutus,semper conformitèr ad rationem operetur,relicto sensibili efficatiùs movente.

26 *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem:sed etiam non posse physicè evenire , in quo consistit impotentia antecedens, censetur,&c. nego maiorē; non posse moralitèr evenire , in quo consistit impotentia antecedens,censetur,&c. concedo maiorem, & nego suppositum,scilicèt,quod in non posse moralitèr consistat impotentia antecedens ; & concessa minori , distinguo consequens : impossibile moraliter concedo consequentiam ; physicè nego consequentiam. Itaque argumentum dumtaxat convincit impotentiam moralem ; alioquim sibi Ill. Godoy contradiceret ad aliqua ex dictis *num.*19. Imo hoc stante,impotentiam moralem vocare antecedèntem, sibi etiam contradicit ad alia ex dictis *num.citat.*

27 *Declaratur æquivocatio argum.* Quia tamen argumentum valdè æquivocum est, æquivocationem declaro,qua declarata,nihil nobis nocebit , & semper contra Ill. Godoy stabunt inconsequentiæ relatæ.Dupliciter namque stat aliquid non posse evenire.Primò physicè,& est,quando deficit intrinseca virtus,vt in homine naturali infirmitate laborante,de quo diximus *disput.*42.*num.*77.esse physicè impotentem ad perfectissimum motum hominis sani. Secundò moraliter, & est, quando obstant extrinseca impedimenta , vt evenit in homine lapso ad omne verum cognoscendū; quod fatetur ipse *disput.*40.*numer.*15. ad gravem tentationem superandam, quod fatetur *disput.*43.*num.*35.ad omnia venialia collectivè vitanda, quod fatetur *disput.*45.*num.*24. & ad omnē legem naturæ observandam,quod in præsenti fatetur. Si autem ex his,sola impotentia physica est antecedens, æquivocatio Ill. Godoy manifesta erit ; eius argumenta nihil nobis nocebunt,& inconsequentiæ contra ipsum perseverabunt.

28 *Sola physica impotentia est antecedens.* Quod verò sola physica impotentia sit antecedens, claret ex dictis *numer.*19.& vltrà contra Ill.Godoy demonstro: inter physicam,& moralem potentiam, physica solum est antecedens: ergo è contra,inter physicam,& moralem impotentiam,physica solum est antecedens. Consequentia est legitima. Antecedens autem manifestè apparet in his, de quibus *num. præced.* diximus cum Ill. Godoy,habere physicam potentiam. Vndè iterum,atque iterum fateor , me non capere , quid vellit dicere Ill. Godoy per ly *dante antecedentem potentiam* , quod non sit inconsequens ad tot ab ipso confessa, vel ad minus erit terminorum abusio , quod contra ipsum est sufficiens inconveniens , & pro nostra conclusione efficacissima ratio.

§. III.

De necessitate Gratiæ iustificantis.

29 2. *Cōclusio.* SEcunda conclusio : *Ad totius legis naturæ observantiam necessaria est in homine lapso gratia iustificans , non consequentèr , sed antecedentèr ; non ex natura rei , sed ex Divina ordinatione.*

1. *pars probat.* Prima pars conclusionis est communis,eamque optimè probat Ill.Godoy ex Scriptura,Concilijs,& Patribus *numer.*18. & 19. & ratio est : quia numquam homo in peccato existens totam naturæ legem implevit:ergo signum est , gratiam iustificantem esse necessariam.

30 2. *pars ostenditur* 1 Secunda pars conclusionis etiam est Ill.Godoy *num.*18. in quantum asserit : gratiam requiri , non ex parte termini , sed ex parte principij, quod idem est, ac requiri, non consequentèr , sed antecedentèr , vt se explicat *num.* 21. Et relictis illius rationibus, quia aliquæ optimè solvuntur ab aliquibus Scotistis in hoc nobis contrarijs , sic primò probatur: iuxtà primā partem conclusionis , apud Theologos communem,gratia habitualis requiritur in homine lapso ad observantiam totius legis naturæ; sed non consequentèr : ergo antecedentèr. Probatur minor:gratiam habitualem requiri consequentèr ad observationem legis,non est requiri ad observationem legis,sed legis observationem subsequi ; atqui gratia habitualis per te requiritur in homine lapso ad observantiam totius legis naturæ : ergo non consequentèr, sed antecedentèr.

31 *Secundò* Secundò : gratiam actualem requiri ad observantiam totius legis naturæ,est,requiri antecedentèr:ergo similitèr de gratia habituali. Iden-

argumentum formari potest de gratia requisita ad cognitionem omnis veri, ad gravem tentationem superandam, & ad evitanda omnia venialia Tertio: Divina providentia Paternalis petit, vt Filio detur gratia ad servanda omnia præcepta Patris: ergo petit etiam, vt homini lapso detur gratia habitualis, vt eius motivo det Deus gratiam actualem ad omnia præcepta naturalia observanda. Antecedens patet ex illo ad Romanos 8: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*, ideſt, Filij Dei sunt, qui ita reguntur à Deo, vt vitare possint omnia peccata. Consequentia ob eandem rationem apparet certa.

Tertiò.

32 *3. pars conclusionis prob. 1.*

Tertia pars conclusionis est Scoti *in 2. dist 28. §. Ad quæstionem*; estque contra Ill. Godoy *num.* 18. Et probatur primo: observantia totius legis naturæ quoad substantiam, est opus naturale entitativè, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 22. *& alibi*: ergo ad illius observantiam sufficit gratia entitative naturalis: ergo ex natura rei non est necessaria gratia habitualis, quæ est entitativè supernaturalis. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem est doctrina ipsius: nam quia observantia totius legis naturæ quoad substantiam est entitativè naturalis, sufficit ad illius observantiã, attenta rei natura, gratia auxilians entitative naturalis quoad substantiam, vt habet Ill. God. *num* 37.

33 *Probat. 2.*

Probatur secundò: homo in pura natura conditus posset cum speciali gratia auxiliante naturali observare totam legem naturæ quoad substantiam; sed in tali statu non esset gratia habitualis: ergo hæc ex natura rei nõ requiritur ad illius observantiam. Consequentia legitima apparet. Præmissæ autem sunt Ill. Godoy *num.* 54. Iam ex hoc apparet, quod gratia habitualis solum ex Divina ordinatione requiritur, & consequentèr non absolutè, sed ordinaria lege dũtaxat.

34 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit tamen Ill. Godoy *num.* 26: sub lege naturę comprehenditur præceptum diligendi Deum naturæ Authorem super omnia; at hoc adimpleri nequit ex natura rei, nisi præsuppositа gratia habituali in subiecto, per quam auferatur peccatum cum prædicta dilectione incompatibile: ergo præsuppositio gratiæ habitualis non est solum ex lege, sed ex natura rei. Respondeo negando minorem; quia falsum est, quod tale præceptum nequeat adimpleri sine gratia habituali, vt constat ex dictis *disput.* 42. §. 6. & falsum est etiam, quod peccatum sit cum prædicta dilectione incompatibile, vt constat ex ibi dictis §. 7. *num.* 69. ad quod accedit, quod gratia non sanctificat ex natura rei.

§. IV.

De Gratia auxiliante speciali.

35 *3. Concluſ.*

TErtia conclusio: *Præter gratiam habitualem requiritur necessariò specialis gratia auxilians, quæ attenta natura rei, sufficit, quod sit naturalis entitativè quoad substantiam; regulariter tamen supernaturalis confertur à Deo, & consequentèr requiritur saltim de lege communi.* Hæc conclusio est Ill. Godoy *num.* 37. cuius prima pars probatur primo: necessitas gratiæ auxiliantis provenit ex pugna appetitus non subordinati ad rationem; sed gratia habitualis hanc appetitus rebelionem non sanat, vt experientia docet, & docuit Trident. *Sess.* 5. *Decreto de peccato originali*, dicens: *Manere in baptizatis concupiscientiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit*: ergo præter habitualem requiritur gratia auxilians. Secundò: gratia habitualis non dat homini vires per modum auxilij ad observantiam legis naturæ ex motivo honesto naturali: ergo idem, quod anteà. Ex hoc satis apparet, gratiam auxiliantem, ad differentiam habitualis, esse absolutè necessariam.

1. pars probat. 1.

Secundò.

Secunda pars ostenditur primò: nam per collectionem omnium auxiliorum, quæ ad totius legis observantiam sunt necessaria collatam à Deo, potest collectivè tota lex naturę adimpleri; at collectio horum auxiliorum supernaturalis entitativè non est, sicut nec singula, ex quibus collectio integratur, supernaturalia sunt: ergo attenta rei natura potest totius legis observantia obtineri per gratiam auxiliantem entitativè naturalem.

36 *2. pars probat. 1.*

Secundò: quia in pura natura potest homo in vi auxiliorum gratiæ entitativè naturalium totam legem naturæ adimplere; ad nulla est repugnantia, saltim ex natura rei, vt Deus conferat homini lapso eadem met auxilia, quæ illi conferre potest

37 *Secundò.*

Tertiò.

in pura natura, vt constat ex dictis: ergo, &c. Tertiò: nam totius legis obseruantia ex motiuo honesto naturali, est entitatiuè naturalis: ergo ex poscere nequit pro principio sui proximè influente gratiam auxiliantem supernaturalem entitatiuè.

38 *3. pars probat.*

Tertia pars probatur: quia regulariter loquendo totius legis naturæ continuata obseruantia, non nisi ex motiuo supernaturali habetur, vt autem sic obseruetur lex naturalis, necessaria est gratia auxilians supernaturalis entitatiuè; & consequenter hæc est, quæ ad totius legis obseruantiam confertur. Assumptum, ex quo cætera pendent, probatur. Tum primo: nam totius legis naturæ diu continuata obseruantia, non nisi in viris singularis virtutis inuenitur; isti autem regulariter ex motiuo supernaturali operantur. Tum etiam: nam adeò mansit per culpã vulnerata natura, & ad bona sensibilia proclivis, vt tentationibus frequenter vrgentibus, non nisi magnis motivis, qualia sunt supernaturalia, regulariter loquendo resistat, verbi causa ex metu gehennæ, ex spe æternæ beatitudinis, vel ex amore Dei super omnia, vt est obiectum supernaturalis fœlicitatis nostræ.

III. Godoy *à num.* 42. probare conatur quartam partem conclusionis, scilicèt, talem gratiam auxiliantem requiri antecedenter. Sed certè hanc partem in conclusione non declaravit, vt constat in conclusione à nobis posita, quæ ad litteram habetur in III. Godoy. Suppono: defectum Typografi fuisse ommissionem illius partis, etsi in erratis non sit notatum. Vndè talem gratiam auxiliantem requiri antecedenter cum III. Godoy sentio, & vltrà illius probationes, à nobis probatur eisdem rationibus, quibus id ipsum de gratia habituali ostendimus *num.* 30 & 31. Omitto argumenta contra conclusionem suprà posita, quia litem cum illo in illa non habemus, & quia ipse solvit *§. vlt.*

39 *Gratia auxilians requiritur antecedenter.*

Ex dictis in discursu disputationis manifestè colligitur, in statu purorũ naturalium indigere hominem ad totius legis obseruantiam gratia auxiliante entitatiuè naturali, non supernaturali, vel iustificante, vel auxiliante, cum status ille omnem huiusmodi gratiam excluderet. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 2. *dist.* 28. vbi ab Scoto excitatur.

40 *Vnicum corollarium.*

o)(§)(o

DISPVTATIO QUADRAGESIMAQUINTA.

Vtrùm ad nunquam peccandum venialiter, necessarium sit priuilegium, & cui de facto concessum?

Num. 1 *Quinque sunt certa.*

QVinque, vt certa supponuntur. Primum: posse Iustum venialiter peccare, quod vtinam certum non esset. Secundò: posse Iustum pro aliquo breui tempore (in cuius mensura non est terminus præfixus) cum auxilio de lege communi omnia venialia vitare; alioquin Iustus continuo peccaret venialiter, quod est falsum. Tertiò: aliquem Iustum omnia venialia in aliqua peculiari materia collectivè vitasse; imò crediderim, id esse verum de B. P. N. Francisco circà venialia in materia paupertatis, sicut alij de alijs in alijs materijs credunt.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartò: posse Iustum omne peccatũ veniale collectivè per totam vitam vitare, si ei à Deo speciale priuilegium concedatur; quia nulla in hoc implicatio reperitur. Quintò: ad vitanda omnia venialia, necessariò, & aforiori requiriri omnia, quæ ad omnia mortalia vitanda sunt necessaria; cũ magis sit omne veniale vitare, quam omne mortale. Vndè quod inquirit disputatio, est: an præter habitualem gratiam, auxilia specialia ei connexa, ex communi lege, specialis etiam, seu specialissima gratia necessaria sit, aut specialissimum priuilegium, & cui fuerit de facto concessum?

Quartum.

Quintum.

Pũctus difficultatis.

Ra-

2 *Ratio dubitandi.*

Ratio dubitandi ea est: nam non vitare omnia venialia etiam collectivè imputatur homini ad culpam; sed nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo est in potestate hominis, omnia venialia collectivè vitare, & consequentèr speciali gratia ad ea vitanda non indiget. Hac tamen ratione non obstante, circam primam partem disputationis vniformi consensu omnes Theologi conspirant in eo, quod ad nunquam peccandum venialitèr, sivè per totam vitam, sivè per longum tempus, necessarium est speciale privilegium. Quod diffinitum est in Concilio Trident. *Sess. 6. Can. 23.* his verbis: *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum posse in tota vita omnia peccata vitare, etiam venialia, nisi ex speciali privilegio, anathema sit.* Ratio etiam suadet: nam ad omnia venialia vitanda, necessarium est, quod fomes peccati, vel revellio appetitus extinguatur; sed extingui nequit sine speciali privilegio: ergo hoc requiritur ad omnia venialia collectivè vitanda. Nec ratio dubitandi obstat; soluta namque manet *disput. 43. num. 12. & sequentib.*

Resolvitur 1. pars disput.

Circà secundam partem disputationis, conspirant etiam omnes Theologi in eo, quod tale privilegium soli Beatissimæ Virgini fuit concessum; nam sicut fuit exceptio regulæ generalis de contractione originalis culpæ; ita etiam fuit exceptio regulæ generalis de commissione peccati venialis, toto tempore vitæ suæ. Vtramque propugnat Ill. Godoy in præsenti, & egregiè; secundam de fide habendo, vt fatetur *num. 35. in fine.* Omnia in ipso videnda relinquo. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 2. dist. 28.* ibi: *Semper pugna est in corpore mortis huius.*

3 *2. pars disput. resolvitur.*

DISPVTATIO QUADRAGESIMASEXTA.

An auxilium ad aliquando supernaturalitèr operandum sit gratia specialis respectu hominis Iustificati per gratiam?

HAnc difficultatem, quæ proponi solet sub his terminis: *An homo Iustus indigeat speciali auxilio actuali ad quodcumque bonum opus supernaturale divisim?* Disputat Ill. Godoy contra Lorcam, & Montesinos, contra quos tenet communis opinio: homini iustificato per gratiam deberi ex vi doni iustificationis, vt aliquando benè supernaturalitèr operetur; consequentèrque auxilium, quod datur ad tale opus non esse specialem gratiam. Sic Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad primum*, & ratio sumitur ex dictis: nam homo, sivè in pura natura conditus, sivè in statu lapsus, & in peccato mortali existens, potest sine speciali gratia ordinis naturalis elicere aliquod bonũ opus morale iuxtà dicta *disp. 43. per totam.* Et *disp. 44. num. 3*: ergo paritèr: homo Iustus potest sine speciali gratia ordinis supernaturalis elicere aliquod bonum opus supernaturale; & consequentèr auxilium supernaturale, quod præstatur ad tale opus, non est specialis gratia, quin potiùs debetur homini Iusto ex vi doni iustificationis. Hæc est opinio Ill. Godoy, & quia non discedimus ab ipso, latiùs eam non per tractamus. Sufficiant itaquè dicta, etsi paucissima pro ista disputatione applicanda litteræ Magistri, vbi præcedens.

)(§)(

DISPVTATIO QUADRAGESIMASEPTIMA.

An homo Iustus ad omnem perseverantiam speciali gratia indigeat?

§. Unicus.

Resolvitur sine litigio difficultas.

Num. 1

QVadruplicem conclusionem, à quorum nulla discedimus, statuit in præsenti Ill. Godoy, & licèt hæc erat sufficiens ratio, vt hanc disputationem omitteremus, ne tamen inexplicata relinquatur, eam brevitèr proponemus. Perseverantia, de qua loquimur, est continuatio in bono; estque duplex. Vna temporalis, & imperfecta, & est, quæ etsi diuturno tempore duret, vsquè ad finem vitæ non pervenit. Altera est perfecta, & est, quæ vsquè ad mortem perseverat, diciturque perseverantia absolutè; & simplicitèr iuxtà illà Christi verba: *Qui autem perseveraverit vsquè in finem, hic salvus erit.*

Perseverãtia est continuatio in bono.

Duplex est.

2 *Perseverãtia duobus modis contingere potest.*

Hæc autem duplicitèr contingere potest. Vno modo ita, vt ab instanti iustificationis vsquè ad instans mortis diuturnum tempus intercedat, in quo plura occurrunt observanda præcepta, pluresque graves tentationes occurrere valent. Secundò: talitèr, quod duratio in gratia vsque ad mortem brevissima sit, vt in puero recenter baptizato, & statim mortuo, similitèrque in adulto, qui in articulo mortis, vel per baptismũ, vel per Sacramentalem absolutionem, accipit gratiam, & statim moritur.

3 *Pũctus difficultatis.*

De perseverantia primò modo, quæ solum consistit in diuturna legis perseverantia, certum est, ad ipsam requiri speciale auxilium præter gratiam habitualem, vt Catholicorum consensu diximus *disp.* 43. §. 1. & *disp.* 44. §. 4. Vndè quod in præsenti inquirimus, est: An ad continuationem vsquè ad mortem sufficiat habitualis gratia, & auxilia illi ex communi prouidentia connexa; vel necessarium sit speciale gratiæ auxilium ad specialem attinens providentiam, & à prædictis donis distinctum, & hæc, sivè diuturna, sivè brevis?

Pro cuius perfecta declaratione, notandum est cum Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. §. *Dico ergo*, donum perseverantiæ duo dicere, scilicèt, continuationem auxilij actualis efficacis, quod est gratia interna, & externam Dei protectionem, quæ est externa gratia; & consistit in coniunctione gratiæ cum morte, ex efficaci glorificationis intentione. Ex his autem, perseverantia vsquè finem dicit pro materiali auxilium efficax actuale, seu gratiam internam; pro formali autem dicit prædictam gratiæ cum morte coniunctionem.

4 *Donum perseverantiæ duo dicit.*

Ratio autem facilis, & clara est: nam id dicit pro formali perseverantia vsquè in finem, per quod distinguitur à perseverantia non finali; & id dicit pro materiali, per quod ab illa non distinguitur; atqui solum per prædictam gratiæ cum morte coniunctionem distinguitur perseverantia finalis à non finali: ergo hanc coniunctionem dicit solum pro formali. Maior, & consequentia tenent. Minor patet in diu perseverante, & non vsquè ad finem, qui etsi habeat auxilium efficax; coniunctionem tamen gratiæ cum morte non habet.

5

Ex his habetur specifica, & formalis differentia inter perseverantiam finalem, & non finalem, quæ consistit in prædicta gratiæ cum morte coniunctione. Habetur etiam materialis differentia inter perseverantes vsquè in finem; nam tàm auxilium, quàm mortis cum gratia coniunctio, requiritur, si perseverans eliceat aliquos actus, & diu durat; nam ad horum elicientiam, & durationem diu-

6

tur-

turnam, requiritur, ſpeciale auxilium, ex dictis *diſp. 44. citat.* ſi verò parum durat, & ſtatim moritur, aut nullum elicit actum, ſufficit prædicta coniunctio. Vndè donum perſeverantiæ in adultis elicientibus actus, includit auxilium efficax, & continuationem gratiæ cum morte; in parvulis autē, & ſimiliter in amentibus, includit dumtaxat coniunctionem gratię cum morte, quæ vt dictum eſt, eſt externa Dei protectio, qua Deus eos protegit, vt ducat in vitam æternam.

7 *Duo in hac difficultate examinantur.*

His itaquè declaratis, duo veniunt in præſenti examinanda (ait Ill. God. *num. 2.*) Primum eſt: An donum, quod ad perſeverandum de facto vſquè in finem vitæ requiritur, ſit debitum gratiæ, prout in præſenti ſtatu hominibus lapſis infunditur, vel ſit illi indebitum? Secundum eſt: An donum, ſeu auxilium, dans poſſe moraliter perſeverare (non potentia antecedenti, vt ait Ill. Godoy, & de quo contra ipſum diximus *diſp. 44. à num. 10. vſquè ad 29.*) debeatur gratiæ, prout in præſenti ſtatu infuſæ, vel ſit illi indebitum? Si primum, homo Iuſtus cum gratia habituali, & auxilijs cum illa ex communi lege connexis, poterit, & de facto perſeverabit vſquè in finem vitæ. Si ſecundum, homo Iuſtus, tàm ad poſſe, quàm ad de facto perſeverandum vſquè in finem vitæ, indigebit auxilio ſpeciali, præter gratiam habitualem, & auxilia cum illa ex communi lege connexa. Pro quorum reſolutione.

8 *1. Concluſ.*

Sit prima concluſio: *Poteſtas ſufficiens moraliter ad non ponendum obicem conſervationi gratiæ, omnibus Iuſtis confertur, ſeu offertur à Deo.* Sic Ill. Godoy *num. 4.* communitèrque acceptatur à Theologis, & probatur: poteſtas ad non ponendum obicem gratiæ, eſt poteſtas ad nunquam peccandum mortaliter; cum ſolum peccatum mortale illius conſervationi adverſetur; at omnibus Iuſtis datur, vel offertur à Deo, ſufficientia moralis ad omnia præcepta ſub mortali obligantia, obſervanda: ergo, &c. Minorem, in qua eſt difficultas, probat Ill. Godoy *numer. 4.* ex Scriptura, & Concilijs, & ratione probo: nam ſi talis poteſtas à Deo non offerretur, nec Iugum Dei eſſet ſuave, nec eius onus leve; cum inexcuſabiliter obligaret hominem ad nunquam peccandum mortaliter, quod ſine gratia Dei homo non eſt moraliter potens: ergo, &c.

Probatur.

9 *2. Cõcluſio.*

Secunda concluſio: *Auxilia, à quibus provenit hæc moralis poteſtas, non debentur gratiæ habituali pro hoc ſtatu, ſed ſunt illi indebitæ, & conſequentèr ſpecialia.* Ita Ill. Godoy *numer. 10.* & probatur: gratia habitualis pro hoc ſtatu non ſanat hominem ab infirmitate carnis ex peccato relicta, nempè, à rebellione appetitus, vt eſt de fide: ergo indiget homo ſpeciali auxilio, vt ſit moraliter potens ad perſeverandum vſquè ad finem. Probatur conſequentia: indigentia ſpecialis auxilij ad poſſe moraliter perſeverare vſquè in finem, oritur ex infirmitate carnis, ex peccato relicta; ſed hanc non ſanat in homine gratia habitualis iuxtà conceſſa: ergo, &c.

Probatur.

10 *3. Concluſ.*

Tertia concluſio: *Præter hoc auxilium requiritur aliud ſpecialius ad omnem perſeverantiam de facto vſquè in finem.* Sic Ill. Godoy *num. 24.* id probans ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, vt videri eſt in ipſo *à numer. 25. vſquè ad 30.* Ratione autem ſic oſtenditur: omnis perſeverantia vſquè in finem eſt prædeſtinationis, ita proprius effectus, vt convertibiliter ſe habeat cum illa; at quod ſic cum prędeſtinatione comparatur, ſpecialis gratia eſt reſpectu cuiuſcumque alterius auxilij ſpectantis ad ordinem gratiæ, cum prædeſtinatio ſit providentia ſpecialiſsima, cum omni alia providentia gratiæ comparata: ergo perſeverantia finalis eſt gratia ſpecialiſſima, nedum comparata cum noſtra natura, nec ſolum comparata cum gratia iuſtificante, ſed etiam cõparatione facta cum providentia ſpeciali, de qua in ſecunda cõcluſione fuit ſermo. Minor cum conſequentia tenet.

Suadetur.

11 *Maior probat. 1.*

Maior autem probatur primò: omnis perſeverantia vſquè in finem eſt, mortem contingere, quando homo eſt Iuſtus; ſed hoc oritur ex prædeſtinatione Dei, ex qua præparat hominem, hoc tempore moriturum: ergo, &c. Secundò: nam perſeverantia finalis eſt infallibiliter connexa cum gloria: ergo eſt effectus voluntatis Divinæ infallibiliter cum gloria connexæ, quæ ſola eſt voluntas diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis, ac proindè prædeſtinativa. Patet conſequentia: nam omnis connexio me-

Secundo.

dio-

diorum, sivè meritorum cum gloria, est effectus voluntatis Divinæ: ergo infallibilis connexio mediorum gratiæ cum gloria est effectus voluntatis Divinæ infallibiliter cum gloria connexæ.

12 4.*Concluſ.* Quarta conclusio: *Id, quo differt perseverantia finalis à non finali, non est in poteſtate libera prædeſtinati.* Ita Ill. Godoy *num.*38. *nam licèt sit* 28. *est errata.* *Probatur.* Probatur conclusio: perseverantia finalis à non finali distinguitur per hoc, quod mors coniungatur cum gratia; sed hoc non est in libera hominis potestate: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior patet ex terminis, eamque docet D. Augustinus *de Corrept. & gratia, cap.*7. *& 9. & lib. de Bono perſever. cap.*9. Minor vero probatur: mortis eventus non est in potestate libera hominis: ergo nec illius cum gratia coniunctio.

Ex dictis colligitur: perseverantiam finalem pro formali, in omnibus esse eiusdem rationis; non vero pro materiali. Primum patet: nam pro formali consistit in coiunctione gratiæ cū morte ex efficaci glorificationis intētione imperata, vt diximus *n.*4. *&* 5. sed hoc in omnibus est eiusdē rationis, vt patet ex terminis: ergo, &c. Secundum constat in adultis, elicientibus actus, & diu perseverantibus, in quibus requiritur auxilium efficax, quod in parvulis, & amentibus iuxtà dicta *num.*6. non requiritur. Hæc pro ista disputatione extensivè sufficiant; pro intensiori autem notitia videatur Ill. Godoy, latè satisfaciens argumentis in contrarium.

13 *Corollariū.*

)(o)(

DISPUTATIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

An homo in statu Innocentiæ speciali gratia indiguisset ad perseverandum in bono vsquè in finem?

Num. 1 1.*Concluſ.* DVplicem conclusionem statuit Ill. Godoy in præsenti, quarum prima est: *Homo in statu Innocentiæ, quoad sufficientiam operativæ virtutis posset nunquam peccare absquè speciali gratia superaddita gratiæ habituali, & virtutibus illam consequentibus.* 2.*Concluſio* Secunda est: *Ad nunquam de facto peccandum indigeret homo in statu Innocentiæ auxilio actuali suprà dona habitualia, quod esset generale, idest, non excedens facultatem principij, & speciale, idest, non debitum homini pro illo statu.* *Probat.* 1. *concluſ.* Ratio primæ est: quia homo in illo statu, vt potè, repugnantiam carnis contra spiritum non habens, posset quoad sufficientiam, nulla spectata gratia speciali, omne bonum consonū naturæ operari; totam legem naturæ collectivè adimplere; & omne peccatum contra naturalia vitare: ergo per gratiā habitualem, & virtutes ipsam consequentes, haberet sufficientiam, nedum phisicam, verum etiam moralem ad operandum omne bonum consonum gratiæ, ad totam legem supernaturalem collectivè obseruandam, & omne peccatum contra supernaturalia vitandum: ergo, &c.

2 1. *pars* 2. *concl. prob.* Secunda conclusio triplicem habet partem, quarum prima probatur: vt causa secunda de facto operetur, indiget actuali concursu Dei, saltim simultaneo in effectum, vt contra Durandum tenent omnes Theologi: ergo vt homo in statu Innocentiæ operaretur benè de facto, & nunquā peccaret, egebat tali concursu, distincto à donis habitualibus iustitiæ originalis, gratiæ, & virtutum, qui respectu actuum naturalium esset naturalis, & supernaturalis respectu supernaturalium.

3 2. *pars probat.* Secunda pars probatur: nam si iuxtà dicta in *prima conclusione* operari benè continuè, & nunquam peccare, non excedebat phisicam, & moralem sufficientiam, qua homo in illo statu gaudebat ratione vigoris naturæ in ordine ad præcepta naturalia, & habitualium donorum respectivè

ad ſupernaturalia : ergo auxilia efficacia requiſita ad nunquam de facto peccandum , & benè continuè operandum,erant generalia in hoc ſenſu, ideſt , non excedentia facultatem, etiam moralem principiorum , quibus gaudebat homo in prędicto ſtatu.

4 *3. pars probat. 1.* Tertia pars probatur primò : Adamus habuit iuſtitiam originalem,cæteraque gratiæ beneficia;ſed non habuit donum ad de facto perſeverandum vſquè in finem ; alioquin non peccaſſet : ergo homo in ſtatu Innocientiæ præter auxilia debita integritati naturæ, indigeret ſpeciali auxilio ad vſquè in finem perſeverandum.

5 *Secundò.* Secundò: Angeli boni non ſunt infirmiores homine in ſtatu Innocientiæ conſiderato;cum Angelus ſit homine perfectior ; ſed boni Angeli egerunt illo ſpeciali auxilio ad perſeverandum in gratia , & in bono, vt dixit Auguſt. *Conc. 2. in Pſalm. 32.* vbi loquens de Angelis bonis,ait: *Nec ipſi firmitatem ſibi propriam præſtiterunt.* Colligiturque ex Concil. Trident. *Seſſ. 6. cap. 13.* dicente : *Aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt , qui ſtat ſtatuere, vt perſeverantèr ſtet* : ergo in ſtatu Innocientiæ indigebat homo dono perſeverantiæ præter auxilia connaturalitèr debita integritate naturæ.

In vtraque concluſione convenimus cum Ill. Godoy , & ne videatur, Scotus ſenſiſſe oppoſitũ tertiæ parti ſecundæ concluſionis,vt dixit Lorca, quod refert Ill.Godoy *num. 1.* probationes pro illa iuxtà illius doctrinam, & ab ipſo non traditas , tradidimus. Convenimus itaquè in tota hac diſputatione, vltimâ operum Ill.God. & mihi maximè placet , omninò in illa convenire ; quia ſi initium operis pacificum fuit, vt claret ex *diſp. 1. præambula 1. tom. in 1. ſentent.* & *ibi* notavi *num. 2.* congruum, & valdè congruum erat , vt finis operis pacificus eſſet.Finiatur in pace,& opus ita magnum finire non poſſem,ſi ſpeciali auxilio à Deo non fuiſſem adiutus , ad perſeverandum vſquè ad finem operis.Hoc mihi tribuat miſericors Deus, ad perſeverandum in bono, & in gratia vſquè in finem vitæ , ſicut moraliter credo , & vt valdè certum habeo, Deum Ill.Godoy tribuiſſe. Hoc ſupplicitèr oro ; & humilitèr à Deo peto , vt quæ in Enigmate huius vitæ intelligendum dedi, in altera facie ad faciem videam,eiſque per æterna ſæcula fruar. 6

Et hæc de iſta Diſputatione, & Tractatu.

Hæc etiam de Primo Tomo in Secundum Sententiarum , & vltimo in Ill. Godoy dicta ſufficiant , Eccleſiæ Correctioni ſubiecta, in laudem,& gloriam Omnipotentis Dei , Virginis Matris ſub titulo Immaculatæ Conceptionis , & Solitudinis, qua gaudeo, & ſub cuius præſidium confugio; Petri Apoſtolorum Principis, Parentum Auguſtini, & Franciſci , nec non Præceptoris Subtilis, à quo ſi quid devium à me aſſertum inveniatur , libentiſsimè retracto , & omnia in Septem Tomis,à me in Ill.Godoy dicta , & hoc Tomo completa, Sapientium emendationi ſubjicio.

FINIS.

IN-

INDEX LOCVPLENTISSIMVS RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC PRIMO TOMO IN SECUNDUM LIBRUM Sententiarum Scoti continentur.

D.*vel* Disput.*Disputationem significat.* N.*vel* Num.*Numerum marginalem designat.*

A

ACTVS.

ACtus est simpliciter perfectior habitu.*Disp.*4 *num.*26.*&* 27. *Disp.*20.

Actus aliarum potentiarum à voluntate est praxis impropriè.*Disp.*5.*num.*186.

Actus excedit simpliciter habitum in bonitate,& malitia morali.*Disp.*20.

ADAMVS.

Potuit Adamus constitui caput morale illorum, quorum non esset caput naturale, etiam si extra causas existerent.*Disp.*34.

AMOR.

Amor specialiter dictus secundum se, versatur circa, obiectum sivè præsens,sivè absens;amor verò patriæ semper est de obiecto præsenti. *Disp.*5. *num.*105.

Amor est ipsa possessio obiecti.*Ibid.*

Amor attingit obiectum,non quia possessum,sed quia bonum.*Ibid.*

Amor in patria est perfectior visione. *Ibid. num.* 155.*&* *seqq.*

Amor est duplex. Amicitiæ, & concupiscentiæ, eorumque diffinitiones.*Ibid.num.*196.

Amor concupiscentiæ supponit amorem amicitiæ. *Ibid.*

Amor amicitiæ,in quo stat beatitudo,est propriè fruitio.*Ibid.num.*211.

Amor beatorum est liber libertate saltim quoad exercitium.*Disp.*6.*per totam.*

Amor in via, & in Patria sunt eiusdem speciei. *Disp.*7.*num.*103.

Amor in via non opponitur ex natura rei cum peccato actuali circa proximum.*Ibid.num.*104.

Amor amicitiæ erga Deum non opponitur ex natura rei cum odio Dei vt vindicantis, seu cum odio abominationis.*Ibid.num.*105.

Amor amicitiæ opponitur ex natura rei cum odio inimicitiæ.*Ibid.*

Amor ex natura rei opponitur contrariè cum odio formali Dei, & contradictoriè cum omissione illius.*Ibid.*

Amor Dei super omnia dividitur in intensivum, & extensivum, & hic adhuc est duplex, omniumque explicatio.*Ibid.num.*110.

Amor intensivus est amor amicitiæ; extensivus verò concupiscentiæ,qui realiter distinguntur. *Ibid.num.*111.

Amor beatificus potest de potentia absoluta componi cum peccato actuali,excluso odio formali Dei.*Ibid.num.*140.*&* *seqq.*

Amor Dei, alius est naturalis, & alius supernaturalis,de quibus.*Disp.*42.*num.*2.

Amor Dei naturalis est duplex. Vnus inefficax,& alius efficax,hicque dividitur in affectivum, & effectivum, qui in actualem, & habitualem secatur.*Ibid.num.*3. 4.*&* 5.

APPETITVS.

Appetitus innatus temperatur per appetitum elicitum,conformem regulæ, & voluntati Divinæ.*Disp.*1.*num.*20.

Appetitus innatus potest esse violentus secundum quid,quin homo sit violentus.*Ibid.*

Appetitus dividitur in natalem,& liberum,eorũque diffinitiones.*Disp.*7.*num.*92.

Appetitus innatus est ad formam, sivè naturaliter,sivè supernaturaliter perfectivam.*Disp.*10. *num.*37.

Appetitus naturalis, & aptitudo se habent vt superius,& inferius.*Ibid.*

APREHENSIO.

Aprehenſio eſt cognitio obiecti ſimplicis, vel compoſiti, nihil iudicando. *Diſp.5.num.182.*

APTITVDO.

Aptitudo eſt ad formam naturaliter perfectivam *Diſp.10.num.37.*

AVREOLA.

Aureola eſt diminutivum ab aurea, ſeu corona auri, & quid ſit. *Diſp.8.num.23.*

Tres ſunt aureolæ. *Ibid.num.24.& 25.*

Aureolæ non ſunt in Angelis. *Ibid.num.25.*

AXIOMATA.

Ordo finium correſpondet ordini agentium. Diſp.1. num.14.& Diſp.2.num.212.& 213.

Modus non variat rationem formalem rei, cuius eſt modus. Diſp.2.num.29.

Eſſentialia in Divinis ſunt priora notionalibus, & qua prioritate. Ibid.num.62.

Viſio intuitiva eſt rei exiſtentis reduplicativè, quomodo intelligatur. Ibid.num.123.& 127.

Actiones ſunt ſuppoſitorum, quomodo intelligatur. Ibid.num.163.

Omnes tres perſonæ indiviſibiliter concurrunt ad extra, quomodo intelligatur. Ibid.num.171.& ſeqq. & 177.

Sicut res ſe habent ad eſſe, ita ad cognoſci, explicatur. Ibid.num.179.& 180.

Intelligibilitas fundatur in tota entitate rei, explicatur. Ibid.num.181.

Sicut ſe habet vtile ad vtentem, ita fruibile ad fruentem. Ibid.num.182.

Quidquid Deus poteſt facere modijs cauſis ſecundis, cauſantibus in genere cauſæ efficientis, poteſt ſe ſolo facere, & cauſare. Diſp.3.num.52.& Diſp. 4.num.45. 47.& 61.

Chriſto Domino debet concedi quidquid eſt dignitatis, explicatur. Diſp.3.num.58.& 77.

Quandocumque forma ſuperior continet eminentèr, vel virtualitèr inferiorem, & effectum illius. fruſtra inferior ponitur cum ſuperiori. Ibid.num.70.

Quod eſt perfectum ſine imperfectione, poteſt ſupleri à Deo. Explicatur. Ibid.num.102.

Repugnat, formam eſſe in ſubiecto capaci, & illi non communicare ſuum effectum. Explicatur. Diſp.4. num.51.& ſeqq.

Denominativum, & denominans incipiunt per eaſdem ſyllabas. Explicatur. Ibid.num.58.

Intellectus trahit res ad ſe. Explicatur. Diſp.5.num. 30.& 110.

Amore amicitiæ amicus fit alter ego. Ibid.num.31.

Ratio ſuperioris debet reperiri in inferiori. Ibid.num. 33.& Diſp.15.num.35.& Diſp.25.num.25.

Poſterius generatione eſt prius perfectione. Ibidem, num.161.& 202.

Illa ſunt meliora, quorum oppoſita ſunt deteriora. Ibid.num.162.

Voluntas poteſt ferri in incognitum. Diſp.6.n.84.

Ab inferiori ad ſuperius negativè eſt mala argumentatio. Diſp.7.num.37.

De actu ad potentiam negativè, eſt mala argumentatio. Ibid.num.38.

De ſenſu compoſito ad ſenſum diviſum non valet conſequentia. Ibid.

Sic ſe habet potentia ad potentiam, ſicut actus ad actum. Ibid.num.150.

Ab obiecto, & potentia paritur notitia. D.9.n.13.

Quælibet potentia ferri poteſt in quodlibet obiectum, contentum ſub ſuo obiecto primo primitate adæquationis, & nequit quieſcere, niſi in obiecto primo primitate perfectionis. Ibid.num.9.& ſeqq.

Quod eſt ſimpliciter perfectionis in aliquo genere, ſi competit inferiori in illo genere, evidens eſt, quod competat ſuperiori. Diſput.10.num.19.& ſeqq. præſertim num.24.

Naturalia poſt peccatum integra manent. Diſput.14. num.8.

Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt. Diſp.15.num.5.

Vnum tantum vni contrariatur. Ibid.num.8.

Habitus infuſus datur ad ſimpliciter agendum. Ibid num.47.

Habitus acquiſitus datur ad facilitèr agendum. Ibid.

Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunantur in ſuperioris, explicatur. Ibid.num.51. 52.& 53.

Conſervatio eſt continuata productio. Diſp.19.n.23.

Quod eſt de ſe cauſativum alicuius effectus, illum non cauſat de facto, ſi cauſatum ſupponit. Diſp. 22.num.10.

Quando vnum eſt propter aliud, ibi tantum eſt vnum. Diſp.23.num.12.

Ad multiplicationem concretorum occidentalium ſufficit multiplicatio ſubiectorum, quin multiplicatio formæ requiratur. Ibid.num.16.

Ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium requiritur multiplicatio formarum, & ſuppoſitorum. Ibid.

Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Ibid.num.32.& 36.& Diſp.25.num.38.

Ad impoſsibile nemo tenetur. Diſp.24.num.23.

Oppoſitorum eadem eſt ratio. Diſput.25.num.27.& Diſp.36.num.102.

Sicut ſe habet ens artificiale in genere artis, ita ſe habet ens morale in genere moris. Diſp.25. num. 29.& 30.

Eſſentia cuiuſcumque rei conſiſtit in indiviſibili, quomodo intelligatur. Ibid.num.111.& ſeqq.

Sicut bono opponitur malum, ita optimo opponitur peſſimum. Diſp.31.num.6.

Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Diſp. 32. num.20.

Per locum à minori ad maius valet conſequentia, quomodo intelligatur. Diſp.35.num.46.& 50.

Illi potentiæ, cui actus in eſt, ineſt habitus, ex eo relictus. Diſp.37.num.24.

Quod natura numquam fecit, ſignum eſt, quod non poteſt facere. Diſp.40.num.12.

B

BEATITVDO. BEATVS.

BEatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. *Disp.1.num.1.*

Beatitudinem dari, est de fide. *Ibid.*

Beatitudo dividitur in naturalem, & supernaturalem, earumque diffinitiones. *Ibid.num.2.*

Vtraque dividitur in obiectivam, & formalem, earumque diffinitiones. *Ibid.*

Beatitudo principaliùs convenit obiectivæ. *Ibid. num.3.*

Beatitudo obiectiva, & formalis dividitur in perfectam, & imperfectam. Essentialem, & accidentalem. Intensivam, & extensivam, earumque diffinitiones. *Ibid.num.6.*

Beatitudo formalis partitur in beatitudinem naturæ, & potentiæ. Prima dicitur beatitudo simplicitèr, & secundum quid secunda. *Ibid.num.7.*

Beatitudo dividitur in beatitudinem animæ, & corporis. *Ibid.num.8.*

Beatitudo obiectiva præsupponitur ad formalem. *Ibid.*

Beatitudo nostra obiectiva in solo Deo consistit. *Ibid.num.11.*

Beatitudo nostra supernaturalis de facto amplectitur Essentiam Divinam, attributa, & relationes. *Disp.2.num.8.*

Obiectum essentiale beatitudinis est Essentia Divina, à personis præcisa. *Ibid. num. 14. vsque ad num.185.*

Obiectum essentiale beatitudinis est Essentia Divina, præcisa ab attributis. *Ibid. à num. 185. & seqq.*

Obiectum essentiale beatitudinis est Essentia Divina, præcisa à modis intrinsecis. *Ibid. à numer. 217. vsque ad finem disp.*

Beatitudo formalis non consistit in visione increata. *Disp.3.per totam.*

Beatitudo formalis est id, quo assequitur obiectiva beatitudo. *Ibid.num.1.*

Beatitudo formalis nequit consistere in visione increata. *Ibid.num.47. & seqq.*

Beatitudo formalis non consistit in illapsu Dei in substantiam animæ. *Disp.4.num.3. & seqq.*

Beatitudo formalis consistit in actuali operatione. *Ibid.num.18. & seqq.*

Beatitudo formalis de facto procedit à beato effectivè, & operativè. *Ibid.num.36. & seqq.*

Repugnat, beatum ad propriam beatitudinem se habere merè passivè, tàm elicitivè, quàm operativè. *Ibid.num.41. & seqq.*

Potest beatus videre Deum per actionem à se non elicitam. *Ibid.num.60. & seqq.*

Repugnat, beatum merè passivè se habere operativè ad beatitudinem. *Ibid.num.96.*

Beatitudo formalis non consistit in actu aliquo partis sensitivæ. *Disp.5.num.2.*

Bona corporis non pertinent essentialitèr ad formalem beatitudinem. *Ibid.num.3.*

Ad perfectam beatitudinē requiruntur actus intellectus, & voluntatis, perfectione saltim accidentali, & connaturali. *Ibid.num.4.*

Beatitudo formalis, alia est potentiarum, & alia animæ. *Ibid.num.5.*

Beatitudo formalis alia est extensiva, & alia intensiva; & vtriusque diffinitio. *Ibid.*

Beatitudinem formalem consistere essentialitèr in vtraque operatione, intellectus, scilicèt, & voluntatis; & in vnica tantum consistere, defenditur. *Disp.5.per totam.*

Beatitudo formalis nec consistit, nec consistere potest in delectatione. *Ibid.num.43.*

Beatitudo formalis est assecutio, suum faciem obiectum. *Ibid.num.52. & 53.*

Beatitudo formalis est assecutio, secum afferens voluptatem. *Ibid.num.54.*

Beatitudo formalis est assecutio perfectissima, & vltima. *Ibid.num.55.*

Beatitudo formalis est vnio, & societas intensiva. *Ibid.*

Beatitudo formalis est duplex. Vna adæquata, & alia inadæquata, eorumque diffinitiones. *Ibid. num.84.*

Beatitudo formalis consistit essentialitèr in actu voluntatis, dato, quod in vna tantum operatione consistat. *Ibid.num.139. & seqq.*

Beatitudo formalis consistit perfectiori modo in actu voluntatis, dato, quod consistat in pluribus. *Ibid.num.155. & seqq.*

Beatitudo formalis non consistit in nolle. *Ibidem. num.198.*

Beatitudo formalis non est delectatio, distincta ab amore. *Ibid.num.199.*

Beatitudo formalis consistit in amore amicitiæ. *Ibid.num.204.*

Beati liberè, libertate saltim quoad exercitium, Deum amant. *Disp.6.per totam.*

Beati de facto sunt impeccabiles. *Disp.7.num.2.*

Beati in sensu diviso non sunt impeccabiles ab intrinseco ex natura beatitudinis. *Ibid.à num.7. & seqq.*

Beati per solam visionem non sunt ab intrinseco impeccabiles. *Ibid.à num.46. & seqq.*

Beati per amorem beatificum non sunt ab intrinseco impeccabiles. *Ibid.num.99. & seqq.*

Beati vi amoris beatifici sunt impeccabiles in sensu composito peccato odij formalis Dei, & omissione illius. *Ibid.num.106.*

Beati cognoscunt creaturas in Verbo, & in proprio genere, quarum cognitiones explicantur. *Ibid.num.107. & 108.*

Beati possunt amare creaturas ex motione Divinæ bonitatis, & bonitatis creaturarum. *Ibid.*

Visio beata potest de potentia Dei absoluta cum peccato componi. *Ibid.num.119. & seqq.*

Cum beatifico amore potest de potentia absoluta actuale peccatum componi, excluso peccato

odij formalis Dei. *Ibid. à num.* 140. *usque ad fin.*
Beati habent vsum quinque sensuum; non verò potentiæ vegetativæ. *Disp.* 8. *num.* 35. & 36.
Beatitudo est de facto perpetua. *Disp.* 9. *num.* 1.
Beatitudo est corruptibilis de potentia Dei absolutâ. *Ibid. num.* 2.
Beatitudo est incorruptibilis per ablationem formæ à materia. *Ibid. num.* 3.
Beatitudo, prout est operatio, & prout est beatitudo, est ab intrinseco corruptibilis respectu causæ secundæ. *Ibid. num.* 9. & *seqq.*
Est etiam corruptibilis ab intrinseco respectivè ad causam primam. *Ibid. num.* 27. & *seqq.*
Possibilitas beatitudinis est solo naturæ lumine demonstrabilis. *Disp.* 10. *per totam.*
Beatitudo supernaturalis non est multiplicabilis specie. *Disp.* 11.
Possibilis est aliqua naturalis felicitas, quæ vera sit beatitudo, *Disp.* 12. *num.* 1. & *seqq.*
Datur de facto naturalis beatitudo viæ. *Ibid. n.* 7.
Beatitudo naturalis in duplici actu, & in vno essentialitèr consistit. *Disp.* 13. *num.* 1.
Beatitudo naturalis patriæ consistit in actu supernaturali entitativè, & naturali terminativè. *Ibid. num.* 2.
Beatitudo naturalis perfecta simplicitèr, & absolutè non convenit post diem Iudicij parvulis, sine baptismo morientibus. *Disp.* 14. *num.* 3.
Aliqualis beatitudo naturalis conveniet parvulis sine baptismo morientibus. *Ibid. num.* 31.

C

COGNITIO.

VT cognitio sit practica, sufficit, quod aptitudinalitèr sit directiva praxis. *Disp.* 5. *n.* 187.

COMPREHENSIO.

Comprehensio est duplex. Vna intensiva, & alia extensiva, earumque diffinitiones. *Disp.* 2. *n.* 80.

CONCVPISCIENTIA.

Concupiscientia primò, & per se, est in parte sensitiva; & secundario in voluntate. *Disp.* 36. *n.* 5.
Concupiscientia in vtraque parte est duplex, & vtriusque diffinitio. *Ibid.*
Concupiscientia, consistens in revelione appetitus contra rationem, est pœna peccati originalis. *Disp.* 38. *num.* 5. & 6.

CONSERVATIO.

Conservatio physica effectus exigit existentiam physicam causæ. *Disp.* 19. *num.* 22. & 23.

D

DELECTATIO.

DElectatio est duplex. Vna de ipso fine, vel circa ipsum finem. Alia de consecutione finis. Prima est ipsa complacentia, seu amor amicitiæ. Secunda distinguitur ab amore, & est accidens subsecutus. *Disp.* 5. *num.* 64. & 197.

DEMONSTRATIO.

Demonstratio, tàm à priori, quàm à posteriori, est duplex: Vna stricta, & positiva. Alia largè, & negativè, & quid vtraque sit. *Disp.* 10. *num.* 56.

DENOMINATIVA.

Denominativa sunt in duplici differentia, & qualia sint. *Disp.* 4. *num.* 58.

DEVS.

Deus, vt Vnus, & non vt Trinus, est primum principium. *Disp.* 2. *num.* 21.
Deus potest supplere munus speciei impressæ, non verò intellectionis. *Disp.* 3. *num.* 11.
Deus quadruplicitèr illabitur creaturis. *Disput.* 4. *num.* 2.
Deus triplici ratione se diligit necessario quoad exercitium. *Disp.* 6. *num.* 75. & 76.

DOS.

Dos est, quod ex parte sponsæ datur marito ad sustinenda onera matrimonij. *Disp* 8. *num.* 1.
Tria requiruntur ad rationem dotis. *Ibid. num.* 2.
Dotes propriè non sunt in Angelis. *Ibid. num.* 3.
Dotes propriè non sunt in Christo. *Ibid.*
Dotes propriè sunt in beatis. *Ibid.*
Tres tantum sunt dotes. *Ibid.*
Dotes sunt visio, comprehensio, & fruitio. *ibidem, num.* 4. & *seqq.*
Dos vel est actus, vel habitus. *Ibid. num.* 7.
Dos consistit in actu. *Ibid. num.* 8. & *seqq.*
Dotes corporis glorioſi sunt quatuor. *Ibid. num.* 26
Dos impassibilitatis consistit in negatione concursus Dei cum omnibus causis internis, & externis. *Ibid. num.* 28.
Dos agilitatis consistit in negatione concursus Dei ad motum gravitatis. *Ibid. num.* 31.
Dos subtilitatis provenit ex voluntate Dei, qui paratus est, concurrere cum corporibus glorioſis, vt coexistant cum alio corpore simul sine expulsione illius. *Ibid. num.* 32.
Dos claritatis est refulgentia, addens, suprà lucem, & colorem, manifestationem sui. *Ibid. num.* 33.
Dotes, attenta gloria corporis, sunt æquales in omnibus beatis; attenta verò gloria animæ sunt inæquales. *ibid.*

E

EFFECTVS.

OMnis effectus formalis præcisus per modum formæ, vt distinguitur à ly *per modum termini*, exigit necessario, vel physicam informationem, vel realem identitatem cum subiecto. *Disp.* 3. *num.* 7. & 92.

ERROR.

Potest Deus se solo infundere intellectui nostro habitum erroris *Disp.* 19. *num.* 25.

ESSENTIA DIVINA.

Essentia Divina, præcisa ab attributis, & relationibus, est entitas realis ex natura rei, suapte natu-

tura actu existens formalitèr, simplicitèr prima, & absoluta, habens esse completum, & consumatum per modum vltimi actus purissimi, omnem perfectionem simplicitèr fundamentalitèr, tanquam in radice, continens. *Disp. 2. numer. 4. 5. & 6.*

F

FOECVNDITAS.

FOEcunditas duplex est. Materialitèr, & formalitèr, earumque diffinitiones. *Disp. 2. numer. 120.*

FRVITIO.

Fruitio est actus voluntatis, qui assequitur finem, in ipsoque delectatione quiescit. *Disp. 5. n. 210.*

Fruitio triplex habet munus. Consecutio finis, complacentia in adquisitione illius, & in ipso, vel circa ipsum delectatio. *ibid.*

Fruitio propriè dicitur solum respectu vltimi finis. *ibid.*

Fruitio oritur à verbo *fruor*, quod dicitur à *fructu*. Ibid.

G

GAVDIVM.

GAudium est de bono iam possessio. *Disp. 5. num. 105.*

Gaudium attingit obiectum possessum, quia possessum. *Ibidem.*

GRATIA.

Ad quodvis verum supernaturale cognoscendum, requiritur gratia supernaturalis per Christum. *Disp. 39. num. 2.*

Aliquæ sunt veritates obiectorum naturalium, quæ absquè gratia speciali nequeunt cognosci. *Ibid. num. 3.*

Specialis gratia requiritur, vt homo lapsus possit potentia morali cognoscere singulas veritates naturales speculativas, tàm divisivè, quàm collectivè; non autem, vt physica potentia eas cognoscat. *Ibid. num. 9. & seqq.*

Gratia requisita ad cognoscendas prædictas veritates, tàm divisivè, quàm collectivè, non est supernaturalis quoad substantiam. *Ibid. num. 31. & 32.*

Talis gratia est supernaturalis quoadmodum; non supernaturalitate absoluta, sed respectiva. *Ibid. num. 33. & 34.*

Prædicta gratia est ex meritis Christi conferenda *Ibid num. 35.*

Gratia prædicta est necessaria in homine lapso ad cognoscendas omnes veritates practicas, sivè divisivè, sivè collectivè. *Ibid. num. 36.*

Eadem gratia requiritur in homine condito in pura natura, & in statu naturæ lapsæ per gratiam sanctificatæ, & in homine in iustitia originali condito. *Ibid num. 37. 38. & 41.*

Gratia specialis non requiritur, vt homo lapsus efficiat aliquod opus bonum morale. *Disput. 41. num. 3.*

Vt homo lapsus efficiat de facto aliquod opus bonum morale, non indiget efficaci gratia Theologica. *Ibid. num. 4.*

Gratia Theologica est, quæ datur ad opus conducens ad iustificationem. *Ibid.*

Vt homo lapsus de facto efficiat aliquod opus bonum morale absquè omni mala circunstantia, non indiget gratia speciali Dei, conditoris naturæ. *Ibid. num. 8.*

Homo in pura natura conditus, & in statu naturæ corruptæ, in peccoque mortali existens, potest sine speciali gratia Deum, naturæ Authorem, super omnia diligere dilectione efficaci, pro brevissimo tempore durante. *Disp. 42. per tot.*

Homo lapsus indiget speciali gratia ad vincendam quamlibet gravem tentationem ex motivo honesto adquisitæ virtutis. *Disp. 43. per tot.*

Gratia requisita ad vincendam gravem tentationem, est eiusdem ordinis, in quo est præceptum, contra quod insurgit tentatio. *Ibid. n. 18.*

Gratia prædicta est per Christum conferenda. *Ibid. num. 22.*

Homo lapsus non potest totam legem naturæ quoad substantiam implere sine speciali gratia, non dante potentiam antecedentem, sed potentiam consequente. *Disp. 44. num. 7. & sequentib.*

Ad observantiam totius legis naturæ requiritur in homine lapso gratia iustificans, non consequentèr, sed antecedentèr; non ex natura rei, sed ex Divina ordinatione. *Ibid. num. 29. & seqq.*

Ad prædictam observantiam requiritur necessariò gratia auxilians antecedentèr. *Ibid. num. 35. & seqq.*

Ad vitanda omnia peccata venialia collectivè per totam vitam, aut per longum tempus, requiritur speciale privilegium. *Disp. 45. num 2.*

Tale privilegium soli Beatissimæ Virgini Mariæ fuit concessum. *Ibid. num. 3.*

Homo iustificatus per gratiam non indiget gratia speciali, ad aliquando supernaturalitèr operandum. *Disp. 46.*

H

HABITVS.

HAbitus est causa æquivoca partialis actus. *Disp. 4. num. 26.*

Habitus voluntatis est perfectior habitu intellectus *Disp. 5. num. 168. & seqq.*

HOMO.

Homo determinatione appetitus solum appetit beatitudinem essentialem; determinatione verò graduali appetit eadem beatitudinem in-

intensiori gradu possessam. *Disp.1.num.19.& Disp.2. num.105.*
Homo potest considerari in triplici statu,nempè, puræ naturæ; innocentiæ,& naturæ corruptæ, de quibus. *Disp.42.num.6.*

I

IMAGO.

IMago duo dicit.. Vnum de formali, & hoc est respectus. Alterum de materiali,& hoc est absolutum. *Disp.2.num.184.*

INFERNVS.

Infernus est in centro terræ. *Disp.14.num.1.*

INTELLECTIO.

Intellectio potest à solo Deo produci in nostro intellectu. *Disp.3.num.51.& 52.*

INTELLECTVS.

Actus intellectus latissimo tantum modo est praxis,& solum extensionie fit practicus. *Disp. 5. num.186.*

INTELLIGERE.

Intelligere formalitèr consistit intendentia ad obiectum. *Disp.3.num.51.*

INTELLIGIBILITAS.

Intelligibilitas est duplex. Vna est passio quidditatis, & altera passio proprietatis, earumque explicationes. *Disp.2.num.181.*

IVDICIVM.

Iudicium est cognitio obiecti, iudicando de veritate illius. *Disp.5.num.182.*
Iudicium est complexum, & incomplexum, eorumque explicationes. *Ibid.*

IVSTITIA.

Iustitia originalis est donum realitèr distinctum à gratia sanctificante. *Disp.36.num.46.*

L

LIBERTAS.

LIbertas alia est contrarietatis,& alia contradictionis; seu quoad specificationem, & quoad exercitium. Vtriusquè diffinitio,& ratio. *Disp.6.num.1.& 66.*
Libertas alia est remota, & alia proxima; earumque diffinitiones. *Ibid.num.67.& 90.*
Libertas alia est moralis, & alia phisica. *Idid. numer.70.*
Libertas alia est ab intrinsico, & alia ab extrinseco. *Ibid.num.71.*
Libertas Divina est radix extrinsica libertatis creatæ. *Ibid.num.85.*
Libertas dividitur in libertatem in actu primo, & in actu secundo, seu aliud est libertas, & aliud vsus libertatis. *Ibid. num.90.*

LIMBVS.

Limbus parvulorum, cum solo originali morientium,est suprà Purgatorium. *Disp.14. n.1.*
Limbus Sanctorum est suprà Limbum parvulorum. *Ibid.*

M

MATRIMONIVM.

MAtrimonium est inter personas eiusdem speciei, & numericè distinctas. *Disput. 8. numer.3.*

N

NATVRA.

NAtura dupliciter sumitur. Primo, vt opponitur supernaturali. Secundo, vt opponitur libero. *Disp.6.num.79.*

NECESSITAS.

Duplex est necessitas. Vna contrarietatis, & alia contradictionis, seu quoad specificationem, & quoad exercitium. Vtriusque diffinitio, & ratio. *Disp. 6. num. 1.*

O

OBIECTVM.

OBiectum nostræ, & Dei beatitudinis est vnum,& idem. *Disp.2.num 2.*
Obiectum esse visibile, & esse visibile beatificè non est idem. *Ibid.num.3.*

OMMISSIO.

Dabilis est ommissio culpabilis in individuo absquè omni actu voluntatis phisico, qui sit causa, vel occasio illius. *Disp.21.*
Actus, vel opus in ommissionem influens, est peccatum. *Disp.22.num.1.*
Actus, vel opus, nullatenus influens in ommissionem, sed se habens concomitanter ad illum, non est peccatum. *Ibid.num.2.*
Actus, vel opus incompatibile cum adimpletione præcepti, si assumatur, vt medium, seu vt finis ommissionis, est peccatum. *Ibid.num.3.*
Actus, vel opus incompatibile cum adimpletione præcepti, merè concomitanter se habens ad ommissionem, non est peccatum. *Ibid. num. 5. & sequentib.*
Actus, qui est causa, vel occasio ommissionis, si est malus ex obiecto proprio, habet duplicem malitiam formalitèr distinctam. *Disp.23.n.2.*
Actus, qui est causa, vel occasio ommissionis, & ipsa actualis ommissio, se habent sicut actus interior, & exterior. *Ibid.*
Actus, qui est causa ommissionis, quando aliàs non est malus, habet malitiam eiusdem speciei cum malitia ommissionis, cuius est causa, *Ibid. num.3. & 4.*
Actus causans ommissionem, & ipsa ommissio, sunt vnum, & duo peccata. Duo partialia, & vnum totale. *Ibid num.11.& seqq.*

Actus positivus causans ommissionem, nec est peccatum commissionis, nec ommissionis, rigorosè loquendo; latè autem loquendo est vtrumque. *Ibid. num.* 28. *& seqq.*

Actus causans ommissionem, potiùs est peccatum ommissionis, quam commissionis. *Ibid. numer.* 50.

Actus causans ommissionem est peccatum, pertinens ad ommissionem. *Ibid. num.* 51.

Voluntas ommittendi præceptum est peccatum. *Disp.* 24. *num.* 8.

Tale peccatum pertinet ad ommissionem. *Ibid. numer.* 9.

Peccatum prædictum est inchoactivè peccatum ommissionis. *Ibid. num.* 10.

Ommissio contingens in somno tempore instantis præcepti, nec verè imputatur ad culpam, nec verè est peccatum. *Ibid. n.* 11. *& seqq.*

Talis ommissio est effectus peccati. *Ibid.*

Talis ommissio solum est peccatum concomitanter, & in causa. *Ibid.*

Ommissio peccaminosa essentialitèr consistit in carentia actus debiti ex præcepto affirmativo. *Disp.* 25. *num.* 1.

ORDO.

Ordo originis est duplex. Vnus simplicitèr, & alius secundum quid, eorumque explicationes. *Disp.* 2. *num.* 159. & 160.

P

PARVVLVS.

PArvuli cum solo originali morientes, non patientur pœnam sensus. *Disp.* 14. *numer.* 1. *Disp.* 38. *num.* 9.

Parvuli isti descendent ad Limbum, qui est locus distinctus ab Inferno, Purgatorio, & Limbo Sanctorum. *Disp.* 4. *num.* 1

Parvuli isti ab Angelo bono, & non à Dœmone, deferentur ad Limbum. *Ibid.*

Parvuli isti resurrecturi sunt in die Iudicij in perfecta ætate, nempè, triginta annorum; habituriquè sunt corpora sine defectibus sana, & plura dona supernaturalia. *Ibid. num.* 2.

Parvuli isti post diem Iudicij non erunt perfectè beati simplicitèr, & absolutè. *Ibid. num.* 3.

Parvuli cum peccato originali morientes, non sunt perpetuo habituri in tenebroso loco. *Ibid. num.* 4. *& seqq.*

Parvuli isti habituri sunt aliqualem naturalem beatitudinem. *Ibid. num.* 31. *& seqq.*

Parvuli isti plura dona naturalia, & supernaturalia habituri sunt. *Ibid.*

Parvuli isti non diligent Deum, Authorem naturæ, super omnia, dilectione perfecta, & efficaci. *Ibid. num.* 34.

Parvuli isti habebunt illam cognitionem, & illos actus honestos voluntatis, qui hominibus ex communi Dei providentia debentur. *Ibid. numer.* 36.

Parvuli cum solo originali morientes, puniuntur de facto pœna damni. *Disp.* 38. *num.* 7.

Parvuli cum solo originali morientes, nullum sustinebunt dolorem, interiorem ve tristitiam ex carentia boni amissi. *Ibid. num.* 11.

PECCATVM.

Per peccatum mortale non tollitur aliqua perfectio intrinsica Dei, sed honor extrinsecus duntaxat. *Disp.* 7. *num.* 112.

Peccatum multiplicitèr est aversio à Deo. *Ibid. num.* 115. *&* 116.

Peccatum actuale potest de potentia Dei absoluta cum visione beata componi. *Ibid. num.* 119. *& sequentib.*

Quodlibet peccatum actuale (excluso odio formali Dei) potest de potentia absoluta componi cum amore beatifico. *Ibid. num.* 140. *& seqq.*

Peccatum dicit actum secundum, & transeuntem. *Disp.* 15. *num.* 1.

Peccatum triplex. Naturæ, artis, & moris. *Ibid. numer.* 2.

Peccatum est peius vitio. *Disp.* 17.

Omne peccatum est contra naturam hominis, vt rationalis est. *Ibid.*

Peccatum nec est contra naturam hominis sensitivam, prout nata est, obedire rationi, nec illi conforme. *Disp.* 18. *num.* 10. *& seqq.*

Peccatum dupliciter. Communiter, & propriè, & de vtroque. *Disp.* 24. *num.* 4.

Peccatum commissionis tria habet; positivam tendentiam in obiectum; privationem debitæ rectitudinis, & relationem dissonantiæ ad legem. *Disp.* 25. *num.* 1.

Peccatum commissionis formaliter, & adæquatè in privativo consistit. *Disp.* 25. *per totam.*

Peccatum in ratione peccati non habet causam efficientem, sed deficientem. *Ibid. num.* 39.

Peccatum est privatio rectitudinis moralis actualis debitæ inesse actui. *Ibid. num.* 95. *& seqq.*

Peccata ommissionis specificantur ab actibus, debitis, quorum sunt ommissiones. *Disp.* 26. *numer.* 1.

Peccata commissionis specificantur à rectitudinibus, quibus privant. *Ibid. num.* 3. *& seqq.*

Divisio peccati in carnale, & spirituale, non est essentialis. *Ibid. num.* 18.

Peccata non specificantur à causis materiali, formali, motivis, activis, nec finalibus. *Ibid. num.* 19. *&* 20.

Peccata non distinguntur specie secundum reatus pœnarum. *Ibid. num.* 23.

Peccatum mortale, & veniale ex genere, & per se distinguntur specificè. *Ibid. num.* 24.

Peccatum mortale, & veniale per accidens, & ex circunstantijs in eodem genere, possunt esse eiusdem speciei. *Ibid. num.* 25.

Peccata cordis, oris, & operis differunt, & non differunt specie. *Ibid. num.* 27.

Divisio peccati in peccatum in Deum, in se ipsum,

ſum, & proximum, eſt eſſentialis, & generis in ſpecies ſubalternas. *ibid. num.* 29.

Peccata non diſtinguntur ſpecie ex diſtinctione præceptorum. *Diſp.* 27. *num.* 5.

Peccata omniſſionis, & commiſſionis quomodo diſtinguantur. *Diſp.* 28.

Peccata ſunt inæqualis gravitatis. *Diſp.* 29. *num.* 2. *& ſeqq.*

Peccatum ex obiecto, & ſpecie gravius, poteſt à peccato inferioris ſpeciei ſimplicitèr ſuperari in gravitate malitiæ. *Diſp.* 30.

Non omnia peccata, quæ ſunt contra virtutem perfectiorem, ſunt graviora peccatis, quæ ſunt contra virtutem minus perfectam. *Diſp.* 31. *num.* 2.

Peccatum, oppoſitum perfectiori virtuti, eſt gravius quolibet alio, oppoſito inferiori virtuti, cæteris paribus. *ibid. num.* 5.

Peccatum originale dari, eſt de fide. *Diſp.* 32. *n.* 1.

Peccatum originale eſt verè, & propriè peccatum. *ibid. per totam.*

Peccatum originale vnivocè convenit cum actuali in ratione peccati. *ibid. num.* 9.

Vt Adami peccatum nobis voluntarium eſſet, neceſſarium fuit, vt aliquod pactum interveniret. *Diſp.* 33. *per totam.*

Peccatum Adami eſt cauſa efficiens moralis originalis culpæ. *Diſp.* 35. *num.* 2.

Peccatum Adami non eſt cauſa phiſica transfuſionis culpæ originalis. *ibid. num.* 7.

Peccatum actuale Adami fuit cauſa demeritoria illorum, quæ in nobis obtinent rationem pœnæ. *ibid. num.* 9.

Peccatum Adami actuale fuit cauſa demeritoria peccati originalis noſtri, formalitèr ſumpti. *ibid. num.* 10. *& ſeqq.*

Peccatum, formalitèr acceptum, poteſt eſſe pœna alterius peccati. *ibid. num.* 12. *& ſeqq.*

Peccatum commęſtionis Adami fuit cauſa tranſfuſionis culpæ originalis, non quia primum, ſed quia tale. *ibid. num.* 28. *& ſeqq.*

Solum peccatum Adami, & ſolum peccatum comęſtionis illius, fuit cauſa transfuſionis culpæ originalis, ita, vt Adamo non peccante, vel non peccante peccato comęſtionis, culpa originalis non eſſet in poſteros transfuſa. *ibid. à num.* 53. *vſquè ad* 64.

Peccatum originale non eſt anima rationalis. *Diſp.* 36. *num.* 3.

Peccatum originale non eſt concupiſcentia, vel fomes, quomodocumque explicentur. *ibid. num.* 5. *& ſeqq.*

Peccatum originale non eſt qualitas morbida. *ibid. num.* 18.

Peccatum originale non eſt ipſum actuale peccatum Adami, extrinſicè parvulos peccatores denominans. *ibid. num.* 21. *& ſeqq.*

Peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum, in parvulis per modum habitus moralitèr perſeverans, dum illis non condonatur. *ibid. num.* 26.

Peccatum originale non conſiſtit in privatione iuſtitiæ originalis. *ibid. num.* 48. *& ſeqq.*

Peccatum originale non conſiſtit in reatu culpæ. *ibid. num.* 87. *& ſeqq.*

Peccatum originale non conſiſtit in poſitivo. *ibid. num.* 106.

Peccatum originale eſt illud ipſum peccatum, quod in Adamo manſit habitualitèr, tranſacto actuali, ad nos transfuſſum. *ibid. num.* 118.

Peccatum originale conſiſtit in privatione habitualis rectitudinis, debitæ ineſſe actui Adæ, cauſata per modum termini ex actu ſecundo Adami, in nos per generationem transfuſſa *ibid. num.* 124.

Peccatum originale in quo diſtinguatur ab habituali. *Diſp.* 37. *num.* 1. *&* 2.

Peccatum originale ſubiectatur immediatè in voluntate, & mediatè in anima. *ibid. num.* 11. *& ſeqq.*

Malitia moralis peccati originalis eſt in voluntate, & in anima; non verò in appetitu. *ibid. num.* 46. *& ſeqq.*

Peccatum originale quoad eſſentiam in ſola voluntate recipitur. *ibid. num.* 55. *& ſeqq.*

Variæ ſunt pœnæ peccati originalis. *Diſp.* 38. *numer.* 1. 3. 5. *&* 6.

Peccatum originale aliqua pœna punitur. *ibid. num.* 2.

Peccatum originale, attenta gravitate illius ſub. ratione offenſæ Dei, nequit pœna ſenſus abſquè vlla iniuſtitia puniri. *ibid. à num.* 15. *vſquè ad finem.*

Ad vitanda omnia peccata venialia collectivè per totam vitam, aut per longum tempus, requiritur ſpeciale privilegium. *Diſp.* 45. *n.* 2.

Tale privilegium ſoli Beatiſsimæ Virgini Mariæ fuit conceſſum. *ibid. num.* 3.

Homo iuſtificatus per gratiam non indiget gratia ſpeciali, ad aliquando ſupernaturalitèr operandum. *Diſp.* 46.

POENA.

Pœna duplicitèr accipitur; ſtrictè, & latè. *Diſp.* 35. *num.* 10.

Pœnæ huius vitæ, ex peccato originali ortæ declaratur. *Diſp.* 38. *num.* 1. *&* 3.

Pœnæ alterius vitæ declarantur. *ibid. num.* 1.

PERFECTIO.

Perfectio ſimplicitèr eſt, quæ in quocunque, vt eſt ſuppoſitum entis in communi, eſt melior ipſa, quam non ipſa. *Diſp.* 10. *num.* 25.

PERPETVITAS.

Perpetuitas beatitudinis non eſt actio, ſed paſsio, non dimanans à beatitudine, ſed proveniens ex revelatione Divina. *Diſp.* 9. *num.* 76. *& ſeqq.*

Perpetuitas non eſt de eſſentia beatitudinis eſſentialis, nec ab ea exigitur; eſt tamen de eſſentia beatitudinis extenſivæ. *ibid. num.* 92. *& ſeqq.*

PERSEVERANTIA.

Perseverantia est continuatio in bono. *Disp.* 47. *num.* 1.

Perseverantia, alia est imperfecta, & perfecta alia, de quibus. *Ibid.*

Perseverantia duo dicit, vnum pro materiali, & aliud pro formali, & de vtroque. *Ibid. num.* 4.

Perseverantia vsquè ad finem est donum distinctum à gratia habituali, & indebitum. *Ibid. n.* 10.

Perseverantia finalis pro formali non est in voluntate prædestinati. *Ibid. num.* 12.

Perseverantia finalis pro formali est in omnibus eiusdem rationis; non verò pro materiali. *Ibid. num.* 13.

Homo in statu Innocentiæ posset nunquam peccare absque speciali gratia. *Disp.* 48. *num.* 1.

Homo in statu Innocentiæ indigeret auxilio actuali generali ad nunquam peccandum. *Ibid. num.* 2. *&* 3.

Homo in statu Innocentiæ indigeret auxilio speciali, ad perseverandum vsquè ad finem. *Ibid. num.* 4. *&* 5.

POTENTIA.

Potentia, vna est physica, & alia moralis, & vtraq; explicatur. *Disp.* 39. *num.* 7.

PRAXIS.

Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus conformiter elici rationi rectæ, ad hoc, vt sit actus rectus. *Disp.* 5. *num.* 186.

Ad praxim debet præcedere intellectio, quæ dirigat praxim, & cui praxis conformetur. *Ibid. num.* 187.

PRIVATIO.

Duplex est genus privationis, & quale. *Disp.* 29. *num.* 15. *& seqq.*

PVRGATORIVM.

Purgatorium est suprà infernum. *Disp.* 14. *num.* 1.

S

SECVRITAS.

SEcuritas in beatis pertinet ad voluntatem. *Disp.* 9. *num.* 89. *&* 102.

Securitas non est actus, sed passio; non dimanans a beatitudine, sed proveniens ex Divina revelatione. *Ibid.*

Securitas opponitur timori. *Ibid. num.* 102.

Securitas sequitur ad certitudinem. *Ibid.*

Securitas non est de essentia beatitudinis. *Ibid. num.* 104.

SPECIES.

Species impressa effectivè concurrit ad intellectionem. *Disp.* 3. *num.* 11.

Species impressa non debet inhærere. *Ibid.*

Species omnium rerum naturalium à Deo infusæ non sunt supernaturales quoad substantiam. *Disp.* 40. *num.* 31.

SVPERNATVRALE.

Supernaturale quoad substantiam est, quod excedit omnem facultatem naturæ. *Disp.* 40. *numer.* 31. *&* 32.

Supernaturale quoadmodum est, cuius entitas non excedit facultatem naturæ; modus tamen, quo habetur, illius facultatem excedit. *Ibid. num.* 33.

Supernaturale quoadmodum absolutè est, quod excedit quoadmodum, quo habetur, omnis naturæ exigentiam. *Ibid. num.* 34.

Supernaturale quoadmodum respectivè, est, quod excedit quoadmodum, quo habetur, alicuius; & non omnis naturæ, exigentiam. *Ibid.*

T

TRINITAS.

TRinitas duplicitèr sumitur formalitèr, & est ipsa Trinitas. Materialitèr, & hoc modo est Deus. *Disp.* 2. *num.* 184.

V

VISIO.

VIsio abstractiva Dei non est supernaturalis. *Disp.* 2. *num.* 73.

Visio Dei, vtvnius, est visio summi boni. *Disp.* 2. *num.* 14 *vsquè ad num.* 38.

Visio Dei, vt vnius, satiat appetitum hominis satietate requisita ad beatitudinem essentialem. *Disp.* 2. *num.* 102. *vsquè ad* 120.

Visio Dei, vt vnius, est intuitiva, intuitione ad beatitudinem requisita. *Ibid. num.* 122. *vsquè ad* 149.

Visio intuitiva terminatur ad rem existentem, etsi non personaliter existentem. *Disp.* 2. *numer.* 123. *&* 127.

Visio triplicitèr accipitur. *Disp.* 4. *num.* 48.

Visio beata potest esse aprehensiva solum. *Disp.* 5. *num.* 183.

Visio beata est de facto iudicativa. *Ibid. num.* 184.

Visio beata est incomplexa ex parte actus, & ex parte obiecti formalitèr. *Ibid.*

Visio beata est virtualitèr complexa ex parte obiecti. *Ibid. num.* 185.

Visio beatifica est practica, & prout practica, sortitur rationem beatificantis. *Ibid. numer.* 189. *&* 192.

Sola visio beata non præstat impeccabilitatem ab intrinseco. *Disp.* 7. *num.* 46. *& seqq.*

Visionis impossibilitas non potest evidenter ostendi. *Disp.* 10. *num.* 2.

Visionis possibilitas non potest ostendi ab intellectu pro hoc statu. *Ibid. num.* 3.

Visionis possibilitas potest sola ratione naturali demonstrari ab intellectu creato in statu separationis. *Ibid. n.* 6. *& seqq.*

VI-

VITIVM.

Vitium dicit habitum, seu dispositionem permanentem. *Disp.15.num.1.*

Vitium est triplex, scilicèt, naturæ, artis, & moris. *ibid.num.2.*

Inter vitia alia opponuntur virtutibus acquisitis, & alia Theologicis, aut moralibus infusis. *ibid.num.3.*

Vitia pugnant cum virtutibus acquisitis contrariè, contrarietate directa, propria, & stricta. *ibid.num.4. & 5.*

Actus vitij, & actus virtutis infussæ circà idem obiectum nequeunt stare simul. *ibid.num.6.*

Vitia recedentia à motivo virtutis acquisitæ nec directè, nec indirectè contrariantur virtutibus infusis. *ibid.num.8. & seqq.*

Inter vitia genita ex actibus directè recedentibus à regula supernaturali, & virtutes infussas, non est directa contrarietas. *ibid. n.21. & seqq.*

Omne vitium est contra naturam hominis, vt rationalis est. *Disp.17.*

Vitium nec est contra naturam hominis sensitivam, prout nata est, obedire rationi, nec illi conforme. *Disp.18.num.10. & seqq.*

Habitus vitiosus potest à solo Deo produci. *Disp.19. per totam.*

Habitus vitiosus non inclinat ad malum pro formali. *ibid.num.44.*

VOLITIO.

Volitio dupliciter potest esse libera, nempè, effectivè, & formaliter. *Disp.3.num.51.*

Volitio potest à solo Deo produci in nostra voluntate. *ibid. & num.52.*

VOLVNTARIVM.

Voluntarium est, quod procedit à principio intrinsico, productivo, vel operativo. *Disp.4. num.69.*

Voluntarium in causa duplex. *Disp.24.* num. 37. *& Disp.32.num.10.*

VOLVNTAS.

Voluntas est assecutiva. *Disp.5.à num.29. vsquè ad num.43.*

Voluntas est perfectior intellectu. *Ibid.à num.155. vsquè ad 182.*

Actus elicitus à voluntate est propriè praxis. *ibid. num. 186.*

Volũtatis actus est triplex. Desideriũ, amor, & delectatio, eorumque diffinitiones. *ibid.num.196.*

Triplex nolle est in volntate, quorum quodlibet supponit aliquod velle. *ibid.*

In voluntate est affectio commodi, & iustitiæ, eorumque explicationes. *ibid.num.197.*

Affectio commodi distinguitur ab amore concupiscentiæ. *ibid.*

Voluntas beati nunquam cessabit ab amore Dei, eiusque delectatione. *Disp.6.num.2.*

Voluntas beati potest de potentia Dei absoluta cessare ab amore, & delectatione Dei. *ibid. numer.3.*

Voluntas beati in ordine ad amandum Deum est libera, saltim quoad exercitium. *Disp.6. per totam.*

LAUS DEO.

huiusmodi dependentiæ, & cõsequentèr falsum esse, quod ad prædictã dependentiam requiratur subordinatio vnius ad alium, quod addidit Ill. Godoy in responsione ad primam probationem *num.* 50.

21. *Falsitas solutionũ Ill. God. ostẽditur*

Tertio deducitur: falsam etiam esse distinctionẽ, quã ad secundã probationẽ tradit *n.* 51. vt constat ex diffinitione dependentiæ in essendo, vel in existendo, quæ non requirit, quod sit à priori, vel à posteriori. Deducitur nãquè falsum hmilitèr esse, quod, connexione data, Omnipotentia non indigeat possibilibus ad essendũ, vel existendũ; tum ob diffinitionem prædictæ dependentiæ. Tum etiã, quia non capio, nec capere possum, quo modo ab illo, quod necessariò destruendum est alio destructo, possit auferri stricta ratio indigentiæ, vt non destruatur, & consequentèr stricta ratio dependentiæ ad essendum, vel existendũ. Manet ergo firmũ, quod in hypotesi repugnantiæ possibilitatis creaturarũ maneret Diuinũ Verbũ in eadẽ natura, & in eadẽ proprietate personali ratione illius propositionis, scilicèt: *Magis necessariũ à minùs necessariò dependere non potest*; quã ex Vasquio adducit Ill. God, & fideliſsimè; sed priùs fuit Scoti *in 1. dist. 8. q. 5. §. istis rationibus.*

Ill. God. *n.* 37. sibi obiecit quamdã rationẽ à Vasquio positã, quam ego omitto à Vasquio defensandam. Et *n.* 52. tradit aliã pro Scotistis, sed certè Scotistæ illam pro hac nostra conclusione nõ adducunt, ideòque illã omitto. Denique *n.* 59. adducit aliã, quæ ob eandẽ rationẽ omittenda venit. Alijs verò fortioribus fortè probabitur nostra conclusio. Pro quo sit.

§. II.

Probatur rationibus conclusio evertentibus fundamenta Ill. Godoy.

22. 1. *fundamen. Ill. God. proponitur.*

EX fundamentis, quæ Ill. God. adducit, vt Verbũ per se in quarto modo ex cognitione possibiliũ procedat, primũ, & quod vocat à priori, tradit *n.* 8. vbi processionẽ Verbi per se in quarto modo ex cognitione possibilium probat, quia Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione comprehensiva Omnipotentiæ, quæ nequit stare, quin possibilia cognoscantur, eo, quia Omnipotentia cũ illis essentialitèr connectitur. Hoc igitur fundamentũ duplici ex capite evertere poterã. Primo cõtra ipsum probando, *vt disp. anteced.* probavi, Verbũ per se in quarto modo ex cognitione cõprehensiva Omnipotentiæ non procedere. Cœterũ hoc proximũ est. Recolite dictã disputationẽ, præsertim, quæ diximus *n.* 19. Secundo probando cõtra ipsum, vt latè probavi *tom. 1. disp. 26. §. 7. & seqq.* Omnipotentiã cũ possibilibus essentialitèr non connecti, & licèt ad hoc faciendũ ad prædictã disputationem referre me poteram; tamen quia Ill. God. plura hic repetit ex ab ipso ibi traditis, mirum nequaquam erit, nos, qui eius vestigia sequimur, aliqua ex ibi adductis, hic adducere. Vndè.

23. *Prob. 4. conclusio, & simul impugnatur solutio tradita ab Ill. Godoy.*

Probatur 4. conclusio evertendo hoc fundamentum Ill. God. ex capite dicto, & est simul impugnatio solutionis, quã dedit ad nostrã tertiã probationẽ: necessitas perfectissima Dei est, qua maior excogitari nequit; sed duplex est necessitas perfectissima Dei, scilicèt, in causando, (ideſt in non causari, seu non habere causam sui) & in essendo: ergo vtraque est, qua maior excogitari nequit. Atqui ratione necessitatis perfectissimæ in causando ita Deus est nec essarius, vt omnia ab ipso in causando dependeant, ipse verò à nullo: ergo ratione necessitatis perfectissimæ in essendo ita Deus est necessarius, vt omnia ab ipso in essendo dependeant, ipse verò à nullo. Infero: ergo ita repugnat creatura aliqua inferens contingentiã Dei in causando, ac contingentiã Dei in essendo. Tum sic, sed quacumque hypotesi facta circa aliud à Deo, nihil est, quod inferat contingentiã Dei in causando: ergo nec quod inferat contingentiam

Dei in essendo: ergo Deus non est cum possibilibus essentialitèr connexus. Patet consequentia hæc: quia si esset connexus, aliqua hypotesi facta circa aliud à Deo, scilicet, si possibile fieret impossibile, inferret contingentiam Dei in essendo, contra dicta.

24. *Prob. 5. conclusio.* Probatur 5. ex eodem capite: ideò iuxta Ill. God. Verbũ per se in quarto modo procedit ex cognitione possibiliũ, quia per se in quarto modo procedit ex cognitione cõprehensiva Omnipotentiæ, quæ nequit stare, quin possibilia cognoscantur, oe, quia Omnipotentia essentialitèr connectitur cũ possibilibus; sed falsũ est, quod Omnipotentia cum possibilibus connectatur: ergo Verbũ per se in quarto modo non procedit ex cognitione possibiliũ. Probatur minor: falsũ est, quod Dei cum possibilibus detur necessaria connexio, sed hæc esset, si Omnipotentia cũ possibilibus connecteretur: ergo &c. Probatur maior: si Dei cũ possibilibus daretur necessaria cõnexio, possibilia essent magis necessaria, quam Verbũ Diuinũ; sed hoc est falsũ: ergo falsũ est, quod Dei cũ possibilibus detur necessaria connexio. Probatur maior: si per impossibile non esset Verbũ Diuinum, essent possibilia; non verò è contra: ergo &c.

Antecedens pro prima parte patet: nam etsi non esset Verbũ Diuinũ, esset Deus cum possibilibus connexus, & consequentèr essent possibilia. Pro secunda claret: nam secundum Ill. God. Verbũ procedit ex cognitione possibiliũ, & cõsequentèr si non essent possibilia, Verbũ non esset. Consequentia probatur: id, quod staret, alio non stante, est magis necessariũ, quã illud; sed possibilia starent, nõ stante Verbo Diuino: ergo si Dei cum possibilibus datur necessaria connexio, possibilia essent magis necessaria, quã Verbũ Diuinum. Probatur maior: id, quod non staret, alio non stante, potest esse magis necessariũ, quã illud: ergo potiori iure id, quod staret, alio non stante, est magis necessariũ, quã illud. Antecedens est Ill. God. Consequentia optimè infertur. Quæcumque responsio non tollit, quod possibilia sint magis necessaria, quam Verbum Diuinum, quod est maximum inconueniens.

25. *Antecedens probatur.*

Probatur cõsequentia.

Probatur 6. conclusio ex eodẽ capite: possibili reddito impossibili, non destruitur Deus: ergo Dei cum possibilibus non datur necessaria cõnexio, & consequentèr Verbum Diuinũ per se in quarto modo non procedit ex possibilium cognitione. Probatur antecedens: Petro producto v.g. possibile redditur impossibile; sed ex eo, quod Petrus producatur, non destruitur Deus: ergo possibili reddito impossibili, non destruitur Deus. Probatur maior: ante Petri productionem Petrum produci erat possibile; sed producto Petro impossibile est, quod producatur: ergo &c. 26. *Prob. 6. conclusio.*

Si verò dicas pro Ill. God: quod producto Petro adhuc nõ est impossibile, quod producatur; nã potest iterũ per secundã productionẽ produci. Contra: ergo producto Petro impossibile est, quod producatur per 1. productionẽ; sed hoc erat possibile ante Petri productionẽ: ergo ex eo, quod Petrus producatur, aliquod possibile redditur impossibile; atqui non destruitur Deus per productionẽ Petri: ergo possibili reddito impossibili, non destruitur Deus, & consequentèr Dei cum possibilibus non datur necessaria connexio, quod est nostrum intentum. 27. *Si dicas pro Ill. Godoy.* *Contra.*

Dices adhuc pro Ill. God: quod Petro producto redditur impossibile phisicũ, Petrũ produci per 1. productionẽ; non verò impossibile logicum, quod sufficit, vt non destruatur Deus. Sed contra. 1: possibile phisicũ non est minùs possibile, quã possibile logicũ; sed non destruitur Deus ex eo, quod possibile phisicũ reddatur impossibile: ergo nec destrueretur, si possibile logicũ redderetur impossibile. Contra 2: data cõnexione Omnipotentiæ cum possibilibus logicis, cõnectitur etiã cũ possibilibus phisicis: ergo si nõ destruitur Deus, ex eo, quod possibile phisicũ 28. *Replicabis pro ipso.* *Contra 1.* *Contra 2.*

PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

reddatur

tate, quod nemo dixit: ergo verum est in opinione Ill. Godoy, quod supponimus, scilicèt quod cognitio, quam habet Deus de posibilibus, non [illegible] aliquid notionale ad intra; sed [illegible] essentiale ad extra. Secundo supponendum est: quod cum *in præsenti putamus*: an Verbum procedat [illegible] cognitione posibilium? Non loquimur de cognitione essentiali ad extra, seu de cognitione [illegible]a, qua habet Deus, qui supponit pro individuo Trinitatis; sed de cognitione notionali ad intra, seu de cognitione [illegible]am habet persona Patris. Vnde facere transitum de cognitione Patris ad cognitionē Dei, vt est individuum Trinitatis, est maxima deceptio, quia est facere transitū à cognitione notionali ad intra ad cognitionem essentialem ad extra. Quibus suppositis.

44. *Impugnatur 2.* Impugnatur 2. allata solutio: Pater non eodem actu produxit Verbum, & posibilia: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Pater producit Verbum actu, qui est personalis ad intra; seu qui est intellectio modificata Paternitate; sed per actu Pater posibilia non produxit: ergo Pater non eodem actu produxit Verbum, & posibilia. Discursus est legitimus. Maior ex dictis patet, & adhuc in opinione Ill. God. est vera. Minor ex dictis etiam apparet, nec videtur esse negabilem; alioquin posibilia, sicut Verbum, à solo Patre procederent, quod est inconveniens suprà deductum.

45. *Prob. 10. conclusio.* Ex his autē probatur 10. conclusio: intentionale ad intra, & essentiale ad extra, notionale ad intra est immediatius Essentiæ, quam essentiale ad extra; sed productio Verbi est quid notionale ad intra; productio verò posibilium est quid [illegible]ntiale ad extra: ergo [illegible] Verbi est immediatior Essentiæ, quam productio posibilium: ergo prius, quam posibilia, producitur Verbum: ergo Verbū non procedit per se in quarto modo ex cognitione posibilium. Tertia consequentia ex secunda infertur. Secunda verò ex prima. Prima autem ex præmissis. Ex præmissis autem minor, vt certa supponitur, quoad primā partē: quoad secundam verò patet ex dictis *n.* 43. & constat ex eo, quod scientia simplicis intelligentiæ, à qua posibilia procedunt, dicit relationē rationis ad ipsa posibilia, quæ, vtpotè, creaturæ, sunt aliquid ad extra. Solū restat probare maiorē, quæ sic probatur: illud, quod convenit Essentiæ ex natura rei absquè aliqua operatione intellectus ad extra, est immediatius Essentiæ, quam illud, quod Essentiæ cōvenit mediante operatione intellectus comparantis Essentiā ad extra; atqui notionale convenit Essentiæ ex natura rei absquè aliqua operatione ad extra; essentiale verò ad extra convenit Essentiæ mediante operatione intellectus comparantis Essentiam ad extra: igitur inter notionale ad intra, & essentiale ad extra, notionale ad intra est immediatius Essentiæ, quā essentiale ad extra. Sic arguit Scotus *quodlib. 1. art. 2. Conclusione secunda.* *Probat. maior.*

46. *Prob. 11 conclusio* Probatur 11 conclusio: ideò iuxta Ill. God. Verbum non procedit per se in quarto modo ex cognitione futurorum, quia scientia visionis est posterior productione Verbi; sed etiā scientia simplicis intelligentiæ est posterior productione Verbi: ergo Verbum per se in quarto modo non procedit ex cognitione posibiliū. Consequentia est legitima. Maior est Authoris prædicti *disp. 91. n. 4.* Minor autē probatur: ideò scientia visionis est posterior productione Verbi, quia fundatur in decreto Diuinæ volūtatis, quod iuxta Ill. God. dependet à tribus personis; sed etiam scientia simplicis intelligentiæ dependet à tribus: ergo etiam scientia simplicis intelligentiæ est posterior productione Verbi. Probatur minor: scientia simplicis intelligentiæ non dependeret à tribus personis, falsum esset dicere: Verbum, & Spiritum Sanctum producere cognitionē simplicē creaturarum; sed hoc est absurdum: ergo etiam scientia sim-

pli-

1.112